BIBLIOTHÈQUE

DES

ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

2e SÉRIE

LE

REGISTRE DE BENOIT XI

PUBLIÉ PAR

CH. GRANDJEAN

LE

REGISTRE DE BENOIT XI

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LE MANUSCRIT ORIGINAL DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

CH. GRANDJEAN

ANCIEN MEMBRE DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

PARIS
ANCIENNE LIBRAIRIE THORIN ET FILS
ALBERT FONTEMOING, ÉDITEUR
LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
DU COLLÈGE DE FRANCE ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE
4, rue le Goff, 4

1905

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM PRIMI ANNI

DOMINI BENEDICTI PAPE XI.

1 Au Latran, 31 octobre 1303.

Benedictus archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis ejus notum facit se, a cardinalibus in papam concorditer electum XI kalendas novembris MCCCIII°, Petri cathedram conscendisse; eos rogat insuper et hortatur, ut pro ipso pias orationes ad Dominum fundant. (ARCH. VATIC., *Regest.* 51, n° 1, fol. 1; POTTHAST, *Regest. Pontif. Roman.*, n° 25285.) [1]

« *Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Mediolanensi et ejus suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem.* Dominus ac Redemptor noster, per quem Pater ipsius Eternus universa disponit, se dudum ex habundantia pietatis ad humane salutem generationis inclinans, mortalitatis nostre carnem induit factus homo, seque postmodum ipsi Patri veram pro nobis hostiam immolavit. Hinc nempe sacrosanctam Ecclesiam, sponsam suam, quam sui commercio sanguinis acquisivit, tanta dilectione prosequitur, quod ipsam non solum per Angelos, Celi cives, qui eam custodiunt incessanter, sed et per terrigenas hominum filios, qui, successive regimini presidentes illius, acceptis clavibus regni celestis, in Apostolatus officio beato Petro ex ejusdem Redemptoris dispositione succedunt, fovet, clementer protegit et gubernat, ut et celestis militie presidio fulciatur et terreni pastoris ministerio non fraudetur. Verum opera divine potentie plerumque mens humana miratur, dum mirabiles personarum et temporum immutationes attendit, in quorum contemplatione sensus hominis hebetatur, dum conatur perquirere investigabiles vias Domini et ejus occulta consilia perscrutari. Ipse namque nonnunquam potentes humiliat, ponit humiles in sublimi, fortem facit ex debili, balbutientibus eloquentiam tribuit et, prout vult, creaturarum conditiones variat et dispensat munera gratiarum, plenam et perfectam habens ad singula tanquam palmo concludens omnia potestatem.

Nos autem nimirum in admirationem protrahimur ac timor et tremor nos vehementer invadunt, dum infra mentis archana revolvimus quot et quantas immutationes receperit hactenus status noster, qui, abolim ordinem fratrum Predicatorum professi, putabamus abjecti esse in domo Domini cum humilibus servis ejus, et sub obedientie jugo Creatori reddere votum nostrum. Sed divini dispositione consilii post ministeria varia, in ordine predicto nobis imposita, suscepimus magistri generalis officium; ac subsequenter ad Cardinalatus apicem dignitatis per Apostolicam Sedem assumpti, cum aliquandiu nostri ministerii debitum in gradu sacerdotii egissemus, prefecti fuimus per Sedem eandem in episcopum Ostiensem. Novissime vero fratrum nostrorum instantia, prout series infrascripta declarat, nos subire coegit sarcinam apostolice servitutis.

Nuper enim felicis recordationis Bonifatio papa VIII°, predecessore nostro, sicut Domino placuit, de hac luce subtracto et, sicut speramus, post labores impensos ad premium evocato, ejusque corpore cum exequiarum solennitate debita tradito ecclesiastice sepulture, nos tunc, ut pretangitur, episcopus Ostiensis ceterique fratres nostri, episcopi, presbyteri et diaconi sancte Romane Ecclesie cardinales, ad tractandum de Romani substitutione pontificis, in palatio sancti Petri de Urbe, in quo decesserat predecessor ipse, convenimus : nobisque ac ipsis ad id eligentibus per viam procedere scrutinii, contigit Illo faciente, qui concordiam diligit, quod unico facto ac publicato scrutinio, tanta finaliter in votis eorum-

1. Potthast date cette pièce du 1er novembre.

dem fratrum est inventa concordia, quod per eos de nobis, licet immeritis, fuit ad Apostolatus officium XI kalendas novembris proximo futuri electio celebrata.

In quo pre admirationis magnitudine redditi nec immerito sumus attoniti. Stupor nostrum animum hebetavit, eumque timor et tremor pariter concusserunt. Numquid enim non admiratione dignum, quod inter tot et tantas eorumdem fratrum personas, vite ac fame claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes insuper multiplicium sufficientia meritorum, in presidendo apostolico culmini humilitas nostra, que illius fuerat merito postponenda, prefertur? Nonne,dum injuncti oneris molem attendimus et nostram insufficientiam comparamus, digne invalescunt timor et tremor, ne portantis debilitas sub tante molis gravitate succumbat? Nonne timendum iterum et tremendum ne justus Judex, si rationem de talentis creditis veniat exacturus, servum minus utilem a bono torpentem opere seve dampnet?

Hec et alia plura, que prolixitatis vitande gratia sermo succinctus omittit, insufficientiam nostram a tante gravitatis onere subducendam adeo efficaciter suggerebant, quod eorumdem fratrum importunitati diversarum excusationum obicem opponendo, ea qua potuimus reluctatione restitimus. Sed fratres ipsi nostre resistentie obviantes, nostris excusationibus non admissis, nos ad conscendendum Petri cathedram multe importunitatis instantia devicerunt. Nosque, licet ex nostrorum defectuum conscientia diffidentes, de Illius tamen confisi omnipotentia, qui non solum sufficit eosdem supplere defectus, sed et potens est omnem gratiam abundare facere in nobis, (ne sub obedientia nutriti,diutius eam comtempnere pertinaciter graviaque pericula, que imminere ipsi Ecclesie totique terrarum orbi ex ejus vacatione verisimiliter timebantur,dampnabiliter negligere censeremur), votis tandem fratrum acquievimus eorumdem, ac ad deferendum sarcinam summi Apostolatus submittentes humeros imbecilles, recepti ab eis unanimiter in Romanum pontificem, recepimus consequenter solennia benedictionis et cetera, secundum morem proficiendorum Romanorum pontificum, in personis predecessorum nostrorum hactenus observatum, anxiato et humiliato spiritu Domino supplicando, ut ipse, qui nos hujusmodi jugum subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram robore fulciat, sic illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo nos non contingat ex nostra debilitate deficere, sed ita nobis et gregi dominico, nostre vigilantie credito, sua virtute proficere, quod de talento nobis tradito dignam possimus in extremo judicio reddere rationem.

Quocirca fraternitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus nobis compatientes in tanti ponderis gravitate, ad supportandum illud ministretis, quantum in vobis est, velut in partem apostolice sollicitudinis evocati, vestri auxilii fulcimentum, commissas vobis ecclesias gregesque dominicos, in eis vobis creditos, gubernando sollicite, fideliter et prudenter, ac fundendo pro nobis pias orationes ad Dominum, ut ipse in executione pastoralis officii sic sua pietate nos dirigat, quod gratum nostrum ministerium fiat ei, spem certam de nobis et fiduciam habituri, quod vobis in hiis, que ad laudem Dei vestrarumque statum ecclesiarum spectare videbimus, favorem libenter apostolicum impendemus. Dat. Laterani, II kalendas novembris, pontificatus nostri anno primo. »

In eundem modum..regi..... illustri. (POTTH.,n° 25284.)[1]

In e. m. suffraganeis et capitulo ecclesie Ravennatis[2].

2 Au Latran, 28 octobre 1303.

Ranerio diacono, electo Vercellensi, indulget ut sacerdotalem ordinem et munus consecrationis insimul recipiat. (n° 2, fol. 2.)

« *Ranerio, electo Vercellensi.* Cum pridem felicis recordationis Bonifatius papa VIII^us, predecessor noster, ecclesie Vercellensi tunc vacanti de persona tua duxerit providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in litteris ejusdem predecessoris inde confectis plenius dicitur contineri, nos volentes te ac ipsam ecclesiam eo favore prosequi, quem tibi et illi conspicimus oportunum, tuis supplicationibus inclinati, tibi, qui es in diaconatus ordine constitutus, quod sacerdotalem ordinem a venerabili fratri nostro archiepiscopo..Mediolanensi, si quidem ipse illum tibi comode conferre potuerit, alioquin ab alio quem malueris catholico antistite, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, recipere possis ; ipsi archiepiscopo, si potuerit, ut predicitur, alioquin prefato vel alii tali antisti, quod tibi post receptionem dicti sacerdotalis ordinis, ascitis secum et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus episcopis illarum partium, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis valeat exhibere, auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Laterani, V kalendas novembris, anno primo. »

1. Le destinataire cité par Potthast d'après Rymer (*Fœdera*, I, IV, 30) est Edouard Ier, roi d'Angleterre.

2. Au-dessous de cette dernière ligne il y a un espace blanc, qui occupe la moitié de la page et qui était probablement destiné à recevoir d'autres mentions *In eundem modum*.

3 Au Latran, 2 novembre 1303.

Episcopo Auximano, in Urbe vicario, scribit de controversia dudum exorta inter fratres hospitalis Sancti-Spiritus in Saxia, ex parte una, et Jacobum Henrici de Paparescis, civem Romanum, ex altera, occasione divisionis quorumdam castrorum, terrarum atque bonorum inter ipsas partes communium : eidem mandat ut divisionem prædictam nomine Sedis Apostolicæ, prout justum fuerit, confirmet controversiamque, si ejus cognitio ad forum ecclesiasticum pertineat, fine debito terminet, alioquin curiæ senatorum Urbis decidendam relinquat. (nº 3, fol. 2.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Auximano, vicario nostro in Urbe.* Ex parte dilectorum filiorum .. preceptoris et fratrum hospitalis nostri Sancti-Spiritus in Saxia de Urbe fuit expositum coram nobis, quod ipsi dudum, ex parte una, et dilectus filius Jacobus Henrici de Paparescis, civis Romanus, ex altera, volentes ad divisionem quorumdam castrorum, terrarum atque bonorum inter ipsas partes communium devenire, consensernnt, quod hujusmodi divisio per dilectum filium nobilem virum Guidonem de Pileo, tunc senatorem dicte Urbis, et affectamentum sue curie fieret, ac promiserunt sibi invicem dicte partes, quod hujusmodi divisionem taliter faciendam ratam haberent, dictique preceptor et fratres sui superioris ac Jacobus ejus uxoris et aliarum personarum, quas ex parte ipsius hujusmodi negotium contingeret, premissis infra certum tempus prestari procurarent assensum, publico super hiis instrumento confecto, datis fidejussoribus et penis adjectis.

Porro divisione hujusmodi subsecuta, ex qua sicut accepimus ejusdem hospitalis conditio melior est effecta, iterum inter partes easdem est exorta dissensio ex eo quod, cum hospitale predictum suppremum alium superiorem, cujus assensus sit in talibus requirendus, non habeat quam Apostolicam Sedem, ejusdem Sedis assensus nondum fuit adhibitus in premissis, ac nichilominus idem Jacobus contra preceptorem et fratres predictos deposuit in curia senatorum ejusdem Urbis querelam, quod ipsi preceptor et fratres contra premissa venerant eumque nonnullis bonis temere spoliarant.

Licet autem pridem, ad tollendas intricationes et involutiones hujusmodi negotii, felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, voluerit, ut dicti senatores supersederent hujusmodi querele negotio nec procederent in eodem, donec ipse de civitate Anagnie, ubi tunc erat, ad Urbem predictam rediret, et hoc dilectus filius noster M[atheus], sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, per litteras suas de beneplacito et mandato ipsius predecessoris ad notitiam eorumdem deduxerit, sicut accepimus, senatorum, nos tamen, volentes plenius hujusmodi litibus et controversiis finem imponere ac de tua circumspectione gerentes fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si tibi constiterit dictum hospitale prospexisse circa divisionem hujusmodi meliora, divisionibus et omnibus predictis, ut illibata persistant, auctoritate et vice nostra prestes assensum, ita tamen quod, propter dilationem dicti assensus non prestiti infra promissum tempus, prefati preceptor et fratres penam aliquam non incurrant nec intelligantur fuisse in mora impetrandi vel obtinendi dictum assensum nec fore in antea, quandiu cognoveris et te informaveris de predictis, presertim si, ut predicitur, vice et auctoritate nostra consensum prestiteris in premissis.

Super aliis vero articulis, de quibus orta sit vel oriri contingat circa premissa controversia inter partes, si quidem talis fuerit controversia, quod ejus cognitio ad ecclesiasticum forum pertineat, tu illam per te vel alium seu alios, partibus convocatis, audias et debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gravi odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Alioquin, in dicta curia senatorum hujusmodi controversia suo marte procedat et fine debito terminetur. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

4 Au Latran, 2 novembre 1303.

Litteras Bonifatii VIII, quæ post mortem pontificis hujus in apostolica cancellaria nondum bullatæ repertæ sunt, confirmat mandatque Guidonem Pucii, ex tenore prædictarum litterarum priorem Asisinatis ecclesiæ constitutum, in corporalem prioratus possessionem induci. (nº 4, fol. 2.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Angeli de Limosano et.. de Bittonio, Asisinatis diocesis, ac .. Viterbiensis archipresbyteris ecclesiarum.* Venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, retulit in nostra presentia constitutus, quod ipse, felicis recordationis Bonifatio papa VIII°, predecessore nostro, adhuc vivente, quasdam litteras recepit confectas sub ejusdem predecessoris nomine, in hac forma :

Anagni, 23 août 1303.

« Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilecto » filio Guidoni Pucii, priori ecclesie Asisinatis, salutem » et apostolicam benedictionem. Ad illorum provisionem

» dexteram apostolice liberalitatis libenter extendimus, » de quorum meritis laudabilia nobis testimonia perhi- » bentur.

» Vacante siquidem dudum prioratu ecclesie Asisinatis » per obitum quondam Guidonis, ecclesie predicte prioris, » canonicis ejusdem ecclesie, ad quos in ea prioris electio » pertinet, in diversos dirigentibus vota sua, duas in ea » contigit electiones, unam videlicet de Uguitione Ra- » naldi, ejusdem ecclesie canonico, et alteram de Gocio » Viveni de Ponte, clerico Tuderane diocesis, in discor- » dia celebrari. Quarum electionum occasione inter Ugui- » tionem et Gotium predictos materia queremonis exorta, » nos in causa hujusmodi per appellationem ad Sedem » Apostolicam devoluta, dilectum filium nostrum Riczar- » dum, sancti Eustachii diaconum cardinalem, deputavi- » mus auditorem; ac postmodum dictus Gotius sponte et » libere resignavit apud Sedem eandem in manibus dicti » cardinalis, admictentis hujusmodi resignationem de » mandato nostro, facto sibi oraculo vive vocis, omne » jus, si quod ei ex electione predicta facta de ipso fue- » rat acquisitum; nosque deinde predictum Uguitionem, » ex certa causa, privavimus omni jure, si quod ex hoc » ei ad dictum prioratum competebat.

» Volentes itaque personam tuam laudabilium merito- » rum obtentu, super quibus fidedignorum testimonio » commendaris, favore prosequi gratie specialis, priora- » tum predictum vacantem, ut premittitur, cum omnibus » juribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate » conferimus et de illo etiam providemus, decernentes ex- » nunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam, » scienter vel ignoranter, contigerit attemptari;

» Non obstantibus quibusdam statutis et consuetudini- » bus contrariis ejusdem ecclesie, juramento, confirma- » tione prefate Sedis vel quacumque firmitate alia robo- » ratis; seu si venerabili fratri nostro..episcopo et dilectis » filiis capitulo Asisinati vel quibuscumque aliis commu- » niter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod » ad receptionem vel provisionem alicujus minime te- » neantur et ad id compelli non possint, seu quod de di- » gnitatibus vel personatibus ipsius ecclesie vel de bene- » ficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem » vel aliam dispositionem, conjunctim vel separatim, » spectantibus, cuiquam nequeat provideri per litteras » apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de » verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et » qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel spe- » ciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presenti- » bus non expressam vel totaliter non insertam effectus » hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri, et » de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, de- » beat in presentibus fieri mentio specialis; aut quod in » eadem et sancte Marie Asisinatis canonicatus et pre- » bendas et in sancte Lucie de Clesia, Asisinatis diocesis, » ecclesiis quoddam perpetuum beneficium nosceris ob- » tinere; seu si presens non fueris ad prestandum de ob- » servandis statutis et consuetudinibus ejusdem ecclesie » Asisinatis solitum juramentum, dummodo in absentia » tua per procuratorem idoneum et, cum ad ecclesiam » ipsam Asisinatem accesseris, corporaliter illud prestes. » Volumus autem quod, postquam possessionem pacifi- » cam dicti prioratus fueris assecutus, canonicatum et » prebendam predictos, quos in eadem Asisinati ecclesia » obtines, quosque extunc juxta ejusdem ecclesie con- » suetudinem vacare decernimus, omnino dimittas. Nulli » ergo, etc., nostre collationis, provisionis et constitu- » tionis, etc. Si quis autem, etc. Dat. Anagnie, » x kalendas septembris, pontificatus nostri anno nono. »

Verum quia, antequam hujusmodi littere bullate fuissent, dictus predecessor diem clausit extremum, idem vicecancellarius illas nobis, postquam fuimus licet immeriti ad apicem summi Apostolatus assumpti, attentius legere procuravit.

Nos itaque, earumdem litterarum intellecto tenore, relationi hujusmodi predicti vicecancellarii fidem plenariam adhibentes, et quod circa hujusmodi provisionem factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra, eundem Guidonem vel procuratorem suum, ejus nomine, in corporalem possessionem dicti prioratus, jurium et pertinentiarum ipsius inducatis et defendetis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in priorem ejusdem ecclesie Asisinatis, prout est moris, admitti sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis, seu si predictis episcopo et capitulo vel aliquibus aliis a Sede sit indultum predicta, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, etc., usque : mentionem, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

5 Au Latran, 2 novembre 1303.

Bartholomæus præpositus, quem ecclesiæ Pistoriensi Bonifatius papa VIII nuper præfecerat, in episcopum Pistoriensem confirmatur. (nº 5, fol. 2 vº; * Potth., nº 25287.)

« *Dilecto filio Bartholomeo, electo Pistoriensi.* Pridem Pistoriensi ecclesia per obitum bone memorie Thome, Pistoriensis episcopi, pastoris solatio destituta, felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, ad ipsius ecclesie tranquillum et prosperum statum intendens et cupiens propterea virum ydoneum preficere in pastorem, provisionem ipsius ecclesie dispositioni Apostolice Sedis, ea vice, auctoritate apostolica reservavit, decernens extunc irritum et inane si quid de dicta ecclesia contra hujusmodi sue reservationis tenorem, scienter vel ignoranter, per quoscumque quavis auctoritate contingeret attemptari. Et tandem circa provisionem ipsius ecclesie, ne prolixe viduitatis incomodis subjaceret, intendens et considerans laudabilia testimonia, que tibi a fidedignis de nobilitate generis, litterarum scientia, honestate morum, conversationis et vite munditia, prudentia spiritualium et temporalium providentia perhibebantur, te, ipsius ecclesie prepositum, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, eidem ecclesie prefecit in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma de te concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, eadem ecclesia per tuum ministerium studiosum spiritualiter et temporaliter proficeret et consurgeret incrementis.

Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, confecte super hoc sub nomine ipsius predecessoris littere et in cancellaria nostra, sicut nobis per assertionem venerabilis fratris nostri Papiniani, episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii constitit, reperte bullari minime potuerunt.

Nos itaque, quod circa te per eundem predecessorem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, jugum Domini prompta devotione suscipiens et suavi ejus oneri humiliter colla submittens, curam et administrationem predictas exercere studeas fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem ecclesia tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ut ipsius status ecclesie sub tuo regimine provido et gubernatione discreta in spiritualibus et temporalibus laudabiliter augeatur. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Pistoriensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Pistoriensis.

In e. m. vassallis ecclesie Pistoriensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Pistoriensis.

6 Au Latran, 10 novembre 1303

Comitem de Cercaldo Campaniæ Maritimæque in spiritualibus rectorem instituit. (nº 6, fol. 3.)

« *Dilecto filio comiti de Cercaldo, canonico plebis sancti Appiani, Florentine diocesis, in spiritualibus Campanie Maritimeque rectori.* Cum in Campania et Maritima de rectore in temporalibus duxerimus providendum, volentes etiam inibi de rectore in spiritualibus providere, ad hoc ut temporalis jurisdictio, cum expedierit, auxilio spiritualis jurisdictionis fulta, liberius et efficatius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrem et fidelem tua fama laudabilis tuaque merita representant, jurisdictionem in spiritualibus in supradictis Campania et Maritima, in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat et non alias, presentium auctoritate committimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus jurisdictionem ipsam sic prudenter et fideliter exequaris sicque limites tibi datos observes, quod possis exinde merito commendari.

Nos enim sententias sive penas, quas spiritualiter rite tuleris vel statueris in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis apostolicis cujuscumque tenoris existant, per que mandati nostri executio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de quibus plenam et expressam, seu de verbo ad verbum fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Laterani, IIII, idus novembris, anno primo. »

In c. m. episcopis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis ac archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per Campaniam et Maritimam constitutis.

7 Au Latran, 2 novembre 1303.

Angelus, olim Fæsulanus ac postmodum Larinensis episcopus, ad ecclesiam Mothonensem nuper, Bonifatio papa VIII vivente, translatus, in episcopum Mothonensem confirmatur. (nº 7, fol. 3.)

« *Venerabili fratri Angelo, episcopo Mothonensi* [1]. Olim

1. Ms : « Mochonensi. »

tu, qui ecclesie Fesulane regimini presidebas, non valens utiliter ut optabas propter molestias, que tibi a nonnullis querentibus que sua non sunt inferebantur, dictum regimen exercere, tam oneri quam honori pontificalis officii sponte ac libere, in manibus felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, cessisti dictusque predecessor, hujusmodi cessione recepta, tandem te primo ad episcopalem restituit dignitatem et postmodum administrationem Larinensis ecclesie tibi commisit, gerendam a te usque ad Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis, quam quidem administrationem gessisse laudabiliter comprobaris.

Cum autem postmodum Mothonensis ecclesia per translationem venerabilis fratris nostri P[etri] Theatini, quondam Mothonensis episcopi, ad ecclesiam Theatinam per eundem predecessorem factam, pastore vacasset, dictus predecessor provisionem ipsius ea vice dispositioni sue ac Sedis Apostolice reservavit, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, ac demum de ipsius ecclesie Mothonensis ordinatione, ne diu viduitatis subjaceret incomodis, sollicite cogitans et cupiens eidem Mothonensi ecclesie ydoneum pastorem per sue providentie studium presidere, in te, ordinis sancti Augustini professorem, apud eum de litterarum scientia, gravitate morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia fidedignorum testimonio commendatum, direxit aciem sue mentis teque, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, ac apostolice plenitudine potestatis eidem Mothonensi ecclesie prefecit in episcopum et pastorem.

Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, confecte super hoc sub nomine ipsius predecessoris littere in cancellaria nostra, sicut nobis per assertionem venerabilis fratris nostri P[apiniani], episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, constitit, reperte bullari minime potuerunt.

Nos itaque quod circa te per eundem predecessorem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus regimen ejusdem Mothonensis ecclesie suscipiens reverenter, curam et administrationem ejusdem ecclesie sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et preter benedictionis eterne premium, benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Dat. Laterani, III nonas novembris, anno primo. »

In e. m. decano et capitulo ecclesie Mothonensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Mothonensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Mothonensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Mothonensis.

8 — Au Latran, 8 novembre 1303.

Frater Lucas, ordinis Prædicatorum, ad ecclesiam Castrensem nuper a Bonifatio papa VIII episcopus destinatus, eidem ecclesiæ auctoritate apostolica præficitur. (nº 8, fol. 3 vº.)

« *Dilecto filio Luce, Castrensi electo.* Dum attente considerationis indagine perscrutamur comoda plurima, que vacantibus ecclesiis de salubribus provisionibus pastorum proveniunt, multa nimirum reddimur attentione solliciti, ut circa provisiones hujusmodi faciendas solertis vigilantie studium impendamus.

Sane dudum Castrensi ecclesia per obitum bone memorie Hectoris, episcopi Castrensis, pastoris solatio destituta, duas electiones in ea, unam videlicet de Bartholomeo, cantore, et aliam de Raone de Murchano, ejusdem ecclesie canonico, a reliquis canonicis ipsius ecclesie contigit in discordia celebrari. Porro, negotio predictarum electionum per appellationem dicti Raonis ad Sedem Apostolicam devoluto, felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, dilectum filium nostrum L[ucam], sancti Angeli diaconum cardinalem, deputavit in causa hujusmodi auditorem, qui, negotio ipso plene discusso, quia neutram ipsarum electionum invenit fore canonice celebratam, de speciali mandato dicti predecessoris earum utramque justitia exigente cassavit. Et deinde predecessor ipse provisionem, ea vice faciendam eidem ecclesie de pastore, sue et Apostolice Sedis dispositioni reservans, decrevit extunc irritum et inane si secus super hoc, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari.

Ac tandem de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitans, ne per longam vacationem valeret incurrere detrimentum, et talem illi preesse pontificem cupiens, per quem posset dicta ecclesia salubriter gubernari, in te, ordinis fratrum Predicatorum professorem, quem sibi de litterarum scientia, religionis observantia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia fidedignorum testimonia commendarunt, direxit oculos sue mentis teque, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, et apostolice plenitudine potestatis eidem Castrensi ecclesie prefecit in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo.

Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, confecte super hoc sub nomine ipsius

predecessoris littere in cancellaria nostra, sicut nobis per assertionem venerabilis fratris nostri P[apiniani], episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, constitit, reperte bullari minime potuerunt.

Nos itaque quod circa te per eundem predecessorem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus regimen ipsius ecclesie reverenter suscipiens et prosequens diligenter, sic in animarum tibi commissarum cura sollicitum et in ejusdem ecclesie utilitatibus spiritualiter et temporaliter procurandis te reddas attentum, quod in die discussionis extreme dignam reddas de talento tibi tradito rationem, tuaque fama propter hoc sic erga remotos et proximos clareat per effectum, quod in delectationem nobis veniat te oportuno tempore prosequi gratiose ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Dat. Laterani, VI idus novembris, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Castrensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Castrensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Castrensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Castrensis.

9 Au Latran, 2 novembre 1303.

Pontius de Alayraco, qui monasterio s. Bartholomæi de Benavento, ordinis s. Augustini, Lemovicensis diocesis, a Bonifatio papa VIII fuerat præfectus, in ejusdem monasterii priorem confirmatur. (nº 9, fol. 4.)

« *Dilecto filio Pontio de Alayraco, priori monasterii sancti Bartholomei de Benavento, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capellano nostro.* Dudum venerabili fratre nostro Isarno, Lundensi archiepiscopo, tunc priore monasterii sancti Bartholomei de Benavento, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, per felicis recordationis B[onifatium] papam octavum predecessorem nostrum, in archiepiscopum Rigensem assumpto, idem predecessor sibi ex certa causa de gratia speciali concessit, ut prioratum ipsius monasterii una cum archiepiscopatu Rigensi extunc usque ad triennium, quod nondum erat finitum, posset licite retinere; et postmodum eundem archiepiscopum transtulit ad ecclesiam Lundensem, que tunc per translationem venerabilis fratris nostri Johannis Rigensis, tunc Lundensis archiepiscopi, per eundem predecessorem factam ad ecclesiam Rigensem vacabat; ac demum volens idem predecessor ipsi monasterio de oportune provisionis remedio subvenire, ne ulterioris vacationis exponeretur incomodis, ac attendens gratiarum dona, quibus illarum Dominus te multipliciter illustravit, sibi ex familiari experientia non ignota, in te quem religionis zelus insignit, morum decorat honestas ac spiritualium et temporalium circumspectio recommendat, ipsius predecessoris animus conquievit. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de priore prioratus sancti Juliani de Pestrinis, ad ecclesiam Uticensem spectantis, predicte diocesis, et canonico ipsius ecclesie Uticensis, prefati ordinis, eidem monasterio apostolica auctoritate providit ipsique te in ipsius priorem et pastorem prefecit, curam et administrationem ejus tibi in spiritualibus et temporalibus committendo.

Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, confecte super hoc sub nomine ipsius predecessoris littere in cancelleria nostra, sicut per assertionem venerabilis fratris nostri P[apiniani], episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, constitit, reperte bullari minime potuerunt.

Nos itaque quod circa te per eundem predecessorem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus hujusmodi ad laudem divini nominis reverenter assumens, sic monasterium predictum, Deum habendo pre oculis, in spiritualibus et temporalibus studeas laudabiliter gubernare, quod ex tuo ministerio fructus gratiosi et uberes monasterio prelibato, Domino auxiliante, proveniant tuque Deo placidus ac nostris et Apostolice Sedis oculis proinde gratiosior offeraris, divinam et nostram ac prefate Sedis gratiam, tanquam benedictionis et obedientie filius, exinde uberius percepturus. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Bartholomei de Benavento.

In e. m. universis vassallis monasterii sancti Bartholomei de Benavento.

10 Au Latran, 2 novembre 1303.

Archiepiscopo Treverensi indulget ut beneficia ecclesiastica in sua civitate et diocesi vacantia, quorum ad Sedem Apostolicam collatio pertinet, conferre possit. (nº 10, fol. 4 vº.)

« *Venerabili fratri Dithero, archiepiscopo Treverensi.* Personam tuam, nobis et Ecclesie Romane devotam, favoris apostolici plenitudine prosequentes, illam libenter favoribus et gratiis prevenimus, ut per honorem tibi exhibitum aliis existere valeas gratiosus.

Volentes itaque tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi hac vice,

auctoritate nostra, per te vel alium seu alios personis ydoneis, de quibus expedire videris, beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, etiamsi dignitates, officia vel personatus existant, nulli alii de jure debita, que in tua civitate et diocesi tanto tempore vacaverunt, quod eorum collatio est ad Sedem Apostolicam secundum Lateranensis statuta Concilii legitime devoluta, singulis earum videlicet singula hujusmodi beneficia dumtaxat, et amovendi quoscumque detentores illicitos a beneficiis supradictis, ipsis prout justum fuerit evocatis, et inducendi personas predictas, quibus de illis duxeris providendum, in corporalem possessionem beneficiorum ipsorum, et inductas etiam defendendi nec non contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia indulgentia dicte Sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in presentibus habenda sit mentio specialis; aut si persone hujusmodi alias beneficiate existant, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium potestatem, proviso quod persone, quibus de hujusmodi beneficiis duxeris providendum, in ipsis debitam residentiam et ad ordines, prout eorumdem beneficiorum onus requiret, se faciant statutis temporibus promoveri. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

11 Au Latran, 2 novembre 1303.

Episcopo Papiensi mandat, ut quasdam domos, quas Antonius de Fuxiraga pro ordine s. Claræ in civitate Laudensi construi fecit, recipiat et statuat ut ibi per moniales dicti ordinis perpetuis temporibus Domino serviatur. (n° 11, fol. 4 v°; POTTH., n° 25291 [1].)

« *Venerabili fratri .. episcopo Papiensi.* Pia desideria devotorum benigno libenter animo prosequimur et eorum justis postulationibus assensum benivolum impertimur.

Cum itaque dilectus filius nobilis vir Antonius de Fuxiraga, sicut ex parte ipsius fuit expositum coram nobis, de salute propria cogitans ac ad ordinem celebrem sancte Clare specialem gerens devotionis affectum, quasdam domos in proprio fundo, in civitate Laudensi, ea intentione construi fecerit, ut sit in eis ad laudem divini nominis monasterium dicti ordinis, cui paratus est pro sustentatione abbatisse et monialium, quas ibi cupit institui, competentes redditus assignare, nos ipsius nobilis pium in hac parte propositum prosequi favorabiliter intendentes, ejus supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, eodem nobili faciente quod offert, auctoritate nostra domos predictas nomine ordinis memorati recipiens, statuas ibi perpetuis temporibus fore monasterium, in quo per moniales ordinis dicti Domino serviatur, ipsumque monasterium ordini predicto incorporans, provideas illi hac prima vice de aliqua persona ydonea, ordinem eundem professa, que sciat et possit illud salubriter gubernare, preficiendo eam in abbatissam monasterii prelibati, eique munus benedictionis impendas ac ibidem personas aliquas, cupientes sub eodem ordine Domino famulari, de quibus expedire videris, recipi facias in monachas et sorores, contradictores, etc., jure diocesani episcopi in dicto monasterio semper salvo. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

12 Au Latran, 2 novembre 1303.

Priori Prædicatorum et guardiano Minorum fratrum Mediolanensibus mandat, ut juxta tenorem litterarum Bonifatii papæ VIII, post mortem ejusdem in cancellaria apostolica sine bulla repertarum, electionem abbatissæ monasterii s. Mariæ de Baxiliano, Mediolanensis diocesis, diligenter examinent ac si eandem invenerint de persona idonea canonice celebratam, illam confirment. (n° 12, fol. 4 v°.)

Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum. Venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, retulit in nostra presentia constitutus, quod ipse felicis recordationis Bonifatio papa VIII, predecessore nostro, adhuc vivente, quasdam litteras recepit confectas sub ejusdem predecessoris nomine, in hac forma :

Anagni, 16 août 1303.

« Bonifatius, etc., dilectis filiis .. priori Predicatorum » et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Mediolanensibus, salutem, etc. Ad provisionem ecclesiarum et » monasteriorum vacantium eo diligentius nec immerito » partes apostolice sollicitudinis adhibemus, quo ipsis ex » eorum vacatione diutina jugiter majora conspicimus » dispendia et pericula provenire.

1. Potthast date cette bulle d'après Wadding (*Annal. Minor.*, VI, 435, n° 2) du 5 novembre (nonis novembris.)

» Nuper siquidem ex parte dilectarum in Christo filia» rum conventus et Thomasine de Bonate, monialis mo» nasterii sancte Marie de Baxiliano, ad Romanam Ec» clesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Bene» dicti, Mediolanensis diocesis, per procuratorem ipsarum, » quem propter hoc ad Sedem Apostolicam destinarunt, » fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsa T[homa» sina] in abbatissam dicti monasterii, vacantis per obi» tum quondam Michare, abbatisse ipsius, per viam » compromissi canonice, ut idem procurator asseruit, » fuisset electa ac infra tempus a jure statutum electioni » hujusmodi consensisset, ipseque conventus et T[homa» sina] dictum procuratorem ad Sedem destinassent » eandem, pro ipsius electionis negotio prosequendo, » electionem confirmare predictam de benignitate apos» tolica dignaremur.

» Nos autem de circumspectione vestra, qui tam de » ydoneitate persone quam de aliis circumstantiis, que » sunt in talibus attendende, habere poteritis notitiam » pleniorem, gerentes in Deo fiduciam specialem, dis» cretioni vestre per apostolica scripta mandamus, qua» tinus, super forma electionis et electe meritis inquiren» tes diligentius veritatem, si electionem eandem inve» neritis de persona ydonea canonice celebratam, eam » auctoritate nostra confirmare curetis, facientes ei ab ejus » subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi » ac per aliquem catholicum antistitem illarum partium, » gratiam et comunionem dicte Sedis habentem, munus » benedictionis impendi, contradictores auctoritate nostra, » appellatione postposita, compescendo, recepturi post» modum ab eadem, nostro et Ecclesie Romane nomine, » fidelitatis debitum juramentum juxta formam, quam » vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin, » eadem electione rite cassata, faciatis eidem monasterio » per electionem canonicam de persona ydonea provi» deri. Formam autem juramenti, quod ipsa prestabit de » verbo ad verbum nobis per ipsius patentes litteras, » ipsius sigillo signatas, per proprium nuntium quam » totius destinetis; non obstante indulgentia, qua ordini» bus vestris a Sede Apostolica dicitur esse concessum, » quod ipsorum ordinum fratres non teneantur se intro» mittere de quibuscumque causis vel negotiis, que ipsis » per ejusdem Sedis litteras committuntur, nisi in eis» dem litteris de hujusmodi indulgentia plena et expressa » mentio habeatur. Dat. Anagnie, xvii kalendas septem» bris, anno nono. »

Verum quia, antequam hujusmodi littere bullate fuissent, dictus predecessor diem clausit extremum, idem vicecancellarius illas nobis, postquam fuimus licet immeriti ad apicem summi Apostolatus assumpti, attentius legere procuravit.

Nos itaque, earumdem litterarum intellecto tenore, relationi hujusmodi predicti vicecancellarii fidem plenariam adhibentes, et intendentes quod per eundem predecessorem in hac parte inchoatum est favorabiliter prosequi, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus premissa juxta prescriptam traditam vobis formam auctoritate nostra exequi procuretis, non obstante indulgentia supradicta. Dat. Laterani, iiii nonas novembris, anno primo. »

13 Au Latran, 2 novembre 1303.

Abbatissam et conventum s. Claræ Ravellensis, ordinis ejusdem sanctæ, generali et provinciali ordinis fratrum Minorum Terræ Laboris committit. (n° 13, fol. 5; Potth., n° 25286.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii sancte Clare Ravellensis, ordinis ejusdem sancte.* Religionis in qua — Dat. Laterani, iiii nonas novembris, anno primo. »

14 Au Latran, 10 novembre 1303.

Potentina vacante ecclesia per obitum Francisci episcopi et dissensionem ortam inter illos, quibus futuri pastoris spectabat electio, abbati monasterii Belli Loci, Virdunensis diocesis, facultas conceditur præficiendi eidem ecclesiæ virum idoneum in episcopum et pastorem. (n° 14, fol. 5 v°.)

« *Dilecto filio Guidoni, abbati monasterii Belli Loci, Cluniacensis ordinis, Virdunensis diocesis, administratori ecclesie Acherontine per Sedem Apostolicam deputato.* Vacante dudum ecclesia Potentina per mortem bone memorie F[rancisci], episcopi Potentini, nonnulli canonici ipsius ecclesie, ut moris est, convenientes in unum pro futuri facienda electione pastoris, Franciscum, ejusdem ecclesie canonicum, in Potentinum episcopum elegerunt. Verum Pascali, cantore, et Nicolao de Milionco, canonico dicte ecclesie, asserentibus hujusmodi electionem certis ex causis non valere de jure ac ad se fore illa vice potestatem provideri de pastore ipsius ecclesie devolutam, ortaque propter hoc inter eosdem eligentes et Franciscum, ex parte una, dictosque cantorem et Nicolaum, ex altera, materia questionis, quondam frater Gentilis, electus Cathaniensis, tunc administrator ecclesie Acherontine, loci metropolitanus, per Sedem Apostolicam deputatus, de hujusmodi questione cognoscens electionem prefatam cassavit et irritavit seu cassam et irritam nuntiavit, pro-

nuntiando nichilominus predictos eligentes fore illa vice potestate eligendi privatos ac potestatem eandem penes cantorem et Nicolaum predictos tantummodo remansisse. Cumque cantor et Nicolaus predicti potestatem eandem in eundem administratorem totaliter transtulissent, administrator ipse, potestatis ejusdem pretextu, de fratre Johanne, ordinis Predicatorum, eidem ecclesie Potentine providit. Et licet ex parte Francisci et eligentium predictorum ad Sedem propter hoc fuerit Apostolicam appellatum, idem tamen frater Johannes consecrationis munus sibi procuravit impendi ac administrationi dicte Potentine ecclesie se ingessit. Demum vero tam Franciscus quam frater Johannes predicti, constituti in presentia felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, omne jus, si quod eorum cuique in episcopatu Potentino occasione electionis, provisionis et consecrationis hujusmodi quomodolibet competebat, sponte ac libere in ejusdem predecessoris manibus resignarunt.

Dictus vero predecessor, hujusmodi resignatione recepta, cupiens ipsi Potentine ecclesie, ne vacationis ulterioris detrimenta sustineret, de salubris et celeris provisionis remedio subvenire plenamque gerens de tua circumspectione fiduciam, tibi per suas certi tenoris commisit litteras provisionem ea vice dicte ecclesie faciendam.

Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, confecte super hoc littere sub nomine ipsius predecessoris in cancellaria nostra, sicut nobis constitit per assertionem venerabilis fratris nostri P[apiniani], episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, reperte bullari minime potuerunt.

Nos itaque quod circa te per predecessorem eundem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, de provisione dicte ecclesie Potentine cogitans et habens pre oculis solum Deum, eidem ecclesie Potentine auctoritate nostra provideas hac vice de persona, moribus et vita laudabili et alias ydonea, que sciat et possit ipsi Potentine ecclesie preesse salubriter et prodesse, preficiendo eam auctoritate predicta prefate Potentine ecclesie in episcopum et pastorem, et faciendo sibi ab ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi eique per aliquem catholicum antistitem illarum partium, gratiam et comunionem dicte Sedis habentem, debito ad hoc episcoporum numero similem gratiam et comunionem habentium convocato, munus consecrationis impendi, prout videris faciendum, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, etc., usque: mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, etc. Dat. Laterani, IIII idus novembris, anno primo. »

15 Au Latran, 2 novembre 1303.

Ordini fratrum Prædicatorum indulget, ut eorum generalis procurator, cum magisterii officium vacare contigerit, procuratorio sibi prius concesso sine ulla qualibet confirmatione vel renovatione semper uti valeat. (nº 15, fol. 5 vº.)

« *Dilectis filiis prioribus, provincialibus ceterisque fratribus ordinis Predicatorum.* Ad sacrum ordinem vestrum, cujus abolim fuimus professores, specialis gerentes devotionis affectum, libenter vobis illa concedimus, que ad prosperum statum vestrum conspicimus pertinere.

Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat quod, cedente vel decedente ordinis predicti magistro vel eo a magisterii sui officio ex aliquibus causis amoto, generalis ejusdem ordinis procurator procuratorio sibi prius concesso non utitur nec officium procurationis exercet, donec per magistrum, quem postmodum continget institui, vel per priorem provincialem, qui secundum ejusdem ordinis instituta, magisterio predicto vacante, magisterii vices in provincia sibi commissa gerere noscitur in ordine prelibato, dictum procuratorium renovetur vel de procuratore contigerit aliter ordinari. Quamobrem prefatus ordo gravibus plerumque dispendiis subjacet ac status ejus non modicum perturbatur ; super quo apostolice provisionis adhiberi remedium suppliciter implorastis.

Nos autem volentes de apostolice benignitatis clementia super hoc, prout expedit, providere, vobis et eidem ordini ut, vacante quomodolibet magisterio supradicto, procurator predicti ordinis, quandiu vacationes hujusmodi durare contigerit, procuratorio sibi ante concesso, contraria qualibet constitutione vel consuetudine non obstante, plene ac libere uti possit, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

16 Au Latran, 16 novembre 1303.

Ut possit electus Castrensis recipere munus consecrationis. (nº 16, fol. 6.)

« *Dilecto filio Luce, electo Castrensi.* Dudum felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, Castrensi ecclesie tunc vacanti de te presbytero, ordinem fratrum Predicatorum professo, providit preficiendo

te ipsi ecclesie in episcopum et pastorem. Nosque postmodum, quia antequam littere dicti predecessoris, super hujusmodi provisione confecte, bullate fuissent, idem predecessor diem clausit extremum, quod per eundem predecessorem circa te in hac parte actum fuerat effectum sortiri voluimus, prout in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nunc autem te ac predictam ecclesiam relevare volentes a laborum et expensarum oneribus, que te oporteret subire in veniendo ad Apostolicam Sedem pro tue consecrationis munere obtinendo, tuis supplicationibus inclinati, tibi recipiendi hujusmodi consecrationis munus a quocumque malueris catholico episcopo, gratiam et comunionem Apostolice Sedis habente, ipsique episcopo illud tibi, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis episcopis catholicis, similem gratiam et comunionem habentibus, impendendi plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

17 Au Latran, 8 novembre 1303.

Egidio de Barben confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Virdunensi. (nº 17, fol. 6.)

« *Dilecto filio Egidio de Barben, canonico Virdunensi.* Sedis Apostolice circumspecta benignitas, qualitatem considerans et merita personarum, ad illas libenter dexteram sue liberalitatis extendit, quibus ad id nobilitatem generis, vite ac morum honestatem aliaque virtutum merita fidedignorum testimonio reperit laudabiliter suffragari.

Hinc est quod nos ad personam tuam, quam super premissis testimonia fidedignorum commendant, horum considerationem habentes et volentes tibi propter hoc et consideratione dilecti filii nostri Luce, sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, pro te nobis in hac parte humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Virdunensis cum plenitudine juris canonici et prebendam, nulli alii de jure debitam, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus. Dignitatem vero seu personatum, cum cura vel sine cura, si qua vel si quis nunc vacat vel quam primum vacaverit in ipsa ecclesia, etiam apud Sedem predictam, quam vel quem per te vel procuratorem tuum, ad hoc specialiter constitutum, infra unius mensis spatium, postquam tibi vel ipsi procuratori de hujusmodi dignitatis seu personatus vacatione constiterit, duxeris acceptandam seu etiam acceptandum, et, si nulla talis prebenda vacat ad presens in ecclesia supradicta, prebendam proximo in eadem ecclesia vacaturam, nulli alii de jure debitas vel debitos, conferendas vel conferendos tibi cum vacaverint, cum juribus et pertinentiis suis, donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Virdunensibus, seu illi vel illis, ad quem vel ad quos collatio, provisio, electio vel alia dispositio dignitatum seu personatuum ejusdem ecclesie pertinet, ne ipsi de hujusmodi dignitate seu personatu, per nos taliter reservata seu reservato, ante acceptationem hujusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super premissis a quoquam contigerit attemptari ;

Non obstantibus de certo canonicorum numero et aliis quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque alia firmitate vallatis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de prebendis et dignitatibus seu personatibus ejusdem ecclesie specialiter vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generaliter predicte Sedis litteras impetrarint; aut si aliqui apostolica, quibus omnibus nullum per hoc volumus prejudicium generari, vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; sive si eisdem episcopo et capitulo vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta Sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, seu quod de prebendis et dignitatibus seu personatibus ipsius ecclesie vel de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, electionem vel aliam quamcumque dispositionem, conjunctim vel separatim, spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de mandato hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, debeat in presentibus fieri mentio specialis ; seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum juramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes; aut quod olim tibi de archidiaconatu ac quibusdam canonicatu et prebenda ecclesie Leodiensis, tunc vacantibus, fuit apostolica auctoritate provisum, super quibus apud dictam Sedem nosceris litigare.

Tecum insuper ex uberioris dono gratie dispensamus,

ut archidiaconatum et prebendam predictos ipsius ecclesie Leodiensis, si illos assequi te contingat, possis una cum hujusmodi canonicatu, prebenda et dignitate seu personatu dicte Virdunensis ecclesie, cum illos assecutus fueris, licite retinere, generalis Concilii et qualibet alia constitutione contraria non obstante. Nulli ergo, etc., nostre collationis, provisionis, inhibitionis, constitutionis et dispensationis, etc. Dat. Laterani, vi idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. preposito sancti Salvatoris et.. cancellario majoris Metensis ac Thedisio Malocello, canonico Cameracensis ecclesiarum.

18 Au Latran, 4 novembre 1303.

Magistro Thomæ de Balliato, canonico Parisiensi, indulget ut, quandiu rexerit in theologica dictæ urbis facultate, possit per idoneum vicarium præbendæ suæ facere deserviri. (nº 18, fol. 6 vº.)

« *Dilecto filio magistro Thome de Bailliato, canonico Parisiensi, theologice facultatis doctori.* Tue probitatis meritis, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, inducimur ut personam tuam, favore benivolo prosequentes, petitionibus tuis exauditionis gratiam prebeamus.

Ex parte siquidem tua fuit expositum coram nobis, quod tu, qui es in sacerdotii ordine constitutus, quandam sacerdotalem prebendam in Parisiensi ecclesia auctoritate apostolica es adeptus, sed, quia Parisius doces in theologica facultate et predicationibus et disputationibus facultatis ipsius sepius occuparis, onera, que ipsi prebende incumbunt, nequis personaliter exercere. Cum autem cordi sit nobis docentes in facultate hujusmodi, per quam salus provenit animarum, favore prosequi gratioso, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, quandiu rexeris in facultate predicta, possis eidem prebende per ydoneum vicarium facere deserviri, qui hujusmodi gerat onera vice tua, nec interim gerere eadem onera personaliter tenearis. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, ii nonas novembris, anno primo. »

19 Au Latran, 2 novembre 1303.

Litteras quasdam Bonifatii papæ VIII, quæ post mortem pontificis hujus in apostolica cancellaria minime bullatæ repertæ sunt, confirmat decernitque, juxta tenorem prædictarum litterarum, Pontium de Alayraco retinere posse una cum canonicatu, quem obtinet in ecclesia Uticensi, prioratum monasterii s. Bartholomæi de Benavento, Lemovicensis diocesis. (nº 19, fol. 6 vº.)

« *Dilecto filio Pontio de Alayraco, priori monasterii sancti Bartholomei de Benavento, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capellano nostro.* Venerabilis frater noster P[apinianus], episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, retulit in nostra presentia constitutus, quod ipse, felicis recordationis B[onifatio] papa VIII°, predecessore nostro, adhuc vivente, quasdam litteras recepit confectas sub ejusdem predecessoris nomine, in hac forma :

Anagni, 13 août 1303.

« Bonifatius episcopus, servus servorum Dei, dilecto » filio Pontio de Alayraco, priori monasterii sancti Bar» tholomei de Benavento, per priorem soliti gubernari, » ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capel» lano nostro, salutem et apostolicam benedictionem. » Cum nuper te priorem prioratus sancti Juliani de Pes» trinis, ad ecclesiam Uticensem spectantis, et cano» nicum ecclesie Uticensis, ordinis sancti Augustini, » monasterio sancti Bartholomeo de Benavento per prio» rem solito gubernari, ejusdem ordinis, predicte dio» cesis, tunc pastore carenti, in priorem prefecerimus et » pastorem, nos tuis profectibus et quieti quantum cum » Deo possumus favorabiliter intendentes, tuis [1] suppli» cationibus inclinati, ut predictum canonicatum ecclesie » Uticensis una cum prefato prioratu de Benavento pos» sis licite retinere, nostra qua cavetur, ne religiosi plu» ribus prioratibus vel ecclesiis preesse presumant neve » administrationes vel officia unius monasterii, consueta » per ejus monachos gubernari, monachis alterius mo» nasterii committantur, et quibusvis aliis constitutioni» bus contrariis seu etiam predicti ordinis statutis et » consuetudinibus, juramento, confirmatione apostolica » vel quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obs» tantibus, tecum auctoritate apostolica de speciali gra» tia dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat » hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei » ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemp» tare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et » beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit » incursurum. Dat. Anagnie, idibus augusti, pontificatus » nostri anno nono. »

Verum quia, antequam hujusmodi littere bullate fuissent, dictus predecessor diem clausit extremum, idem vicecancellarius illas nobis, postquam fuimus licet immeriti ad apicem summi apostolatus assumpti, attentius legere procuravit.

1. Ms: « ejus. »

Nos itaque, earumdem litterarum intellecto tenore, relationi hujusmodi dicti vicecancellarii fidem plenariam adhibentes ac quod ab eodem predecessore circa te in hac parte actum est approbantes, decernimus dispensationem hujusmodi obtinere perpetuam firmitatem. Nulli ergo, etc., nostre approbationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

20 Au Latran, 31 octobre 1303.

Vacante plebanatu plebis de Trecafi, Massanensis diocesis, per obitum Manganelli dicti Philippi, qui nuper apud Sedem Apostolicam decessit, Octavianus, natus quondam Manni, judicis de Massa, eidem plebi præficitur in plebanum ac pastorem. (nº 20, fol. 6 vº.)

« *Dilecto filio Octaviano, nato quondam Manni, judicis de Massa, plebano plebis de Trecafi, Massanensis diocesis.* Ad illorum provisionem — Dat. Laterani, II kalendas novembris, anno primo. »

In e. m. Andree de Eugubio, canonico Cathalaunensi, thesaurario nostro, et .. de Sciata ac .. de sancto Laurentio plebanis, Senensis et Massanensis diocesium.

21 Au Latran, 6 novembre 1303.

Cassat et irritat potestatem, olim tribus personis ecclesiæ Tullensis concessam in negotio discordiæ, quæ inter clerum parochialium ecclesiarum, ex una parte, et Prædicatorum Minorumque fratres ordinum Metensis civitatis, ex altera, super prædicationibus fidelium populis faciendis, confessionibus eorum audiendis et corporibus tumulandis vertebatur : totum negotium ad examen apostolicum revocat, eisdemque mandat ut super his ulterius procedere nullatenus præsumant. (nº 21, fol. 7; Potth., nº 25293.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Mansueti extra muros Tullenses et.. archidiacono majoris ac.. decano sancti Gengulfi Tullensis ecclesiarum.* Dudum felicis recordationis Bonifatius papa VIII, predecessor noster, cupiens discordiam, que inter prelatos et rectores seu sacerdotes et clericos parrochialium ecclesiarum, ex una parte, et Predicatorum et Minorum ordinum fratres, ex altera, super predicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confessionibus, penitentiis injungendis eisdem et tumulandis defunctorum corporibus, qui eligunt apud fratrum ipsorum loca vel ecclesias sepulturam, prorsus evellere, quandam super hiis constitutionem edidit, in qua ubi, quando et quomodo liceat eisdem fratribus predicare, hujusmodi confessiones audire, penitentias injungere, qualiter etiam ipsi fratres liberam habeant sepulturam, et de quarta obventionum per eos eisdem parrochialibus, sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter exhibenda, plenius continetur.

Nuper vero ex parte dilectorum filiorum .. prioris et fratrum Predicatorum ac .. guardiani fratrum Minorum Metensium fuit expositum coram nobis, quod, cum idem predecessor super observatione dicte constitutionis ad instantiam rectorum seu curatorum, presbyterorum et clericorum parrochialium ecclesiarum Metensis civitatis et diocesis, suas vobis certi tenoris litteras direxisset, vos eisdem priori et guardiano et fratribus Metensibus plura gravamina contra justitiam intulistis, propter que ex parte ipsorum ad Sedem fuit Apostolicam appellatum.

Verum vos appellationi non deferentes hujusmodi, vices vestras in hac parte dilectis filiis Joffrido cancellario, Johanni cercatori et magistro Petro de Vinea, canonico ecclesie [Metensis?] commisistis, qui talis commissionis pretextu priorem, guardianum et fratres Metenses predictos multipliciter contra justitiam aggravantes, appellatione predicta contempta, diversas in eos excommunicationum et interdicti sententias pro eorum voluntatis libito promulgarunt.

Cum autem super hiis omnibus, ex parte dictorum prioris, guardiani et fratrum Metensium ad nos habitus sit recursus, nos quieti parcium providere ac obviare scandalis, que premissorum occasione dicuntur in illis partibus exoriri, salubriter intendentes, ac propterea potestatem vobis in eisdem litteris traditam totumque negotium ad examen apostolicum revocantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus super hiis ulterius, per vos vel alium seu alios, procedere nullatenus presumatis, quin potius eisdem subdelegatis vestris inhibere curetis, ne se de hiis quomodolibet intromittant.

Nos enim nichilominus exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari. Omnes vero sententias latas et processus habitos super hiis per vos vel subdelegatos eosdem, omnemque ipsorum sententiarum et processuum effectum suspendimus, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis. Dat. Laterani, VIII idus novembris, anno primo. »

22 Au Latran, 10 novembre 1303.

Cum, ex consuetudine vel statuto dudum in ecclesia Paduana observatis, ejusdem ecclesiæ canonici antiquiores possint gradatim vacantes adoptare præbendas, dummodo in eadem ecclesia primam fecerint residentiam personalem, magistro Gui-

docto de Mediolano, canonico Paduano, licentia conceditur, quamvis dictam ipse non fecerit residentiam, libere utendi præfato optionis jure, quandiu Sedis Apostolice institerit obsequiis. (nº 22, fol. 7 vº.)

« *Magistro Guidocto de Mediolano, canonico Paduano, capellano nostro.* Devotionis tue merita, nota nobis ex tua conversatione laudabili, promerentur ut personam tuam favore apostolico prosequamur.

Ex parte siquidem tua fuit expositum coram nobis, quod in ecclesia Paduana, ubi canonicatum obtines et prebendam, de ipsius statuto seu antiqua consuetudine est obtentum, quod illius canonici antiquiores possint gradatim prebendas, quas ibi vacare contingit, optare dummodo in ea primam fecerint residentiam personalem. Cum autem tu, Apostolice Sedis insistens obsequiis, residentiam in eadem ecclesia non feceris prelibatam, nos, super hoc tibi providere volentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi quod, donec apud Sedem predictam vel alibi de ipsius mandato Sedis obsequiis institeris antedictis, juxta prefata statutum vel consuetudinem, hujusmodi jure optandi prebendas in dicta ecclesia, cum vacabunt, uti libere valeas, ac si in ea dictam residentiam peregisses, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ejusdem ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., notre concessionis, etc. Dat. Laterani, IIII idus novembris, anno primo.»

23 Au Latran, 20 novembre 1303.

Ne infra ducentarum cannarum spatium circa fines loci fratrum Prædicatorum Lucanæ civitatis ulla domus regularis, ullum monasterium seu oratorium ædificetur vel transferatur. (nº 23, fol. 7 vº.)

«.. *Priori sancti Quintini in Monticello, Lucane diocesis.* Paci et tranquillitati dilectorum filiorum fratrum ordinis Predicatorum Lucanorum providere volentes, discretioni tue ad instar felicis recordationis Alexandri pape IIII[ti], predecessoris nostri, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus nullius religionis monasterium seu oratorium aut claustrum religiosarum vel secularium personarum edificari vel construi, aut ecclesiam jam edificatam inibi in religiosum locum vel regularem domum transferri permittas infra spatium ducentarum cannarum circa omnes fines, loco predictorum fratrum contiguas et vicinas [1], non obstantibus aliquibus litteris per quas hujusmodi precepti nostri executio possit impediri vel de quibus oporteat in presentibus fieri mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, etc. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

1. Ms : « Contigues et vicines. »

24 Au Latran, 4 novembre 1303.

Licentia audiendi divina in locis ecclesiastico suppositis interdicto, Bartholomæo de Capua, regni Siciliæ logothetæ, concessa. — Similis licentia Bartholomæo, prædicti regni camerario, et ejus uxori. (nº 24, fol. 7 vº.)

« *Nobili viro Bartholomeo de Capua, regni Sicilie logothete.* Pium arbitramur et congruum ut in hiis prompti simus ad gratiam, que salutis operibus obsecundent, presertim circa personas genere nobiles, que pura fide conspicue Deo et Sedi Apostolice sunt devote.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, quotiens te ad loca pervenire contigerit ecclesiastico supposita interdicto, liceat tibi et familie tue tecum, clausis janius, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, audire divina, dummodo causam non dederis interdicto nec id tibi et eidem familie contingat specialiter interdici. Nulli ergo, etc., nostre concessionis etc. Dat. Laterani, II nonas novembris, anno primo. »

In e. m. Bartholomeo, comiti Thelesie, regni Sicilie camerario.

In e. m. Agneti, comitisse Thelesie.

25 Au Latran, 4 novembre 1303.

Comiti Thelesiæ, regni Siciliæ camerario, et ejus uxori indulget ut sibi possint eligere confessorem. — Eisdem, ut habere valeant altare portatile. (nº 25, fol. 7 vº.)

« *Nobili viro Bartholomeo, comiti Thelesie, regni Sicilie camerario.* Desideriis tuis libenter annuimus in hiis maxime, que probantur tue salutis comoda procurare.

Cum itaque sicut accepimus mundare desideres per confessionis lavacrum hospitium tue mentis, nos, tuis precibus inclinati, auctoritate presentium indulgemus, ut libere valeas tibi discretum confessorem eligere et ei, quotiens oportunum fuerit, tua confiteri peccata, qui audita confessione tua tibi, prout anime tue saluti expedire viderit, injungat penitentiam salutarem et super hiis auctoritate nostra beneficium debite absolutionis impendat, nisi forte talia fuerint propter que sit merito Sedes

Apostolica consulenda. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, II nonas novembris, anno primo. »

In e. m. Agneti, comitisse Thelesie.

In e. m. eidem comiti. « Pium arbitramur et congruum, ut in hiis prompti simus ad gratiam, que salutem respiciunt animarum, presertim circa personas nobiles, que pura fide conspicue Deo et Ecclesie sunt devote. Tuis itaque supplicationibus inclinati, habendi altare portatile ac faciendi in eo per capellanum proprium aut alium missarum solemnia, cum debita reverentia et in loco decenti, absque juris alieni prejudicio, celebrari, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

In e. m. A[gneti], comitisse Thelesie.

26 Au Latran, 7 novembre 1303.

Archiepiscopo Lundensi mandat, ut dispenset cum clericis super irregularitate, quam incurrerant pro eo quod non servaverant interdictum, cui subjectæ erant terræ Erici, regis Datiæ, et Christofori, ejus fratris. (nº 26, fol. 8; Potth., nº 25295.)

«.. *Archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Tua nobis fraternitas intimavit, quod terre magnifici principis Erici, regis Datie illustris, et Christofori, fratris sui, pro eo quod rex et Christoforus ac nonnulli eorum complices venerabilem fratrem nostrum J[ohannem] Rigensem, tunc Lundensem archiepiscopum, predecessorem tuum, ac quondam Jacobum, prepositum ecclesie Lundensis, ceperunt et captos aliquandiu tenuerunt seu capi et detineri fecerunt, et quia etiam super hiis, eodem preposito viam universe carnis ingresso, satisfacere predecessori et ecclesie prelibatis per tempora recusarunt, auctoritate Sedis Apostolice ecclesiastico subjacent interdicto.

Verum nonnulli ex clericis consistentibus in terris predictis interdictum hujusmodi non servantes, divina inibi post interdictum predictum officia celebrarunt et immiscuerunt se illis, propter que irregularitatis macula sunt respersi. Licet autem felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, volens eis super hoc de salutari remedio providere, tibi tunc archipresbytero Carcassonensi, capellano suo, quem ad partes illas pro quibusdam negotiis destinarat, super hujusmodi negotio suas certi tenoris litteras duxerit dirigendas, tu tamen postmodum de partibus eisdem recedens non fuisti, que tibi in eisdem mandabantur litteris, executus. Quare de ipsorum salute sollicitus, nobis humiliter supplicasti, ut eorum in hac parte providere saluti de benignitate apostolica dignaremur.

Nos autem plenam gerentes de tua circumspectione fiduciam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus cum ipsis irregularibus, cum super hiis ab eis cum humilitate fueris requisitus, super irregularitate predicta, imposita eis pro modo culpe penitentia salutari, per te vel alium seu alios hac vice auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

27 Au Latran, 7 novembre 1303.

Eidem archiepiscopo plenam concedit facultatem absolvendi regem Datiæ ejusque fratrem nec non eorum fautores, qui, pro violenta injectione manuum in Lundensem archiepiscopum et Lundensis ecclesiæ præpositum ac pro eorumdem illicita detentione, olim excomunicationis sententiam incurrerant. (nº 27, fol. 8.)

« *Venerabili fratri I[sarno], archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Romane matris Ecclesie multa benignitas illum erga filios benivolentie servat affectum, ut non solum hiis, quos repperit in sua devotione constantes, maternum sinum clementer expandat, sed et illos, qui se ab excessibus retrahentes ad gremium ipsius confugiunt, a sua gratia non repellat.

Ex parte siquidem magnifici principis Erici, regis Datie illustris, Christofori, fratris ejus, et quorumdam eorum complicium, consiliariorum, sequatium et fautorum in hac parte fuit expositum coram nobis, quod rex, Christoforus, consiliarii, complices et fautores predicti pro eo, quod ipsi venerabilem fratrem nostrum Johannem Rigensem, tunc Lundensem archiepiscopum, antecessorem tuum, ac quondam Jacobum, prepositum ecclesie Lundensis, ceperunt et captos aliquandiu tenuerunt seu capi et detineri fecerunt et quia etiam super hiis, eodem preposito viam universe carnis ingresso, satisfacere predecessori et ecclesie prelibatis per tempora recusarunt, plurium excommunicationum sententiis, prolatis tam a canone quam ab homine, auctoritate Sedis Apostolice, sunt astricti ac terre ipsorum regis et fratris ecclesiastico subjacent interdicto.

Licet autem felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, ad ipsius regis supplicantis instantiam volens super hiis regi et aliis supradictis de salutari remedio providere, tibi tunc archipresbytero Carcassonensi, capellano suo, quem ad partes illas pro quibusdam negotiis destinarat, super hujusmodi negotio

suas certi tenoris litteras duxerit dirigendas, tu tamen postmodum de partibus eisdem recedens non fuisti, que tibi in eisdem mandabantur licteris, exequutus. Quare ex parte ipsorum regis, Christofori et aliorum predictorum nobis extitit supplicatum, ut, cum ipsi tam tibi quam ecclesie predicte super hiis omnibus, juxta quandam ordinationem ab eodem predecessore B[onifatio] super hoc editam, satisfecerint, providere eis de absolutionis beneficio de benignitate apostolica mandaremus.

Quia vero tu regis, Christofori et aliorum predictorum salutem affectas, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, absolvendi per te vel alium seu alios auctoritate nostra, juxta formam Ecclesie, ab excommunicatione predicta regem, Christoforum et alios excommunicatos predictos, cum ab eis fueris super hoc humiliter requisitus, si, ut premittitur, hujusmodi satisfactionem impenderunt, alioquin, cum eam duxerint impendendam, nec non interdictum hujusmodi relaxandi, injuncta predictis omnibus pro modo culpe penitentia salutari, prout secundum Deum animarum ipsorum saluti videris expedire, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

28 Au Latran, 20 novembre 1303.

Episcopo Albinganensi licentiam concedit contrahendi mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri, pro negotiis ejus et Albinganensis ecclesiæ expediendis, nec non facultatem propterea creditoribus obligandi propria et dictæ ecclesiæ bona. (n° 28, fol. 8 v°.)

« *Venerabili fratri Nicolao, episcopo Albinganensi.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie tue Albinganensis negotiis, apud Sedem Apostolicam expediendis, utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam quingentorum florenorum auri mutuum contrahendi, sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi licentiam largiremur.

Nos itaque de tua tam in hiis quam in aliis, circa tua et ipsius ecclesie negotia utiliter promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes et nolentes quod, propter ipsarum expensarum defectum, indigentiam patiaris vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam, nomine tuo et ipsius ecclesie, ac te ipsum et successores tuos et ecclesiam Albinganensem predictam ac tua et eorumdem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutionibus tam felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod, cum actor et reus diocesarum fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium nullatenus evocetur, quam quibuslibet aliis a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, etc., ut in forma. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

29 Au Latran, 12 novembre 1303.

Quandam sententiam olim latam contra invasores monasterii s. Justini de Arno, ad fratres Militiæ Templi Jerosolimitani pertinentis, Perusinæ diocesis, executioni demandat. (n° 29, fol. 8 v°.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Perusino et dilectis filiis.. sancti Petri Perusini ac.. sancte Marie de Valle Pontis, Perusine diocesis, monasteriorum abbatibus.* Petitio dilectorum filiorum .. magistri et fratrum domus Militie Templi Jerosolimitani nobis exhibita continebat, quod, cum olim monasterium sancti Justini de Arno, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Benedicti, Perusine diocesis, adeo propter malitiam habitantium in eodem esset in spiritualibus et temporalibus deformatum, quod non sperabatur posse resurgere per se ipsum, pie memorie Gregorius papa VIIII[us], predecessor noster, volens illud ne omnino periret in alio saltem ordine reformari, monasterium ipsum cum subjectis ei ecclesiis et universis, que tunc ad ipsum monasterium pertinebant, dictis magistro et fratribus in proprios usus concessit, uno bisantio sibi et dicte Ecclesie exolvendo nomine census annis singulis reservato, amovendo exinde abbatem et conventum, qui tunc erant dicti monasterii, per executorem ab eo super hoc deputatum, in aliis monasteriis et locis dicti ordinis collocandos; dictique magistri et fratres monasteriorum, ecclesiarum et pertinentiarum ipsorum possessionem auctoritate dicti predecessoris adepti, ea diutius possiderunt pacifice et quiete.

Verum Placidus de Pilonico, Petrus de sancto Valentio plebium plebani, Bernardus sancti Donati de Ranca, Ventura sancti Angeli de Castro Arni ecclesiarum rectores, Petrus Avultronis, Petrus Benevenuti, Guido Suppolini, Philippus Marie, Bernardus de Ripa et Franciscus Clare, presbyteri, Barthucius Placidi, Andreas de Seda, clerici, et Nutius Avultronis, laicus dicte diocesis, mo-

nasterium ipsum, associata sibi multitudine armatorum, temere invadentes, prefatos magistrum et fratres monasterio, ecclesiis et pertinentiis supradictis ausu nephario spoliarunt, ipsumque monasterium cum ecclesiis et pertinentiis supradictis per violentiam detinentes, aliquandiu perceperunt fructus et redditus ex eisdem, quasdam vini, bladi et olei quantitates et res alias dictorum magistri et fratrum ibi repertas in usus proprios convertendo.

Cumque bone memorie B[ernardus], episcopus Perusinus, ad quem ipsi magister et fratres habuerunt in hac parte recursum, super hujusmodi excessibus procedere incepisset, ex parte ipsorum plebanorum, presbyterorum, clericorum et laici fuit certis ex causis ad Sedem Apostolicam appellatum.

Porro hujusmodi appellationis causa coram quondam magistro Bernardo Johanni, canonico Agathensi, tunc camere Sedis Apostolice generali auditore causarum, pendente, felicis recordationis Martinus papa IIIItus, predecessor noster, omnes causas tam appellationum quam negotiorum principalium, quas dicti magister et fratres movere vellent contra predictos plebanos, rectores, presbyteros, clericos et laicum et eorum complices, super eadem spoliatione et omnibus hujusmodi negotium contingentibus, non obstantibus quibuscumque appellationibus interjectis, seu quod hujusmodi causa spoliationis ut prefertur coram auditore predicto pendebat, ad suum examen revocans, illas bone memorie Comiti, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, audiendas commisit et fine debito terminandas. Coram quo quondam magister Boncore, procurator dictorum magistri et fratrum, libellum obtulit, petens in eo inter alia, procuratorio nomine dictorum magistri et fratrum, prefatos magistrum et fratres ad possessionem monasterii, ecclesiarum, jurium et pertinentiarum predictorum restitui sibique de dictis fructibus, inde perceptis et qui percipi potuerunt, nec non de quantitatibus bladi, vini, olei et aliis rebus predictis et dampnis, eis super hoc illatis, debitam satisfactionem impendi. Sane super eodem libello, in quo dictus procurator utrumque judicium petitorium videlicet et possessorium intentabat, inter ipsum procuratorem et quondam magistrum Fomasium de Porenzano, procuratorem partis alterius, lite in ejusdem cardinalis presentia legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis hinc et inde, dictus magister Boncore, hujusmodi petitorio, quod in eodem suo libello ut predicitur intentarat, suspenso, super possessorio tantum procedi per cardinalem eundem cum instantia postulavit.

Set eodem cardinali, hujusmodi suspensione admissa, viam universe carnis ingresso, felicis memorie N[icolaus] papa IIIIus predecessor noster, bone memorie B[ernardum], episcopum Portuensem subrogavit loco ipsius in causa hujusmodi auditorem. Ac super predictis articulis, auctoritate litterarum dicti predecessoris N[icolai], quibusdam in illis partibus receptis testibus et eorum attestationibus per examinatores super hoc deputatos ad eandem Sedem remissis, eodem interim episcopo Portuensi rebus humanis exempto et coram bone memorie Hugone, tituli sancte Sabine presbytero cardinali, quem idem predecessor N[icolaus] in eadem causa deputavit specialiter auditorem, dictis attestationibus publicatis ac productis et exhibitis, que partes ipse dare et producere voluerunt, prefati partium procuratores in causa concluserunt predicta dictusque H[ugo] cardinalis cum eis in ipso conclusit et habuit pro concluso.

Eodem quoque H[ugone] cardinali nature postmodum debitum persolvente, felicis memorie B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster causam eandem venerabili fratri nostro B[artholomeo], episcopo Eduensi, tunc decano Pittavensi, capellano suo suique palatii auditori causarum, commisit resumendam in eo statu, in quo prefatus H[ugo] cardinalis eam dimiserat, et fine debito terminandam. Obeunte vero magistro Boncore, dictus episcopus, tunc decanus, auditis, que per dictum magistrum Fomasium ac magistrum Cursium de sancto Geminiano, procuratorem dictorum magistri et fratrum, fuerunt allegata et proposita coram eo, omnibus actis ejusdem cause cum diligentia recensitis factaque super hiis coauditoribus suis ejusdem palatii relatione fideli, ac magistris Cursio et Fomasio, partium procuratoribus predictis, die ipsis prefixa ad definitivam in dicta causa sententiam audiendam, in ejus presentia constitutis, diffiniendo pronunciavit memoratos magistrum et fratres fore reducendos in possessione monasterii, jurium et pertinentiarum predictorum, condempnans prefatum magistrum Fomasium, procuratorio nomine dictorum dominorum suorum, et per ipsum eosdem dominos suos ad restitutionem et reintegrationem possessionis hujusmodi dictis magistro et fratribus faciendam, ac in septingentis marcis argenti pro extimatione fructuum, inde perceptorum, ac in quadraginta marcis argenti pro extimatione bladi, vini, olei et aliarum rerum predictarum, que tempore hujusmodi spoliationis in dicto monasterio existebant, cum tunc fructus, bladum, vinum, oleum et res hujusmodi non extarent, nec non in quadraginta marcis argenti, pro extimatione dampnorum eis super hiis illatorum, dandis et solvendis magistro et fratribus antedictis.

Cumque dictus magister Fomasius, procurator tam

predictorum plebanorum, rectorum, presbyterorum, clericorum et laici, quam etiam illorum qui fuerant et adhuc erant, ut dicebat, abbas et conventus dicti monasterii, ab hujusmodi sententia ad Sedem appellasset eandem, dictus predecessor B[onifatius] causam hujusmodi appellationis ab eadem sententia interjecte magistro Symoni de Marvilla, thesaurario Metensi, capellano suo dictique palatii auditori causarum, audiendam commisit et fine debito terminandam. Coram quo magister Petrus de Laude, procurator dictorum magistri et fratrum, cum idem Cursius de Romana curia recessisset, petiit in libello per eum oblato pronuntiari bene et legitime per memoratum episcopum, tunc decanum, in hac parte pronuntiatum et sententiatum, ab ejus sententia per eundem Fomasium male appellatum fuisse, dictamque sententiam confirmari. Et deinde tam super predicto quam etiam alio libello, per eundem magistrum Fomasium oblato, inter prefatos Petrum de Laude et Fomasium, partium procuratores, lite in ipsius magistri Symonis presentia legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis, prefatus magister Fomasius diem clausit extremum idemque magister Symon auditor prefatis, quorum idem magister Fomasius fuerat procurator, ipsius obitum intimavit, ut alium si vellent procuratorem transmitterent ad causam hujusmodi prosequendam.

Sed eodem magistro Symone se ad partes alias transferente, idem predecessor B[onifatius] magistro Bertramo de Mediolano, archipresbytero canonice decumanorum Mediolanensis, capellano suo dictique palatii auditori causarum, commisit ut omnes causas, que fuerant ipsi magistro Symoni ab Apostolica Sede commisse, in illis finibus in quibus coram eo fuerant, reassumens, eas usque ad reditum ipsius audiret et, quas interim posset, fine debito terminaret. Ac tam magister Johannes de Firmo, procurator predictorum, qui pro abbate et conventu dicti monasterii se gerebant, quam idem magister Petrus, procurator ipsorum magistri et fratrum, produxerunt coram ipso magistro Bertramo quedam litteras, instrumenta, acta et munimenta. Dictusque magister Johannes de Firmo substituit in causa hujusmodi loco sui Petrum Blanci, prout super hoc habebat ex forma sui procuratorii potestatem, et licet dictus Petrus substitutus, asserens ab eodem magistro B[ertramo] sibi quedam gravamina fuisse illata, ad Sedem propter hoc appellaverit supradictam, idem tamen magister Bertramus, hujusmodi appellationi sue tanquam ex causis frivolis interjecte non deferens, ut liberius in causa procedi posset predicta, decessum dicti magistri Fomasii et commissionem sibi factam de causa predicta dictis plebanis, rectoribus, presbyteris, clericis et laico intimavit ut et ipsi alium, si vellent, procuratorem transmitterent ad causam hujusmodi prosequendam. Et quia pro eis in assignato ipsis ad hoc termino nemo comparuit, dictus magister Bertramus fecit eos citari in audientia publica, ut est moris, ad comparendum coram eo ad concludendum in dicta causa et alias in ea prout suaderet justitia procedendum. Quibus in statuto eis ad hoc termino non comparentibus, dictus magister Bertramus in contumacia ipsorum ac dicti Petri Blanci, similiter ad concludendum in eadem causa citati seque contumaciter absentantis, cum eodem magistro Petro de Laude, ipsorum et dicti Petri Blanci contumaciam accusante ac in causa concludente predicta, conclusit et habuit proconcluso.

Citatis insuper postmodum plebanis, rectoribus, presbyteris, clericis et laico supradictis in eadem audientia, tam ad allegandum de jure et de facto, quam ad diffinitivam in dicta causa sententiam audiendam, cum dictus magister Symon ad Sedem rediisset eandem, dictus predecessor B[onifatius], per bone memorie M[attheum], episcopum Portuensem, mandavit eidem magistro Bertramo oraculo vive vocis ut, ipsius magistri Symonis reditu non obstante, causam ipsam fine debito terminaret. Sicque dictus magister Bertramus, omnibus actis hujusmodi cause diligenter examinatis atque discussis de comuni consilio auditorum suorum dicti palatii, quibus relationem super hoc fecit plenariam et fidelem, predictis Petro Blanci et Petro de Laude, die ipsis prefixa ad dictam suam sententiam audiendam, in ejus presentia constitutis dictisque plebanis, rectoribus, presbyteris, clericis et laico citatis, ut premittitur, in eadem audientia et per contumaciam absentibus, diffiniendo pronunciavit per eundem episcopum Eduensem, tunc decanum, bene et legitime in hac parte pronunciatum et sententiatum et a predicta ejus sententia per dictum magistrum Fomasium male appellatum fuisse.

Eodem vero Petro Blanci ab hujusmodi sententia dicti magistri Bertrami ad Sedem appellante predictam, dictus predecessor B[onifatius] causam seu causas hujusmodi appellationum, interpositarum per eundem magistrum Petrum Blanci tam ab eadem sententia dicti magistri Bertrami, quam gravaminibus supradictis et negotii principalis, magistro Bernardo Royardi, archidiacono Xanctonensi, capellano suo dictique palatii auditori causarum, audiendas commisit et fine debito terminandas. Porro super libello per eundem Petrum Blanci exhibito, in quo petebat, procuratorio nomine dictorum dominorum suorum, pronunciari hujusmodi suas appellationes fuisse et esse legitimas, ac processus

et sententiam dicti magistri Bertrami cassari et irritari seu cassos et irritos nuntiari, dictisque magistro et fratribus super monasterii juribus et pertinentiis supradictis perpetuum silentium imponi, eosque dictis dominis suis in expensis legitimis condempnari, inter magistrum Petrum de Laude et Petrum Blanci partium procuratores predictos, premissa tamen protestatione per eundem magistrum Petrum de Laude quod a predicta suspensione petitorii judicii, facta ut premittitur coram dicto Comite cardinali et ab eo admissa, recedere nullatenus intendebat, lite in ipsius magistri Bernardi presentia legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis et exhibitis quibusdam articulis hinc et inde et super ipsorum articulorum pertinentia et impertinentia diutius disputato, dictus magister Bernardus eisdem Petro de Laude, Petro Blanci, partium procuratoribus, ad producendum et exhibendum litteras, instrumenta et acta, jura et munimenta ac ceteras probationes, quibus uti vellent in causa predicta, certum terminum assignavit. Ac deinde super nonnullis articulis per eundem magistrum Petrum de Laude exhibitis, quibusdam receptis testibus eorumque attestationibus publicatis, dictoque Petro Blanci ad recipiendum inde copiam termino assignato, demum dictus magister Bernardus, prefatis magistro Petro de Laude et Petro Blanci in ejus presentia constitutis, cum dicto magistro Petro de Laude in causa concludente predicta, in contumaciam dicti Petri Blanci in causa concludere recusantis nec proponentis aliud rationabile quare non deberet in ipsa concludi, conclusit et habuit pro concluso.

Ac tandem dictus magister Bernardus, omnibus actis hujusmodi cause, tam coram se quam coram dictis aliis auditoribus habitis, cum diligentia recensitis factaque super hiis coauditoribus suis dicti palatii relatione fideli, dictisque magistro Petro de Laude et Petro Blanci, partium procuratoribus, die ipsis prefixa ad hujusmodi suam sententiam audiendam, coram eo in judicio constitutis, diffiniendo pronunciavit per eundem magistrum Bertramum auditorem bene et legitime in hac parte processum et sententiatum et per eundem magistrum Petrum Blanci ab ipsius sententia et processibus male appellatum fuisse, predictam ipsius magistri Bertrami sententiam confirmando; dictumque Petrum Blanci, procuratorio nomine dictorum dominorum suorum, et per ipsum eosdem dominos suos in centum florenis auri, dandis eisdem magistro et fratribus pro expensis ab eis factis in causa hujusmodi, coram eo earumdem expensarum legitima taxatione premissa, dictique magistri Petri de Laude super hoc juramento secuto, exigente justitia condempnavit, prout in instrumentis publicis inde confectis, dictorum B[artholomei] episcopi, tunc decani, Bertrami et Bernardi auditorum sigillis munitis, plenius dicitur contineri.

Nos autem dictorum magistri et fratrum supplicationibus inclinati, predictas sententias eorumdem episcopi, tunc decani, magistrorum Bertrami et Bernardi auditorum, sicut provide late sunt, ratas et gratas habentes easque auctoritate apostolica confirmantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, easdem sententias executioni debite demandantes, dictos magistrum et fratres vel procuratorem ipsorum, eorum nomine, in corporalem possessionem monasterii, ecclesiarum et pertinentiarum predictorum reducatis auctoritate nostra et reductos etiam defendetis, facientes eis vel dicto procuratori pro ipsis de hujusmodi argenti et florenorum quantitatibus, pro fructibus, blado, vino, oleo, rebus, dampnis et expensis predictis, juxta hujusmodi instrumentorum tenores, satisfactionem debitam exhiberi. Contradictores, etc, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, II idus novembris, anno primo. »

30 Au Latran, 7 novembre 1303.

Archiepiscopo Lundensi, cui Bonifatius VIII jam commiserat potestatem dispensandi eum rege reginaque Datiæ, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, super matrimonio absque licentia Sedis Apostolicæ contracto, eandem commissionem Benedictus de novo impertit, mandans dicto archiepiscopo ut, postquam ab excommunicationis sententia, qua nunc ligatur, rex fuerit absolutus, dictis regi ac reginæ licentiam concedat remanendi licite in præfato matrimonio. (nº 30, fol. 10 ; POTTH., nº 25294.)

« *Venerabili fratri I[sarno], archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Licet matrimonii contractum in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacri canones interdicant, consuevit tamen interdum Sedes Apostolica super hoc, devotorum et maxime personarum sublimium inducta precibus, dispensare.

Petitio siquidem carissime in Christo filie Ingeburg, sororis carissimi in Christo filii nostri Burgerii, regis Suetie illustris, nobis exhibita continebat, quod, cum olim post mortem clare memorie Erici, regis Datie, per potentiam et malitiam inimicorum ejus, regnum Datie oppressum foret multipliciter et collapsum, magnificus princeps Ericus, rex Datie illustris, ejus filius, pro tuitione ac defensione sua et dicti regni, cum eadem Ingeburg, de cujus patris presidio propter hoc plurimum confi-

debat, matrimonium de facto per verba de presenti contraxit et, carnali postmodum copula subsecuta, jam per plures annos cohabitavit eidem. Verum, quia ipsi rex Datie et Ingeburgh quarto se gradu consanguinitatis contingunt, felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us predecessor noster, ad ipsius regis Datie supplicantis instantiam super impendenda eis in hac parte dispensationis gratia, tibi, tunc archipresbytero Carcassonensi, capellano suo, quem pro quibusdam negotiis ad partes illas transmiserat, suas certi tenoris litteras destinavit, set tu de partibus ipsis rediens quod tibi mandabatur in eis exequi nequivisti, propter quod ex parte dicte Ingeburgh nobis extitit supplicatum ut, cum ex ipsorum regis Datie et Ingeburgh separatione, si fieret, maxima scandala, odia et guerre possent de facili exoriri, providere sibi ac dicto regi Datie, qui, nisi esset infrascripta excommunicatione ligatus, una cum ea super hoc humiliter supplicaret, de oportune dispensationis remedio dignaremur.

Nos vero, qui fidelium tranquillitatem appetimus et salutem, hujusmodi scandalis, odiis et guerris obviare volentes, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, cum eisdem rege Datie et Ingeburgh, postquam idem rex Datie ab excommunicationis sententia, qua propter captionem et detentionem venerabilis fratris nostri J[ohannis] Rigensis, tunc Lundensis archiepiscopi, ac quondam Jacobi, prepositi ecclesie Lundensis, tenetur astrictus, juxta commissionem super hoc per alias nostras litteras tibi factam rite fuerit absolutus, imposita ipsis pro eo quod taliter absque dispensatione apostolica contraxerunt nec non pro copula et cohabitatione predictis penitentia salutari, eisque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium carnali commercio interdicto, quod in eodem matrimonio licite remanere valeant, impedimento quod ex dicta consanguinitate provenit non obstante, per te vel alium seu alios, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animarum ipsorum saluti videris expedire, prolem susceptam vel suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nuntiando. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

31 Au Latran, 6 novembre 1303.

Valentino, canonico Cathalaunensi, indulget ut, dum in loco ubi vigeat studium generale scholasticis insistet disciplinis, fructus, redditus ac proventus suos ecclesiasticos libere percipiat. — Similis concessio pro quodam Oddoneto, canonico Laudunensi. (n° 31, fol. 10.)

« *Valentino, nato dilecti filii Gudeci de Silis, canonico Cathalaunensi.* Virtutum studia, quibus libenter insistere diceris, nos inducunt, ut personam tuam propter hoc et obtentu venerabilis fratris nostri Papiniani, episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, avunculi tui, prerogativa favoris et gratie prosequamur.

Hinc est quod nos volentes tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut insistens scolasticis disciplinis, in loco ubi studium vigeat generale, fructus, redditus et proventus canonicatus et prebende, de quibus tunc vacantibus in ecclesia Cathalaunensi nuper tibi providimus, prout in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur, cum ea integritate usque ad quinquennium libere percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si in dicta ecclesia personaliter resideres et ad residendum interim in eadem ecclesia minime tenearis neque ad id a quoquam valeas coartari;

Non obstantibus quod in ipsa ecclesia non fecisti primam personalem residentiam consuetam; seu quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ejusdem ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo, a te vel ab alio etiam impetratis, te vel procuratorem tuum, nomine tuo, forsitan prestare contigerit juramentum; aut si venerabili fratri nostro.. Cathalaunensi episcopo ab eadem sit Sede concessum, ut canonicos et personas ecclesiarum sue civitatis et diocesis compellere possit ad faciendum in illis residentiam personalem; sive si eidem episcopo et dilectis filiis.. decano et capitulo ipsius ecclesie a Sede sit indultum predicta, quod ipsius ecclesie canonicis et personis in ea non residentibus, vel qui predictam primam non fecerint residentiam in eadem, fructus, redditus et proventus prebendarum, quas ibidem obtinuerint, ministrare minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, debeat in presentibus fieri mentio specialis; seu quod in Taurinensi et sancti Gaudentii Novariensis ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Taurinensi et .. abbati monasterii

Sancti Remigii Remensis ac .. archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.

In e. m. pro Oddoneto, nato Antonii de Pellizonis de Taurino, canonico Laudunensi.

In e. m. .. episcopo Taurinensi et aliis ut in proxima superiori.

32 Au Latran, 22 novembre 1303.

Mandat ut cuidam Henrico, studenti in theologica facultate apud Sedem Apostolicam crecta, proventus sui ecclesiastici per quenquennium ministrentur, juxta formam constitutionum ab Honorio IV et Innocentio IV editarum. (n° 32, fol. 10 v°.)

« *Venerabili fratri.. Ripensi et dilectis filiis .. decano Herbicensis, ac magistro Petro de sancto Benedicto, cantori Bituricensis ecclesiarum.* Dilectus filius Henricus, prepositus ecclesie Toftensis, Othoniensis diocesis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod ipse studio divini juris, theologice videlicet facultatis, quod de nostro mandato apud Sedem Apostolicam regitur, immoratur. Cum autem felicis recordationis Honorius papa IIII^us^, predecessor noster, duxerit statuendum, ut studentes in facultate predicta per annos quinque percipiant, de licentia dicte Sedis, proventus beneficiorum suorum, non obstante aliqua consuetudine vel statuto, ac postmodum pie memorie Innocentius papa IIII^us^, predecessor noster, statuerit, ut in dicta facultate studentes penes Sedem eandem talibus omnino privilegiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent studentes in scolis ubi generale regitur studium, ac percipiant integre proventus suos ecclesiasticos sicut illi, nos volentes, ut constitutiones predicte circa eundem prepositum observentur, ut sit ei mora, quam occasione dicti studii apud eandem Sedem contrahit, fructuosa, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eidem preposito, apud Sedem predictam hujusmodi studio insistenti, faciatis fructus, redditus et proventus prepositure sue ipsius ecclesie, juxta predictarum constitutionum tenores, per idem quinquennium integre ministrari, proviso quod ne in fraudem constitutionum ipsarum aliquid attemptetur et quod dictus prepositus interim eidem ecclesie in prepositure officio per ydoneum vicarium faciat deserviri. Contradictores per censuram. Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

33 Au Latran, 29 novembre 1303.

Alexandro Bonino de Alexandria, ordinis Minorum, Aquensis diocesis, concedit licentiam docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisiis et ubique locorum. (n° 33, fol. 10 v°; * POTTH., n° 25306.)

« *Dilecto filio fratri Alexandro Bonino de Alexandria, ordinis fratrum Minorum, Aquensis diocesis.* Dum fecunditatem scientie litteralis, presertim facultatis theologice, eloquentie venustatem, gravitatem morum aliaque dona virtutum, quibus personam tuam Dominus illustravit, attendimus, dignum arbitramur et congruum ut illa te favorabiliter gratia honoremus, ad quam ydoneus comprobaris ob tuorum exigentiam meritorum.

Cum itaque tu abolim studio dicte facultatis insistens, sic profeceris per Dei gratiam laudabiliter in eadem, quod Parisius librum sententiarum legisti solenniter ac in scolis magistorum facultatis predicte arguendo et respondendo frequenter te ydoneum comprobasti ad conscendendum cathedram magistralem, nos, premissis debita consideratione pensatis, te ad hoc ydoneum reputantes, de fratrum nostrorum consilio, licentiam docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisius et ubique locorum tibi auctoritate apostolica in eadem concessimus facultate [1]; tuque postmodum de mandato nostro, sub dilecto filio nostro G[entili], tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, in aula nostri palatii Laterani, in facultate predicta solenniter incepisti, prestitis a te in manibus ejusdem cardinalis, pro nobis et Ecclesia Romana recipientis, corporaliter juramentis, que in Universitate Parisiensi solenniter incipientes in facultate predicta soliti sunt prestare. Nulli ergo, etc. Dat. Laterani, III kalendas decembris, anno primo. »

34 Au Latran, 5 novembre 1303.

Bonohomini de Sublacu personatum vel dignitatem reservat in ecclesia Cameracensi. (n° 34, fol. 11.)

« *Dilecto filio Bonohomini de Sublacu, canonico Cameracensi.* Liberalitatis apostolice dexteram ad illos non immerito libenter extendimus, quos ydoneos ad gratiam obtinendam non solum fidedignorum testimonia sed porrecta pro ipsis ipsorum precamina pollicentur.

Cum itaque venerabilis frater noster G[uido], episcopus Cameracensis, ad quem in Cameracensi ecclesia collatio personatuum et dignitatum dicitur pertinere, felicis recordationis Bonifatio pape VIII°, predecessori nostro, per suas patentes litteras duxerit supplicandum, ut providere tibi de personatu vel dignitate in dicta ecclesia dignaretur, nos propter hoc et obtentu obsequiorum, que tam predecessori quam episcopo supradictis,

1. Ms: « facultatem. »

quorum utriusque fuisti familiaris, hactenus impendisti, volentes tibi gratiam facere specialem, personatum seu dignitatem, nulli alii de jure debitum vel debitam, si quis vel qua in ecclesia predicta vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, conferendum vel conferendam tibi donationi apostolice reservamus, inhibentes dicto episcopo, ne de hujusmodi personatu vel dignitate, per nos, ut premittitur, reservato vel reservata, disponere quoquomodo presumat, et decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter contigerit attemptari;

Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis dicte ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate roboratis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus et dignitatibus in dicta ecclesia specialiter, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generaliter, dicte Sedis, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari, vel legatorum ejus litteras impetrarint; aut si dicto episcopo vel aliquibus aliis ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli non possint; seu quod de personatibus aut dignitatibus dicte ecclesie vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel aliam dispositionem spectantibus, cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque tenore de verbo ad verbum debeat in presentibus fieri mentio specialis; seu quod in predicta et sancte Crucis Cameracensis canonicatus et prebendas et in Anagnina ecclesiis quoddam perpetuum beneficium, quod *stipendiaria* dicitur, nosceris obtinere.

Volumus autem quod, postquam hujusmodi personatum vel dignitatem fueris assecutus, unum de predictis aliis beneficiis, que ut premittitur obtines, omnino dimittere tenearis. Nulli ergo, etc., nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, nonis novembris, anno primo. »

In c. m. Johanni, archidiacono Andegavensi, camerario nostro, et.. sancti Uberti ac.. sancti Salvatoris de Cantiprato Cameracensis monasteriorum abbatibus.

35 Au Latran, 2 novembre 1303.

Confirmat quasdam litteras Bonifatii papæ VIII, quæ post obitum ejusdem in apostolica cancellaria nondum bullatæ sunt repertæ, mandatque executoribus per ipsas litteras deputatis, ut Nicolaum Mathiæ Panciæ, cui canonicatum et præbendam supradictus Bonifatius in ecclesia Pisana reservaverat, in possessionem inducant eorumdem canonicatus et præbendæ. (nº 35, fol. 11.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisano et .. priori sancti Augustini de Rezano, Pisane diocesis, ac magistro Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis.* Venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, retulit in nostra presentia constitutus, quod ipse, felicis recordationis Bonifatio papa VIIIº, predecessore nostro, adhuc vivente, quasdam litteras recepit confectas sub ejusdem predecessoris nomine in hac forma :

Anagni, 3 août 1303.

« Bonifatius episcopus, servus servorum Dei, dilecto » filio Nicolao Mathie Pancie, canonico Pisano, salu» tem, etc. Laudabilibus tue juventutis indiciis, super » quibus apud nos fidedignorum testimonio commenda» ris, inducimur, ut personam tuam libenter prosequa» mur favoribus et gratiis oportunis.

» Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, » vacantibus dudum in ecclesia Pisana canonicatu et » prebenda, per obitum quondam Henrici de Castro La» bri, capellani nostri, olim ejusdem ecclesie canonici, » qui in dicto castro diem clausit extremum, nos cano» nicatum et prebendam eosdem collationi et disposi» tioni nostre ac Sedis Apostolice a die obitus ipsius » Henrici duximus auctoritate apostolica reservandos et » decrevimus irritum et inane, si de ipsis a quoquam » scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et post» modum, volentes tibi gratiam facere specialem, pre» dictos canonicatum et prebendam sic vacantes, cum » plenitudine juris canonici ac omnibus juribus ac per» tinentiis suis, eadem auctoritate tibi duximus conferen» dos et decrevimus irritum et inane, si de ipsis secus a » quoquam attemptatum esset antea vel attemptari con» tingeret in futurum, dilectis filiis .. abbate monasterii » sancti Michaelis de Burgo Pisano et.. priore sancti » Augustini de Rozano, Pisane diocesis, ac magistro » Petro de Eugubio, cantore ecclesie Morinensis, tibi » super hoc per alias nostras litteras executoribus depu» tatis.

» Verum archipresbyter et capitulum predicte ecclesie » Pisane, asserentes predictam prebendam per nos tibi » collatam esse diaconalem et propterea te, qui pateris » in ordinibus et etate defectum, cum in minoribus tan-

» tum ordinibus et in undecimo etatis tue anno vel circa » illum constitutus esse noscaris, ad eandem prebendam » admittere recusantes, a provisione nostra hujusmodi » et a processibus predictorum executorum super hoc » habitis ad Sedem appellarunt eandem, teque impe- » diunt et molestant quominus ipsos canonicatum et » prebendam libere ac pacifice assequaris. Quare nobis » humiliter supplicasti, ut providere tibi super hiis de » oportuno remedio dignaremur.

» Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, volentes » gratiam tibi facere ampliorem, ut ad ipsos canonicatum » et prebendam, premissis non obstantibus, admitti de- » beas, eosque licite assequi ac retinere libere valeas et » ad hujusmodi diaconatus vel aliquem sacrum ordinem, » ejusdem ratione prebende, quousque ad legitimam » etatem perveneris, et facere promoveri minime tenearis » neque ad id a quoquam invitus valeas coartari et quod, » propter hujusmodi non susceptum vel non suscipien- » dum interim diaconalem vel aliquem sacrum ordinem, » in perceptione fructuum, reddituum et proventuum » eorumdem canonicatus et prebende tibi prejudicium » nullum fiat, quominus illos tam pro tempore preterito » quam deinceps libere percipe[re] valeas et habere, pre- » fato defectu etatis et ordinum et qualibet constitutione » seu quibuscumque statutis et consuetudinibus predicte » Pisane ecclesie contrariis, juramento, confirmatione » Sedis ejusdem vel aliqua alia firmitate vallatis, nequa- » quam obstantibus, auctoritate tibi presentium indul- » gemus, proviso quod, postquam ad etatem perveneris » supradictam, te facias ad ordines quos ejusdem pre- » bende onus requirit, statutis temporibus promoveri. » Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Ana- » gnie, III nonas augusti, anno nono. »

Verum quia, antequam hujusmodi littere bullate fuissent, dictus predecessor diem clausit extremum, idem vicecancellarius illas nobis, postquam fuimus licet immeriti ad apicem summi Apostolatus assumpti, attentius legere procuravit.

Nos itaque, earumdem litterarum intellecto tenore, relationi hujusmodi predicti vicecancellarii fidem plenariam adhibentes, et quod circa prefatum Nicolaum in hac parte per dictum predecessorem factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra eundem Nicolaum vel procuratorem suum, ejus nomine, ad prefatam prebendam per eundem predecessorem sibi collatam admitti libere sibique de ipsius prebende fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis responderi integre faciatis et alias, prout oportunum fuerit, procedatis in executionis prefate negotio, juxta priorum directarum vobis continentiam litterarum; non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras, etc., usque : mentionem. Contradictores per censuram. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

36 Au Latran, 2 novembre 1303.

Archiepiscopo Treverensi facultatem concedit absolvendi canonicos ejusdem ecclesiæ, qui diversas excommunicationis et suspensionis sententias incurrerant pro negata obedientia certis executoribus, olim a Nicolao papa IV deputatis, ac pro divinorum officiorum celebratione indebita. (nº 36, fol. 11 vº.)

« *Venerabili fratri Dichoro, archiepiscopo Treverensi.* Tua nobis fraternitas intimavit, quod felicis recordationis Nicolaus papa IIIIus, predecessor noster, quondam magistro Johanni Gileti de canonicatu, prebenda et cantoria ecclesie Treverensis, tunc vacantibus apud Sedem Apostolicam per mortem quondam Eberti de Vilrech, ejusdem ecclesie canonici et cantoris, auctoritate apostolica providit, certis sibi super hoc per ejus litteras executoribus deputatis. Ac postmodum idem predecessor venerabili fratri nostro Petro, nunc episcopo Basiliensi, tunc in minori officio constituto, prepósituram ipsius ecclesie Treverensis, tunc vacantem apud dictam Sedem per promotionem bone memorie Boemundi, archiepiscopi Treverensis, predecessoris tui, olim ejusdem ecclesie prepositi, nec non canonicatum predicte Treverensis ecclesie, cum plenitudine juris canonici, et prebendam, nulli alii de jure debitam, proximo in eadem ecclesia vacaturam, conferendam ipsi Petro cum vacaret, donationi apostolice reservavit, quibusdam similiter eidem Petro super hoc per alias ejus litteras executoribus deputatis. Iidem vero executores vel eorum aliqui, per se et alios, in negotiis provisionum hujusmodi procedentes, pro eo quod capitulum et canonici ipsius ecclesie Treverensis ipsorum executorum monitis et preceptis non paruerant in hac parte, diversas in capitulum et ecclesiam suspensionis et interdicti ac in singulos canonicos et personas de dicto capitulo excommunicationis sententias promulgarunt; quorum aliqui postmodum divina celebrarunt officia seque illis immiscuerunt [1], etiam sic ligati. Tu vero, tanquam pastor pervigil, de statu dicte ecclesie ac eorumdem capituli personarum et canonicorum salute sollicitus, nobis humiliter supplicasti, ut super hiis eisdem

1. Ms : « immiscuerint. »

ecclesie, capitulo, personis et canonicis providere paterna sollicitudine dignaremur.

Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, volentes agere misericorditer cum eisdem, de tua circumspectione confisi, fraternitati tue relaxandi auctoritate nostra, per te vel alium seu alios, hujusmodi suspensionis et interdicti sententias in eosdem capitulum et ecclesiam, ut premittitur, promulgatas, et absolvendi predictos canonicos et personas ab eisdem excommunicationum sententiis, quibus taliter sunt astricti, juxta formam Ecclesie, dispensandi quoque cum illis ex predictis canonicis et personis, qui sic ligati divina officia celebrarunt vel immiscuerunt se illis, super irregularitate inde contracta, dummodo iidem capitulum, canonici et persone pro premissis illis, quorum intererit, juxta tuum arbitrium satisfaciant condecenter, imposita eis omnibus pro predictis pro culpe modo penitentia salutari, concedimus plenam et liberam auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

37 Au Latran, 30 octobre 1303.

Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam seu capellam Salvatoris, in Neapolitana civitate nuper erectam, devote visitaverint in certis festivitatibus, quadraginta dierum indulgentiam elargitur. (nº 37, fol. 12.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet is, de cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores.

Cum itaque dilectus filius Petrus Grassus, civis Neapolitanus, notarius et familiaris carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, sicut ex parte ipsius expositum extitit coram nobis, in honorem Salvatoris nostri domini Jhesu-Christi quandam ecclesiam seu capellam, in civitate Neapolitana, propriis sumptibus, fundaverit et dotaverit, ad quam jam devotio sicut asseritur dirigitur plurimorum, nos cupientes ut ecclesia seu capella ipsa congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam seu capellam eandem in Nativitatis, Circumcisionis, Resurrectionis et Ascensionis Salvatoris predicti, necnon in Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis beate Marie Virginis et singulorum Apostolorum festivitatibus, annis singulis, venerabiliter visitarint, quadraginta dies de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, III kalendas novembris, anno primo. »

38 Au Latran, 17 novembre 1303.

Episcopus Tullensis electo Virdunensi munus consecrationis impendat. (nº 38, fol. 12.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Tullensi.* Cum felicis recordationis — Dat. Laterani, XV kalendas decembris anno primo. »

39 Au Latran, 15 novembre 1303.

Electus Spirensis munus consecrationis recipere valeat. (nº 39, fol. 12.)

« *Dilecto filio Sibotono, electo Spirensi.* Personam tuam nobis — Dat. Laterani, XVII kalendas decembris, anno primo. »

40 Au Latran, 7 novembre 1303.

Guillelmo de Cuciaco confertur canonicatus sæcularis ecclesiæ s. Pauli Narbonensis cum præbenda. (nº 40, fol. 12.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Cuciaco, canonico secularis ecclesie sancti Pauli Narbonensis.* Volentes personam tuam, de litterarum scientia, honestate morum et aliis virtutum meritis multipliciter commendatam, prerogativa favoris et gratie prosequi specialis, canonicatum secularis ecclesie sancti Pauli Narbonensis, cum plenitudine juris canonici, et prebendam ac dignitatem seu personatum vel officium, consuetam vel consuetum canonicis ipsius ecclesie in beneficium assignari, cum cura vel sine cura, nulli alii de jure debitam vel debitum, si qua prebenda ac dignitas vel si quis personatus aut si quod officium in eadem ecclesia vacant ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus de illis. Si vero talis prebenda et dignitas aut personatus vel officium nunc non vacant in ecclesia supradicta, nos prebendam ac dignitatem vel personatum seu officium, cum cura vel sine cura, proximo in eadem ecclesia vacaturam vel vacaturum, nulli alii de jure debitas vel debitum, conferendas seu conferendum tibi, cum vacaverint, donationi apostolice reservamus, decernentes extunc irritum et inane, si

secus de dictis prebenda, dignitate vel prioratu seu officio a quoquam contigerit attemptari;

Non obstantibus de certo canonicorum numero seu quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel alia quavis firmitate vallatis; aut si aliqui apostolica auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus faciendis aliquibus de prebendis, dignitatibus seu personatibus vel officiis in eadem ecclesia specialiter, vel in illis partibus generaliter, scripta apostolica sint directa, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Narbonensi et dilectis filiis .. abbati et capitulo ipsius ecclesie vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata Sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli non possint, seu quod de dignitatibus, vel personatibus seu officiis, canonicatibus et prebendis ad eorum collationem provisionem seu quamcumque dispositionem spectantibus nulli valeat provideri vel circa illa nullum eis impedimentum afferri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia prefate Sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda sit mentio specialis; seu quod ecclesiam de Neviano, Narbonensis diocesis, curam animarum habentem nosceris obtinere; aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie sancti Pauli solitum juramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad eandem ecclesiam accesseris, corporaliter illud prestes.

Volumus autem quod, postquam prebendam et dignitatem seu personatum vel officium predicta in eadem ecclesia fueris pacifice assecutus, predictam ecclesiam de Neviano, quam extunc vacare decernimus, omnino dimittas. Nulli ergo, etc., nostre collationis, provisionis, reservationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Tholosano et .. precentori ac .. sacriste ecclesie Narbonensis.

41 Au Latran, 20 novembre 1303.

Dispensat cum quibusdam tertio et quarto consanguinitatis gradu conjunctis, ut matrimonium invicem contrahere valeant. (nº 41, fol. 12 vº.)

« *Nobili viro Symonino Ghiberti de Corrigia de Parma et dilecte in Christo filie nobili mulieri Aluisine, nepti dilecti filii nobilis viri Alberti Scotti de Placentia.* Sedis Apostolice circumspecta benignitas, rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat juris severitas ex gratia benignitatis indulget, prout locorum, personarum et temporum conditione pensata id in Deo conspicit salubriter expedire.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod dilecti filii nobiles viri Albertus Scotus, avus tuus, filia Aluisina, et Ghibertus de Corrigia, pater tuus, fili Symonine, pro reformatione status civitatis Parmensis, a qua quedam pars aliquandiu exularat, cum aliter comode in civitatem eandem pars ipsa reduci non posset, sibi invicem promiserunt et juramento firmarunt se ita facturos, quod inter vos matrimonium sequeretur, ignorantes quod aliqua inter vos foret consanguinitas, que posset hujusmodi matrimonium impedire. Verum quare postmodum est compertum, quod quarto estis gradu consanguinitatis conjuncti, uno vestrum tertio et altero quarto gradibus a stipite communi distantibus, fuit nobis ex parte vestra humiliter supplicatum ut providere super hoc vobis, ne contingat dictam reformationem propterea impediri, per dispensationis gratiam dignaremur.

Nos autem, qui libenter fidelibus quietis comoda procuramus, vestris supplicationibus inclinati, quod matrimonium invicem licite contrahere valeatis, impedimento quod ex dicta consanguinitate provenit non obstante, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

42 Au Latran, 10 novembre 1303.

Queritur de quodam Jacobo Acursii Cuticæ, clerico Mediolanensi, qui præbendam magistri Armanni Mantelli, domini papæ capellani, in ecclesia Modoetiensi detinet illicite; unde mandat ut præfatus Jacobus præbendam istam restituere cogatur, sin autem recusaverit ab episcopo Bononiensi citetur ad comparendum coram Sede Apostolica. (nº 42, fol. 13.)

« .. *Episcopo Bononiensi.* Exposuit nobis dilectus filius magister Armannus Mantellus, canonicus ecclesie Modoetiensis, Mediolanensis diocesis, capellanus noster, quod licet ipse olim in eadem ecclesia canonicatum et prebendam, tunc vacantes per liberam resignationem quondam Johannis de Campulis, dudum ecclesie prefate

canonici, fuisset canonice auctoritate apostolica assecutus, ipsosque per quatuor annos et amplius pacifice possedisset, tamen Jacobus, natus quondam Acursii Cutice, clericus Mediolanensis, falso asserens ad se prebendam hujusmodi pertinere, prebendam eandem contra justitiam occupavit et occupatam detinet.

Nos autem volentes, prout etiam nec debemus, eundem A[rmannum], quem suis exigentibus meritis benivolentia speciali prosequimur, sui juris sustinere jacturam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Jacobum ex parte nostra monere procures ut, infra quindecim dierum spatium post monitionem hujusmodi, predictam prebendam eidem Armanno, cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerint, dimittat libere et quiete, nullam sibi super hoc molestiam vel injuriam inferendo. Alioquin, si monitis tuis super hoc parere contempserit, tu exnunc eundem Jacobum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut sub excommunicationis et privationis beneficiorum suorum penis, quas, si se super hoc inobedientem reddiderit, poterit non immerito formidare, infra unum mensem predictos quindecim dies immediate sequentem, personaliter compareat coram nobis, facturus super premissis quicquid ordo dictaverit rationis, et nichilominus pro meritis recepturus. Diem vero hujusmodi citationis, etc. Dat. Laterani, IIII idus novembris, anno primo. »

43 Au Latran, 6 novembre 1303.

Archidiaconatum, canonicatum et præbendam, quæ per consecrationem Renaldi nunc Metensis episcopi vacant ad præsens in ecclesia Bisuntina, quorumque collatio ex dispositione Bonifatii papæ VIII Sedis Apostolicæ donationi est reservata, Leoni Francisci de filiis Ursi confert ac de illis providet. (n° 43, fol. 13.)

« *Leoni Francisci de filiis Ursi, archidiacono Bisuntino.* Sincere devotionis integritas, quam tu et tui ad nos et Romanam habetis Ecclesiam, promerentur ut ad personam tuam, quam generis insignit nobilitas, morum decorat honestas et alia virtutum dona commendant, apostolice munificentie dexteram extendamus.

Cum itaque archidiaconatus ecclesie Bisuntine ac canonicatus et prebenda, quos venerabilis frater noster Renaldus, episcopus Metensis, olim archidiaconus et canonicus Bisuntinus in eadem ecclesia obtinebat, per consecrationem ipsius vacare noscantur ad presens, de quibus nullus preter nos disponere potest, pro eo quod felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, ante consecrationem hujusmodi certis ex causis archidiaconatum, canonicatum et prebendam predictos donationi Sedis Apostolice reservavit, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, nos volentes tibi, horum consideratione, gratiam facere specialem, archidiaconatum, canonicatum et prebendam predictos, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus, decernentes extunc, prout est, irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter attemptatum est vel imposterum contingeret attemptari;

Non obstantibus quibuscumque contrariis consuetudinibus vel statutis ipsius ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis in eadem ecclesia specialiter, vel in illis partibus generaliter, dicte Sedis aut legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum vel alias quomodolibet sit processum; seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus in assecutione dictorum archidiaconatus, canonicatus et prebende te volumus anteferri, sed nullum eis quo ad assecutionem aliorum personatuum, dignitatuum, canonicatuum, prebendarum et beneficiorum prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. archiepiscopo et dilectis filiis .. decano et capitulo Bisuntinis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, seu quod de personatibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, electionem, provisionem vel quamcumque dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, debeat in presentibus fieri mentio specialis; aut quod in Suessionensi et de sancto Audomaro, Morinensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas obtines, et super prebenda Ferrariensis ecclesie, cujus existis canonicus, nosceris litigare; seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consue-

tudinibus ejusdem ecclesie Bisuntine solitum juramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad ipsam ecclesiam Bisuntinam accesseris, corporaliter illud prestes; tecum nichilominus dispensantes, ut non obstante quem pateris in ordinibus et etate defectu, cum in vicesimo secundo tue etatis anno vel circa illum et in minoribus tantum sis constitutus ordinibus, possis eundem archidiaconatum licite retinere nec tenearis illius pretextu, donec ad legitimam etatem perveneris ad ulteriores ordines promoveri, proviso quod interim archidiaconatus ipse debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura in illo, si sibi illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre collationis, provisionis et dispensationis, etc. Dat. Laterani, VIII idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. prioratuum de Belangiis et .. de Sercofagiis prioribus, Tullensis et Bisuntine diocesium, ac .. decano ecclesie Meldensis.

44 Au Latran, 18 novembre 1303.

Episcopo Reatino concedit liberam facultatem faciendi recipi in ecclesiis s. Johannis Reatini et s. Eleutherii, Reatine diocesis, personas idoneas videlicet singulas in singulis, in canonicos et in fratres ac providendi eis de vacantibus præbendis. (n° 44, fol. 13 v°.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Reatino.* Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, faciendi recipi exnunc, per te vel alium seu alios, in sancti Johannis Reatini et sancti Eleutherii, Reatine diocesis, ecclesiis, in singulis earum videlicet singulas personas ydoneas auctoritate nostra in canonicos et in fratres, ac providendi singulis earum de singulis prebendis, nulli alii de jure debitis, si que in ecclesiis ipsis vacant ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, ac inducendi easdem personas in earumdem prebendarum corporalem possessionem et inductas etiam defendendi, nec non contradictores per censuram, usque : compescendi ; non obstantibus si persone eedem alias beneficiate existant ; seu de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis ipsarum ecclesiarum contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis ; seu si aliqui apostolica, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari, vel alia quavis auctoritate in ecclesiis ipsis in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant ; aut si dilectis filiis canonicis seu capitulis ecclesiarum ipsarum vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, et quod de canonicatibus vel prebendis seu beneficiis, ad eorum collationem vel quamcumque dispositionem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes, etc., usque : mentionem ; et qualibet alia indulgentia dicte Sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda sit mentio specialis, fraternitati tue plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, XIIII kalendas decembris, anno primo. »

45 Au Latran, 18 novembre 1303.

Eidem episcopo indulget, ut diocesim suam per vicarium idoneum faciat visitari. (n° 45, fol. 13 v°.)

« *Eidem.* Habet in nobis tua sincera devotio ut in hiis precipue, que ad salutem pertinent animarum, nos invenias ad gratiam liberales.

Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod propter quandam arduam questionem, que inter te et venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Aquilensem, super episcopalibus juribus apud Sedem Apostolicam vertentem, nequis, prout ad tuum spectat officium, ecclesias et monasteria aliaque loca ecclesiastica et personas tue diocesis, utpote infra terminos regni Sicilie constituta, personaliter visitare, propter quod times tibi et ecclesiis, monasteriis, locis et personis eisdem spirituale dispendium imminere. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut per aliquam personam, quam ad hoc reputabis ydoneam, predictum visitationis officium valeas exercere et procurationes moderatas, ratione visitationis hujusmodi, in pecuniam numeratam recipere ac exigere ab eisdem ecclesiis, monasteriis, locis et personis hujusmodi visitatis, a quibus procurationes hactenus consuevisti recipere, ac si personaliter visitares, qualibet consuetudine super hoc in contrarium edita non obstante. Presentibus post annum minime valituris. Dat. Laterani, XIIII kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. sancti Elpidii et .. de Vallibus, Reatine diocesis, archipresbyteris, ac Bartholomeo Bontempi, canonico Reatine ecclesiarum.

46 Au Latran, 7 novembre 1303.

Comitissæ Drocensi indulget ut sex clerici, qui ejus insistunt obsequiis, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum percipere, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, usque ad quinquennium valeant. (n° 46, fol. 13 v°.)

« *Nobili mulieri Beatrici, comitisse Drocensi.* Eximie devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam Ecclesiam habere dinosceris, promeretur ut non solum personam tuam sed tibi obsequentes speciali benivolentia prosequamur.

Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut sex clerici tui familiares, domestici et continui commensales, presentes et posteri, quos ad hoc duxeris eligendos, quandiu obsequiis tuis institerint vel cum ipsos ad aliqua tua exequenda negotia duxeris transmittendos, dum in executione negotiorum hujusmodi fuerint eundo, morando et ad te redeundo, fructus redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum, que nunc obtinent vel imposterum obtinebunt, etiam si personatus vel dignitates existant et curam habeant animarum, usque ad quinquennium cum ea integritate percipere valeant, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis, in quibus eadem extant beneficia vel existent, personaliter residerent, nec interim ad faciendum in ipsis ecclesiis personalem residentiam teneantur, neque ad id a quoquam inviti valeant coartari ;

Non obstantibus si clerici ipsi non fecerint in dictis ecclesiis primam personalem residentiam consuetam, quam postmodum facere teneantur, et etiam interim a tuis obsequiis recedentes ; seu quibuscumque contrariis statutis et consuetudinibus ecclesiarum ipsarum, juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quibuscumque firmitatibus roboratis, etiam si dicti clerici de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et non utendo etiam impetratis, per se vel procuratores suos, prestiterint vel eos prestare contigerit juramentum ; seu si locorum ordinariis vel aliquibus aliis a Sede sit concessum eadem vel medio tempore concedi contigerit, quod canonicos seu personas ecclesiarum suarum civitatum et diocesium possint compellere ad faciendum personalem residentiam in eisdem ; aut si capitulis ecclesiarum earumdem a prefata sit Sede indultum, quod canonicis et personis ecclesiarum ipsarum, seu aliis in dignitatibus et personatibus constitutis, fructus, redditus et proventus dignitatum, personatuum et prebendarum suarum earumdem ecclesiarum ministrare in absentia minime teneantur, quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes, etc., usque : mentionem ; seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plena, specialis et expressa mentio in nostris litteris sit habenda, proviso quod interim hujusmodi beneficia debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Petri de Cultura, et.. archidiacono de Passeyo ac.. cantori ecclesie Cameracensis.

47 Au Latran, 7 novenbre 1303.

Eidem comitissæ indulget ut, cum ipsam ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, liceat ei facere celebrari ac audire divina. — Eidem, ut claustra monasteriorum Cisterciensis, Cartusiensis ac s. Claræ ordinum, in diversis regni Franciæ diocesibus constitutorum, cum duabus honestis matronis, bis in anno, devotionis causa intrare valeat. (n° 47, fol. 14.)

« *Eidem.* Ingens et sincera devotio, qua tamquam benedictionis filia erga Sedem Apostolicam pollere dinosceris, promeretur, ut ejus benignitas personam tuam precipuis favoribus fulciat et condignis honoribus prosequatur.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto te declinare contigerit, ibidem facere celebrari et audire divina officia cum familiaribus tuis domesticis possis, clausis januis, non pulsatis campanis, voce submissa, excommunicatis et interdictis exclusis, dummodo tu et iidem familiares causam non dederitis interdicto vel id non contingat tibi vel eis specialiter interdici. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VII idus novembris, anno primo. »

« Item eidem comitisse. Ex tue magnitudinis meritis provenire conspicitur, ut Apostolice Sedis benignitas consueta personam in hiis, que digne postulas, favorabiliter prosequens, tibi se reddat ad gratiam liberalem. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus, ut monasteria seu loca Cisterciensis, sancte Clare et Cartusiensis ordinum, in Parisiensi, Carnotensi, Ebroicensi et Cenomannensi civitatibus et diocesibus constituta, cum duabus

honestis matronis, bis in anno, causa devotionis ingredi valeas, dummodo tu et eedem matrone in dictis monasteriis et locis non edatis nec etiam pernoctetis, non obstantibus contrariis ipsorum ordinum consuetudinibus vel statutis, confirmatione Sedis Apostolice vel alia quavis firmitate vallatis. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

48 Au Latran, 19 novembre 1303.

Raynaldum, episcopum olim Vicentinum et nunc Ravennatem electum, ad ecclesiam Ravennatem transfert. (nº 48, fol. 14.)

« *Raynaldo, episcopo olim Vicentino, in archiepiscopum Ravennatem electo.* Romani pontificis quem — Dat. Laterani, XIII kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono, .. preposito et choro ecclesie Ravennatis. (POTTH., nº 25303.)

In e. m. clero civitatis et diocesis Ravennatis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Ravennatis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Ravennatis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Ravennatis. (POTTH., nº 25302.)

49 Au Latran, 12 novembre 1303.

Monaldo de Tuderto archipresbyteratum, quem obtinet in ecclesia Viterbiensi, ac Percivallo Symeonis de Urbe canonicatum, quem ex dispositione Bonifatii VIII in ecclesia Civitatensi, Aquilegensis diocesis, adeptus est, liceat ad invicem permutare. (nº 49, fol. 15.)

« *Magistro Huguitioni de Vercellis, canonico ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis, litterarum nostrarum contradictarum auditori.* Nuper ex parte dilectorum filiorum Monaldi de Tuderto, archipresbyteri ecclesie Viterbiensis, et Percivalli Symeonis de Urbe, canonici ecclesie Civitatensis, Aquilegensis diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum idem Monaldus archipresbyteratum, quem in ipsa Viterbiensi ecclesia obtinet, et dictus Percivallus canonicatum et prebendam, de quibus olim vacantibus apud Sedem Apostolicam in eadem Civitatensi ecclesia felicis recordationis Bonifatius papa VIII^us, predecessor noster, sibi per litteras suas sub certa forma providit, ex certis rationalibus causis cupiant ad invicem permutare sintque illos resignare parati, providere eis in hac parte paterna diligentia curaremus.

Nos itaque, eorumdem Monaldi et Percivalli supplicationibus inclinati, ac de industria tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, ab eodem Monaldo dicti archipresbyteratus et a predicto Percivallo canonicatus et prebende predictorum libera resignatione recepta, dictum archipresbyteratum eidem Percivallo, canonicatum vero et prebendam predictos memorato Monaldo, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, auctoritate nostra conferas et assignes, inducens, per te vel per alium aut alios, dictum Monaldum in eorumdem canonicatus et prebende ac predictum Percivallum in ipsius archipresbyteratus ac jurium et pertinentiarum eorumdem, vel procuratores ipsorum eorum nomine, corporalem possessionem, ac defendas inductos ac faciens eundem Monaldum ad dictam prebendam in eadem Civitatensi ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo cum plenitudine juris canonici assignatis, dictumque Percivallum in archipresbyterum dicte Viterbiensis ecclesie, prout est moris, admitti, dictoque Monaldo de ipsorum canonicatus et prebende ac predicto Percivallo de predicti archipresbyteratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi;

Non obstantibus quibuslibet dictarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; aut si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus et dignitatibus in eadem Viterbiensi aut de canonicatibus et prebendis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Civitatensi ecclesiis specialiter, vel in illis partibus generaliter, litteras apostolicas impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decreti interpositionem vel alias quomodolibet sit processum; seu si aliqui nostra vel alia quavis auctoritate in eadem Civitatensi ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus eundem Monaldum in ipsorum canonicatus et prebende dictumque Percivallum in ejusdem archipresbyteratus assecutione volumus anteferri, sed nullum eis, quo ad assecutionem aliorum personatuum, dignitatum, canonicatuum, prebendarum et beneficiorum prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Viterbiensibus ac .. preposito, .. decano et capitulo dicte Civitatensis ecclesie vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede sit indultum predicta, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli seu interdici vel excommunicari non possint, aut quod de personatibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis dictarum ecclesiarum vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, cuiquam

nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de mandato hujusmodi mentionem; et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium impediri vel differri valeat, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda sit mentio specialis; aut si dicti Percivallus et Monaldus presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solitum juramentum, dummodo in eorum absentia per procuratores ydoneos et, cum ad easdem ecclesias accesserint, corporaliter illud prestent; seu quod dictus Monaldus canonicatum et prebendam in Vicentina ecclesia noscitur obtinere et quod idem Percivallus corporalem possessionem canonicatus et prebende predictorum nondum adeptus existit. Contradictores auctoritate, etc. Dat. Laterani, II idus novembris, anno primo. »

50 Au Latran, 21 novembre 1303.

Francisco Gayetani, diacono cardinali, concedit ut canonicatus et præbendas in s. Bartholomæi et in Nivellensi, Leodiensis diocesis, ecclesiis vacantes personis, quas eligere voluerit, conferre possit. (nº 50, fol. 15.)

« *Francisco, sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali.* Personam tuam libenter illis gratiis honoramus, per quas aliis existere valeas gratiosus.

Cum igitur in sancti Bartholomei Leodiensis et in Nivellensi, Leodiensis [diocesis], ecclesiis canonicatus et prebende, quos quondam Arnulfus de Remis dictus Templarius, earumdem ecclesiarum canonicus, capellanus et domesticus familiaris tuus, in ipsis ecclesiis dum viveret obtinebat, per mortem ipsius, qui dudum apud Sedem Apostolicam in civitate Anagnina, dum felicis recordationis Bonifatius papa VIII^us^, predecessor noster, ibidem cum sua curia resideret, diem clausit extremum, vacavisse noscantur, nec adhuc per Sedem eandem alii vel aliis sint collati, nullusque preter nos eosdem canonicatus et prebendas conferre possit, pro eo quod idem predecessor eosdem canonicatus et prebendas ante unius mensis spatium, secundum moderationem pie memorie G[regorii] pape X^mi^, predecessoris nostri, adhibitam circa constitutionem felicis recordationis Clementis pape IIII^ti^, predecessoris nostri, super canonicatibus et prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis apud Sedem ipsam vacantibus per Romanum dumtaxat pontificem conferendis editam, provisioni Sedis ejusdem auctoritate apostolica reservavit, decernens irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, nos, volentes tibi gratiam facere specialem, conferendi predictos canonicatus et prebendas sic vacantes personis ydoneis, de quibus expedire videris, et inducendi eas per te vel alium seu alios in corporalem possessionem canonicatuum et prebendarum eorumdem et inductas etiam defendendi, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac nichilominus faciendi personas ipsas vel procuratores suos pro eis ad prebendas easdem in prefatis ecclesiis in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo, cum plenitudine juris canonici, assignatis, eisque de ipsorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus quibuslibet ipsarum ecclesiarum contrariis statutis vel consuetudinibus, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis; seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eisdem ecclesiis vel earum altera in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus in assecutione predictorum canonicatuum et prebendarum personas easdem volumus anteferri, set quo ad assecutionem aliorum canonicatuum et prebendarum nullum per hoc eis prejudicium generari; aut si aliquibus communiter vel divisim a prefata Sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de canonicatibus et prebendis earumdem ecclesiarum vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel quamcumque dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia memorate Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in presentibus habenda sit mentio specialis; aut si persone ipse alias beneficiate existant, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

51 Au Latran, 12 novembre 1303.

Nicolao Raynulfi de Fractis tabellionatus officium conceditur. (nº 51, fol. 15 vº.)

« *Dilecto filio Nicolao Raynulfi de Fractis, clerico in mi-*

noribus ordinibus constituto, Gay[e]tani diocesis. Ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur.

Hinc est quod predictum officium, ad quod te dilectus filius magister Benedictus de Aquino, notarius noster, in nostra presentia reputavit ydoneum, tibi cum potestate dandi tutores ac curatores, ac acta, prothocolla, litteras et instrumenta exemplandi et alios contractus legitimos procurandi, ac singula exercendi, que ad predictum spectant officium, presentium auctoritate concedimus, ut id prudenter et fideliter exequaris et ad te, cum necesse fuerit, super hiis, que ad officium ipsum pertinent, recurratur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, II idus novembris, anno primo. »

52 Au Latran, 16 novembre 1303.

Archidiacono et capitulo ecclesiæ Narbonensis licentiam elargitur percipiendi per quinquennium fructus, redditus et proventus unius anni quorumdam beneficiorum ecclesiasticorum, in Narbonensi civitate vel diocesi vacantium, in consummationem fabricæ cathedralis ecclesiæ, quæ dudum est incœpta, convertendos. (nº 52, fol. 15 vº.)

« *Dilectis filiis .. archidiacono et capitulo ecclesie Narbonensis.* Tunc cor nostrum spiritualis letitie jocunditate perfunditur et in omnium Conditore ex intimis delectatur, cum famulorum Dei devota sinceritas piis operibus sic intenta fore conspicitur, quod sacra et salutaris affectio in mentibus fidelium generatur ad honorem Altissimi Creatoris, cum ex hoc posteris salutare relinquatur exemplar, ut ipsi similibus vel potioribus se conforment ob divine gratiam pietatis.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod bone memorie Maurinus archiepiscopus et vos, filii capitulum, attendentes quod facultates Narbonensis ecclesie ad consumationem fabrice ipsius ecclesie, que dudum incepta fuerat structura nobili et opere plurimum sumptuoso, minime suppetant ut opus ipsum perduci valeret celerius ad effectum, prius inter vos solenni deliberatione prehabita, unanimiter statuistis ut fructus unius anni omnium beneficiorum vacantium in civitate et diocesi Narbonensi, etiam si dignitates et personatus existerent et curam animarum haberent, quorum collatio ad vos, filii capitulum, et eundem archiepiscopum communiter vel divisim pertinet, converti deberent dumtaxat in opus fabrice supradicte, et tandiu voluistis statutum hujusmodi habere roboris firmitatem, quousque dictum opus fuisset feliciter consumatum. Quare a nobis humiliter petiistis, ut apostolici muniminis firmitatem adhibere statuto hujusmodi vel eosdem fructus auctoritate nostra concedere, usque ad certum tempus, ad opus consumationis dicte fabrice dignaremur.

Nos igitur, qui ad ecclesiam ipsam gerimus intime dilectionis affectum, et eam apostolice benignitatis auxilio prosequi libenti animo affectamus, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut fructus, redditus et proventus primi anni prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam si personatus et dignitates existant et curam habeant animarum, ad Narbonensis archiepiscopi et vestram collationem spectantium, communiter vel divisim, que in Narbonensi civitate et diocesi vacant ad presens vel usque ad quinquennium vacare contigerit, in opus predicte fabrice integre convertendos, illis dumtaxat exceptis in quibus auctoritate litterarum nostrarum forsan jus est alicui acquisitum, ita quod ex concessione hujusmodi expectantibus in ipsis civitate et diocesi earumdem auctoritate beneficia vacatura prejudicium nullum fiat, licite possitis percipere et contradictores per censuram apostolicam appellatione postposita, per vos vel per alium seu alios, compellere; super quo vobis tenore presentium plenam et liberam concedimus potestatem;

Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, sub quacumque verborum forma, quibuscumque concessis, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris fieri debeat mentio specialis; aut si aliquibus, cujuscumque preeminentie, dignitatis, conditionis, ordinis aut status existant, ab Apostolica Sede indultum existat, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, proviso quod hujusmodi fructus, redditus et proventus in alios usus quam in opus predicte fabrice minime convertantur et quod dignitates, prioratus et beneficia supradicta debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus illa iminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

53 Au Latran, 20 novembre 1303.

Rectori et scholaribus domus in Puketoft Ripensi, quam Castiarnus, episcopus Ripensis, ad usum pauperum scholarium de facultatibus et redditibus suis construxerat et dotaverat, parochialem ecclesiam de Haening ab eodem episcopo eis concessam confirmat. (nº 53, fol. 16; Potth., nº 25304.)

« *Dilectis filiis .. rectori et scolaribus domus in Puketoft Ripensi.* Pietatis opera, que in domo vestra jugiter exercentur, exposcunt ut in hiis, que digne deposcitis, favorabiliter annuamus.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod dudum venerabilis frater noster Castiarnus, episcopus Ripensis, pia ductus intentione, domum vestram ad usum pauperum scolarium, capescere cupientium scientie margaritam, de facultatibus et redditibus suis fecit construi et dotavit, in qua per Dei gratiam sic exercentur opera caritatis, quod ex ipsius proventibus viginti pauperes scolares, disciplinis scolasticis insistentes, continuis temporibus congrue sustentantur. Postmodum vero idem episcopus vobis parrochialem ecclesiam Haening, Ripensis diocesis, tunc vacantem nullique alii de jure debitam, ad ipsius episcopi collationem libere pertinentem, cum suis juribus et pertinentiis, sui capituli ad id accedente consensu, in usus proprios concessit pro incumbentibus vobis expensarum oneribus comodius supportandis, reservata de ipsius proventibus pro vicario in eadem ecclesia perpetuo servituro congrua portione. Ac postmodum venerabilis frater noster .. archiepiscopus Lundensis, loci metropolitanus, que ab eodem episcopo acta fuerant in premissis auctoritate metropolitana confirmavit, prout ex ipsius episcopi assertione accepimus et in eorumdem archiepiscopi, episcopi et capituli patentibus litteris inde confectis hec plenius continentur.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo pie ac provide in premissis actum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

54 Au Latran, 28 novembre 1303.

Confertur Francisco, clerico Pisano, beneficium quoddam ecclesiasticum in civitate vel diocesi Lucana. (nº 54, fol. 16.)

« *Dilecto filio Francisco, nato dilecti filii Cortivecke Lambertucii, ostiarii nostri, clerico Pisano.* Laudabile testimonium — Dat. Laterani, IIII kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. magistro Bertramo de Mediolano, archipresbytero canonice decumanorum Mediolanensis, capellano nostro, ac .. de Compoto et .. sancti Petri in Campo, Lucane diocesis, plebium plebanis.

55 Au Latran, 5 décembre 1303.

Petentibus priorissa et sororibus s. Pauli de Urbe Veteri, ordinis s. Benedicti, eas et earum monasterium magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali Romanæ provinciæ ipsius ordinis atque eidem ordini committit, statuens ut sub magisterio et doctrina magistri et prioris Prædicatorum debeant de cætero permanere. (nº 55, fol. 16 vº; Potth., nº 25310.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii sancti Pauli de Urbe Veteri, ordinis sancti Benedicti.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

56 Au Latran, 5 décembre 1303.

Magistro et priori provinciali Romanæ provinciæ ordinis Prædicatorum mandat, ut monasterii s. Pauli de Urbe Veteri, ordinis s. Benedicti, curam suscipiant. (nº 56, fol. 16 vº; Potth., nº 25311.)

« *Dilectis filiis .. magistro et .. priori provinciali Romane provincie, ordinis fratrum Predicatorum.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

57 Au Latran, 30 novembre 1303.

Revocantur excommunicationum ac interdicti sententiæ, ab episcopo Firmano et quodam ejus delegato promulgatæ in fratres ordinum Prædicatorum atque Minorum Esculanæ diocesis, inter quos ex una parte, et clerum parochialem dictæ diocesis ex altera, gravis vertebatur discordia de observanda Bonifatii VIII constitutione, quæ incipit *Super cathedram.* (nº 57, fol. 17.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Firmano.* Dudum felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, cupiens discordiam, que inter prelatos et rectores seu sacerdotes et clericos parrochialium ecclesiarum, ex parte una, et Predicatorum et Minorum ordinum fratres, ex altera, super predicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus [audiendis], penitentiis injungendis eisdem et tumulandis defunctorum corporibus, qui eligunt apud fratrum loca vel ecclesias sepulturam, prorsus evellere, quandam super hiis constitutionem edidit, in qua ubi, quando et quomodo liceat eisdem fratribus predicare, hujusmodi confessiones audire, penitentias injungere, qualiter etiam ipsi fratres liberam habeant sepulturam, et de quarta obventionum per eos eisdem parrochialibus, sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter exhibenda plenius continetur.

Nos vero ex parte dilectorum filiorum .. prioris et fratrum Predicatorum ac .. guardiani et fratrum Minorum Esculanorum fuit expositum coram nobis, quod, cum idem predecessor super observatione dicte constitutionis ad instantiam rectorum seu curatorum, presbyterorum et clericorum parrochialium ecclesiarum Esculane civitatis et diocesis suas tibi certi tenoris litteras direxisset, tu eisdem priori, guardiano et fratribus Esculanis plura gravamina contra justitiam intulisti, ac postmodum vices tuas in hac parte non tamen totaliter dilecto filio Jacobo, priori sancti Salvatoris ad Vallem Esculanam, commisisti, qui talis commissionis pretextu priorem, guardianum et fratres Esculanos predictos multipliciter contra justitiam aggravans, diversas in eos excommunicationum et interdicti sententias pro sue voluntatis libito promulgavit, propter que ex parte ipsorum fuit ad Sedem Apostolicam appellatum.

Cum autem super hiis omnibus ex parte dictorum prioris, guardiani et fratrum Esculanorum ad nos habitus sit recursus, nos quieti partium providere ac obviare scandalis, que premissorum occasione dicuntur in illis partibus exoriri, salubriter intendentes ac propterea potestatem, tibi in eisdem litteris et per te dicto priori sancti Salvatoris traditam, totumque negotium ad examen apostolicum revocantes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super hiis ulterius per te vel alium seu alios nullatenus presumas procedere, quin potius eidem subdelegato tuo inhibere procures, ne se de hiis quomodolibet intromittat. Nos enim nichilominus exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari; omnes vero sententias latas et processus habitos super hiis per te vel subdelegatum eundem omnemque ipsius sententiarum et processuum effectum suspendimus, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis. Dat. Laterani, II kalendas decembris, anno primo. »

58 Au Latran, 27 novembre 1303.

Episcopo Morinensi concedit ut ecclesias et cimiteria suæ diocesis, effusione sanguinis vel seminis violata, per aliquam personam idoneam reconciliari facere possit. (nº 58, fol. 17.)

« *Venerabili fratri Ingeranno, episcopo Morinensi.* Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et tibi in hiis, que digne deposcis, nos favorabiles exhibemus.

Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod, cum frequenter contingat ecclesias et earum cimiteria tue civitatis et diocesis per effusionem sanguis vel seminis violari tibique ad ea reconcilianda totiens accedere difficile sit et grave, maxime cum, sicut asseritur, dicta civitas incursum hostium totaliter sit combusta et diocesis ipsa pro majori parte nequiter sit destructa, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus.

Volentes igitur tibi gratiam facere specialem, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut ecclesias et cimiteria predicta possis, quotiens ea violari contigerit, per aliquam personam ydoneam in sacerdotio et dignitate constitutam reconciliari facere, aqua per te prius ut moris est benedicta. Per hoc autem constitutioni, que id precipit per episcopos fieri, nullum prejudicium volumus imposterum generari. Presentibus post triennium, etc. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

59 Au Latran, 16 novembre 1303.

Ut possit abbas monasterii s. Germani de Pratis, Parisiensis diocesis, habere altare portatile. (nº 59, fol. 17.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii sancti Germani de Pratis juxta Parisius, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Devotionis tue promeretur honestas ut petitionibus tuis in hiis, que digne postulas, favorabiliter annuamus.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue habendi altare portatile et super illo missarum solennia celebrare et facere celebrari auctoritate presentium plenam et liberam licentiam elargimur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

60 Au Latran, 2 novembre 1303.

Archiepiscopo Lugdunensi scribit de priore monasterii s. Petri Matisconensis, quem aliqui ejusdem archiepiscopi familiares sunt hostiliter aggressi, contumeliis affecerunt, rebus suis spoliarunt et adhuc detinent nequiter captivatum. Cum vero quidam earum partium milites, ut dictus prior libertati restitueretur, promiserint se, certo termino, captoribus ejusdem duo milia librarum Turonensium pro redemptionis pretio soluturos, Benedictus papa præfato archiepiscopo intimat, quod promissiones et obligationes ita factas, omni robore destitutas declaret, priorem liberari faciat, sacrilegos demum ejus aggressores excommunicatos denuntiet. Invehit insuper contra quendam suprascripti monasterii canonicum, horum omnium instigatorem, quem specialiter jubet per censuras ecclesiasticas ad obedientiam reduci. (nº 60, fol. 17 vº.)

« *Venerabili fratri L[udovico], archiepiscopo Lugdunensi.* Ad audientiam nostram pervenit quod, cum dilectus filius Gaufridus, prior monasterii sancti Petri Matisconensis per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, dudum ob certam causam ad presentiam tuam personaliter se tranferret, Hugo de Bioleres laicus, frater Petri de Bioleres, canonici dicti monasterii, Hugo de Joieu, Thomas de Bussi, Clugnetus Desbyes et Crochatus de Montelupello, laici tue diocesis, familiares tui, adjunctis sibi quibusdam eorum in hac parte complicibus, in ipsum priorem prope castrum tuum de Trevot ubi eras, armata manu, evaginatis gladiis, hostiliter irruentes, familiaribus et sequacibus dicti prioris, qui cum eo erant, in fugam conversis, eundem priorem in pluribus partibus sui corporis graviter vulnerare, rebus et bonis que secum habebat, usque ad valorem quadraginta librarum Turonensium parvorum, spoliare, ac denudare regularibus vestibus quibus erat indutus, et aliter ignominiose tractare, Dei timore postposito, ausu sacrilego presumpserunt; dictasque vestes, in majorem sue dampnationis cumulum dictique prioris et sancte Religionis obprobrium, facientes famulorum suorum pedibus conculcari, dictum priorem vestibus radiatis indutum et capistris equorum suorum ligatum per diversa loca ducentes, eum diris carceribus manciparunt. Cumque per quadraginta dies et amplius eum tenuissent ac tenere a pluribus procurassent taliter captivatum, et propter hujusmodi plagas illatas et carcerem mortis ei periculum immineret, Bornus de Marchant, domicellus prefate diocesis, volens ab eodem periculo dictum priorem eripere, promisit dicto Hugoni de Bioleres horum scelerum patratori, quod pro dicto priore, si eum restitueret libertati, sibi solveret inde ad festum Assumptionis beate Marie Virginis proximo tunc futurum duo milia librarum Turonensium parvorum, vel eundem priorem infra dictum tempus sibi restitueret eidem carceri denuo retrudendum. Pro quoquidem Borno, Stephanus et Philippus de Laya, Stephanus Guelpe, Stephanus de Portabo, Guillelmus Dousaais, Petrus de Frans et Guchardus de Vallibus milites, ac Guillelmus de Lay, domicellus dicte diocesis, penes eundem Hugonem de Bioleres se super hiis observandis fidejussorio nomine obligarunt. Dictus etiam prior, ut hujusmodi periculum evitaret, promissiones et obligationes hujusmodi habens ratas, predicta omnia servare promisit et contra ea aliquatenus non venire, corporalibus super hoc tam a militibus et domicellis predictis quam ab eodem priore prestitis juramentis.

Canonicus insuper memoratus, malefactorum instigator et scelerum conscius predictorum, majori etiam excommunicatione ligatus et diversis criminibus irretititus, claustro dicti monasterii ut regularem effugiat disciplinam temeritate propria derelicto, per eandem incedit diocesim vagabundus, dictique fratris sui et aliorum fautorum suorum fultus potentia, domum sancti Martini de Castro, ejusdem diocesis, ad dictum monasterium pertinentem, temere occupans et detinens occupatam, ad claustrum predictum redire et ipsam domum monasterio predicto restituere super hoc monitus canonice contradicit.

Cum autem promissiones et obligationes predicte, si hec veritate nitantur, carere debeant robore firmitatis nec tales excessus remanere debeant incorrecti, juramentum quoque non iniquitatis vinculum sed justitie vel veritatis existere debeat firmamentum, nos super hiis de oportuno remedio providere volentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi de plano sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, prefatos priorem, milites et domicellos ab hujusmodi promissionibus, obligationibus, juramentis et eorum transgressionibus, si ea forsitan non servassent, auctoritate nostra prorsus absolvens ipsosque denuntians ad eorum observantiam non teneri, prefatos sacrilegos quod eidem priori de rebus et bonis predictis, quibus eum taliter spoliarunt, debitam satisfactionem impendant; ipsumque priorem, si eum forsan detineant vel detineri faciant, restituant libertati, et tam sibi quam militibus et domicellis eisdem restituant, si quod ab eis vel eorum aliquo occasione premissorum et obligationum hujusmodi extorserunt; prefatum quoque canonicum quod domum eandem monasterio predicto restituat et ad illud redeat, sub predicta sui ordinis disciplina et obedientia moraturus, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas ac nichilominus eosdem sacrilegos tandiu appellatione remota excommunicatos publice nunties et per omnia loca, in quibus expedire videris, nuntiari facias et ab omnibus arcius evitari, donec super hiis, pro quibus excommunicationis sententiam incurrerunt, satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad se[nsum] ve[ritatis] ap[ostolice] absolvendi, invocato, etc., usque : secularis, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras, etc., usque : mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, etc [1].

In hiis igitur exequendis te sic reddere studeas diligentem, quod nulla tibi negligentia vel inobendientia possit impingi, sed de sollicitudine ac obedientia merito valeas commendari. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

1. Suppléer les mots : *tibi auctoritate presentium concedimus potestatem*, qui suivant toute apparence devaient terminer la formule.

61 Au Latran, 21 novembre 1303.

Roberto, duci Calabriæ, indulget ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, possint usque ad sex annos percipere proventus, redditus et fructus beneficiorum suorum. (nº 61, fol. 18.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto, duci Calabrie.* Ut dilectionis affectum — Dat. Laterani, xi kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo et dilectis filiis .. archidiacono Neapolitanis ac .. preposito Aquensis ecclesie.

62 Au Latran, 21 novembre 1303.

Eidem concedit ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina celebrari facere ac audire possit. — Eidem, ut sibi confessorem eligat. (nº 62, fol. 18.)

« *Eidem.* Personam tuam paterne — Dat. Laterani, xi kalendas decembris, anno primo. »

« Item eidem. Cum nos personam tuam, quam Sedes Apostolica non indigne multa dilectione prosequitur, geramus in visceribus caritatis, libenter illa tibi concedimus, ex quibus tibi salutis augmentum valeat provenire.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut aliquem discretum presbyterum, quem volueris, possis eligere confessorem, qui audita confessione tua tibi possit auctoritate nostra pro modo culpe penitentiam salutarem injungere ac super delictis tuis beneficium debite absolutionis impendere, dummodo non sint talia super quibus dicta Sedes esset merito requirenda, tecumque super jejuniis indictis per Ecclesiam dispensare, prout anime tue saluti viderit expedire. Dat. ut supra. »

63 Au Latran, 16 novembre 1303.

Fernando Alvari, cum quo super defectu natalium olim fuerat dispensatum ut ad omnes ordines promoveri posset ac beneficium obtinere, licentia conceditur retinendi canonicatum Legionensem, quamvis litteræ sibi dudum concessæ super prædictis casu fortuito sint amissæ, non obstante autem alio quem patitur in ætate defectu. (nº 63, fol. 18.)

« *Dilecto filio Fernando Alvari, canonico Legionensi.* Libenter illis favorem et gratiam impertimur, qui per virtutum semitas incedentes se fore dignos gratia representant.

Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod olim auctoritate litterarum felicis recordationis Nicolai pape IIII^ti^, predecessoris nostri, tecum extitit dispensatum ut non obstante defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, posses ad omnes ordines promoveri et beneficium obtinere ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum; tuque postmodum in ecclesia Legionensi canonicatum et prebendam ac prestimonia fuisti canonice assecutus, fructus percipiens ex eisdem. Verum cum, sicut asseris, tam predicte quam super hujusmodi tua dispensatione confecte littere casu fortuito sint ammisse, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc et eciam super defectu, quem pateris in etate, cum in vicesimo tue etatis anno vel circa illum constitutus existas, de uberioris dispensationis gratia dignaremur.

Nos itaque attendentes laudabilia testimonia, que tibi super honestate morum aliisque donis virtutum multipliciter perhibentur, teque propterea et consideratione venerabilis fratris P[etri], episcopi Sabinensis, et dilectorum filiorum nostrorum (*sic*) Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro te nobis in hac parte humiliter supplicantium, favore prosequi gratioso, tecum ut, premissis omnibus nequaquam obstantibus, ad hujusmodi omnes ordines promoveri et canonicatum, prebendam et prestimonia predicta cum fructibus perceptis ex eis licite retinere, aliudque nichilominus beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, etiam si dignitas vel personatus existat et in cathedrali vel alia quavis ecclesia fuerit, dummodo tibi alias canonice conferatur, libere recipere et una cum prefatis canonicatu et prebenda ac prestimoniis licite retinere valeas, auctoritate apostolica dispensamus, proviso quod beneficium, si quod hujusmodi etatis defectu durante assequi te contingat, debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura, si illa sibi immineat, nullatenus negligatur, quodque, si ad episcopalem dignitatem te vocari contigerit, dignitatem illam nequaquam recipias absque licentia Sedis Apostolice speciali. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, xvi kalendas decembris, anno primo. »

64 Au Latran, 13 novembre 1303.

Dispenset Legionensis episcopus cum quibusdam clericis diocesis suæ super irregularitate, quam contraxerunt divina officia in ecclesiis seu locis interdictis celebrando. (nº 64, fol. 18 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Legionensi.* Ad audientiam nostram, insinuante nobis dilecto filio magistro

Ne[a]poleone, archidiacono de Majorica in ecclesia Legionensi, notario nostro, pervenit quod, licet olim ecclesie et loca ecclesiastica sui archidiaconatus de Majorica in dicta ecclesia certis ex causis bone memorie F[erdinandi], episcopi Legionensis, predecessoris tui, interdicto ecclesiastico subjacerent essentque clerici et persone ecclesiastice dicti archidiaconatus per eundem episcopum interdicti, nonnulli tamen ex eisdem clericis et personis interdictum hujusmodi ignorantes et aliqui hesitantes de illo, alii vero id scientes, propter timorem nobilium et magnatum illarum partium, qui ad hoc cogebant eosdem, in dictis ecclesiis et locis taliter interdictis divina officia celebrarunt. Quare dictus notarius, de ipsorum salute sollicitus, nobis humiliter supplicavit ut, cum trecenti et plures ex eisdem clericis reperiantur taliter deliquisse, quorum multi propter inopiam nequeant ad Sedem Apostolicam accedere pro dispensationis gratia obtinenda, dictumque interdictum per ipsum episcopum fuerit postea relaxatum, illorum in hac parte providere saluti misericorditer dignaremur.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, cum eisdem clericis, cum super hoc ab eis fueris humiliter requisitus, super irregularitate per eos hujusmodi occasione contracta, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari, auctoritate nostra dispenses prout secundum Deum animarum ipsorum saluti videris expedire. Dat. Laterani, idibus novembris, anno primo. »

65 Au Latran, 13 novembre 1303.

Indulgentia centum dierum pro visitantibus plebem de Retena, Aretinæ diocesis. (n° 65, fol. 18 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is, de cujus munere venit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo majora tribuat quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores.

Cupientes itaque quod plebes de Retena, Aretine diocesis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictam plebem devote visitaverint annuatim in Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Purificationis beate Marie Virginis festivitatibus, centum, qui vero per octo dies festivitates ipsas Assumptionis et Nativitatis immediate sequentes, quadraginta dies de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, idibus novembris, anno primo. »

66 Au Latran, 16 novembre 1303.

Johanni, cancellario aulæ regis Romanorum, indulget ut fructus, proventus ac redditus beneficiorum suorum, quandiu obsequiis dicti regis institerit, percipere valeat, licet in ecclesiis ubi beneficia illa obtinet personalem non faciat residentiam. (n° 66, fol. 18 v°.)

« *Dilecto filio Johanni, preposito ecclesie Turicensis, Constantiensis diocesis, cancellario aule carissimi in Christo filii nostri A[lberti], regis Romanorum illustris.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. de Gronawe et .. Uterine Vallis, [Treverensis] et Spirensis diocesium, monasteriorum abbatibus, ac .. decano ecclesie Warmatiensis.

67 Au Latran, 16 novembre 1303.

Regi et reginæ Romanorum concedit ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia faciant celebrari. (n° 67, fol. 19.)

« *Carissimo in Christo filio Alberto regi et carissime in Christo filie Elisabet, ejus uxori, regine Romanorum illustribus.* Ut regalis excellentie magnitudo — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

68 Au Latran, 16 novembre 1303.

Dispensat cum Radulfo, Saxoniæ duce, et Juta, sorore marchionis Brandeburgensis, ut ad sedandas inimicitias inter prædictos ducem et marchionem exortas matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (n° 68, fol. 19.)

« *Dilecto filio nobili viro Radulfo, duci Saxonie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jute, nate quondam Ottonis Longi, marchionis Brandeburgensis.* Licet matrimonium contractum in quarto consanguinitatis gradu sacri canones interdicant, consuevit tamen interdum Sedes Apostolica super hoc, devotorum inducta precibus, dispensare, maxime cum necessitas exigit aut causa rationabilis id exposcit.

Petitio quidem vestra nobis exhibita continebat quod vos, qui quarto estis consanguinitatis gradu conjuncti, ad obviandum guerrarum et discordiarum discriminibus, que inter te, fili dux, et dilectum filium Hermannum, marchionem Brandeburgensem, fratrem tuum, filia Juta, ex certis occasionibus oriri ceperant, contraxistis invicem sponsalia de futuro et desideratis matrimonialiter copulari. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur.

Nos igitur, qui libenter Christi fidelibus quietis et pacis comoda procuramus, volentes hujusmodi guerris et discordiis obviare, vobiscum ut, impedimento hujusmodi quarti gradus consanguinitatis nequaquam obstante, matrimonialiter invicem licite copulari possitis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

69 Au Latran, 16 novembre 1303.

Archiepiscopo Maguntino mandatur, ut dispenset cum filio comitis de Cazenelinbogen et filia comitis de Marchia super matrimonio illicite contracto, prædictumque matrimonium non obstante quarto consanguinitatis gradu confirmans, prolem inde suscipiendam legitimam nuntiet. (nº 69, fol. 19.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Maguntino.* Licet conjunctio copule conjugalis in quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, consuevit tamen super hoc Apostolica Sedes devotorum inducta precibus, presertim sublimium personarum, prout considerata personarum et temporum qualitate salubriter expedire cognoscit, aliquando dispensare.

Ex parte siquidem carissimi in Christo filii nostri A[lberti], regis Romanorum illustris, fuit expositum coram nobis, quod dilectus filius nobilis vir Gherardus, natus dilecti filii nobilis viri Gherardi, comitis de Cazenelinbogen, et dilecta in Christo filia Greca, nata dilecti filii nobilis viri Eberardi, comitis de Marchia, tue diocesis, qui quarto sunt consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium de facto, dispensatione super hoc non habita, invicem contraxerunt, et carnali postmodum copula subsecuta, dicta Greca ex eo creditur esse pregnans. Verum quia ipsi et progenitores eorum sunt de nobilioribus et potentioribus illarum partium et ex eorum separatione, si fieret, gravia timentur in eisdem partibus scandala suboriri, dictus rex de ipsorum salute ac regni sui, de quo ipsi existunt, tranquillitate sollicitus, nobis humiliter supplicavit ut providere ipsis super hoc per dispensationis gratiam dignaremur.

Nos autem, qui subditorum pacem querimus et quietem, hujusmodi scandalis obviare ac eorum in hac parte saluti providere volentes, dicti regis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, si in premissis veritas suffragatur, cum eisdem Gherardo et Greca, imposita eis pro eo quod taliter contraxerunt aut pro illicita copula penitentia salutari, eisque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium carnali commercio interdicto, quod in eodem matrimonio remanere licite valeant, impedimento quod ex dicta consanguinitate provenit non obstante, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animarum ipsorum saluti videris expedire, prolem susceptam et suscipiendiam in eodem matrimonio legitimam nuntiando. Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

70 Au Latran, 20 novembre 1303.

Episcopo Constantiensi mandatur ut super matrimonio, quod Nicolaus de Scercenbach et quædam Anna, diocesis Constantiensis, quarto duplicis affinitatis gradu conjuncti contraxerunt, dispenset. (nº 70, fol. 19 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Constantiensi.* Intenta salutis operibus — Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

71 Au Latran, 5 décembre 1303.

Quandam divisionem bonorum et reddituum inter episcopum et capitulum Anagniæ civitatis a Bonifatio papa VIII factam ordinatamque confirmat. (nº 71, fol. 19 vº.)

« *Venerabili fratri L[eonardo] episcopo et dilectis filiis .. preposito et capitulo Anagninis.* Vota vestra favore benivolo prosequentes, ad ea libenter intendimus per que, summotis quibuscumque turbationum dissidiis, status vestri tranquillitas procuretur.

Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat quod, cum olim inter te, frater episcope ex parte una, vosque, filii capitulum ex altera, occasione asisie seu vivande a te, predicte episcope, singulis diebus prout a longis retro temporibus fuerat observatum personis et canonicis Anagnine ecclesie debite, gravis et multiplicis dissentionis materiam contingeret frequentius exoriri, propter quod ejusdem status ecclesie turbabatur ac ipsa defectum in divinis officiis sustinebat, felicis recordationis B[onifa-

tius] papa VIII[us], predecessor noster, volens super hiis remedium apponere oportunum, auctorite apostolica statuit et etiam ordinavit quod tu, predicte episcope, castrum Acuti, Anagnine diocesis, ad ecclesiam pertinens antedictam, cum omnibus juribus, possessionibus et pertinentiis suis habere deberes, ita videlicet quod tibi, dicte preposite, quandocumque de tua voluntate procederet, de arboribus silve dicti castri ad utilitatem et comodum dicte ecclesie aut domorum ejus, tam intus quam extra, et eciam castrorum ipsius consistentium ubicumque, libere recipere et habere liceret; quodque tu, predicte episcope, manerium seu reductum, quod *Aspera* vulgariter nunccupatur, nec non ecclesiam sanctorum Philippi et Jacobi, cum domibus, bonis, juribus et possessionibus suis ubilibet constitutis in quibuscumque consisterint, ac fructus, proventus et redditus, qui proveniunt ex eisdem, quartam quoque partem fructuum, molendinorum, possessionum et vassallorum Ville Magne Gorgeque castrorum, ejusdem diocesis, et aliorum bonorum omnium, ad ecclesiam ipsam spectantium occasione monasterii sancti Petri dicti castri Ville Magne [1], quod idem predecessor ecclesie memorate concessit, ministrandam et exhibendam tibi, episcope, per prepositum dicte ecclesie qui esset pro tempore, deductis exinde expensis quibuslibet, quas per eundem prepositum fieri contingeret in premissis, quartam etiam fructuum et proventuum, possessionum quarumlibet asisie memorate ac tertiam insuper partem oblationum omnium tam pecunie quam panis et vini, carnium et cere nec non quorumcumque reddituum, provenientium ex ecclesiis consistentibus in civitate Anagnie, haberes et reciperes pacifice et quiete.

Statuit insuper et ordinavit idem predecessor auctoritate predicta, quod certa ipsius ecclesie bona, ubicumque consisterent, forent vestra, preposite et capitulum supradicti, eadem auctoritate nichilominus decernendo, ut hujusmodi per eum pro bono pacis et unitate concorditer inter vos facta divisio tandiu robur firmitatis haberet et in suo vigore persisteret, donec tu, supradicte episcope, regimini ejusdem Anagnine ecclesie presideres, prout hujusmodi in ejusdem predecessoris super hoc confectis litteris plenius continetur.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore in premissis actum est ratum et gratum habentes idque auctoritate apostolica approbantes, eadem auctoritate statuimus, ut hujusmodi ordinatio et divisio predecessoris ipsius non solum tuo, episcope memorate, sed etiam successorum tuorum episcoporum Anagninorum temporibus imperpetuum inviolabiliter observetur. Nulli ergo, etc., nostre approbationis et statuti, etc. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

1. Ms. « Vallis Magne. »

72 Au Latran, 5 décembre 1303.

Concessionem castri Villæ Magnæ, quod usibus mensæ Anagninæ ecclesiæ Bonifatius papa VIII sub certis modis deputaverat, nullis vero super hoc confectis litteris, præsentibus confirmat et communit. (nº 72, fol. 20.)

« *Eisdem.* Ex parte vestra fuit expositum coram nobis, quod felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, castrum Ville Magne ad ecclesiam pertinens Anagninam, Anagninæ diocesis, cum suis juribus et pertinentiis ubilibet constitutis, usibus asisie sive mense dicte ecclesie sub certis modis auctoritate apostolica deputavit, ita videlicet quod tu, frater episcope, quartam, vos vero, filii capitulum, tres partes residuas ex ipsius castri proventibus percipere deberetis : et licet vos castrum predictum in eosdem usus obtineatis pacifice et quiete, quia tamen littere super hujusmodi deputatione ab eodem predecessore nullatenus emanarunt, nos super hoc vobis imposterum providere volentes, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus ut, premissis veris existentibus, tam vos quam successores vestri castrum predictum in prefatos usus, juxta predictum modum, possitis perpetuis futuris temporibus libere obtinere. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

73 Au Latran, 22 novembre 1303.

Valeat episcopus Tarviensis diocesim suam per alium facere visitari. (nº 73, fol. 20.)

« *Venerabili fratri Raymondo, episcopo Tarviensi.* Habet in nobis — Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. Lascurrensi et .. Olorensi episcopis ac .. priori de sancto Genesio, Lectorensis diocesis.

74 Au Latran, 21 novembre 1303.

Ecclesiam de Wylre, Metensis diocesis, abbatissæ et conventui monasterii de Grecal, ordinis s. Benedicti, ejusdem diocesis, in usus proprios a Metensibus episcopis concessam, confirmat. (nº 74, fol. 20.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui de Grecal, ordinis sancti Benedicti, Metensis diocesis.* Religionis vestre meretur honestas ut petitionibus vestris, in quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Porrecta siquidem nobis ex parte vestra petitio continebat, quod bone memorie Johannes, episcopus Metensis, pie considerans quod fructus, redditus et proventus vestri monasterii adeo erant tenues et exiles, quod non poteratis exinde comode sustentari, volens [1] super hoc paterne provisionis remedio subvenire, ecclesiam de Wylre, dicte diocesis, in qua vos et nullus alius jus patronatus habetis, cum juribus et pertinentiis suis, vobis in usus proprios auctoritate ordinaria deputavit, vobis nichilominus concedendo ut, cedente vel decedente rectore ipsius, possitis ejusdem ecclesie fructus, redditus et proventus vestris et dicti monasterii usibus applicare, reservata de ipsis pro vicario in ea perpetuo servituro congrua portione, ex qua substentari comode valeat et incumbentia onera supportare. Bone quoque memorie Boncardus ac deinde Gerardus, episcopi Metenses, dicti Johannis episcopi successores, quod per eundem Johannem episcopum actum fuerat approbarunt, prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum episcoporum sigillis munitis, plenius dicitur contineri.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Johanne episcopo in hac parte pie ac provide actum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus supplentes defectum, qui ex eo fuit in concessione hujusmodi, quod in ea consensus capituli ecclesie Metensis nullatenus intervenit, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et suppletionis, etc. Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

75 Au Latran, 21 novembre 1303.

Indulgentia quadraginta dierum fidelibus concessa, qui eleemosynis et donis ecclesiam s. Piati Seclíniensis, Tornacensis diocesis, reficiendam curaverint. (n° 75, fol. 20 v°.)

« *Universis Christi fidelibus per Tornacensem, Morinensem et Cameracensem civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

76 Au Latran, 27 novembre 1303.

Concessionem ruralis ecclesiæ Sanctæ-Fidis, Apamiarum diocesis, quam Bernardus, episcopus Apamiensis, cuidam Francisco clerico olim contulerat, se ratam et gratam habere declarat. (n° 76, fol. 20 v°.)

« *Dilecto filio Francisco, nato dilecti filii Judicis Angeli Petri Mathei de Urbe, rectori ruralis ecclesie Sancte Fidis, Appamiarum diocesis.* Cum a nobis petitur quod justum est, etc., usque : effectum.

Exposita siquidem nobis tua petitio continebat, quod dudum venerabilis frater noster Bernardus, episcopus Appamiarum, solerter attendens probitatis merita dilecti filii Judicis Angeli Petri Mathei de Urbe, patris tui, grata quoque et fructuosa servitia, que dudum sibi et ecclesie sue apud Sedem Apostolicam, dum esset abbas monasterii Appamiarum et postquam etiam assumptus extitit ad episcopalem dignitatem Appamiarum, impendit et impendere poterat in futurum, ac volens tibi propter hoc gratiam facere specialem, tibi, quem idem episcopus de sacro fonte levavit et postmodum de licentia felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, clericali caractere insignivit, et in recompensationem servitiorum ipsorum ruralem ecclesiam Sancte Fidis, Appamiarum diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tunc vacantem, de mensa sua episcopali existentem, prout spectabat ad eum, duxit canonice conferendam, prout in patentibus litteris super hoc confectis, ejusdem episcopi sigillo munitis, plenius dicitur contineri.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, non obstante quod predicta ecclesia ad mensam dicti episcopi, sicut dicitur, noscitur pertinere. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

77 Au Latran, 3 décembre 1303.

Supplicante abbate monasterii s. Mariæ de Quinquemiliis, quem Valvensis episcopus capi fecit et adhuc sine causa rationabili diro carceri mancipatum detinet, Benedictus papa mandat, ut idem abbas sub fida custodia ad Sedem Apostolicam transmittatur citeturque præfatus episcopus ad comparendum coram conspectu apostolico, super præmissis pariturus. (n° 77, fol. 20 v°.)

« *Dilectis filiis .. de Certo Terre monasterii sancti Vincentii de Vulturno et .. de Monte Alto ac .. de Castro Sangri, Treventine diocesis, archipresbyteris ecclesiarum.* Intimante nobis dilecto filio Jacobo, abbate monasterii sancte Marie de Quinquemiliis, ordinis sancti Benedicti,

1. Ms. « volentes. »

Valvensis diocesis, ad nostrum nuper pervenit auditum, quod venerabilis frater noster .. episcopus Valvensis eum sine causa rationabili capi fecit et diro carceri mancipari, quem jam pluribus annis detinuit et adhuc detinet eidem carceri mancipatum. Quare ex parte ipsius abbatis fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipse super omnibus, que sibi per eundem episcopum vel quemcumque alium objecta fuerint, nostrum subire judicium sit paratus, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos autem nolentes quod idem abbas contra justitiam opprimatur nec etiam excessus ipsius, si quos forte commisit, transeant impuniti, sed tam sibi quam dicto episcopo reddere intendentes quod eorum exegerint merita in hac parte, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus abbatem predictum ab eodem facientes carcere liberari ipsumque ad nostram presentiam sub fida custodia destinantes, prefatum episcopum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi compareat personaliter coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie pariturus ac alias facturus et recepturus super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid feceritis in premissis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, intimare fideliter studeatis. Quod si non omnes, etc. Dat. Laterani, III nonas decembris, anno primo. »

78 Au Latran, 16 novembre 1303.

Licentia percipiendi fructus et redditus beneficiorum suorum per quinque annos Corrado, clerico regis Romanorum, concessa. (n° 78, fol. 20 v°.)

« *Dilecto filio Corrado, preposito ecclesie Werdensis, Coloniensis diocesis, clerico carissimi in Christo filii nostri, A[lberti], regis Romanorum illustris.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. de Gronawe, Treverensis, et .. Uterine Vallis, Spirensis diocesium, monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Warmatiensis.

79 Au Latran, 27 novembre 1303.

Archiepiscopo Lundensi licentia conceditur conferendi tribus personis officium tabellionatus. (n° 79 A, fol. 21.)

« *Venerabili fratri Isarno, archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Ex parte tua fuit — Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

Au Latran, 20 décembre 1303.

Confertur magistro Huguitioni de Vercellis canonicatus cum præbenda in ecclesia Leodiensi. (n° 79 B, fol. 21.)

« *Dilecto filio magistro Huguitioni de Vercellis, subdiacono et capellano nostro, litterarum nostrarum contradictarum auditori, canonico Leodiensi.* Dum conditiones et — Dat. Laterani, XIII kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Parmensi, et .. archidiacono Narbonensis ac .. decano sancti Pauli Leodiensis ecclesiarum.

81 Au Latran, 18 décembre 1303.

Certis executoribus mandat ut jura Johannis, tituti ss. Marcellini et Petri presbyteri cardinalis nec non ecclesiæ Baiocensis decani, sollicite tueantur et fructus redditusque beneficiorum, quæ in Baiocensi, Ambianensi atque Parisiensi obtinet ecclesiis, eidem cardinali faciant inviolabiliter ministrari. (n° 79 C, fol. 21 v°.)

« *Dilectis filiis .. Corbeyensis et .. sancti Richarii in Pontivo ac .. sancti Stephani de Cadomo monasteriorum abbatibus, Ambianensis et Baiocensis diocesium.* Cum nepharios perversorum conatus, qui personas ecclesiasticas super bonis suis temere non verentur offendere, reprimi deceat remediis oportunis, venerabiles fratres nostros sancte Romane Ecclesie cardinales tanto magis ab hujusmodi convenit conatibus et molestiis preservari, quanto amplius conatus ipsi in Apostolice Sedis contemptum redundare noscuntur.

Nos itaque volentes ut dilectus filius noster J[ohannes], tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, decanus ecclesie Baiocensis, super decanatu suo Baiocensi et prebendis, quas in eadem Baiocensi, Ambianensi et Parisiensi ecclesiis, quarum existit canonicus, obtinet, nec non et eorum fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, jurisdictionibus et juribus aliquatenus molestetur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, eidem cardinali vel procuratori seu procuratoribus suis oportuni favoris presidio assistentes, ipsos super eisdem decanatu et prebendis ac fructibus, redditibus, obventionibus, jurisdictionibus et juribus universis, vel eorum aut alicujus ipsorum pretextu, non permittatis ab aliquibus clericis vel laicis molestari, exhibituri predicto cardinali vel procuratori seu procuratoribus suis, cum ab ipsis vel eorum aliquo fueritis requisiti, de quibuslibet eidem cardinali super decanatu,

prebendis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, jurisdictionibus et juribus supradictis et rebus aliis injuriantibus, cujuscumque dignitatis etiam si pontificalis vel cujuscumque ordinis, conditionis seu status existant, per viam judicii justitie complementum, molestatores hujusmodi et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo;

Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi, interdici vel excommunicari vel ultra certum locum ad judicium trahi non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de mandato hujusmodi et eorum personis seu propriis nominibus, locis vel ordinibus mentionem; seu qualibet indulgentia dicte Sedis, per quam vestre jurisdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet vel differri; et constitutionibus tam felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod, cum actor et reus ejusdem civitatis et diocesis fuerint, reus extra suam civitatem et diocesim, si vero fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium non trahatur, quam de duabus dietis in Concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam extra suam diocesim aliquis auctoritate presentium ad judicium non trahatur.

Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a dat. presentium plena sit vobis in premissis omnibus et eorum singulis potestas et jurisdictio attributa, quodque in eo vigore illaque firmitate possitis auctoritate nostra in predictis omnibus et pro predictis procedere, ac si vestra jurisdictio in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Dat. Laterani, xv kalendas januarii, anno primo.»

82 Au Latran, 3 novembre 1303.

Supplicante Landulfo, tituli s. Angeli diacono cardinali, reservantur Berardo Sui Sari, ejus nepoti, in ecclesia Neapolitana canonicatus et beneficium, quod in eadem ecclesia *diaconatus* vulgariter nuncupatur. (n° 79D, fol. 22.)

« *Dilecto filio Berardo Sui Sari, canonico Neapolitano.* Probitatis tue laudabilia — Dat. Laterani, III nonas novembris, anno primo. »

In e. m. magistris Berardo de Boiano, archidiacono Troiano, et Matheo Filimarino Capuane ac Johanni Carazulo dicto Carafe, Neapolitane ecclesiarum canonicis.

83 Au Latran, 1er décembre 1303.

Priori et conventui heremi s. Crucis Fontis Avellanæ, ordinis s. Benedicti, Eugubinæ diocesis, concedit facultatem faciendi deferre et pertrahi ex provinciis Sedi Apostolicæ subjectis res pro victu et vestitu suo ac familiæ suæ necessarias, absque contradictione aliqua et cujusvis solutione pedagii. (n° 79E, fol. 22 v°; POTTH., n° 25308.)

«.. *Priori et conventui heremi sancte Crucis Fontis Avellane, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis.* Ordo vester divinitus institutus inter ceteras sacras religiones Deo et Apostolice Sedi devotas claret devotione conspicua, viros beate vite producens cultores catholice Fidei, qui sibi per vite meritum et aliis proficiunt per exemplum. Quapropter nos ordinem ipsum ejusque personas sinceris affectibus prosequentes, eorum libenter promovemus comoda et oportunitatibus subvenimus.

Sane petitio vestra nuper nobis exhibita continebat, quod vestra heremus adeo est in loco sterili et arrido constituta, quod parum aut nichil ibidem pro substentatione vestra de rebus victualibus habere potestis, nisi de locis aliis ad heremum predictam spectantibus, et maxime in Anconitane Marchie, Romandiole, Tuscie ac ducatus Spoletani provinciis seu partibus constitutis, ad eandem heremum hujusmodi victualia deferantur. Cum autem nonnulla communia civitatum, castrorum et aliorum locorum provinciarum ac partium earumdem non attendentia, quod ecclesie et ecclesiastice persone ac bona et res ipsarum a secularium personarum coactionibus et exactionibus sunt immunes, pretextu statutorum et ordinationum, que pro tempore faciunt de rebus et victualibus extra easdem civitates et castra et eorum districtus et territoria non extrahendis, frequentius vos impediant et perturbent quominus victualia vestra de locis et terris ipsorum extrahi et ad prefatam asportari heremum facere valeatis, ac nichilominus pro rebus et victualibus, que aliquando ad dictam heremum inde pro sustentatione vestra deferri facitis, ad solvendum pedagia vos compellant, provideri vobis super hoc per Apostolice Sedis providentiam humiliter implorastis.

Nos igitur vobis super hujusmodi vestris oportunitatibus pio compatientes affectu et volentes indigentie vestre favorabiliter subvenire, vobis ut, non obstantibus quibuslibet statutis, que in aliquibus dictarum provinciarum partibus *prostime* vulgariter nuncupari dicuntur, factis et faciendis et quibuscumque consuetudinibus ipsarum provinciarum et partium seu quorumcumque civitatum castrorum et locorum constitutorum in eis, de hujusmodi locis, ad vos et heremum predictam spectantibus, res ad

vos et ipsam heremum pertinentes ex eis pro victu et vestitu vestro et familie vestre necessarias, absque contradictione aliqua et cujusvis solutione pedagii, deferre ac deferri facere sine fraude tamen et dolo libere valeatis, concedimus auctoritate presentium liberam de speciali gratia potestatem. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, kalendis decembris, anno primo. »

In e. m. .. sancti Laurentii in Campo et .. sancti Angeli de Claserna ac .. sancti Miliani, Fanensis et Eugubine diocesium, monasteriorum abbatibus.

84 Au Latran, 7 décembre 1303.

Episcopo Tullensi curam committit dispensandi cum duabus personis civitatis ejusdem, quarto affinitatis gradu conjunctis, super matrimonio quod absque dispensatione debita contraxerunt. (n° 80, fol. 23.)

« .. *Episcopo Tullensi.* Exhibita nobis super — Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

85 Au Latran, 19 novembre 1303.

Capitulo Cathalaunensis ecclesiæ indulget ut fructus, proventus ac redditus primi anni omnium beneficiorum, quæ in eisdem civitate et diocesi usque ad unum annum vacaverint, libere percipiat in consummationem operis dictæ ecclesiæ Cathalaunensis totaliter convertendos. (n° 81, fol. 23.)

«.. *Decano et capitulo ecclesie Cathalaunensis.* Circa curam quarumlibet ecclesiarum juxta pastoralis officii debitum sollicite vigilantes, in necessitatibus earum eis libenter assistimus, in illis maxime que pietatem sapere comprobentur.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod vos ecclesiam Cathalaunensem vetustate consumptam rehedificare incepistis opere quam plurimum sumptuoso, sed ad illius operis consumationem proprie vobis non suppetunt facultates. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc vobis de alicujus subventionis remedio curaremus.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, percipiendi libere fructus, redditus et proventus primi anni personatuum, dignitatum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, que in civitate ac diocesi Cathalaunensi usque ad unum annum vacare contigerit, in opus hujusmodi convertendos, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam per vos aut per alium aut alios, quibus hoc duxeritis committendum, appellatione postposita compescendi ;

Non obstantibus aliquibus contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice sive quacumque firmitate alia roboratis ; aut si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam de indulto hujusmodi non fecerint mentionem; sive qualibet alia indulgentia dicte Sedis, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, plenam et liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem.

Nolumus autem aliquibus in predictis civitate et diocesi beneficia ex provisione apostolica expectantibus vacatura, per concessionem hujusmodi, quantum ad assecutionem eorum, aliquod prejudicium generari, proviso quod interim personatus, dignitates et beneficia predicta debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, quibus ipsa iminet nullatenus negligatur. Dat. Laterani, XIII kalendas decembris, anno primo. »

86 Au Latran, 9 décembre 1303.

Priori fratrum Prædicatorum Januensi plenam facultatem concedit absolvendi viginti duas personas, de quibus expedire viderit, ab excommunicationum sententiis, quas incurrerunt arma, ferrum aut merces ad partes Sarracenorum contra prohibitiones Sedis Apostolicæ deferendo. (n° 82, fol. 23.)

« *Fratri Henrico, priori fratrum Predicatorum Januensi.* Quoniam circa ea que salutem respiciunt animarum te libenter exerces, nos de tua circumspectione plenam in Deo fiduciam obtinentes, absolvendi auctoritate nostra juxta formam Ecclesie viginti duas personas, de quibus tibi videbitur, ab excommunicationum sententiis, quas incurrerunt accedendo in Alexandriam vel alias terras Sarracenorum soldano subditas, ipsisque Sarracenis arma, ferrum aut merces quascumque deferendo seu etiam transmittendo, cum super hoc ab eis cum humilitate fueris requisitus, et mitigandi circa personas easdem penas constitutionum super hoc per Sedem Apostolicam editarum, imposita ipsis juxta tue discretionis arbitrium, prout animarum ipsarum saluti noveris expedire, pro modo culpe penitentia salutari, recipiendi quoque nostro et Ecclesie Romane nomine penas pecuniarias ab eisdem, ad quas propterea tenentur juxta tenorem dictarum constitutionum, vel prout eas duxeris mitigandas, et que

hujusmodi occasione receperis, de aliquorum discretorum fratrum tui conventus consilio, in pios usus et licitos convertendi, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, v idus decembris, anno primo. »

87 Au Latran, 18 novembre 1303.

Episcopo Albanensi facultatem concedit scholastriam, canonicatum et præbendam, quæ per promotionem Sybotonis ad episcopatum Spirensem in eadem ecclesia mox vacabunt, personæ seu personis idoneis conferendi. (nº 83, fol. 23 vº.)

« *Leonardo, episcopo Albanensi.* Cum felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, pridem Spirensi ecclesie tunc vacanti de dilecto filio Sybotone, electo Spirensi, canonico et scolastico ipsius Spirensis ecclesie, duxerit providendum ac per hoc scolastria, canonicatus et prebenda, quos idem electus in predicta Spirensi ecclesia obtinet, per ipsius consecrationem in proximo vacare credantur, nos cupientes de scolastria, canonicatu et prebenda predictis persone seu personis ydoneis, per quam seu quas ipsi ecclesie honor et comodum provenire valeant, provideri, ipsosque propterea hac vice donationi apostolice reservantes ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari, fraternitati tue de qua in hiis et in aliis fiduciam gerimus in Domino specialem, conferendi auctoritate nostra per te vel alium seu alios scolastriam, canonicatum et prebendam predictos cum eorum juribus et pertinentiis, cum vacaverint sive per consecrationem hujusmodi sive alio quovis modo illos vacare contigerit, alicui seu aliquibus personis ydoneis, de quo seu quibus expedire videris, ac inducendi personam seu personas predictas in eorum corporalem possessionem et defendendi inductas, et faciendi personam seu personas easdem in dicta ecclesia ad prebendam eandem recipi in canonicum et in fratrem et ad scolastriam predictam, ut est moris, admitti, eisque de ipsorum canonicatus et prebende ac scolastrie fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi;

Non obstantibus si persone eedem alias beneficiate existant; aut quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ejusdem ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis ; seu si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus, dignitatibus officiis, canonicatibus et prebendis in ipsa ecclesia specialiter, vel in illis partibus generaliter, dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem vel reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, etiam si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus persona seu persone prefate in assecutione canonicatus, prebende et scolastrie hujusmodi preferantur, sed nullum eis quo ad assecutionem aliorum personatuum, dignitatum, officiorum, canonicatuum, prebendarum et beneficiorum prejudicium generetur; seu si episcopo, qui est pro tempore, et dilectis filiis capitulo Spirensibus vel quibuscumque aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod de personatibus, dignitatibus, officiis, canonicatibus, prebendis vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, electionem vel aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus , cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia indulgentia dicte Sedis generali vel speciali, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam earum effectus impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum sit in nostris litteris facienda mentio specialis, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, xiiii kalendas decembris, anno primo. »

88 Au Latran, 5 décembre 1303.

Johanni de Cipro laico quædam pensio de bonis monasteriorum s. Pauli de Urbe et Criptæ Ferratæ, diocesis Tusculanæ, ministretur annuatim. (nº 84, fol. 23 vº.)

« *Dilectis filiis .. basilice ad Sancta Sanctorum et .. Sanctorum Quatuor Coronatorum prioribus ac Gregorio de Genezano, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe.* Cum dilectus filius magister Johannes de Cipro laicus diu Apostolice Sedi servivérit fideliter et devote, nos ipsum propterea paterna benivolentia prosequentes eique volentes ad suam inopiam relevandam de alicujus subventionis remedio subvenire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios de bonis Cripte-Ferrate, ordinis sancti Basilii, Tusculane diocesis, in octo bublis frumenti in kalendis augusti, et de bonis sancti Pauli de Urbe, ordinis sancti Benedicti, monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, in sex caballatis vini in kalendis octobris, per ab-

bates et conventus dictorum monasteriorum faciatis eidem laico, annis singulis, quoad vixerit provideri;

Non obstantibus si pro similibus provisionibus aliquibus faciendis de bonis dictorum monasteriorum scripta apostolica sint directa, quibus per hoc nullum prejudicium generetur; seu si abbatibus et conventibus dictorum monasteriorum vel quibusvis aliis sit indultum, quod ad providendum cuiquam in hujusmodi pensionibus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum debeat in presentibus fieri mentio specialis. Contradictores, etc. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

89 Au Latran, 6 décembre 1303.

Laurentio de Circulis beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi Perusina reservatur. (n° 85, fol. 23 v°.)

« *Laurentio, nato dilecti filii nobilis viri Bindi de Circulis, plebano plebis de Bildena, Aretine diocesis.* Tua et tuorum sincera — Dat. Laterani, VIII idus decembris, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Petri Perusini et .. archipresbytero ecclesie de Colle ac Francisco Nercoli, plebano plebis sancti Quintini, Perusine et Wlterane diocesium.

90 Au Latran, 10 décembre 1303.

Absolvatur Petrus dictus Vulpes de Venetiis laicus ab excommunicationis sententia, qua ligatus est pro eo quod indebite communicavit cum Sarracenis. (n° 86, fol. 24.)

« *Fratri Augustino de Tragurio, ordinis fratrum Predicatorum, capellano nostro.* Quieti et saluti — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

91 Au Latran, 13 décembre 1303.

Vetat ne cives Urbevetani repræsalias contra homines de Bulseno exerceant. (n° 87, fol. 24; THEINER, *Codex diplom. dominii temporalis S. Sedis* t. I, n° DLXXV [1].)

« *Venerabili fratri .. episcopo Urbevetano.* Ex conquestione dilectorum filiorum universitatis hominum de Bulseno, Ecclesie Romane fidelium, Urbevetane diocesis, nuper accepimus quod capitanei Patrimonii sancti Petri in Tuscia, qui fuerunt pro tempore, de proventibus terrarum que dicuntur *royalia,* in eodem Patrimonio consistentium, certam pro Romana Ecclesia consueverunt recipere portionem. Cumque dilectus filius Amatus Johannis, tunc vicarius nobilis viri Benedicti Gaytani, rectoris Patrimonii supradicti, in estate proxima preterita quasdam bladi quantitates pro hujusmodi portione de proventibus aliquarum de dictis terris *royalibus* appellatis, consistentibus infra dictum Patrimonium videlicet in districtibus Campi Vetri et Cerreti, per homines de Bulseno et alios de eodem Patrimonio, quibus idem vicarius id expresse mandavit, auferri fecisset, .. potestas, .. capitaneus, septem consules et comune civitatis Urbevetane ad instantiam quorumdam civium Urbevetanorum, asserentium se jus habere in terris predictis de quarum proventibus exigebatur portio memorata, contra dictos homines de Bulseno ipsis civibus represalias concesserunt : quarum pretextu dicti cives personas et bona hominum de Bulseno predictorum hostiliter more predonum frequenter invadunt graviaque ipsis hominibus inferunt detrimenta, ac pridie quantitatem non modicam pecudum dictorum hominum de Bulseno cives ipsi abduci fecerunt in predam, taliumque represaliarum occasione terre dictorum hominum de Bulseno inculte remanent ob timorem civium predictorum.

Cum autem ex parte dictorum universitatis ad nos in hac parte habitus sit recursus, nos volentes prout etiam nec debemus, quod ipsi homines occasione talium represaliarum, que ipsis civibus, si premissa diligentius attendantur, in contemptum Sedis Apostolice sunt concesse, vel similium aliquatenus molestentur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eosdem potestatem, capitaneum, consules, consilium et comune ex parte nostra moneas et inducas ac nichilominus potestati, capitaneo, consulibus sub excommunicationis, consilio vero et communi prefatis sub interdicti penis districte precipias, ut ipsi predictas et quascumque alias similes represalias, si que forent contra dictos homines quibuscumque concesse, prout de facto processerunt, penitus revocantes, pecudes ipsas dictis hominibus sine cujusli-

1. Cette bulle n'a pas été relevée par M. Potthast, et pourtant l'ouvrage du P. Theiner figure à l'*Index librorum adhibitorum* des *Regesta.*

bet difficultatis obstaculo faciant cum integritate restitui vel de illis satisfieri, si forsitan non extarent, nec permittant dictos cives vel alios, quibus concesse essent, talibus represaliis unquam uti vel occasione hujusmodi dictis hominibus aliquas injurias vel molestias irrogari. Que autem super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

92 Au Latran, 4 décembre 1303.

Cambium, in abbatem monasterii s. Salvatoris Reatini per viam scrutinii canonice electum, eidem monasterio auctoritate apostolica præficit. (nº 88, fol. 24 vº.)

« *Cambio, abbati monasterii sancti Salvatoris majoris Reatini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Licet ex debito pastoralis officii de universis orbis ecclesiis et monasteriis cogitemus, ad illa tamen attentioris dirigimus considerationis intuitum, que ad Romanam Ecclesiam dinoscuntur nullo medio pertinere, cum presertim illa conspicimus vacationis exposita detrimentis.

Vacante siquidem nuper monasterio sancti Salvatoris majoris Reatini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Petri, abbatis ipsius, dilecti filii conventus ejusdem monasterii vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad hoc prefixa, convenientes in unum pro futuri facienda substitutione abbatis ac deliberantes ad id per viam fore scrutinii procedendum, tres de seipsis fidedignos videlicet Petrum de Laculis, Laurentium de Prato Johannis, ac Jacobum de Reate, monachos dicti monasterii, scrutatores votorum suorum et aliorum monachorum dicti monasterii ibi presentium assumpserunt. Cumque dicti scrutatores primo sua et deinde singulorum aliorum predictorum vota secreto et sigillatim diligentius inquisissent et demum ea in scriptis redacta publicassent, ilico in comuni compertum est quod, Illo faciente qui concordiam diligit, omnes predicti, qui pro hujusmodi celebranda electione convenerant, tam scrutatores quam alii in te tunc abbatem monasterii sancti Eutitii de Valle Casturia, dicti ordinis, Spoletane diocesis, direxerant unanimiter vota sua; sicque dictus Laurentius suo, collegarum suorum et aliorum predictorum nomine, de ipsorum collegarum voluntate et mandato expresso, ex potestate sibi et dictis collegis per eosdem conventum super hoc tradita, te elegit in abbatem monasterii prelibati ac electionem hujusmodi, conventu predictis presentibus et eam acceptantibus, solenniter publicavit. Tuque postmodum ad ipsorum conventus instantiam eidem electioni, obtenta prius a venerabili fratri nostro .. episcopo Spoletano super hoc licentia, consensisti; ac tam tu qui ad Sedem propter hoc personaliter accessisti, quam predicti Petrus de Laculis et Laurentius de Prato Johannis, procuratores dictorum conventus, per eos ad eandem Sedem transmissi pro hujusmodi electionis negotio prosequendo, ejusdem electionis decretum felicis recordationis B[onifatio] pape VIII, predecessori nostro, servatis in hiis omnibus statutis a jure temporibus, presentantes, eidem predecessori humiliter supplicastis ut confirmare electionem hujusmodi dignaretur.

Verum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, nos licet immeriti ad officium summi Apostolatus assumpti, tam electionem predictam quam tue persone merita per venerabilem fratrem L[eonardum], episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Robertum, tituli sancte Pudentiane presbyterum, et Guillelmum, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter; et quia tandem illam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam, de episcopi Albanensis, cardinalium predictorum et aliorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica confirmamus, preficiendo te ipsi monasterio in abbatem curamque et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod, cum sis vir morum gravitate preclarus, litterarum scientia preditus, institutis regularibus eruditus, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, dictum monasterium sancti Salvatoris sub tuo felici regimine salubriter et prospere dirigetur.

Quocirca mandamus, quatinus onus regiminis dicti monasterii sancti Salvatoris suscipiens reverenter, in eo salubriter exercendo sic te exhibeas studiosum, quod per tue diligentie studium monasterium ipsum sancti Salvatoris preservetur a noxiis et ad salubria dirigatur, tuque provide premium retributionis eterne ac nostram et ejusdem Sedis gratiam uberius consequi merearis. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii s. Salvatoris majoris Reatini.

In e. m. universis vassallis monasterii s. Salvatoris.

93 Au Latran, 16 novembre 1303.

Conrado de Lorche, regis Romanorum clerico, canonicatus cum præbenda confertur in ecclesia Maguntina. (nº 89, fol. 25.)

« *Conrado de Lorche, canonico Maguntino, clerico carissimi in Christo filii nostri A[lberti], regis Romanorum illustris.* Sedis Apostolice circumspecta — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Treverensi et .. de Uterina Valle et .. de Grunawe monasteriorum abbatibus, Spirensis et Treverensis diocesium.

94 Au Latran, 16 novembre 1303.

Obtentu et consideratione regis Romanorum, indulget Bertoldo, filio comitis de Cazenelinbogen, ut plures ecclesias, quamvis sit clericus in minoribus ordinibus constitutus, retinere valeat, constitutione Concilii Lugdunensis non obstante. — Gratia similis pro Gerardo, ejusdem comitis filio. (nº 90, fol. 25 vº.)

« *Dilecto filio Bertoldo, nato nobilis viri Eberardi, comitis de Cazenelinbogen.* Licet Apostolica Sedes — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. pro Gerardo, nato ejusdem Eberardi comitis.

95 Au Latran, 16 novembre 1303.

Rege Romanorum supplicante, papa Benedictus archiepiscopo Maguntino mandat, ut cum Bertoldo, filio Eberardi comitis de Cazenelinbogen, et Aleyda, nata Johannis comitis de Syene, Maguntinæ diocesis, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, super matrimonio illicite contracto dispensetur. — Eadem dispensatio pro aliis diocesis Coloniensis. (nº 91, fol. 25 vº.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Maguntino.* Licet conjunctio copule — Dat. ut supra. »

In e. m. .. archiepiscopo Coloniensi « pro dilecto filio nobili viro Egilberto, nato dilecti filii nobilis viri Eberardi comitis de Marchia, et dilecta in Christo filia Metilda de Arberg, sue diocesis. »

96 Au Latran, 24 décembre 1303.

Episcopus Sutrinus statuitur vicarius in Urbe. (nº 92, fol. 25 vº.)

« *Venerabili fratri J[acobo], episcopo Sutrino.* Ecclesiarum omnium universalis cura et populi Christiani regimen ad vigilantiam nos inducunt. Romana tamen Urbs inclita, quam caput orbis divina clementia stabilivit et ubi Petri Sedem celestis dispositio statuit et firmavit, ac ejusdem Urbis noster peculiaris clerus et populus suis dignis prerogativis sollicitant mentem nostram de ipsorum statu prospero et salubri attentius et diligentius cogitare, ut spiritualiter et temporaliter de bono in melius recipiant incrementum.

Igitur de tua vita laudabili, fide probata, scientia et circumspectione confisi, te in Urbe prefata auctoritate apostolica vicarium nostrum statuimus, tibi in spiritualibus casibus visitandi, corrigendi, reformandi tam ecclesias et clerum quam populum Urbis ejusdem, prout visitationis et correctionis et reformationis officio illos noveris indigere, ac ecclesias et cimiteria reconciliandi, consecrandi altaria nec non benedicendi et chrismandi ac etiam conferendi ordines personis ydoneis de ipsa Urbe, quas tibi contigerit canonice presentari, audiendi quoque confessiones et imponendi salutarem penitentiam pro commissis et alia exercendi, que ad hujusmodi vicarie spectant officium, committentes plenariam potestatem.

Tu itaque, sicut filius benedictionis et gratie, hujusmodi officium humiliter et devote recipias et illud secundum prudentiam, quam tibi Dominus ministrabit, studeas exercere, ita quod a Deo exinde premium, nostram et Apostolice Sedis gratiam et ab hominibus bonam famam merito consequaris. Dat. Laterani, VIIII kalendas januarii, anno primo. »

97 Au Latran, 5 décembre 1303.

Cum quibusdam civitatis Januæ, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, super matrimonio absque apostolica licentia contracto dispensat. (nº 93, fol. 25 vº.)

« *Dilecto filio Antonino Petri dicti de Mamavacca et dilecte in Christo filie Perrine de Vivaldo, uxori ejus, civibus Januensibus.* Licet matrimonii contractum — Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

98 Au Latran, 9 décembre 1303.

Fratribus ordinis Prædicatorum Januensibus facultatem concedit recipiendi, usque ad summam mille librarum Turonensium parvorum, quæ de usuris et aliis illicite acquisitis proveniunt, si illi, quibus horum restitutio fieri debeat, omnino sciri aut inveniri non possint. (nº 94, fol. 26.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum Predicatorum Januensibus.* Ut circa ea que Dei sunt intendere valeatis, nos volentes vobis de illa subventionis gratia subvenire, quam vestris fore conspicimus necessitatibus oportunam, quod de usuris et aliis illicite acquisitis,

dummodo hii, quibus horum restitutio fieri debeat, omnino sciri non possint, usque ad summam mille librarum Turonensium parvorum recipere valeatis in necessitates vestras totaliter convertendas, si alias pro similium receptione gratiam a nobis non fueritis consecuti, vobis auctoritate presentium indulgemus, ita quod hii, qui predicta vobis contulerint, ad restitutionem eorum, que per eos taliter collata fuerint, cuiquam faciendam minime teneantur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, v idus decembris, anno primo. »

99 Au Latran, 5 décembre 1303.

Indulgentia centum dierum eis concessa, qui ecclesiam s. Petri de Coronata, Januensis diocesis, in ipsius sancti festivitatibus devote visitaverint. (n° 95, fol. 26.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is, de cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo majora tribuat quam valeant promereri, volentes tamen Deo populum acceptabilem reddere, Christi fideles ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis silicet et remissionibus, invitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores.

Cupientes itaque ut ecclesia sancti Petri de Coronata, Cisterciensis ordinis, Januensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in festivitatibus ipsius sancti causa devotionis accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, centum dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

100 Au Latran, 24 novembre 1303.

Indulgentia quadraginta dierum fidelibus concessa, qui ecclesiam s. Pauli de Moraleia de Gomez Gomez, Abulensis diocesis, in certis festivitatibus annuatim visitaverint. (*Ibid.*)

« In e. m. universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Licet, etc., usque : cupientes igitur ut ecclesia sancti Pauli de Moraleia de Gomez Gomez, Abulensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ipsam ecclesiam in singulis sancte Marie Virginis et beatorum Petri et Pauli apostolorum, sancti Laurentii et sancte Katerine martirum festivitatibus et per octo dies, festivitates Assumptionis et Nativitatis ejusdem Virginis ac Natalia Apostolorum et sancti Laurentii predictorum immediate sequentes, devote visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et eorumdem Apostolorum auctoritate confisi, quadraginta dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, VIII kalendas decembris, anno primo. »

101 Au Latran, 27 novembre 1303.

Dispensat cum duabus personis Januæ civitatis, quarto affinitatis gradu conjunctis, ut in matrimonio licite remanere possint ipsumque consummare. (n° 96, fol. 26.)

« *Nobili viro Andriolo Ricii et dilecte in Christo filie nobili mulieri Alaxine quondam Grimaldi, ejus uxori, civibus Januensibus.* Sedis Apostolice benignitas — Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

102 Au Latran, 19 décembre 1303.

Fratrem Martinum, ordinis Humiliatorum, quem nuper Lucas, s. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis, monasteriis de Marola et de Campagnola, ordinis s. Augustini, Reginensis diocesis, auctoritate apostolica præfecit in abbatem, confirmat. — Eidem abbati mandat, ut se ad sacerdotium statutis temporibus faciat promoveri ac munus consecrationis recipiat. (n° 97, fol. 26.)

« *Fratri Martino, abbati de Marola et de Campagnola monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, que invicem canonice sunt unita, ordinis sancti Augustini, Reginensis diocesis.* Licet ea, que de mandato nostro fiunt, plenam obtineant firmitatem, nos tamen illis aliquando apostolice confirmationis robur adicimus, ut magis illibata persistant cum nostro fuerint presidio communita.

Siquidem fratre Gerardo Guidutii, tunc abbate de Marola [1] et Campagnola monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, que invicem canonice sunt unita, ordinis sancti Augustini, Reginensis diocesis, certis ex causis auctoritate Apostolice Sedis amoto, licet ex parte ipsius ad Sedem fuerit propter hoc appellatum predictam ac dilectus filius frater Johannes de Maio electus fuerit in abbatem dictorum monasteriorum, Gerardus tamen appellationem et Johannes predicti electionem hujusmodi prosequi non curarunt XII annis

1. Ms : « Morala. »

et amplius jam elapsis. Sed nuper tam ex parte ipsorum quam conventus dictorum monasteriorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis monasteriis, ne longioris vacationis deplorarent incomoda, dignaremur.

Nos autem dilecto filio nostro Luce, sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, commisimus oraculo vive vocis ut de persona ydonea dictis monasteriis provideret. Idem vero cardinalis ad provisionem dictorum monasteriorum diligenter intendens, post deliberationem super hoc habitam, ad te professum ordinem fratrum Humiliatorum, ob tuorum exigentiam meritorum, direxit oculos sue mentis ac de persona tua dictis monasteriis auctoritate nostra providit, preficiendo te ipsis monasteriis in abbatem, prout in patentibus litteris inde confectis, dicti cardinalis sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali in hac parte provide actum est ratum et gratum habentes, id ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus, tenorem dictarum litterarum presentibus inseri faciendo, qui talis est :

Rome, 20 novembre 1303.

« Lucas, miseratione divina sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, religioso viro fratri Martino, abbati de Marola et Campagnola monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, que invicem canonice sunt unita, ordinis sancti Augustini, Reginensis diocesis, salutem in Domino. Sedes Apostolica de universis orbis ecclesiis et monasteriis cogitans, ad ea propensioris meditationis intuitum dirigit, que viduitatis exposita conspicit detrimentis.

» Dudum siquidem fratre Gerardo Guidutii, tunc abbate de Marola et de Campagnola monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, que invicem canonice sunt unita, ordinis sancti Augustini, Reginensis diocesis, ab ipsorum regimine certis ex causis auctoritate Apostolice Sedis amoto, licet ex parte ipsius ad Sedem fuerit propter hoc appellatum predictam ac dilectus filius frater Johannes de Maio electus fuerit in abbatem dictorum monasteriorum, Gerardus tamen appellationem et Johannes predicti electionem hujusmodi prosequi non curarunt xii annis et amplius jam elapsis. Cumque nuper tam ex parte ipsorum quam conventus dictorum monasteriorum fuisset sanctissimo patri et domino nostro domino B[enedicto] pape XI humiliter supplicatum, ut providere ipsis monasteriis, ne longioris vacationis deplorarent incomoda, dignaretur, prefatus dominus commisit nobis oraculo vive vocis, ut de persona ydonea provideremus monasteriis antedictis.

» Nos vero ad provisionem dictorum monasteriorum diligentius intendentes, post deliberationem super hoc habitam, ad te professum ordinem fratrum Humiliatorum, de cujus meritis tam per personas dictorum monasteriorum, que in eorum abbatem te habere desiderant, prout oblata nobis eorum supplicatio patefecit, quam alias laudabilia nobis perhibentur, direximus oculos nostre mentis : quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, auctoritate dicti domini nostri nobis in hac parte commissa, de persona tua dictis monasteriis providemus preficiendo te ipsis monasteriis in abbatem, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem monasteria per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam salubriter et prospere dirigentur. Tu itaque impositum tibi onus suscipiens reverenter, sic dictorum monasteriorum regimen fideliter et sollicite prosequaris, quod eadem monasteria sub tuo felici regimine votivis amplientur comodis et successibus prosperis gratulentur.

» In cujus rei testimonium, presentes litteras per infrascriptum nostrum notarium scribi mandavimus et publicari nostrique pendentis sigilli munimine roborari. Dat. et actum Rome apud Sanctam Mariam Majorem, in capella palatii habitationis nostre, coram discretis viris dominis Octone, electo Vigintimiliensi, Thoma Bisantia, canonico Tripolitano, Thedisio Malocelli, canonico Cameracensi, Jacobo Stertio, archipresbytero plebis sancti Quirici, Parmensis diocesis, et Guillelmo de Cornazano, preposito sancti Antonini Placentini, capellanis nostris, ac pluribus aliis testibus ad hec vocatis et rogatis, anno Nativitatis Domini M°CCCIII°, indictione prima, die xx mensis novembris, pontificatus sanctissimi patris domini nostri Benedicti pape XI anno primo. ✠ Ego Lambertus Stephani de sancto Miniate, imperiali auctoritate et dicti domini cardinalis notarius publicus, predictis interfui et ea omnia de mandato dicti domini cardinalis scripsi meoque consueto signo et nomine publicavi. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, xiii kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. conventui de Marola et de Campagnola monasteriorum.

In e. m. universis vassallis de Marola et de Campagnola monasteriorum.

In e. m. fratri Martino. « Pridem monasteriis — Dat. Laterani, xiii kalendas januarii, anno primo. »

103 Au Latran, 17 décembre 1303.

Cuidam clerico archiepiscopi Lundensis indulget, ut non obstante natalium defectu beneficium ecclesiasticum possit in Lundensi diocesi obtinere et cum canonicatu, quem in eadem ecclesia adeptus est, licite retinere. (nº 98, fol. 27.)

« *Dilecto filio Trivioni Trivionis, canonico Lundensi.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, XVI kalendas januarii, anno primo. »

104 Au Latran, 27 novembre 1303.

Archiepiscopo Lundensi curam committit exigendi et recipiendi nomine Ecclesiæ quasdam pecuniæ summas, quas nonnulli regni Datiæ crucesignati, votum suum implere nequeuntes, pro redemptione ipsius voti in suis ultimis voluntatibus legaverunt vel solvere cupiunt in subsidium Terræ Sanctæ. (nº 99, fol. 27.)

« *Venerabili fratri Isarno, archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Habet oblate nobis tue petitionis assertio, quod nonnulli tue Lundensis provincie et aliarum partium regni Datie incole in Terre Sancte subsidium transfretare voventes pro suorum remedio peccatorum, votis hujusmodi non redditis decedentes, quasdam pecuniarum summas, pro hujusmodi redemptione votorum, in suis ultimis voluntatibus legaverunt, quas prelati et religiose persone regni et provincie predictorum sibi accepisse noscuntur, et quamplures alii voventes hujusmodi superstites, dictum votum implere nequeuntes, illud sicut asseris redimere cupiunt et exposcunt.

Nos igitur, tue in hac parte diligentie studium commendantes et intendentes sollicite ad promotionem negotii dicte Terre, gerentes quoque de tue probitatis et fidei meritis fiduciam in Deo specialem et sperantes quod ea, que tue discretioni committimus, sollicitis studiis exequaris, fraternitati tue colligendi, petendi, exigendi et recipiendi per te vel alium seu alios, nomine Romane Ecclesie ac Terre Sancte predicte, hac vice, universa hactenus in regno ac provincia memoratis legata, dimissa seu relicta Terre Sancte prefate, in quibuscumque rebus consistant, nec non et compellendi auctoritate nostra omnes prelatos et religiosas personas ac alios, cujuscumque sint dignitatis, ordinis, conditionis aut status, penes quos hujusmodi legata, dimissa seu relicta dicuntur haberi, super quibus auctoritate predicta te inquirere volumus diligenter, ut ea tibi cum integritate exhibeant et assignent, ac dispensandi cum predictis voventibus superstitibus super hujusmodi votis, et recipiendi compensationem dictorum votorum ab eis in dicte Terre subsidium convertendam, ac faciendi etiam eis cautionem et refutationem, nomine Ecclesie predicte, de quantitatibus pecuniarum aut rebus aliis quibuscumque quas receperis ab eisdem, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem;

Non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Sedis ipsius, que de indulto hujusmodi et tota ejus continentia, de verbo ad verbum, ac de propriis eorum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem; sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis vel litteris, quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus, de verbo ad verbum, in eisdem litteris specialis, certa, determinata, plena et expressa mentio sit habenda, et per quas effectus presentium quomodolibet impediri valeat vel differri.

Volumus autem quod totam pecuniam et res alias, quas de hujusmodi legatis, dimissis seu relictis et aliis supradictis recipere te continget, nobis et eidem Ecclesie per fidelem nuncium cum tuis patentibus litteris, continentibus pecuniarum summas et res predictas, mittere non omittas, in predicte Terre subsidium auctore Domino convertendas. Dat. Laterani, V kalendas decembris, anno primo. »

105 Au Latran, 2 décembre 1303.

Universis fidelibus Senensis, Florentinæ et Aretinæ diocesium, qui hospitali s. Gregorii Senensis manum porrexerint adjutricem, indulgentiam quadraginta dierum elargitur. (nº 100, fol. 27.)

« *Universis Christi fidelibus per Senensem, Florentinam et Aretinam civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, etc., usque : et metet vitam eternam.

Cum itaque dilecte in Christo filie .. magistra et sorores hospitalis sancti Gregorii Senensis, sicut ipse nobis insinuare curarunt, pro educandis pauperibus et infirmis mulieribus, quarum ad hospitale predictum confluit non modica multitudo, ac pro manutenendis alias operibus pietatis quibus insistunt continuo gravia subeant onera expensarum, ad que ipsis proprie non suppetunt facultates, universitatem vestram rogamus et hortamur in Deo in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus de bonis vobis a Deo collatis pias eis ad hec elemosinas et grata subsidia erogetis, ut per subventionem vestram earum inopie consulatur vosque per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire.

Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, etc., usque : confessis, qui eis ad hec manum porrexerint adjutricem XL dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post triennium minime valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas si secus actum fuerit carere viribus decernentes. Dat. Laterani, IIII nonas decembris, anno I°. »

106 Au Latran, 24 décembre 1303.

Conceditur archiepiscopo Cassellensi licentia contrahendi mutuum usque ad summam trecentarum marcharum argenti et propterea se, successores suos, ecclesiam suam atque sua et eorum bona creditoribus obligandi. — Alia concessio similis pro eadem quantitate. (n° 101, fol. 27 v°.)

« *Venerabili fratri Mauricio, archiepiscopo Cassellensi.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie tue Cassellensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam trecentarum marcharum argenti mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi licentiam largiremur.

Nos itaque de tua, tam in hiis quam in aliis circa tua et ipsius ecclesie negotia utiliter promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes et nolentes quod propter ipsarum expensarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam nomine tuo et ipsius ecclesie, ac te ipsum et successores tuos et ecclesiam Cassellensem predictam ac tua et eorumdem bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutionibus tam felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod, cum actor et reus diocesium fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium nullatenus evocetur, quam de duabus dietis in Concilio generali et quibuslibet aliis predecessoribus nostris super hoc editis, et benefitio restitutionis in integrum, omnibus litteris, indulgentiis apostolicis impetratis vel etiam impetrandis, ac omni juris canonici et civilis auxilio et consuetudini locorum et judicum, si eorumdem creditorum nomine super hiis contingeret litteras apostolicas impetrari, nec non omnibus aliis exceptionibus per quas contra creditores eosdem tu et successores tui possetis imposterum vos tueri, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem.

Volumus insuper et concedimus juxta quod postulasti a nobis, quod tu et successores predicti creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam de bonis dicte ecclesie solvere ac dampna, expensas et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc de consensu partium fuerit prestitutus, eadem pecunia non extiterit persoluta, quodque ipsis creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscumque privilegii vel indulgentie Sedis Apostolice, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oportet fieri mentionem, et per que tu et successores prefati valeretis ulterius vos tueri, ipsam pecuniam in jamdicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui hoc fatentis confessio, in instrumentis conficiendis super mutuo hujusmodi quantitatis inserta, sufficiens, plena et efficax probatio irrefragabiliter habeatur.

Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum, nostre intentionis existit et volumus quod tu et dicti successores aut eadem ecclesia Cassellensis seu tua vel ipsorum bona per has nostras litteras, per cujuspiam fraudis seu calliditatis astutiam, sub quovis pallio seu colore verborum, ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones et recognitiones seu promissiones per eas vel earum auctorite seu occasione factas quo ad obligationem usurarum hujusmodi decernentes irritas et inanes et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quo ad premissa omnia, que usurariam pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis nec usurarum pretextu malitiose aliquatenus impugnandis. Dat. Laterani, VIIII kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. pro eodem pro tanta quantitate. »

107 Au Latran, 12 novembre 1303.

Roderico Didaci conferuntur canonicatus, præbenda et archidiaconatus cum præstimoniis vacantes in ecclesia Salamantina per promotionem Gondisalvi ad episcopatum Zamorrensem. (n° 102, fol. 27 v°.)

« *Dilecto filio Roderico Didaci, canonico et archidiacono Salamantino.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, II idus novembris, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Abulensi et .. decano ecclesie Abulensis ac Fernando Velasci, canonico Salamantino.

108 Au Latran, 29 décembre 1303.

Rectori Marchiæ Anconitanæ mandat ut inter partes Esculanæ civitatis pacem reconciliet, cives qui dudum exsulant ab urbe prædicta in eandem revocet, civitatem denique ipsam et ejus districtum ad meliorem tranquilliorem que statum reducat. (nº 103, fol. 28; THEINER, *Codex dipl. dom. temp.*, t. I, nº DLXXVI [1].)

« *Nobili viro Reimbaldo de Trevisio comiti, Marchie Anconitane rectori.* Dum statum civitatis — Dat. Laterani, IIII kalendas januarii, anno primo. »

109 Au Latran, 8 décembre 1303.

Eundem monet et hortatur, ut ad reformationem status civitatis Camerinensis similiter operam exhibeat efficacem. (nº 104, fol. 28; POTTH., nº 25314.)

« *Nobili viro R[eimbaldo] de Tervisio* [2] *comiti, Marchie Anconitane rectori.* Ad statum civitatis Camerinensis, diris hactenus turbationibus lacessite, paterne considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus per que scandalis quibuscumque summotis illius incole ad statum tranquillum et prosperum reducantur. Olim namque sicut accepimus, inimico homine superseminante zizaniam, adeo gravia invaluerunt discrimina in eadem, quod eorum occasione venerabilem fratrem nostrum Rambotum, Camerinensem episcopum, et nonnullos clericos civitatis et diocesis Camerinensis per aliquos de civitate prefata capi contigit ausu nephario et aliquandiu sub custodia detineri, ac tam ipsis quam pluribus aliis de civitate et diocesi predictis sunt ablata bona quamplurima mobilia et immobilia graviaque ipsis dampna, gravamina et injurie irrogata. Nonnulli preterea tam de clero quam de nobilibus et populo ejusdem civitatis et diocesis adhuc occasione predicta ab eadem exulant civitate.

Cum autem hec plurimum sint contraria votis nostris, qui singulorum pacem presertim Ecclesie Romane fidelium affectamus, nosque remedium cupiamus in hiis apponere oportunum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad reformationem status civitatis ejusdem opem et operam exhibens efficacem, illos, quos ab eadem civitate occasione hujusmodi taliter inveneris exulantes, in civitatem eandem reducere non postponas, faciendo episcopo et clericis antedictis bona predicta taliter ab eis ablata restitui ac de dampnis, gravaminibus et injuriis illatis eisdem satisfactionem debitam exhiberi, procedendo in hiis summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, nec non contradictores quoslibet et rebelles, si qui fuerint, per temporales penas prout expediens fuerit compescendo; et demum de ipsius regimine civitatis attente provideas, quod persone comuni et ydonee et non suspecte alicui partium committatur, que ipsam juxta laudabilia ejus antiqua statuta regat salubriter et gubernet, et in statu conservet ad honorem dicte Ecclesie prospero et tranquillo.

Sic in hiis et aliis, que ad statum salubrem dicte civitatis pertinere videris, tuam impendas sollicitudinem studiosam, quod exinde tue devotionis promptionem digne possimus in Domino commendare, non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit Sede indultum, quod in prima et secunda causa coram rectore ipsius Marchie vel ejus officialibus in causam trahi nequeant vel ad judicium evocari per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, VI idus decembris, anno primo. »

1. Voy. col. 88, note 1 : même observation ici.
2. La pièce précédente porte « Trevisio. »

110 Au Latran, 27 décembre 1303.

Archiepiscopo Lundensi facultatem concedit dispensandi cum nonnullis provinciæ suæ clericis super irregularitate, inhabilitate et macula, quas incurrerunt pro eo quod, majorum excommunicationum sententiis astricti, divina nihilominus officia celebrarunt etiam in locis interdictis, sacros ordines receperunt, vel plura beneficia insimul absque licentia Sedis Apostolicæ retinuerunt, percipiendo fructus et redditus ex eisdem. (nº 105, fol. 28 vº.)

« *Venerabili fratri Isarno, archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli clerici tue Lundensis provincie sententiis majorum excommunicationum astricti, absolutionis beneficio non obtento, per simplicitatem et juris ignorantiam divina celebrarunt officia etiam in locis ecclesiastico suppositis interdicto, et se immiscuerunt eisdem ac receperunt ordines sic ligati; quidam vero plura beneficia ecclesiastica curam animarum habentia insimul, absque dispensatione apostolica, retinent seu retinuerunt hactenus, percipiendo fructus et redditus ex eisdem : de quorum omnium tu salute sollicitus nobis humiliter supplicasti, ut providere eis super premissis de salutari remedio dignaremur.

Nos autem gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue dispensandi cum illis ex eisdem clericis, qui sic ligati vel in locis interdictis dicta officia celebrarunt vel immiscuerunt se illis aut ordines taliter susceperunt, super irregularitate inde con-

tracta, quodque in eisdem ministrare possint ordinibus, ipsis excommunicatis prius juxta formam Ecclesie beneficio absolutionis impenso; cum obtinentibus vero hujusmodi beneficia, quod unum eorum, de quo magis tibi videbitur, aliis dimissis retinere licite valeant, eisque ac aliis qui hujusmodi beneficia tenuerunt donandi predictos fructus et redditus ex eis minus juste perceptos, abolendi quoque inhabilitatem, irregularitatem, maculam sive notam horum occasione contractam, cum super hoc ab eis cum humilitate fueris requisitus, imposita ipsis omnibus pro modo culpe penitentia salutari, ac illis, qui taliter ordines susceperint, ad tempus juxta tue discretionis arbitrium ab eorumdem ordinum executione suspensis, prout animarum suarum saluti noveris expedire, concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

111 Au Latran, 27 novembre 1303.

Eidem archiepiscopo curam committit dispensandi super infamia et inhabilitate, quas nonnulli provinciæ suæ clerici contraxerunt, personatus, dignitates, ecclesias et alia beneficia, quorum collatio ad Sedem Apostolicam spectabat, temere occupando. Concedit insuper dicto archiepiscopo ut, amotis exinde quibuscumque detentoribus illicitis, possit eadem beneficia, ecclesias, dignitates ac personatus sive eisdem clericis, sive personis aliis apostolica auctoritate conferre. (nº 106, fol. 28 vº.)

« *Eidem.* Tue fraternitatis merita promerentur ut te illa gratia favorabiliter prosequamur, per quam te reddere valeas aliis gratiosum.

Intimasti siquidem nobis quod nonnulli clerici personatus, dignitates, ecclesias et beneficia ecclesiastica in provincia tua Lundensi de facto retinent, percipiendo fructus et redditus ex eisdem, que de jure vacare tantoque tempore jam vacasse noscuntur, quod eorum collatio est ad Sedem Apostolicam secundum Lateranensis statuta Concilii legitime devoluta, quorum aliqui, licet ex hoc contraxerint inhabilitatem, infamiam, maculam sive notam, alias tamen pluribus juvari dicuntur meritis probitatis.

Nos autem gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, amovendi dictos clericos a dignitatibus, personatibus, ecclesiis et beneficiis supradictis, eis primitus prout justum fuerit evocatis, ac dispensandi cum illis ex eisdem clericis, quibus ad id reppereris propria merita suffragari, super inhabilitate, infamia, macula et nota predictis, eisque donandi fructus et redditus prelibatos, ac nichilominus ipsis eisdem vel aliis personis ydoneis de quibus expedire videris eadem personatus, dignitates, ecclesias et beneficia singulis videlicet singula conferendi, ac inducendi eos quibus illa contuleris in eorum corporalem possessionem et inductos etiam defendendi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante si super provisionibus aliquibus faciendis de personatibus, dignitatibus, ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis in illis partibus scripta apostolica sint directa, quibus per hoc nolumus prejudicium generari; seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod ad provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, et quod de personatibus, dignitatibus, ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, presentationem vel aliam dispositionem communiter vel divisim spectantibus cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia indulgentia dicte Sedis, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda sit mentio specialis, fraternitati tue plenam concedimus auctoritate presentium facultatem, proviso quod clerici et persone, quibus de hujusmodi beneficiis, personatibus et dignitatibus duxeris providendum, in ipsis residentiam debitam faciant et se ad ordines, quos eorumdem beneficiorum, personatuum et dignitatum cura requiret, statutis temporibus promoveri. Dat. ut supra. »

112 Au Latran, 4 novembre 1303.

Michaelem, quondam episcopum Zagabriensem, ad archiepiscopatum Strigoniensem transfert eumque dictæ ecclesiæ præficit in archiepiscopum. (nº 107, fol. 28 vº ; Potth., nº 25288.)

« *Venerabili fratri Michaeli, episcopo quondam Zagabriensi in archiepiscopum Strigoniensem electo.* Inter cetera sollicitudinum — Dat. Laterani, II nonas novembris, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Strigoniensis. (Potth., nº 25289.)

In e. m. clero civitatis et diocesis Strigoniensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Strigoniensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Strigoniensis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Strigoniensis.

In e. m. Carolo, regi Ungarie illustri. (Potth., nº 25290.)

113 Au Latran, 9 décembre 1303.

Augustinum, electum Zagabriensem, præficit ecclesiæ Zagabriensi in episcopum et pastorem. (n° 108, fol. 29; Potth., n° 25317.)

« *Dilecto filio Augustino, electo Zagabriensi.* Inter sollicitudines alias — Dat. Laterani, v idus decembris, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Zagabriensis [1]. (Potth., n° 25318.)

In e. m. clero et populo civitatis et diocesis Zagabriensis [1].

In e. m. populo civitatis et diocesis Zagabriensis [1].

In e. m. universis vassallis ecclesie Zagabriensis [1].

In e. m. Carolo, regi Ungarie illustri. (Potth., n° 25319.)

114 Au Latran, 30 décembre 1303.

Archiepiscopo Colocensi nuntiat se Augustino, Zagabriensi episcopo, consecrationis munus propriis manibus impendisse, cumque rogat ut personam ejusdem affectu benivolo et opportuno favore prosequatur. (*Ibid.*, fol. 29 v°; Potth., n° 25331.)

« In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Colocensi. Inter sollicitudines — Dat. Laterani, III kalendas januarii, anno primo [2]. »

115 Au Latran, 5 décembre 1303.

Episcopo, præposito et capitulo Anagninis indulget, ut per generales litteras Sedis Apostolicæ vel legatorum ejusdem ad receptionem alicujus vel aliquorum in canonicos seu provisionem in beneficiis ecclesiasticis minime teneantur. (n° 109, fol. 29 v°; Potth., n° 25309.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. preposito et capitulo Anagninis.* Dignum esse et — Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

116 Au Latran, 26 novembre 1303.

Guillelmo de Monte Lauro, archidiacono Tornacensi, indulget ut se ad ordines majores promoveri faciat. (n° 110 A, fol. 29 v°.)

« *Guillelmo de Monte Lauro, archidiacono Tornacensi.* Merita tue probitatis et devotionis exposcunt, ut in hiis que postulas nos tibi sentias favorabiles invenisse.

1. Ms : « Zagrabiensis » au lieu de *Zagabriensis*, qui se trouve dans la rubrique et la pièce précédente.

2. Cet *In e. m.* a été ajouté après coup en marge de la pièce précédente.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, presentium auctoritate concedimus ut, licet dudum a felicis recordationis Gregorio papa X°, predecessore nostro, fueris in subdiaconum ordinatus, possis a quocumque malueris antistite, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, rite statutis temporibus ad superiores ordines te facere promoveri. Dat. Laterani, VI kalendas decembris, anno primo. »

117 Au Latran, 20 novembre 1303.

Dispensetur cum Bernardino de Polenta, clerico Ravennati, super defectu natalium, ut ad omnes ordines promoveri beneficiumque ecclesiasticum adipisci valeat. (n° 110 B, fol. 29 v°.)

« *Dilecto filio R[ainaldo], electo Ravennati.* Accedens ad presentiam nostram — Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

118 Au Latran, 2 janvier 1304.

Quandam Bonifatii VIII dispositionem confirmat, ex qua Rogerio, olim abbati monasterii s. Michaelis de Pasignano, Fæsulanæ diocesis, nuper autem ad administrationem monasterii Vallis Umbrosæ translato, committebatur cura prædicti cœnobii s. Michaelis usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum retinenda. (n° 111, fol. 30.)

« *Rogerio, abbati monasterii Vallis Umbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis.* Monasterium sancti Michaelis de Pasignano, ordinis Vallis Umbrose, Fesulane diocesis, paternis affectibus prosequentes, circa statum ipsius aciem sollicite considerationis extendimus ad ea solertius intendendo, per que favente Domino a noxiis preservatum prosperis semper fulciatur eventibus et votivis successibus gratuletur.

Dudum siquidem felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us, predecessor noster, de te tunc abbate ipsius monasterii monasterio Vallis Umbrose tunc vacanti providit, ac demum nolens monasterium ipsum de Pasignano, quod sub tua gubernatione in spiritualibus et temporalibus multiplicia susceperat incrementa, specialis gubernationis carere subsidio, curam et administrationem ipsius tam in spiritualibus quam in temporalibus nec non ecclesiarum sive membrorum regularium, quocumque nomine censerentur, subjectorum eidem tibi commisit usque ad sue beneplacitum voluntatis.

Cum itaque dictum ipsius predecessoris beneplacitum per ejus obitum expiravit, nos attendentes laudabilia testimonia, que nobis de te a venerabili fratri nostro

N[icolao], episcopo Ostiensi, multipliciter perhibentur, ac propterea confidentes quod monasterium ipsum de Pasignano per tuum ministerium studiosum preservabitur a noxiis et ad salubria, favente tibi divina gratia, dirigetur, curam et administrationem ipsius ac ecclesiarum sive membrorum regularium, quocumque nomine censeantur, ei subjectorum tam in spiritualibus quam [in] temporalibus tibi auctoritate committimus, per te laudabiliter exercendas usque ad nostre beneplacitum voluntatis, statuendi, ordinandi et faciendi quecumque ad bonum statum dicti monasterii de Pasignano noveris pertinere, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam tibi concedentes auctoritate presentium facultatem.

Sic igitur de prefati monasterii de Pasignano statu prospero et quieto, prout fuisti hactenus dum sibi singulariter preeras, sollicitus et attentus existas, quod proinde monasterium ipsum quasi continuata soliti patris gubernatione letetur, ac tu a Domino premium et a nobis digne commendationis titulum merearis. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Michaelis de Pasignano.

In e. m. universis vassallis monasterii sancti Michaelis de Pasignano.

119 Au Latran, 20 novembre 1303.

Licentia dispensandi cum Gregorio Hondedei, clerico Aretinæ diocesis, ut possit in minoribus ordinibus ministrare et ecclesiasticum beneficium sine cura tamen obtinere, eo non obstante quod olim in defensione cujusdam castri, ubi moram trahebat, unum ex oppugnantibus occiderit. (nº 112 A, fol. 30.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aretino.* Relata nobis ex parte dilecti filii Gregorii Hondedei, subdiaconi tue diocesis, petitio continebat quod, cum dudum aliqui ad expugnandum quoddam castrum in quo moram trahebat hostiliter accessissent, ipse de mandato domini dicti castri, una cum aliis castrum inhabitantibus antedictum, pro ipsius castri defensione cum balista quam habebat tela jactavit contra hujusmodi oppugnantes, et licet in tali conflictu plures fuerint hinc inde percussi, quia tamen unus ex eisdem oppugnantibus fuit postmodum inventus occisus, idem subdiaconus dubitans ne prefatus occisus ex ipsius vulnere fuerit interemptus, nobis humiliter supplicavit ut secum super hoc misericorditer agere dignaremur.

Ne igitur idem subdiaconus mendicare cogatur in obprobrium ordinis clericalis, nos ejus supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus cum eodem subdiacono, dummodo ad hec sibi propria merita suffragentur, imposita sibi pro modo culpe penitentia salutari, ut hoc non obstante in minoribus possit ministrare ordinibus ac obtinere beneficium ecclesiasticum, cui cura non imineat animarum, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

120 Au Latran, 6 décembre 1303.

Priori generali fratrum Heremitarum ordinis s. Augustini indulget, ut cum quodam presbytero dicti ordinis possit super defectu natalium dispensare. (nº 112 B, fol. 30.)

« .. *Priori generali fratrum Heremitarum ordinis sancti Augustini, in Romana curia commoranti.* Regularis ordinis professoribus nonnunquam aliqua religionis favore specialiter conceduntur, que solent interdum aliis interdici.

Cum igitur ex parte tua nobis fuerit humiliter supplicatum, ut cum dilecto filio fratre Nicolao de sancto Martino, presbytero Argentinensis diocesis, ordinis sancti Augustini, super defectu natalium quem patitur de soluto genitus et soluta dispensare misericorditer curaremus, nos attendentes quod ad religionem conversi, si fuerint in suis monasteriis laudabiliter conversati, juris permissione licenter possunt ad ordines promoveri, discretioni tue, de qua plenam in Deo fiduciam obtinemus, presentium auctoritate committimus ut cum ipso, ejus ad hoc suffragantibus meritis, super quo tuam intendimus concienciam onerare, quod hujusmodi non obstante defectu ad omnes regulares administrationes dicti ordinis citra prioratum provincialem assumi valeat, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Dat. Laterani, VIII idus decembris, anno primo. »

121 Au Latran, 17 novembre 1303.

Vacante ecclesia Cassellensi per decessum Stephani, quondam ejusdem ecclesiæ archiepiscopi, Mauricius diaconus, Cassellensis electus, dictæ ecclesiæ præficitur in pastorem. (nº 113, fol. 30; Potth., nº 25297.)

« *Dilecto filio Mauricio, electo Cassellensi.* Militanti ecclesie disponente — Dat. Laterani, XV kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. decano et capitulo ecclesie Cassellensis.

In e. m. clero et populo civitatis et diocesis Cassellensis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Cassellensis.

In e. m. .. regi Anglie illustri.

122 Au Latran, 30 novembre 1303.

Bartholomæo, priori sæcularis ecclesiæ s. Mariæ de Corneto, Viterbiensis diocesis, reserventur in ecclesia Capuana unum vel duo beneficia ecclesiastica, quorum redditus valorem annuum duodecim unciarum auri non excedant. (nº 114, fol. 30 vº.)

« *Dilectis filiis Guillelmo, electo Salernitano, ac .. decano Capuane et .. sacriste Narbonensis ecclesiarum.* Probitatis merita — Dat. Laterani, II kalendas decembris, anno primo. »

123 Au Latran, 21 novembre 1303.

Regi Siciliæ indulget ut duodecim clerici, obsequiis ejus insistentes, fructus, redditus ac proventus beneficiorum suorum integraliter usque ad decennium percipiant, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis. (nº 115, fol. 30 vº.)

« *Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri.* Eximie devotionis sinceritas — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Neapolitano et .. Noviomensi ac .. Sistaricensi episcopis.

124 Au Latran, 29 décembre 1303.

Ut possit frater Vulfrannus, electus Bethleemitanus, recipere munus consecrationis. (nº 116, fol. 31.)

« *Fratri Vulfranno, electo Bethleemitano.* Cum nuper venerabilis — Dat. Laterani, IIII kalendas januarii, anno primo. »

125 Au Latran, 18 novembre 1303.

Elenam, reginam Serviæ, et ejus regnum cum civitatibus, castris, terris, villis et bonis aliis sub b. Petri et sua protectione suscipit. (nº 117 A, fol. 31; POTTH., nº 25301.)

« *Carissime in Christo filie Elene, regine Servie illustri.* Quanto devotionis studio — Dat. Laterani, XIIII kalendas decembris, anno primo. »

126 Au Latran, 18 novembre 1303.

Archiepiscopo Antibarensi concedit facultatem instituendi et destituendi rectores in ecclesiis parochialibus de Bristonia, de Rudinico, de Rogosna, de Trepizo et de Grazaniza in regno Serviæ constitutis. (nº 117 B, fol. 31 vº; POTTH., nº 25299.)

« *Venerabili fratri Marino, archiepiscopo Antibarensi.* Regimini universalis Ecclesie — Dat. ut supra. »

127 Au Latran, 4 décembre 1303.

Indulgentia quadraginta dierum conceditur cunctis fidelibus, qui ad consummationem fabricæ ecclesiæ s. Dominici in Serzana ordinis fratrum Prædicatorum, Lunensis diocesis, manum porrexerint adjutricem. (nº 118, fol. 31 vº.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus — Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

128 Au Latran, 10 décembre 1303.

Quandam capellam nuper in civitate Uticensi sub b. Mariæ Virginis vocabulo erectam confirmat. (nº 119, fol. 31 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Uticensi.* Cum a nobis petitur, etc., usque : perducatur effectum.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod tu olim quandam capellam in honore beate Marie Virginis in civitate Uticensi in loco, qui dicitur *Cloquerium*, in quodam fundo ad te et capitulum tuum communiter pertinente, ipsis capitulo id scientibus nec contradicentibus, fecisti construi instituendo in ea quatuor sacerdotes, per quos et successores eorum deberetur in ea perpetuis temporibus deserviri, competentibus ipsis presbyteris pro eorum substentatione redditibus de tuis bonis propriis assignatis.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod a te in hac parte provide actum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

129 Au Latran, 29 novembre 1303.

Consideratione Lapi de Circulis, civis Florentini, reservatur Peponi ejus filio beneficium ecclesiasticum in Florentina aut Fæsulana diocesibus. (nº 120, fol, 31 vº.)

« *Peponi, nato dilecti filii nobilis viri Lapi de Circulis, clerico Florentino.* Sincere devotionis affectus — Dat. Laterani, III kalendas decembris, anno primo. »

130 Au Latran, 2 janvier 1304.

Priori fratrum Prædicatorum et guardiano Minorum Eugubinis mandat ut, si electionem de fratre Ventura Pauli in abbatem monasterii s. Mariæ de Alfiolo, ordinis s. Benedicti, Eugubinæ diocesis, canonice celebratam invenerint, illam auctoritate apostolica confirment : alioquin ipsa rite cassata, ad aliam electionem a monachis dicti monasterii procedi faciant. (nº 121, fol. 32.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Eugubinis.* De universis orbis ecclesiis et monasteriis juxta pastoralis officii debitum cogitantes, ad ea non immerito attentioris considerationis intuitum retorquemus, que ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, cum illa presertim vacationis exposita conspicimus detrimentis.

Vacante siquidem dudum monasterio sancte Marie de Alfiolo, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis, per obitum quondam Gerardi ejusdem monasterii abbatis, conventus dicti monasterii, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad hec prefixa, convenientes in unum pro futuri celebranda electione abbatis ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, dilecto filio Uliverio de Insula Romanesca, dicti monasterii monacho, providendi ea vice dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in eorum et dicti monasterii abbatem recipere de quo dictus compromissarius prefato monasterio provideret.

Idem vero compromissarius, hujusmodi potestate recepta, post deliberationem quam super hoc habuit diligentem, ad dilectum filium Venturam Pauli, dicti monasterii monachum, mentis oculum dirigens, ipsum Venturam ex vigore dicte potestatis in abbatem elegit monasterii prelibati, ac electionem hujusmodi coram ipsis conventu solenniter publicavit, idemque Ventura hujusmodi electioni de se facte consensit, ac tam ipse quam frater Bartholomeus Petri et frater Thomas Bencevenne, monachi dicti monasterii, procuratores eorumdem conventus ad Sedem Apostolicam accesserunt pro confirmationis electionis ejusdem munere obtinendo, in premissis omnibus statutis a jure temporibus observatis.

Presentato itaque nobis ejusdem electionis decreto, licet nos electionem eandem per venerabilem fratrem nostrum J[ohannem], episcopum Tusculanum, et dilectos filios nostros R[obertum], sancte Pudentiane presbyterum, et L[andulfum], sancti Angeli diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, volentes tamen in hac parte utilitati dicti monasterii cautius providere, gerentes quoque de circumspectione vestra, quod tam de meritis dicti Venture quam de circonstantiis aliis, que in hoc fuerint attendende, habere poteritis notitiam pleniorem, fiduciam in Domino specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si utilitati dicti monasterii videritis expedire, electionem ipsam auctoritate nostra confirmare curetis. Alioquin ea rite cassata, prefati conventus per electionem canonicam sibi provideant de abbate, vosque hujusmodi eorum electionem, si de persona ydonea canonice celebrata fuerit, confirmetis preficiendo personam eandem similiter in abbatem monasterio supradicto, ac nichilominus prefato Venture vel persone predicte, cujus per vos fuerit electio confirmata, faciatis ab ejus subditis obedientiam [et] reverentiam debitam exhiberi, contradictores, etc., sibique per aliquem episcopum illarum partium, gratiam et communionem Apostolice Sedis habentem, munus benedictionis impendi, qui quidem episcopus nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis ab eo recipiat juramentum juxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, idem episcopus per ipsius abbatis patentes litteras, ejus sigillo signatas, per proprium nuntium quam totius destinare procuret. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

131 Au Latran, 7 décembre 1303.

Regnaudo de Vallibus, capellano domini Gentilis tituli s. Martini in Montibus presbyteri cardinalis, canonicatus et præbenda conferuntur in ecclesia Autissiodorensi. (nº 122, fol. 32.)

« *Regnaudo de Vallibus, canonico Autissiodorensi.* Viros scientia preditos litterarum, morum honestate conspicuos et virtutum titulis insignitos, et precipue quos nostre gratie incrementum per continue devotionis studium promereri conspicimus, favoris condigni munere prevenimus, illos nonnunquam spiritualibus beneficiis attollendo.

Hinc est quod nos litterarum scientiam et alia tue probitatis merita, quibus insignitus haberis, nec non et devotionis affectum, quem erga nos et Romanam Ecclesiam habere conspiceris, benignius attendentes et volentes te propter hoc et consideratione dilecti filii nostri G[entilis], tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro te capellano suo nobis super hoc humiliter supplican-

tis, prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, canonicatum ecclesie Autissiodorensis cum plenitudine juris canonici et prebendam nulli alii de jure debitam, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus de illis, ac nichilominus dignitatem seu personatum cum cura vel sine cura, si qua vel si quis nulli alii de jure debita vel debitus, ad cujuscumque collationem vel provisionem aut aliam dispositionem communiter vel divisim spectans, in ecclesia ipsa vacat ad presens vel quamprimo vacaverit, ut ea dignitas sive is personatus tibi conferatur, quam vel quem infra unius mensis spatium per te vel per procuratorem tuum ad hoc specialiter constitutum, postquam tibi vel eidem procuratori de hujusmodi dignitatis vel personatus vacatione constiterit, duxeris acceptandum; et si nulla talis prebenda nunc vacat in ecclesia supradicta, nos prebendam primo inibi vacaturam, que similiter de jure nulli alii debeatur, conferendam [1] tibi cum vacaverit donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes illi vel illis, ad quem vel ad quos in predicta ecclesia dignitatum, personatuum collatio, provisio seu dispositio pertinet, ne ante hujusmodi acceptationem de illis disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari;

Non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; aut si aliqui apostolica auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis aut dignitatibus vel personatibus in eadem ecclesia specialiter, aut in illis partibus generaliter, litteras apostolicas impetrarunt, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis .. decano et capitulo Autissiodorensibus vel quibuslibet aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem, alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, aut quod de canonicatibus, prebendis, dignitatibus vel personatibus ipsius ecclesie vel aliis beneficiis eccleticis, ad eorum collationem vel provisionem seu quamlibet dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differi, et de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum, habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum juramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad eandem ecclesiam accesseris, corporaliter illud prestes; aut quod in Eduensi et sancte Marie de Belna, Eduensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere.

Volumus autem quod, postquam hujusmodi canonicatum, prebendam et dignitatem vel personatum in dicta Autissiodorensi ecclesia fueris pacifice assecutus, predictos canonicatum et prebendam ipsius ecclesie de Belna, quos extunc vacare decernimus, omnino dimittas. Nulli ergo, etc., nostre collationis, provisionis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis, etc. Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

In. e. m. .. episcopo Ortano et .. de Corbignyaco et .. de Oygniaco monasteriorum abbatibus, Eduensis diocesis.

1. Ms: « conferendos. »

132 Au Latran, 10 décembre 1303.

Valeat episcopus Salamantinus dispensare cum Johanne Fernando milite et Johanna Nunii suæ diocesis, ut ipsi non obstante quarto affinitatis gradu in matrimonio dudum contracto remanere possint. (no 123, fol. 32 vo.)

« .. *Episcopo Salamantino.* Intenta salutis operibus — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

133 Au Latran, 10 décembre 1303.

Dispensat cum Francisco, nato Manfredi comitis de Pupio, clerico Aretino, ut non obstante natalium defectu valeat ad omnes ordines promoveri beneficiumque obtinere. (nº 124, fol. 32 vº.)

« *Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Manfredi comitis de Pupio, clerico Aretine diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

134 Au Latran, 23 décembre 1303.

Regem Serviæ monet et hortatur ut ad unitatem fidei orthodoxæ properet. (no 125, fol. 33; POTTH., nº 25325.)

« *Magnifico principi O[rosio], regi Servie, ad unitatem matris Ecclesie sollicite properare.* Romana mater Ecclesia, salutem querens jugiter filiorum, dolet ab intimis

cum eorum quempiam conspicit a suo gremio deviare ipsosque studet ad viam reducere veritatis.

Gaudemus quidem in Domino quod, sicut fidedignorum relatione didicimus ac alias evidentibus apparere dicitur argumentis, licet tu hactenus ac barones et populus regni tui ab ipsius Ecclesie obedientia recedentes, via lucis dimissa, diu per semitas ambulaveritis tenebrarum, nunc tamen tu inspiratione divina ad iter aspiras redire salutis, ejusdem videlicet Ecclesie unitatem. Ex quo nos [1] pium tuum propositum tibi divinitus inspiratum in Domino commendantes ac referentes exinde laudes et gratias Creatori, sperantes quoque quod iidem barones et populus tuo exemplo laudabiliter relictis tenebris viam veritatis agnoscent, magnificentiam tuam rogamus et hortamur in domino Jhesu-Christo, quatinus inspirationem hujusmodi recognoscens ab Illo, qui omnes salvare cupit et neminem vult perire, ad unitatem properare studeas absque dampnose more dispendio fidei orthodoxe, per quam mortis eterne vitatur interitus et ad felicitatis perpetue gloriam pervenitur, spem plenam et fiduciam habiturus, quod, te in fidei constantia et ejusdem Ecclesie obedientia persistente, Apostolica Sedes te tanquam filium predilectum sincere dilectionis brachiis amplectetur eaque studiis efficacibus et promptis operibus prosequetur, que tui honoris et comodi conspicere viderit incrementum. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

135 Au Latran, 10 décembre 1303.

Dispensat cum Peregrino de Ratispona, monacho Cisterciensi, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordinis sui prælaturas admitti. (nº 126, fol. 33.)

« *Fratri Peregrino de Ratispona, monacho monasterii Walisassensis, Cisterciensis ordinis, Ratisponensis diocesis.* Testimonium tibi laudabile — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

136 Au Latran, 30 novembre 1303.

Precibus Ursi de filiis Ursi annuens, magistro Bernardo Bedocii de s. Genesio canonicatum ac præbendam confert in ecclesia Biterrensi. (nº 127, fol. 33.)

« *Magistro Bernardo Bedocii de sancto Genesio, canonico Biterrensi.* Honestatem morum — Dat. Laterani, II kalendas decembris, anno primo. »

1. Ms : « vos. »

In e. m. .. Mimatensi, .. Agathensi et .. Ortano episcopis.

137 Au Latran, 23 décembre 1303.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuor millium florenorum auri archiepiscopo Lundensi concessa. (nº 128, fol. 33 vº.)

« *Isarno, archiepiscopo Lundensi.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie Lundensis apud Sedem Apostolicam negotiis expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti ut usque ad summam quatuor milium florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi licentiam largiremur. Nos itaque de tua tam in hiis quam in aliis circa tua et ipsius ecclesie negotia, etc., ut supra capitulo CIº, mutatis mutandis, usque in finem. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

138 Au Latran, 26 novembre 1303.

Episcopo Silvanectensi mandat ut, facta prius inquisitione diligenti, si electionem Agnetis de Gloisiis in abbatissam monasterii Jotrensis, ordinis s. Benedicti, Meldensis diocesis, invenerit de persona idonea fuisse celebratam, eam auctoritate apostolica confirmet et admittat. (nº 129, fol. 33 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi.* Debitum officii nostri requirit ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias et monasteria solertiam adhibentes, ipsorum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut ad ipsorum regimina, ne longe vacationis dispendia patiantur, tales persone per nostre diligentie studium assumantur, per quas spiritualiter et temporaliter, auctore Domino, continuum suscipiant incrementum.

Vacante siquidem monasterio Jotrensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Meldensis diocesis, per obitum quondam Agnetis, abbatisse ipsius monasterii, dilecta in Christo filia Agnes de Gloisiis, monacha dicti monasterii, per viam scrutinii fuit electa in ipsius monasterii abbatissam ac hujusmodi electioni, que in eodem monasterio publicata extitit, infra tempus a jure statutum consensit.

Presentato itaque nobis infra tempus legitimum ejusdem electionis decreto, nos electionem predictam, quam examinari fecimus diligenter, reputantes canonice cele-

bratam ac attendentes quod rectis dispositionibus nil debet difficultatis afferri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi constiterit quod monasterium ipsum ad Romanam Ecclesiam nullo pertineat mediante, inquisita de ipsius electe meritis per te vel per alium seu alios diligentius veritate, si inveneris electionem ipsam de persona ydonea celebratam, illam auctoritate nostra confirmans, facias dicte Agneti electe obedientiam et reverentiam debitam exhiberi ac ei munus benedictionis impendas, recepturus ab ea postmodum nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solite juramentum juxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, contradictores, etc., non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi. Formam autem juramenti, quod ipsa prestabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes litteras, suo sigillo sigillatas, per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Dat. Laterani, VI kalendas decembris, anno primo. »

139 Au Latran, 12 décembre 1303.

Abbatissæ et conventui monasterii de Gordiano, ordinis s. Claræ, Valvensis diocesis, ruralem ecclesiam s. Donati sitam juxta monasterium antedictum in usus proprios deputat. (nº 130, fol. 33 vº; Potth., nº 25340 .)[1]

« .. *Abbatisse et conventui monasterii de Gordiano, ordinis sancte Clare, Valvensis diocesis.* Sacre religionis honestas — Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

In e. m. magistro Guidotto de Mediolano, archidiacono Pergamensi, capellano nostro, ac .. preposito et .. thesaurario [ecclesie] de Gordiano, canonico Valvensi.

140 Au Latran, 1er janvier 1304.

Obtentu nobilis viri Bosonis de Eugubio pro Guidone filio suo humiliter supplicantis, eidem Guidoni reservatur beneficium quoddam ecclesiasticum in Pisana civitate vel diocesi. (nº 131, fol. 34.)

« *Guidoni, nato dilecti filii nobilis viri Bosoni*[s] *de Eugubio militis, clerico Eugubino.* Tua et tuorum sincera — Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

In e. m... abbati monasterii sancti Petri de Perusio et .. priori sancti Martini in Cellibus, Perusine diocesis, ac magistro Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis, camere nostre clerico.

1. Potthast date cette pièce du 12 janvier 1304 (II id. januarii).

141 Au Latran, 27 décembre 1303.

Augustino episcopo Zagabriensi indulget, ut ad solutionem alicujus decimæ seu collectæ vel cujuslibet exactionis pecuniariæ minime teneatur. (nº 132, fol. 34; Potth., nº 25329.)

« *Venerabili fratri Augustino, episcopo Zagabriensi.* Personam tuam paterna — Dat. Laterani, VI kalendas januarii, anno primo. »

142 Au Latran, 30 décembre 1303.

Eidem concedit licentiam condendi testamentum. (nº 133, fol. 34; Potth., nº 25330.)

« *Eidem.* Quia presentis vite — Dat. Laterani, III kalendas januarii, anno primo. »

143 Au Latran, 12 décembre 1303.

Eadem facultas episcopo Reatino conceditur. (*Ibid.*, fol. 34 vº.)

« In e. m. venerabili fratri Johanni, episcopo Reatino. Quia presentis vite — Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

144 Au Latran, 23 décembre 1303.

Priorissam et sorores monasterii b. Mariæ de Altaripa juxta Jadram, ordinis s. Augustini, magistro Prædicatorum et priori provinciali Jadrensis provinciæ committit, statuens ut sub magisterio et doctrina eorumdem debeant de cætero permanere. (nº 134, fol. 34 vº.)

« *Dilectis filiis .. magistro ordinis Predicatorum et .. priori provinciali sub cujus regimine fratres ejusdem ordinis Predicatorum Jadrensis conventus consistunt ad presens seu consistent imposterum.* Apostolice Sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam ire sponso, tanto propensiori debet[1] studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur.

Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum .. priorisse et sororum monasterii beate Marie de Altaripa juxta Jadram, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura vestri ordinis Predicatorum viventium, fuit propositum coram nobis, eedem incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, vobis et eidem ordini vestro affectent committi, nos pium ipsarum propositum in Do-

1. Ms : « debent. »

mino commendantes, earum devotionis precibus inclinati, ipsas et monasterium predictum vobis et dicto ordini auctoritate apostolica duximus committendas, eadem auctoritate nichilominus statuentes ut sub magisterio et doctrina vestris et successorum vestrorum magistri et prioris provincialis, qui pro tempore fuerint, de cetero debeant permanere, illis gaudentes privilegiis que vestro ordini sunt concessa vel imposterum concedentur, vosque et successores predicti animarum suarum sollicitudinem gerentes et curam, atque eis de institutionibus ejusdem vestri ordinis illas que eis competunt exhibentes, eidem monasterio per vos vel alios fratres vestri ordinis, quos ad hoc ydoneos videritis, quotiens expedierit visitationis officium impendatis, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris que correctionis et reformationis officio noveritis indigere.

Electio tamen priorisse libere pertineat ad conventum, ac nichilominus instituatis et destituatis, mutetis et ordinetis prout secundum Deum videritis expedire, confessiones earum audiatis et ministretis eis ecclesiastica sacramenta. Ad hec liceat predictis priorisse et sororibus redditus et possessiones recipere ac eos libere retinere, non obstante contraria constitutione vel statuto ipsius vestri ordinis, confirmatione Sedis predicte vel quacumque firmitate alia roboratis.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus omnia premissa ad ministerium vestrum spectantia curetis diligenter et sollicite, juxta hujusmodi commissionis et constitutionis nostre tenorem, sublato cujuslibet difficultatis dispendio adimplere. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

145 Au Latran, 23 décembre 1303.

Priorissæ et sororibus supradictis scribit de eodem argumento. Eisdem insuper indulget ut ad præstationem decimarum vel quorumcumque subsidiorum minime teneantur, easque ab archiepiscopi Jadrensis jurisdictione ac potestate prorsus eximit. (nº 135, fol. 34 vº.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii sancte Marie de Altaripa juxta Jadram, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Predicatorum viventibus.* Apostolice Sedis benignitas, etc., usque : dinoscuntur.

Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos incluse corpore in castris claustralibus ipsius ordinis, mente tamen libera [devote Domino] [1] famulantes, .. magistro ordinis fratrum Predicatorum et .. priori provinciali ipsius ordinis, sub cujus regimine fratres dicti ordinis Jadrensis conventus consistunt ad presens seu consistent imposterum, atque eidem ordini per Apostolicam Sedem affectetis committi, nos pium vestrum propositum in Domino commendantes, devotionis vestre precibus inclinati, vos et monasterium vestrum auctoritate presentium magistro et priori ac ordini predictis committimus, eadem auctoritate nichilominus statuentes ut sub magisterio et doctrina magistri et prioris predictorum, qui pro tempore fuerint, debeatis de cetero permanere, illis gaudentes privilegiis que ipsi ordini Predicatorum sunt concessa vel imposterum concedentur, ipsique magister et prior animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, ac vobis de institutionibus ejusdem ordinis illas que vobis competunt exhibentes, monasterio vestro per se vel alios fratres ipsius ordinis, quos ad hoc ydoneos viderint, quotiens expedierit officium visitationis impendant, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris que correctionis et reformationis officio viderint indigere.

Electio tamen priorisse libere pertineat ad conventum, ac nichilominus instituant et destituant, mutent et ordinent prout secundum Deum viderint expedire, confessiones vestras audiant et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta. Ah hec liceat vobis redditus et possessiones recipere ac eas libere retinere, non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis ipsius ordinis, confirmatione Sedis predicte vel quacumque alia firmitate roboratis.

Vobis preterea ut ad prestandum subventionem quamcumque vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis aut decimis seu subsidiis aliquibus per litteras dicte Sedis aut legatorum ejus vel ordinariorum vel nuntiorum ipsorum seu rectorum terrarum vel regionum quascumque, impetratas vel etiam impetrandas, minime teneamini nec ad id cogi possitis, etiam si in hujusmodi Sedis ejusdem contineatur [1] litteris, quod ad quevis exempta vel non exempta loca et monasteria se extendant, et aliqua eis cujuscumque tenoris existat ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan littere ipse dicte Sedis de indulto hujusmodi et monasterio vestro plenam et expressam fecerint mentionem, auctoritate presentium indulgemus.

Ipsum quoque monasterium et sorores ejusdem cum omnibus juribus et pertinentiis suis a venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Jadrensis et cujuscumque alterius, jurisdictione ac potestate prorsus eximimus de gratia speciali, decernentes irritas et inanes interdicti, suspen-

1. Ces deux mots ont certainement été oubliés par le copiste. Cf. col. 118 et 141 et plus loin le nº 268.

1. Ms : « contineantur. »

sionis et excommunicationis sententias, si quas in vos vel aliquam vestrum aut dictum monasterium vestrum contra hujusmodi exemptionis nostre tenorem per quemcumque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo, etc., nostre commissionis, statuti, concessionis, exemptionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

146 Au Latran, 18 novembre 1303.

Archiepiscopo Antibarensi concedit facultatem recipiendi resignationem Stephani, Scutarensis episcopi. (Potth., n° 25298.) — Alia littera similis super resignatione fratris Gregorii, Suatinensis episcopi. (n° 136, fol. 35.)

« *Venerabili fratri Marino, archiepiscopo Antibarensi.* Cum sicut accepimus venerabilis frater noster Stephanus, episcopus Scutarensis, suffraganeus tuus, cupiat certis ex causis ecclesie sue regimen resignare, nos de circumspectione tua, qui de causis hujusmodi et aliis circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, specialem in Deo fiduciam obtinentes, fraternitati tue recipiendi resignationem hujusmodi a predicto episcopo, cum super hoc ab eo fueris requisitus, dummodo rationalis causa subsit tuque alias ipsius ecclesie utilitati, pensatis ejus conditionibus, noveris expedire, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, xiiii kalendas decembris, anno primo. »

« In e. m pro fratre Gregorio, episcopo Suatinensi. »

147 Au Latran, 27 novembre 1303.

Magistro Ranucino de Murro, archidiacono Vernecensi in ecclesia Burgensi, indulget ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam usque ad triennium visitari facere possit. (n° 137, fol. 35.)

« *Magistro Ranucino de Murro, archidiacono Vernecensi in ecclesia Burgensi.* Cum, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, tu archidiaconatum tuum Vernecensem, quem in ecclesia Burgensi obtines, non possis comode certis ex causis, prout ad te de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere asseris, visitare, nos volentes super hoc tam tibi quam monasteriis, prioratibus, ecclesiis, locis et personis ecclesiasticis dicti archidiaconatus de oportuno remedio providere, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut hujusmodi monasteria, prioratus, ecclesias, loca et personas ecclesiasticas dicti archidiaconatus per aliquam personam ad hoc ydoneam usque ad triennium visitare valeas, ac procurationes ratione visitationis debitas ab eisdem monasteriis, prioratibus, ecclesiis, locis et personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere ac exigere moderatas, ac si ea personaliter visitasses, constitutione qualibet super hoc in contrarium edita non obstante. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. Vallis Ponite in Burgensi et .. de Benavento in Ovetensi ecclesiis archidiaconis ac Rodorico Petri, canonico Burgensi.

148 Au Latran, 18 décembre 1303.

Dispensat cum Franciscbino de Ziliano, scholari Placentino, ut non obstante defectu natalium ad omnes ordines promoveri valeat beneficiumque ecclesiasticum obtinere. — Dispensatio similis pro Emanuele de Ziliano, clerico Placentino. (n° 138, fol. 35.)

« *Francischino de Ziliano, scolari Placentino.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, xv kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. pro Emanuele de Ziliano, clerico Placentino. »

149 Au Latran, 1er décembre 1303.

Alia dispensatio similis Nicolao Bombari, clerico Cenetensi, concessa. (n° 139 a, fol. 35.)

« *Nicolao Bombari, clerico Cenetensi.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, kalendis decembris, anno primo. »

150 Au Latran, 20 novembre 1303.

Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam s. Stephani Cathalaunensis in diebus infradictis. (n° 139 b, fol. 35.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is de cujus munere venit, etc., usque : aptiores.

Cupientes igitur ut ecclesia Cathalaunensis, que in honore sancti prothomartiris Stephani est constructa, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in ejusdem sancti Stephani ac sancti Vincentii, cujus ibi reliquie requiescunt, festivitatibus et per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia, etc., usque : confisi, centum

dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, XII kalendas decembris, anno primo. »

151 Au Latran, 4 décembre 1303.

Indulgentia unius anni pro visitantibus ecclesiam fratrum Prædicatorum de Serzana, Lunensis diocesis, in diebus infradictis. (nº 140, fol. 35.)

« *Eisdem.* Vite perennis gloria, etc., usque : collaudetur.

Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Deo in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad ecclesiam loci fratrum Predicatorum de Serzana, Lunensis diocesis, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitatis spiritu accedatis. Nos enim ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia, etc., usque : confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui cum debita reverentia et devotione ad ecclesiam predictam in singulis beate Virginis, sanctorum Dominici confessoris et Petri martiris ac beate Marie Magdalene festivitatibus accesserint annuatim, unum annum de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

152 Au Latran, 6 janvier 1304.

Dispensat cum Francisco Bonaventuræ et Johanna Processi Capotii de Capotinis, civibus Romanis, ut matrimonium invicem non obstante quarto consanguinitatis gradu contrahere valeant. (nº 141, fol. 35.)

« *Francisco, nato quondam Bonaventure, et dilecte in Christo filie Johanne, nate quondam Processi Capotii de Capotinis, civibus Romanis.* Etsi conjunctio copule conjugalis in quarto consanguinitatis gradu sit a sacris canonibus interdicta, provida tamen Apostolice Sedis circumspectio, nonnunquam horum rigorem mansuetudine temperans, super hiis provide quandoque dispensat et quod negat juris severitas de gratia pietatis indulget, presertim cum, conditione personarum, locorum et temporum diligenter inspecta, id necessario vel utiliter videtur expedire.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod vos, ut contracte jamdudum inter parentes, consanguineos et amicos vestros amicitie roborentur et caritatis unio perseveret, presertim cum hoc presentis temporis qualitas considerata sollicite suggerat procurandum, desideratis invicem matrimonialiter copulari ; sed quia quarto estis consanguinitatis gradu conjuncti, non potestis impedimento hujusmodi obsistente vestrum in hac parte desiderium adimplere. Quare nobis humiliter supplicastis ut vobis, quod insimul matrimonium contrahere valeatis, providere de dispensationis gratia paterna diligentia curaremus.

Nos itaque dilecti filii nostri Luce, sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, super hoc nobis Apostolice Sedis gratiam implorantis, et vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, ut matrimonium invicem impedimento non obstante predicto libere contrahere valeatis et in contracto licite remanere, auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, VIII januarii, anno primo. »

153 Au Latran, 2 janvier 1304.

Quibusdam executoribus mandat ut mille quingentos florenos auri, quos Octavianus Calliboconus, civis et mercator Romanus, olim episcopo Trajectensi qui tunc erat mutuavit, dicto mercatori infra certum terminum faciant integraliter exhiberi cum damnis legitimis : alioquin episcopum qui nunc est citent ad comparendum coram Sede Apostolica. (nº 142, fol. 35 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Atrebatensi et dilectis filiis Nicolao de Papazulis, preposito sancte Marie Rotonde Metensis, et Jacobo de Sabello, archidiacono Bruxellensi Cameracensis ecclesiarum.* Significavit nobis dilectus filius Octavianus Calliboconus, civis et mercator Romanus, quod ipse olim bone memorie Guillelmo, episcopo Trajectensi, tunc apud Sedem Apostolicam constituto, cui contrahendi mutuum usque ad summam quinque milium florenorum auri fuerat sub certis modis et formis ab eadem Sede concessa licentia, mille quingentos florenos aureos, pro quibusdam negotiis ecclesie Trajectensis apud Sedem expediendis eandem, mutuavit sub modis et formis predictis sibi certis loco et termino persolvendos, et licet post dictum terminum, eodem episcopo florenis non solutis predictis viam universe carnis ingresso, Guido, episcopus Trajectensis, successor ipsius, auctoritate litterarum felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, monitus fuerit diligenter ut de ipsis dicto mercatori alio certo termino satisfacere procuraret, et in eum suspensionis et excommunicationis ac dictam ecclesiam interdicti, si dictus episcopus monitioni hujusmodi non pareret, sententie fuerint promulgate, dictus tamen Guido episcopus et ecclesia supradicti sententias prelibatas incurrisse noscuntur, idemque mercator propterea dampna gravia et expensas se asserit incurrisse.

Cum autem dictus mercator ad nos in hac parte duxerit recurrendum, nos ei volentes de remedio succurrere oportuno, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eidem Guidoni episcopo ex parte nostra districtius injungatis, ut infra duorum mensium spatium tam de florenis quam dampnis et expensis eisdem dicto mercatori vel ejus procuratori pro eo satisfacere non postponat; alioquin eum extunc peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium predictos duos immediate sequentium compareat personaliter coram nobis, dicto mercatori super hiis de justitia responsurus, ac facturus et recepturus super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeritis faciendum nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

154 Au Latran, 2 janvier 1304.

Dispensat cum duabus personis Parmæ civitatis ut ad sedandas quasdam discordias, quæ in dicta urbe olim invaluerant, matrimonium contrahere possint non obstante quarto consanguinitatis gradu. (nº 143, fol. 35 vº.)

« *Nobili viro Opizoni de Inzola et dilecte in Christo filie Isabelle, nate dilecti filii nobilis viri Gerardi Tertii de Parma.* Sedis Apostolice providentia circumspecta rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat juris severitas de gratia benignitatis indulget, prout personarum, locorum et temporum conditione pensata, id in Deo conspicit salubriter expedire.

Sane dilectus filius nobilis vir Thomazinus de Inzola, miles Parmensis, frater tuus, fili Opizo, nuper nobis per venerabilem fratrem nostrum Papinianum, episcopum Parmensem, sancte Romane Ecclesie vicecancellarium, insinuare curavit quod licet inimicitiarum discrimina, que olim inter nobilem virum Ghibertum de Corrigia, militem Parmensem, consanguineum tuum, filia Isabella, ac te, predicte Opizo, vestrosque progenitores, consanguineos et amicos invaluerant, divina faciente clementia sint sedata, timetur tamen nisi salubre super hoc apponatur remedium, ne hujusmodi discrimina inter eos denuo exoriri contingat, ex quo de facili posset civitatis Parmensis status pacificus perturbari.

Cum autem, sicut ex parte vestra per eosdem episcopum et Thomasinum accepimus, ad roborandam et conservandam pacem et concordiam inter eundem Ghibertum ac te, Opizo, dictosque consanguineos et amicos, affectetis invicem matrimonialiter copulari, nec id possitis absque apostolice dispensationis gratia licite ad effectum perducere, pro eo quod quarto estis consanguinitatis gradu conjuncti, nosque, qui libenter Christi fidelibus quietis comoda procuramus, volentes vestre ac Ghiberti, consanguineorum, amicorum et civitatis predictorum tranquillitati et paci salubriter providere, eorumdem episcopi et Thomasini supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex hujusmodi consanguinitate provenit, non obstante matrimonium invicem licite contrahere valeatis, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

155 Au Latran, 13 décembre 1303.

Jacobo Leonis de Malacapellis, clerico Paduano, indulget ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere. (nº 144, fol. 35 vº.)

« *Jacobo, nato quondam Leonis de Malacapellis, clerico Paduano.* Consuevit Apostolice Sedis benignitas personas illas benivolentia prosequi speciali et eas gratiarum munificentia honorare, quibus ad hoc sua et suorum devotio et alia probitatis merita suffragantur.

Cum itaque sicut asseritur quondam Leo de Malacapellis, pater tuus, tunc conjugatus te genuerit de soluta, nos tue probitatis merita, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, et sinceram devotionem, quam tu et dilectus filius nobilis vir Henricus Scorvenni, civis Paduanus, consanguineus tuus, familiaris noster, ac alii tui consanguinei ad nos et dictam Sedem habere noscimini, attendentes et volentes personam tuam prerogativa prosequi gratie specialis, tecum, ut illegitimitatis macula hujusmodi non obstante ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium cum cura vel sine cura, etiam in cathedrali ecclesia, obtinere valeas, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

156 Au Latran, 2 janvier 1304.

Johanni, filio marchionis de Monte s. Mariæ, canonicatum ac præbendam confert in ecclesia Ebroicensi dispensatque cum eodem, ut plebanatum plebis de Ronci, quem obtinet in diocesi Castellana, valeat insimul retinere. (nº 145, fol. 35 vº.)

« *Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Guidonis, marchionis de Monte sancte Marie,*[1] *canonico Ebroicensi.* Dum

ad tue probitatis — Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Taurini Ebroicensis et Landulfo de Columpna Carnotensi ac Ne[a]poleoni de Bittonio, Palentino canonicis.

157 Au Latran, 9 janvier 1304.

Octobonus, Tongrensis archidiaconus, quem nuper ecclesiæ Ferrariensi Bonifatius VIII præfecerat, in episcopum Ferrariensem confirmatur. (nº 146, fol. 36; * POTTH., nº 25337.)

« *Dilecto filio Octobono, electo Ferrariensi.* Olim ecclesia Ferrariensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Friderici, Ferrariensis episcopi, pastoris solatio destituta, felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^us^, predecessor noster, volens dictam ecclesiam, cujus de pastore provisio et ordinatio ad solum Romanum pontificem immediate pertinere noscuntur, ab imminentibus periculis, que solent ecclesie destitute pastoribus incurrere ex vacatione diutina, preservare, te archidiaconum Tongrensem in ecclesia Leodiensi, in diaconatus ordine constitutum, virum utique generis nobilitate preclarum, litterarum scientia preditum, etate maturum, honestate morum et vite ac aliis virtutum donis multipliciter insignitum, de fratrum suorum consilio de quorum numero tunc eramus, ecclesie Ferrariensi predicte prefecit in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma de te concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos eadem Ferrariensis ecclesia per tuum ministerium studiosum spiritualiter et temporaliter proficeret et consurgeret incrementis. Sed postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, litteras apostolicas sub nomine ipsius predecessoris super hujusmodi tua provisione, propter ejusdem predecessoris obitum, obtinere minime valuisti.

Nos igitur quod circa te per dictum predecessorem in hac parte factum esse dinoscitur sortiri volentes effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum a Domino tibi onus devote suscipiens, sic curam et administrationem predictas diligenter gerere studeas, quod eadem ecclesia sub tua vigilantia votivis amplietur comodis ac in omnibus prospere dirigatur, tuque nostram et dicte Sedis gratiam uberius exinde consequi merearis. Dat. Laterani, V idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Ferrariensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Ferrariensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Ferrariensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Ferrariensis.

158 Au Latran, 24 décembre 1303.

Fiat inquisitio super regimine et vita Angeli Romei, qui se gerit pro abbate monasterii s. Eugenii prope Senas, ordinis s. Benedicti. (nº 147, fol. 36.)

« *Dilectis filiis.. abbati monasterii de Cultubono Vallis Umbrose, Fesulane diocesis, et.. Predicatorum ac.. sancti Augustini de Senis fratrum ordinum prioribus.* Ad audientiam nostram pervenit quod Angelus Romei, qui se gerit pro abbate monasterii sancti Eugenii prope Senas, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, est concubinarius manifestus, pravitate symoniaca labefactus, perjurii et aliis diversis criminibus irretitus, et licet ipse ad regimen dicti monasterii canonice assumptus non fuerit, sitque nichilominus insufficientis litterature ac alias minus ydoneus ad dictum monasterium gubernandum, ipse tamen administrationem bonorum ipsius monasterii temere se immiscens, illius bona dilapidat enormiter et consumit.

Nos autem premissa, si veritate nitantur, nolentes prout etiam nec debemus sub dissimulatione transire, ad reformationem ejusdem monasterii, quod in spiritualibus et temporalibus fore asseritur hujusmodi occasione collapsum, diligentius intendentes, discretioni vestre, de qua fiduciam gerimus in Deo specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus ad monasterium ipsum personaliter accedentes et habentes preoculis solum Deum, visitetis et inquiratis super premissis et aliis quibuscumque, que in eodem monasterio tam in capite quam in membris visitationis et inquisitionis officio noveritis indigere. Que autem super hiis inveneritis, fideliter in scriptis redacta, sub vestris inclusa sigillis, ad nostram presentiam quam totius destinare curetis, ut informari possimus ex eis quod per nos in hujusmodi negotio sit agendum;

Non obstante indulgentia qua, filii priores, ordinibus vestris a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod fratres dicti ordinis (*sic*) non teneantur se intromittere de quibuscumque negotiis, que eis per ipsius Sedis litteras committuntur, nisi in eisdem litteris de concessione hujusmodi et originalibus ipsis plena et expressa mentio habeatur. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, VIIII kalendas januarii, anno primo. »

159 Au Latran, 10 décembre 1303.

Precibus annuens episcopi Aretini pro Bandino nepote suo

supplicantis, dicto Bandino, comitis Aghinolfi de Romena filio, facultatem concedit recipiendi ac retinendi quoddam beneficium ecclesiasticum, non obstante defectu quem patitur in ordinibus et ætate. (n° 148, fol. 36 v°.)

« *Bandino, nato nobilis viri Aghinolfi* [1] *comitis de Romena, clerico Aretine diocesis.* Tua et tuorum sincera — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

160 Au Latran, 18 novembre 1303.

Archiepiscopo Antibarensi committit ut personas ecclesiasticas in regno Serviæ terrisque adjacentibus constitutas corrigere et reformare possit. (n° 149, fol. 36 v°; POTTH., n° 25300.)

« *Venerabili fratri Marino, archiepiscopo Antibarensi.* Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, XIIII kalendas decembris, anno primo. »

161 Au Latran, 31 décembre 1303.

Dispensat cum duabus personis loci de Ibellino in insula Cipri, ut non obstante quarto consanguinitalis gradu matrimonium invicem contrahere valeant. (n° 150, fol. 37.)

« *Dilecto filio nobili viro Guidoni de Ibellino ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Ysabelle, nate nobilis viri Balduini ejusdem loci de Ibellino, Nicosiensis diocesis.* Sedis Apostolice providentia circumspecta rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat juris severitas ex gratia benignitatis indulget, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in Deo conspicit salubriter expedire.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod, cum insula Cipri in qua degitis adeo arta existat, quod vos, qui estis genere nobiles, non possetis ibidem invenire de facili vobis pares non conjunctos vobis in gradu prohibito, quibus possetis comode matrimonialiter copulari secundum exigentiam vestri status, propter hoc et ad corroborandum inter utriusque vestrum consanguineos vinculum caritatis, ne inter eos in antea dissensionis materia valeat exoriri, vos, qui quarto estis consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium invicem contrahere affectatis. Quare nobis ex parte vestra fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis in hac parte de oportune dispensationis remedio dignaremur.

Nos autem premissa consideratione debita meditantes, ac attendentes unionem firmam et caritatem sinceram inter nobiles insule memorate tam ipsi insule quam Terre Sancte, conditionibus earum paterna meditatione pensatis, plurimum expedire, presertim ut quanto iidem nobiles magis uniti fuerint, tanto adversus Babilonicum hostem vicinum fortiores reddantur, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex hujusmodi consanguinitate provenit, non obstante matrimonium invicem contrahere valeatis, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, II kalendas januarii, anno primo. »

1. Ms : « Agenolfi, » mais en haut de la page la rubrique porte « Aghinolfi. »

162 Au Latran, 22 décembre 1303.

Mariæ de Paparescis et Egidiæ Petri Scoti relictæ, mulieribus Romanis, confirmatur concessio ecclesiæ s. Mariæ in Petrocio de Urbe, ipsis facta sub certis conditionibus ab abbate et conventu monasterii s. Gregorii in Clivo Scauri, ut inibi monasterium monialium ordinis s. Benedicti ædificetur. (n° 151, fol. 37.)

« *Nobilibus mulieribus Marie de Paparescis ac Egidie, relicte quondam Petri Scoti vidue, de Urbe.* Vota [1] vestra, que presertim conspicimus ex devotionis fervore procedere, benivolo favore prosequimur et que pie deposcitis favorabiliter exaudimus.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos affectantes mundi relinquere vanitates et sub observantia regularium mandatorum ordinis sancti Benedicti Domino famulari, .. abbati et conventui monasterii sancti Gregorii in Clivo Scauri de Urbe humiliter supplicastis, ut ecclesiam sancte Marie in Petrocio de dicta Urbe tunc ad dictum monasterium pertinentem, pro edificando inibi monasterio dicti ordinis, in quo tam vos quam alie, quas in eo contingeret dictum ordinem profiteri, possetis Altissimo reddere vota vestra, concedere dignarentur. Abbas autem et conventus prefatam ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, pro eodem inibi construendo monasterio et necessariis officinis, sub ea vobis conditione donarunt et etiam concesserunt, quod idem abbas et successores ipsius dicti monasterii abbates, qui pro tempore fuerint, correctionem et reformationem obtineant in dicto monasterio tam in capite quam in membris, quodque confirmationes electionum abbatissarum, quas in eodem monasterio pro tempore celebrari contigerit, ad abbatem et successores predictos debeant pertinere, quodam etiam annuo censu ab abbatissa et conventu, qui pro tempore fuerint dicti monasterii construendi, dicto monasterio sancti Gregorii

1. Ms : « Nota. »

prestando in perpetuum reservato, prout hec omnia in instrumento publico inde confecto dicuntur plenius contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem abbate et conventu in hac parte pie ac provide factum est ratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, xi kalendas januarii, anno primo. »

163 Au Latran, 27 décembre 1303.

Fratri Augustino, electo Zagabriensi, committit curam et potestatem absolvendi Bernardum Giraldi de Florenzaco, laicum Agathensis diocesis, ab excommunicationum aliisque sententiis, quas incurrerat communicando cum Sarracenis. (nº 152, fol. 37.)

« *Fratri Augustino, electo Zagabriensi.* Quieti et saluti filiorum providere benignius affectantes, delinquentibus, quos ad misericordiam matris Ecclesie devota penitudo reducit, sinum benignitatis et mansuetudinis non negamus, sed libenter veniam impertimur.

Nuper siquidem Bernardus Giraldi de Florenzaco, laicus Agathensis diocesis, exposuit coram nobis quod ipse dudum contra constitutiones, prohibitiones et processus Apostolice Sedis, spirituales et temporales sententias, penas continentes et mulctas, in Alexandriam et terras Egypti ac Babilonie soldano subjectas se personaliter contulit et illuc ferrum, lignamina et alias merces et res prohibitas detulit, ac mercationes et comertia vetita fecit et habuit cum Sarracenis illarum partium, ac alias participavit cum eis deditque illis consilium, auxilium et favorem. Quare nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super excommunicationum et aliis spiritualibus et temporalibus sententiis, penis et mulctis latis seu statutis contra tales, quas idem Bernardus propter hoc incurrit, de absolutionis, relaxationis, remissionis et restitutionis beneficio misericorditer dignaremur.

Nos itaque de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipsius Bernardi supplicationibus inclinati, discretioni tue ut, recepto ab eodem Bernardo nomine nostro et Ecclesie Romane corporaliter juramento de parendo super hiis nostris et Ecclesie predicte mandatis, hac vice ipsum Bernardum ab hujusmodi excommunicationibus juxta Ecclesie formam absolvere, et quaslibet alias sententias spirituales et temporales et penas et mulctas latas seu statutas, ut predicitur, contra tales per Sedem prefatam vel ejus auctoritate per alios seu qualitercumque ab homine vel a jure, quas propter hoc ipsum incurrisse constiterit, circa eum mitigare sibique super hiis de absolutionis, relaxationis, remissionis et restitutionis beneficio providere, prout anime sue saluti videris expedire, valeas, injuncta sibi nichilominus pro modo culpe super premissis penitentia salutari, concedimus plenam et liberam auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, vi kalendas januarii, anno primo. »

164 Au Latran, 5 janvier 1304.

Cum quondam Bonifatius viii vacantem prioratum de s. Columba, Apamiarum diocesis, fratri Nicolao Aurioli, capellano suo, auctoritate apostolica contulisset, fuit super hoc a quibusdam contradictoribus ad Sedem appellatum. Benedictus autem appellationem istam non admittens, certis executoribus mandat ut præfatum capellanum in possessionem dicti prioratus inducant, amotis exinde quibuslibet obstaculis vel detentoribus illicitis. (nº 153, fol. 37.)

« *Dilectis filiis .. decano Meldensis et .. preposito Avinionensis et .. archidiacono Regensis ecclesiarum.* Exposita nobis dilecti filii fratris Nicolai Aurioli, prioris prioratus de sancta Columba, Appamiarum diocesis, capellani nostri, conquestio patefecit quod, cum quondam Geraldus, prior dicti prioratus, apud Sedem Apostolicam decessisset, felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, prioratum eundem alias ad collationem abbatis et conventus monasterii Electensis, Narbonensis diocesis, pertinentem sibi auctoritate apostolica conferens, mandavit eum per certos executores in illius corporalem possessionem induci. Verum Petrus Raymundi dictus Nebles, ejusdem monasterii monachus, pretendens quod prioratus ipse ad collationem abbatis predicti tantum sine dictis conventu spectabat, quodque idem prioratus non apud Sedem ipsam per obitum dicti G[eraldi], sed in illis partibus per ipsius resignationem vacarat, illum sibi per abbatem eundem conferri de facto, cum id de jure fieri nequiverit, procuravit. Ac tam ipse quam dictus abbas occasione hujusmodi contra dictum capellanum ad Sedem appellantes predictam, capellanum ipsum impediunt, quominus ejusdem prioratus possessionem valeat adipisci dictaque provisio sortiatur effectum. Quare dictus capellamus ad providentiam nostram recurrens, nobis humiliter supplicavit ut, cum idem Geraldus tempore dicti obitus pro ejusdem prioratus priore se gereret et etiam communiter haberetur, iidemque abbas et Petrus in hujusmodi eorum appellatione formam constitutionis felicis recordationis G[regorii] pape X, predecessoris nostri, in Lugdunensi Concilio edite, non servarint et alias etiam ex verisimilibus conjecturis vehementer

contra eos de malitia presumatur, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos autem, quia capellanum eundem benivolentia prosequimur speciali, grave gerentes quicquid ei gravationis irrogatur sibique volentes propterea de tali remedio favorabiliter subvenire, quod ipse in jure suo nullatenus opprimatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatum capellanum in corporalem possessionem dicti prioratus inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto exinde prefato Petro et quolibet alio detentore, facientes ei de ipsius fructibus, redditibus et proventibus integre responderi ;

Non obstantibus omnibus supradictis; seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc., invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Quod si abbas vel Petrus predicti aut quicumque alius velint cum eodem capellano super eodem prioratu, postquam ipse illius pacificam possessionem habuerit, judicialiter experiri, compareant coram nobis. Nos enim parati sumus eis de dicto capellano justitie plenitudinem exhibere. Dat. Laterani, nonis januarii, anno primo. »

165 Au Latran, 15 décembre 1303.

Lucas, s. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis, constituitur protector monasteriorum de Marola et de Campagnola, ordinis s. Augustini, Reginensis diocesis. (n° 154, fol. 37 v°.)

« *Dilecto filio L[uce], sancte Marie in Via Lata diacono cardinali.* De statu de Marola et de Campagnola monasteriorum, que invicem sunt unita, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, ordinis sancti Augustini, Reginensis diocesis, juxta pastoralis officii debitum cogitantes, ad ea libenter intendimus per que illorum status possit ad salubria dirigi et a noxiis preservari.

Ad personam itaque tuam, quam ob tuorum magnitudinem meritorum multa dilectione prosequimur, nostre mentis aciem convertentes ac attendentes quod fratres dictorum monasteriorum te in protectorem dari dictis monasteriis suppliciter petierunt, sperantes quoque quod per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam eadem monasteria grata suscipient incrementa, eorumdem fratrum supplicationibus inclinati, curam et protectionem dictorum monasteriorum et membrorum suorum et personarum in eis degentium in spiritualibus et temporalibus apostolica auctoritate tue circumspectioni committimus, gerendas a te usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis, visitandi, corrigendi et reformandi per personas ydoneas, quas ad hoc duxeris deputandas, in dictis monasteriis tam in capite quam in membris, quotiens et quando tibi videbitur oportunum, quecumque visitationis et reformationis officio noveris indigere, statuendi quoque et ordinandi per te vel alium seu alios que pro bono statu et reformatione dictorum monasteriorum, membrorum ac personarum in eis degentium videris utiliter expedire, nec non contradictores et rebelles quicumque fuerint per censuram ecclesiasticam appelatione postposita compescendi, non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue jurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore oporteat in nostris litteris fieri mentionem, plenam et liberam concedentes auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, XVIII kalendas januarii, anno primo. »

166 Au Latran, 9 janvier 1304.

Universis Christi fidelibus, qui altare s. Mariæ Virginis ac s. Katerinæ in ecclesia s. Angeli Viterbiensis erectum devote visitarint in diebus infradictis, indulgentiam centum vel quadraginta dierum elargitur. (n° 155 A, fol. 37 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is de cujus munere venit, etc., usque : aptiores.

Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Deo in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad sancte Marie Virginis et sancte Katerine [altare] in ecclesia sancti Angeli Viterbiensis, imploraturi a Domino vestrorum veniam delictorum, in humilitate spiritus [1] accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictum altare devote visitarint annuatim in singulis dictarum sanctarum festivitatibus

1. D'ordinaire la formule est *in humilitatis spiritu;* le scribe a dû se tromper. Cependant on peut à la rigueur admettre la leçon du manuscrit.

centum, per octavas vero Nativitatis et Assumptionis ejusdem sancte Marie quadraginta dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

167 Au Latran, 28 décembre 1303.

Episcopo Bononiensi concedit, ut tam pro suis necessariis quam ecclesiæ suæ negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahat. (n° 155 b, fol. 37 v°.)

« *Venerabili fratri Uberto, episcopo Bononiensi.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie Bononiensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti ut usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi licentiam largiremur.

Nos itaque de tua, etc., ut supra capitulo CI° mutatis mutandis, usque in finem. Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

168 Au Latran, 13 décembre 1303.

Eidem indulget ut duo clerici, qui ejus obsequiis insistunt, possint usque ad quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum. (n° 156, fol. 37 v°.)

« *Eidem.* Personam tuam nobis — Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

In e. m. .. sancti Felicis Bononiensis et .. sancti Michaelis in Monte ac .. sancte Marie in Strata, Bononiensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

169 Au Latran, 29 novembre 1303.

Cum frater Benignus ex ordine Prædicatorum, qui se asserit in Vicentina atque Paduana civitatibus inquisitorem hæreticæ pravitatis, diversos processus fecisset contra quendam civem Paduanum ac in eum excommunicationis sententiam promulgasset, fuit super hoc ab eodem cive ad summum pontificem appellatum. Concesso igitur partibus auditore, Benedictus mandat executoribus infradictis, ut præfato inquisitori diem dicant ad comparendum coram Apostolica Sede causam acturo de præmissis. (n° 157, fol. 38.)

« *Dilectis filiis .. archipresbytero ecclesie sancti Fidentii de Meiano, Paduane diocesis, et Roberto de Robertis, canonico Paduano.* Petitio Mascate de Masceris jurisperiti, civis Paduani, nobis exhibita continebat quod, [cum] olim frater Benignus, ordinis Predicatorum, qui se asserit in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus vel earum districtibus inquisitorem heretice pravitatis, occasione cujusdam summe pecunie, quam ab ipso exigere conabatur indebite, contra eum diversos fecisset processus ac in ipsum propterea excommunicationis sententiam promulgasset, idem Mascara (*sic*) ab hujusmodi sententia et processibus aliisque gravaminibus per ipsum illatis eidem ad Sedem Apostolicam appellavit. Nos quoque negotium cordi gerentes hujusmodi et volentes ut apud Apostolicam Sedem finem debitum consequatur, dilectum filium magistrum Guidoctum de Mediolano, archidiaconum Pergam[ensem], capellanum nostrum ac auditorem causarum nostri palatii, super hiis, quanquam negotium ipsum per appellationem predictam non sit ad Sedem Apostolicam devolutum nec de sui natura apud Sedem ipsam tractari debeat vel etiam terminari, ex certa scientia concessimus partibus auditorem.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem fratrem Benignum, per vos vel alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium ipsum contingentibus per se vel per procuratorem ydoneum apostolico conspectui se presentet, facturus et recepturus super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, III kalendas decembris, anno primo. »

170 Au Latran, 7 décembre 1303.

Olim dum Ispalensis civitas ecclesiastico subjaceret interdicto, quidam Bodoinus clericus, tunc semiportarius Ispalensis ecclesiæ, sese divinis officiis contra prohibitiones archiepiscopi temere immiscuit; unde notam irregularitatis contraxit et excommunicationis sententiam incurrit. Postmodum vero sic excommunicatus et irregularis existens, canonicatum et præbendam in præfata ecclesia auctoritate litterarum Bonifatii VIII assecutus, gratiam super hoc Apostolicæ Sedis imploravit. Ejus igitur et Sabinensis episcopi precibus inclinatus, Benedictus dictum Bodoinum denuntiat absolutum, dispensat cum eo super irregularitate contracta mandatque abbati monasterii s. Salvatoris Ispalensis ut eidem canonicatum et præbendam auctoritate apostolica de novo conferat et assignet. (n° 158, fol. 38.)

« .. *Abbati monasterii sancti Salvatoris Ispalensis.* Exposita nobis ex parte dilecti filii Bodoini, nati dilecti filii Jo-

hannis de Cremona militis, clerici Ispalensis, petitio continebat quod olim comune civitatis Ispalensis quandam collectam sive talliam bone memorie Sanctio, archiepiscopo Ispalensi, contra constitutionem felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, imponere presumpserunt, et quia dictus archiepiscopus eam eisdem comuni non solvit, prout nec etiam tenebatur, dicti comune bona sua mobilia arrestari fecerunt, et eum bonis ipsis postmodum spoliarunt, propter quod excommunicationis sententiam latam in tales per eandem constitutionem incurrisse noscuntur.

Unde idem archiepiscopus quosdam cives predicte civitatis, hujusmodi excessus precipuos patratores, excommunicatos denuntiavit et fecit publice nuntiari ac civitatem ipsam ecclesiastico supposuit interdicto, mandans clero civitatis ipsius sub pena excommunicationis, quam eo ipso incurrerent si mandato hujusmodi non parerent, ut prefatum interdictum inviolabiliter observarent. Sed nonnulli de dictis clero contra mandatum predictum temere venientes, divina officia celebrarunt dictusque Bodoinus eisdem officiis immiscuit se cum illis, propter quod idem archiepiscopus fecit ipsos excommunicatos publice nuntiari, sicque prefatus Bodoinus, qui tunc erat semiportarius ecclesie Ispalensis, exinde irregularitatis notam noscitur incurrisse; ac postmodum sic excommunicatus et irregularis existens, canonicatum et prebendam in ecclesia Ispalensi auctoritate litterarum predicti predecessoris nostri fuit alias tamen canonice assecutus. Quare nobis humiliter supplicavit ut providere sibi in hac parte de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Nos itaque eundem Bodoinum consideratione venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Sabinensis, pro eo nobis humiliter supplicantis, favore benivolo prosequentes, ipsum ab hujusmodi excommunicationis sententia duximus absolvendum, cum eo super predicta irregularitate misericorditer dispensando ac remittendo sibi fructus, redditus et proventus, qui de canonicatu et prebenda predictis sibi medio tempore provenerunt.

Quocirca discretioni tue auctoritate presentium committimus, quatinus predictum Bodoinum per te vel alium seu alios a predicta excommunicationis sententia auctoritate nostra denunties absolutum, et si eum inveneris ydoneum ad obtinendum canonicatum et prebendam predictos, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, sibi eosdem canonicatum et prebendam cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate nostra de novo conferas et assignes, inducens ipsum in corporalem possessionem ipsorum canonicatus et prebende et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens eum vel procuratorem suum ejus nomine in eadem ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis, sibique de ipsius prebende fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi;

Non obstantibus quibuslibet ejusdem ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis; aut si pro aliis in eadem ecclesia direxerimus scripta nostra, quibus omnibus in assecutione canonicatus et prebende predictorum eundem Bodoinum volumus anteferri; seu si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel ad provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de prebendis ipsius ecclesie seu beneficiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc. Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

171 Au Latran, 7 décembre 1303.

Magistro Gentili de Piczulo, capellano cardinalis s. Adriani, assignatur abbatia sæcularis ecclesiæ s. Silvestri de Collebrizono Aquilensis, quæ per obitum Jonathæ abbatis vacare dicitur; dispensatur insuper cum eodem Gentili ut dictam abbatiam cum aliis suis beneficiis, uno tamen dimisso, retinere valeat. (nº 159, fol. 38, vº.)

« *Dilectis filiis .. abbati secularis sancti Martini de Ocra, Aquilensis diocesis, et .. archidiacono Aquinatis ac magistro Bertuldo de Labro, capellano nostro, canonico Carnotensis ecclesiarum.* Personis bene meritis apostolice provisionis dexteram aperimus, ut ipsi se gaudeant premia reportare pro meritis et alii eorum exemplo ad bene merendum fortius animentur.

Cum itaque sicut accepimus abbatia secularis ecclesie sancti Silvestri de Collebrizono Aquilensis, curam animarum habentis, per obitum quondam Jonathe, olim abbatis ipsius ecclesie, capellani dilecti filii nostri Neapoleonis, sancti Adriani diaconi cardinalis, vacet ad presens, nos volentes consideratione cardinalis ejusdem, nobis super hoc cum instantia supplicantis, dilecto filio magistro Gentili de Piczulo, capellano et familiari suo domestico, de honestate morum, litterarum scientia et conversatione vite laudabiliter commendato, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta

mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, si quod de hujusmodi vacatione proponitur veritate fulcitur dictaque abbatia de jure nulli alii debeatur, abbatiam ipsam cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem magistro Gentili vel procuratori suo, ejus nomine, auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem ejusdem abbatie ac jurium et pertinentiarum ipsius et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes eum vel dictum procuratorem ejus nomine ad abbatiam ipsam prout est moris admitti, sibique vel dicto procuratori pro eo de ipsius abbatie fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et juribus universis integre responderi;

Non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis; aut si venerabili fratri nostro .. episcopo Aquilensi et dilectis filiis capitulo ejusdem ecclesie vel quibuslibet aliis communiter vel divisim ab apostolica Sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, et quod de dignitatibus, personatibus et beneficiis ecclesiasticis ad eorum electionem, collationem vel quamcumque dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, que de indulto plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem; et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis; seu si dictus G[entilis] presens non fuerit, etc., usque : illud prestet; sive quod idem magister Gentilis in sancti Angeli de Ocra preposituram et in Aurelianensi, Aquilensi, Marsicana, sancti Lifardi de Magdino et sancti Johannis de Celano canonicatus et prebendas ecclesiis, Aquilensis, Aurelianensis et Marsicane diocesium, noscitur obtinere; contradictores auctoritate nostra, etc.

Nos enim exnunc decernimus irritum et inane si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari. Volumus autem quod postquam dictus magister G[entilis] predictam abbatiam pacifice fuerit assecutus, eosdem canonicatum et prebendam ipsius ecclesie Marsicane, quos extunc vacare decernimus, omnino dimitat. Cum eodem insuper magistro Gentili ex uberioris dono gratie auctoritate apostolica dispensamus, ut predictos prepositurам ac canonicatus et prebendas ipsarum Aurelianensis, Aquilensis, sancti Lifardi et sancti Johannis ecclesiarum, una cum eadem abbatia postquam illam adeptus fuerit possit licite retinere, constitutione generalis Concilii et alia qualibet contraria non obstante ; proviso quod canonicatus, prepositura et abbatia hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura, si alicui earum imineat, nullatenus negligatur. Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

172 An Latran, 31 décembre 1303.

Priorissæ et sororibus monasterii s. Agnetis de Bononia, ordinis s. Augustini, indulget ut ad præstationem decimarum vel ad exhibendum personis sæcularibus exactiones aut ad dandum legatis seu nuntiis Apostolicæ Sedis procurationes minime teneantur. (n° 160, fol. 138 v°.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii sancte Agnetis de Bononia, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus.* Sacra vestra religio, sub qua devotum Creatori nostro famulatum impenditis, promeretur ut Apostolica Sedes favorabilem se vobis exhibeat et in vestris oportunitatibus gratiosam.

Hinc est quod nos pium et congruum reputantes ut vos illa prosequamur gratia, quam [1] vestris necessitatibus fore conspicimus oportunam [2], vobis auctoritate presentium indulgemus ut ad prestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis bonis vestris, que impresentiarum habetis et justis modis prestante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad exhibendum pedagia, tholonea et alias exactiones quibusvis regibus, principibus seu aliis personis secularibus, ac etiam ad dandum procurationes aliquas legatis vel nuntiis Apostolice Sedis, sive ad decimam vel aliam portionem aut subventionem aliquam de vestris proventibus cuiquam exhibendam, vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus minime teneamini, nec ad id compelli possitis per litteras Sedis ejusdem vel legatorum ejus aut quarumcumque aliorum, etiam si in ejusdem Sedis litteris contineatur expresse quod ad quevis exempta vel non exempta loca et monasteria se extendant, et aliqua eis cujuscumque tenoris existat ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan dicte littere Sedis ejusdem de indulto hujusmodi et monasterio vestro plenam et expressam fecerint mentionem.

Nos enim exnunc decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si

1. Ms: « que. »
2. Ms : « oportuna. »

quas in vos vel aliquam vestrum aut locum vestrum seu quoscumque alios occasione vestri, premissorum pretextu, contra hujusmodi concessionis nostre tenorem per quemcumque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, II kalendas januarii, anno primo. »

173 Au Latran, 18 décembre 1303.

Priorissam et sorores monasterii s. Dominici Foroliviensis, ordinis s. Augustini, in ordinem Prædicatorum et provinciam Lombardiæ Inferioris cooptatas declarat. (n° 161 A, fol. 38 v°.)

« .. *Priorisse et sororibus monasterii sancti Dominici Foroliviensis, ordinis sancti Augustini.* Apostolice Sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam ire sponso, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur.

Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit expositum coram nobis, vos incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, .. magistro ordinis Predicatorum et .. priori provinciali Lombardie Inferioris ipsius ordinis atque eidem ordini affectatis committi, nos pium vestrum propositum in Deo commendantes, etc., ut supra capitulo CXXXV° usque : ipsumque monasterium et sorores ejusdem cum omnibus juribus et pertinentiis suis a venerabilis fratris nostri .. episcopi Foroliviensis et cujuscumque alterius jurisdictione ac potestate, etc., ut in eodem usque in finem. Dat. Laterani, XV kalendas januarii, anno primo. »

174 Au Latran, 21 décembre 1303.

Magistro et priori provinciali Lombardiæ Inferioris, ordinis Prædicatorum, committit curam priorissæ ac sororum supradicti monasterii. (n° 161B, fol. 39; Potth., n° 25323.)

« *Dilectis filiis .. magistro et .. priori provinciali provincie Lombardie Inferioris, ordinis Predicatorum.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, XII kalendas januarii, anno primo. »

175 Au Latran, 11 janvier 1304.

Symoni de Pellizonis de Taurino, capellano et consanguineo Parmensis episcopi, remittit fructus minus juste perceptos ex beneficiis indebite retentis; omnem infamiæ vel inhabilitatis maculam in prædicto Symone occasione hujusmodi obortam penitus abolet, dispensatque cum eodem ut plura beneficia possit insimul retinere. (n° 162, fol. 39.)

« *Symoni de Pellizonis de Taurino, canonico ecclesie sancti Donati de Pinerolio, Taurinensis diocesis.* Illis Apostolica Sedes adesse propitia consuevit, quibus propria reperit merita suffragari ad ipsius gratiam obtinendam.

Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum olim tecum super defectu natalium, quem pateris de canonico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, quod eo non obstante posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si animarum curam haberet, fuisset auctoritate apostolica dispensatum, tu plebanatum plebis de Publicis, dicte diocesis, cui cura similis iminet, et deinde canonicatum et prebendam in ecclesia sancti Donati de Pinarolio, dicte diocesis, fuisti assecutus, quos aliquandiu insimul tenuisti percipiendo fructus et redditus ex eisdem. Cumque tu demum predictum plebanatum de Publicis dimisisses, venerabilis frater noster Papinianus Parmensis, tunc Novariensis episcopus, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, ecclesiam sancti Jacobi de Olfengo, Novariensis diocesis, sine cura, tunc vacantem nulliquc alii de jure debitam, ad collationem spectantem ipsius, tibi auctoritate ordinaria conferens, tecum quod eam una cum canonicatu et prebenda predictis posses licite retinere non obstante defectu hujusmodi dispensavit; tuque ipsos extunc tenuisti sicut et adhuc retines pacifice et quiete, illorum percipiendo redditus et proventus.

Cum autem super hiis omnibus tuis provideri statui et saluti suppliciter postularis, nos attendentes laudabilia testimonia que tibi alias super multiplicis probitatis meritis perhibentur, tibique propterea et obtentu dicti vicecancellarii, pro te capellano et consanguineo suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, super hiis salubriter providere ac alias gratiam facere intendentes, dicti vicecancellarii supplicationibus inclinati, omnes fructus, redditus et proventus ex hujusmodi beneficiis a te minus juste perceptis tibi apostolica auctoritate remittimus et donamus, ac abolemus in te omnem infamie, ambitionis et inhabilitatis maculam sive notam premissorum occasione obortam de apostolice plenitudine potestatis, tecumque nichilominus ut ecclesiam sancti Jacobi, canonicatum et prebendam predictos insimul retinere, ipsisque simul sive successive dimissis, loco illorum duo alia beneficia sine cura, et adhuc cum predictis obtentis vel obtinendis beneficiis personatum vel dignitatem cum cura vel sine cura, etiam si hujusmodi recipienda beneficia, personatus vel dignitas in ecclesiis cathedralibus fuerint, dummodo tibi alias canonice offerantur, recipere ac retinere licite valeas, defectu et aliis predictis aut quibuscumque contrariis constitutionibus

seu ecclesiarum statutis et consuetudinibus, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, eadem auctoritate de uberioris dono gratie dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre remissionis, donationis, abolitionis, et dispensationis, etc. Dat. Laterani, III idus januarii, anno primo. »

176 Au Latran, 18 décembre 1303.

Rectori ecclesiæ de Coverna, Treverensis diocesis, qui dictam ecclesiam diaconus tantum existens olim assecutus non se fecit infra annum, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari, indulget ut eandem ecclesiam de cætero retinere valeat, dummodo se faciat statutis temporibus ad sacerdotium promoveri. (n° 163, fol, 39.)

« *Peregrino diacono, rectori ecclesie de Coverna, Treverensis diocesis.* Sedis Apostolice multa benignitas exhibens se petentibus liberalem, ipsius clementiam suppliciter implorantibus libenter gratiam impertitur.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat quod, licet tu parrochialem ecclesiam de Coverna, Treverensis diocesis, post Lugdunense Concilium novissime celebratum canonice fueris assecutus, te tamen non fecisti ad sacerdotium infra annum, prout tenebaris ex constitutione dicti Concilii, promoveri, ac nichilominus eandem ecclesiam post lapsum dicti anni usque ad hec tempora de facto retinens, percepisti fructus et redditus ex eadem. Cum autem tu predictam ecclesiam adhuc prout asseris pacifice possideas et quiete, ac super prebenda, de qua tibi proponis in ecclesia Treverensi provisum, te oporteat litigare, nullumque aliud obtineas beneficium ecclesiasticum de quo valeas sustentari, nos premissa paterna consideratione pensantes ac attendentes laudabilia testimonia, que tibi alias super nobilitate generis, elegantia morum, aliisque probatis meritis exhibentur, teque propterea volentes prosequi favore gratie specialis, tecum, premissis veris existentibus, quod eandem ecclesiam retinere licite valeas, predicti Concilii et aliis quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus.

Omnem insuper infamiam, inhabilitatem, maculam sive notam premissorum occasione contractas in te penitus abolemus de apostolice plenitudine potestatis, proviso quod in presbyterum juxta constitutionem eandem te facias statutis a jure temporibus promoveri, quodque prefatos fructus a te ut predicitur minus juste perceptos vel eorum extimationem, si forte non extant, prout conscientia tibi dictaverit, convertere studeas in utilitatem ecclesie supradicte. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, XV kalendas januarii, anno primo. »

177 Au Latran, 10 décembre 1303.

Obtentu Jacobi de Carraria pro Albertino filio suo humiliter supplicantis, dicto Albertino conceditur ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri ac duo ecclesiastica beneficia insimul retinere. (n° 164 A, fol. 39.)

« *Albertino, nato dilecti filii nobilis viri Jacobi de Carraria, clerico Paduano.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

178 Au Latran, 25 novembre 1303.

Sergio Siginulfi, filio Johannis Neapolitani militis ac nepoti comitis Thelesiæ, regis Siciliæ camerarii, reserventur in civitate vel diocesi Salernitana unum vel duo ecclesiastica beneficia, quorum annui redditus summam decem unciarum auri non excedant. (n° 164 B, fol. 39 v°.)

« *Dilectis filiis.. decano et.. archidiacono ac Matheo Fillimarini de Neapoli, canonico Capuanis.* Grata devotionis studia — Dat. Laterani, VII kalendas decembris, anno primo. »

179 Au Latran, 12 décembre 1303.

Concessionem ecclesiæ de Wadrella, Treverensis diocesis, quam olim archiepiscopus quidam Treverensis abbati et conventui cœnobii Mediolicensis, ordinis s. Benedicti, diocesis ejusdem, in usus proprios deputaverat ad eorum inopiam relevandam, auctoritate apostolica confirmat. (n° 164 C, fol. 39 v°.)

« .. *Abbati et conventui monasterii Mediolicensis, ordinis sancti Benedicti, Treverensis diocesis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster .. archiepiscopus Treverensis provide attendens, quod facultates monasterii vestri adeo erant tenues et exiles quod ex eis non poteratis comode substentari, ecclesiam de Wadrelli (*sic*), sue diocesis, in qua jus patronatus habetis, tunc vacantem, habito super hoc cum dilectis filiis capitulo ecclesie Treverensis diligenti tractatu, de ipsorum consensu cum omnibus juribus et pertinentiis suis vobis auctoritate ordinaria in usus proprios duxit canonice conferendam, reservata de proventibus ipsius ecclesie de Wadrella vicario in ea perpetuo servituro congrua portione, ex qua

comode sustentari posset, jura episcopalia solvere et alia sibi incumbentia onera supportare, prout in patentibus litteris inde confectis, ipsorum archiepiscopi et capituli sigillo munitis, plenius dicitur contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

180 Au Latran, 31 décembre 1303.

Manuelli de Orlandis, clerico Placentino, conceditur tabellionatus officium. (n° 165 A, fol. 39 v°.)

« *Manuelli de Orlandis notario, clerico Placentino.* Ne contractuum memoria deperiret, etc., usque : notarentur.

Hinc est quod nos hujusmodi officium tibi, qui ad illud per dilectum filium magistrum Altegradum de Lendenaria, electum Vicentinum, notarium nostrum, cui tuam examinationem commisimus, repertus fuisti ydoneus, duximus concedendum ut tu idem officium prudenter et fideliter exequaris et ad te cum necesse fuerit in hiis, que ad officium ipsum pertinent, recurratur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, II kalendas januarii, anno primo. »

181 Au Latran, 13 janvier 1304.

Episcopo Massiliensi, collectori decimæ dudum a Bonifatio VIII impositæ in Aquensi et Arelatensi diocesibus, mandat ut pecuniam occasione hujusmodi collectam et in antea colligendam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia eorumve procuratoribus assignet seu per subcollectores suos faciat assignari. — Aliæ litteræ similes directæ archiepiscopo Ebredunensi et archidiacono Gandensi, collectoribus ejusdem decimæ in aliis partibus. (n° 165 B, fol. 39 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Massiliensi, collectori decime pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per felicis recordationis Bonifatium papam VIII, predecessorem nostrum, dudum imposite in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provinciis deputato.* Cum felicis recordationis B[onifatius] papa VII , predecessor noster, tibi dudum collectionem decime, per eum imposite pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane, per triennium duxerit in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provintiis per suas sub certa forma litteras committendam, nos, ut hujusmodi decimam habere possimus in promptu, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus totam pecuniam, quam de ipsa decima ad manus tuas vel illorum, quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputasti vel in antea deputaveris, provenire contigerit, nec non pecuniam ex eadem decima jam collectam, que aliis mercatoribus de mandato predecessoris ipsius nondum fuerit assignata, dilectis filiis Lapo et Oliverio de Circulis ac Bonacurso Bonincontri, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, camere nostre mercatoribus, seu ipsorum vel eorum alteri, seu ipsorum vel alterius eorumdem procuratori seu procuratoribus ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, assignes integraliter et per subcollectores a te deputatos vel deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi et valore monete que ipsis assignabitur, videlicet ad quot florenorum aureorum valorem eadem moneta tempore hujusmodi assignationis ascendat, duo similia confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeris faciendum, mandato contrario super pecunia dicte decime aliis assignanda per predictum predecessorem facto aliquatenus non obstante. Sic itaque te in hac parte vigilanter et fideliter habere procures, quod possis exinde merito commendari. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

« In e. m. .. archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per B[onifatium] VIII, predecessorem nostrum, dudum imposite in Lugdunensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina, et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, ea parte diocesis Lugdunensis que est in regno Francie constituta dumtaxat excepta, deputato. Cum felicis recordationis — Dat. ut supra. »

« In e. m. .. archidiacono Gandensi in ecclesia Tornacensi, collectori decime, etc., usque : dudum imposite in Metensi, Virdunensi, Tullensi, Leodiensi et Cameracensi civitatibus et diocesibus, ea parte diocesis Cameracensis que est in regno Francie constituta dumtaxat excepta. Cum felicis recordationis — Dat ut supra. »

182 Au Latran, 27 décembre 1303.

Manfredo de Nordiglis, canonico Imolensi, indulget ut insis-

tens scholasticis disciplinis vel residens in ecclesia Faventina, in qua canonicatum et præbendam obtinet, possit usque ad quinquennium percipere fructus ac redditus præbendæ suæ Imolensis. (nº 166 A, fol. 40.)

« *Manfredo de Nordiglis, canonico Imolensi.* Tue devotionis et probitatis — Dat. Laterani, VI kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Faventino et .. abbati monasterii sancte Marie in Regula Imolensis ac .. archipresbytero ecclesie sancti Pauli, Faventine diocesis.

183 Au Latran, 31 décembre 1303.

Nicolao Neapoleonis de filiis Ursi concedit, ut archidiaconatum suum de Famenna in ecclesia Leodiensi per vicarium idoneum visitari faciat. (nº 166 B, fol. 40.)

« *Nicolao Neapoleonis de filiis Ursi, archidiacono de Famenna in ecclesia Leodiensi.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, II kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. plebano plebis de Castilione, Aretine diocesis, et Manfredo de Placentia, canonico Cameracensi, ac Symoni de Florentia, canonico Leodiensi.

184 Au Latran, 23 décembre 1303.

Assignetur Leoni quondam Guidonis de Cornea, rectori ruralis ecclesiæ s. Galgani de Pazano, Clusinæ diocesis, plebatus plebis s. Mariæ de Paiacio, Perusinæ diocesis, vacans per obitum Theobaldi ipsius plebis plebani. Dispensatur quoque cum eodem Leone super pluralitate beneficiorum ac super defectu, quem patitur in ordinibus et ætate. (nº 167 A, fol. 40 vº.)

« .. *De sancto Petregnano et .. de sancto Gregorio prioribus, Perusine diocesis, ac .. magistro scolarum ecclesie Januensis.* Sincera devotio dilecti filii Leonis, nati quondam Guidonis de Cornea, rectoris ruralis ecclesie sancti Galgani de Pazano, Clusine diocesis, ac dilecti filii nostri L[uce], sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, pro eo nobis in hac parte supplicantis, consideratio nos inducunt, ut eundem Leonem favore apostolico prosequamur.

Cum itaque plebatus plebis sancte Marie de Paiacio, Perusine diocesis, per obitum quondam Theobaldi dicte plebis plebani vacare dicatur et de jure nulli alii deberi, nos volentes premissorum intuitu dicto Leoni gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, premissis veris existentibus, plebatum ipsum cum juribus et pertinentiis suis dicto Leoni vel procuratori suo ejus nomine auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in illius corporalem possessionem et defendentes inductum, ac facientes eum vel dictum procuratorem pro ipso in plebanum dicte plebis, ut est moris, admitti sibique de ipsius plebanatus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi;

Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis dicte plebis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus, dignitatibus aliisque beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales dicte Sedis, quibus per hoc nolumus prejudicium generari, vel legatorum ejus litteras impetrarint; seu si aliquibus a predicta sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam earum effectus possit quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore in nostris litteris specialis mentio sit habenda; aut quod ruralem ecclesiam sancti Galgani de Pazano sine cura, Clusine diocesis, noscitur obtinere, seu quod patitur in etate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in sexto decimo sue etatis anno vel circa illum constitutus esse noscatur, contradictores, etc.

Nos enim plebatum eundem, si ut proponitur vacat et de jure alii non debetur, conferendum dicto Leoni donation i apostolice reservamus, decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac secum ex uberiori dono gratie dispensamus, ut defectu non obstante predicto plebatum eundem, cui cura iminet animarum, una cum dicta ecclesia rurali licite valeat retinere, nec teneatur illius pretextu, donec ad legitimam etatem pervenerit, ad ulteriores ordines promoveri, proviso quod interim plebanatus et ecclesia supradicti debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in dicto plebanatu nullatenus negligatur. Dat. Laterani, VIIII kalendas decembris, anno primo. »

185 Au Latran, 13 décembre 1303.

Episcopo Bononiensi conceditur licentia condendi testamentum. (nº 167 B, fol. 40 vº.)

« *Venerabili fratri Uberto, episcopo Bononiensi.* Quia presentis vite conditio, etc., usque : pervenire.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque, non per ecclesiam seu ecclesias, alias tamen licite acquisitis, etc., ut in forma prelatorum secularium, usque in finem. Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

186 Au Latran, 21 décembre 1303.

Eadem facultas episcopo Auximano conceditur. (*Ibid.*)

« In e. m. pro Johanne, episcopo Auximano, quod possit condere testamentum. Sub dat. Laterani, XII kalendas januarii, anno primo. »

187 Au Latran, 9 janvier 1304.

Domum de Asello sitam in territorio Castri Florentini, quam magister Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani concessit Tucio Lotoringi sub certis conditionibus et censu quoad vixerit retinendam, dicto Tucio confirmat. (nº 168, fol. 40 vº.)

« *Tucio Lotoringi de Castro Florentino, laico Florentine diocesis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat quod dilectus filius frater Guillelmus de Villaria, magister Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, obtentu precum dilecti filii fratris Gerardi, prioris domus Pisane, et fratrum sibi tunc assistentium sui ordinis, domum de Asello sitam in territorio dicti castri ad dictum Hospitale spectantem, cum juribus et pertinentiis suis, sub certo annuo censu dicto priori prestando et quibusdam pactis et conditionibus, tibi concessit per te quoad viveres retinendam, prout in patentibus litteris inde confectis, dicti magistri sigillo munitis, plenius dicitur contineri.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, V idus januarii, anno primo. »

188 Au Latran, 11 janvier 1304.

Cuidam Bernavo, Bergognoni de Riczolo filio, confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Baiocensi. (nº 169, fol. 40 vº.)

« *Bernavo, nato dilecti filii nobilis viri Bergognoni de Riczolo, canonico Baiocensi.* Ut tua et dilecti — Dat. Laterani, III idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. preposito sancti Antonini Placentini et .. cantori Parisiensis ac Grimerio de Arcellis, canonico Rothomagensis ecclesiarum.

189 Au Latran, 24 décembre 1303.

Laurentio quondam Processi Capotii de Capocinis de Urbe confertur canonicatus cum præbenda non sacerdotali in ecclesia Lincolniensi. (nº 170, fol. 41.)

« *Laurentio, nato quondam Processi Capotii de Capocinis de Urbe, canonico Lincolniensi.* Nobilitas generis — Dat. Laterani, VIIII kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Laurentii extra muros Urbis et .. de sancto Albano ac .. de Burgo sancti Petri, Lincolniensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

190 Au Latran, 17 janvier 1304.

Executoribus infradictis mandat, ut ad restitutionem certis loco et tempore faciendam sexcentarum marcharum argenti, quas archiepiscopus Cassellensis de licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit a mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio, diligenter intendant. (nº 171, fol. 41.)

« *Dilectis filiis .. Aureliacensi in ecclesia Claromontensi, ac .. Tiburtino archidiaconis et Gerardo de Pecorariis, canonico* [*Remensi*]. Cum, sicut venerabilis frater noster Mauritius, archiepiscopus Cassellensis, in nostra proposuit presentia constitutus, tam pro suis necessariis quam pro ecclesie sue Cassellensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter subire oporteret magna onera expensarum, idem archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut usque ad summam sexcentarum marcharum argenti mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores se putabat invenire non posse, sibi licentiam largiremur.

Nos itaque de ipsius archiepiscopi tam in hiis quam in aliis, circa sua et ipsius ecclesie Cassellensis negotia utiliter promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes, et nolentes quod propter expensarum ipsarum defectum idem archiepiscopus indigentiam pateretur, vel quod eadem negotia inexpedita remanere conti[n]geret, ipsius archiepiscopi supplicationibus inclinati, sibi contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam sexcentarum marcharum argenti no-

mine suo et ipsius ecclesie Cassellensis, ac seipsum et successores suos et predictam ecclesiam ac sua et eorumdem bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutionibus tam felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod cum actor et reus diocesium fuerint diversarum, reus ultra unam dictam a finibus sue diocesis ad judicium nullatenus evocetur, quam de duabus dictis in Concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, et beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis ac etiam impetrandis, et omni juris canonici et civilis auxilio, et conventioni judicum et locorum, si eorumdem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contingeret impetrari, nec non et omnibus aliis exceptionibus per quas contra creditores eosdem predicti archiepiscopus et successores possent imposterum se tueri, plenam per nostras litteras sub certa forma concessimus facultatem.

Et voluimus et concessimus, juxta quod idem archiepiscopus postulavit a nobis, quod ipse et successores predicti creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam de bonis dicte ecclesie solvere ac dampna expensas et interesse reficere tenerentur, si in termino, qui ad hoc de consensu partium foret constitutus, eadem pecunia non esset persoluta, quodque ipsis creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscumque privilegii vel indulgentie Sedis Apostolice, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oporteret fieri mentionem et per quam archiepiscopus et successores prefati valerent ulterius se tueri, dictam pecuniam in jamdicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumberet, sed sola ipsius archiepiscopi hoc fatentis confessio in instrumentis conficiendis super mutuo hujusmodi quantitatis inserta, sufficiens, plena et efficax probatio irrefragabiliter haberetur.

Cumque postmodum idem archiepiscopus, juxta hujusmodi concessionis nostre tenorem renuntians constitutionibus, beneficio, conventioni, litteris, indulgentiis, auxilio et exceptionibus eisdem, a dilecto filio Nelle Andree, cive et mercatore Pistoriensi de societate Clarentum, mutuante pro se ac vice et nomine Clarentini Anselmi de Clarentis, Merguliensis Braccii, Puccii Raynerii Floravantis, Marsopini Meliorati, Baldi Raynerii, Anselmi Meliorati, Raynerii Philippi, et Johannis Floravantis, Bonini et Clarentis Gerardini, Jacobi Braccii, Conradi Gay, Andree Merguliensis, Schiatte Cepparelli, Lapi Lanfranchi, Johannis Puccii et Lapi Baldi et omnium aliorum sociorum suorum mercatorum de societate predicta, et cujuslibet eorum in solidum, pro negotiis eisdem mutuo receperit sexcentas marchas argenti, certis prefatis mercatoribus loco et termino persolvendas, prout in instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri, nos de expresso consensu dicti archiepiscopi eorumdem mercatorum indempnitatibus precavere volentes ac eisdem mercatoribus providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in infrascriptis quando et quotiens expedire videritis procedentes, predictum archiepiscopum moneatis ut eisdem mercatoribus aut uni eorum vel ipsorum procuratori eorum nomine, in statutis et conventis loco et tempore, de dicta quantitate sexcentarum marcarum argenti, plenam satisfactionem impendat. Alioquin suspensionis de administratione temporalium et spiritualium, et executione pontificalium, interdicti et excommunicationis sententias, quas a tempore monitionis predicte feratis in eum, ita videlicet quod si in statutis loco et termino ut premittitur predictis non satisfecerit mercatoribus, idem archiepiscopus eo ipso incurrat, ipsumque tandiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis et faciatis ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videritis, nuntiari et ab omnibus artius evitari, donec prefatis mercatoribus de dicta quantitate, dampnis, expensis et interesse, usuris omnino cessantibus, fuerit plenarie satisfactum. Et nichilominus idem archiepiscopus infra competentem terminum, quem ad hoc ei duxeritis prefigendum, ad eandem venire Sedem personaliter teneatur, nullo modo exinde recessurus donec plenarie mercatoribus satisfecerit memoratis. Quod si forte in eodem termino personaliter comparere contempserit, perinde procedi possit ob contumaciam contra ipsum, ac si super hoc fuisset expresse ab eadem Sede citatus.

Si vero archiepiscopum ipsum mori contigerit antequam predictis mercatoribus ut premittitur satisfiat, et is quem in regimine ecclesie Cassellensis predicte substitui ei contigerit, infra competens tempus post substitutionem hujusmodi, quod ei ad hoc duxeritis statuendum, eisdem mercatoribus satisfacere non curarit, ipso facto similibus, quas si satisfacere contempserit adversus ipsum proferre curetis, sit sententiis innodatus, simili quoque modo suspensus, interdictus et excommunicatus usque ad satisfactionem plenariam per vos et alios publice nuncietur, et eodem modo teneatur se personaliter Apostolice Sedis conspectui presentare, similiter inibi moraturus et ob contumaciam etiam puniendus.

Quod si post ejusdem archiepiscopi obitum substitu-

tionem alterius differri contingat, eos ad quos administratio bonorum ad archiepiscopum Cassellensem spectantium de consuetudine vel de jure aut alio quoquo modo fuerit devoluta vel eis commissa, ad hujusmodi satisfactionem prestandam eisdem mercatoribus de fructibus, redditibus et aliis obventionibus eorumdem bonorum futuro archiepiscopo conservandis, esse volumus obligatos. Et nisi, postquam susceperint administrationem eandem, infra competentem terminum pro facti qualitate ad hoc per vos vel per aliquem vestrum statuendum, predictam satisfactionem impendant hujusmodi, quas propterea feratis in eos sint sententiis innodati, et similiter ipsi sic ligati publice nuncientur, et teneantur apud Sedem eandem personaliter comparere, eodem modo inibi moraturi et ob contumaciam si opus fuerit puniendi.

Si qui vero, quominus de fructibus, redditibus et obventionibus dictorum bonorum plene satisfieret mercatoribus ipsis, impedirent per se vel per alium seu alios quoquo modo, illos omnes et singulos curetis auctoritate nostra excommunicationum sententiis innodare, et alias procedere contra eos, prout vobis vel alicui vestrum videbitur oportunum.

Verum si eosdem archiepiscopum et successores seu administratores et impedientes predictos, occasione hujusmodi debiti, suspensionis, interdicti seu excommunicationis sententiis contigerit innodari, postquam fuerit eisdem mercatoribus de dicta quantitate sexcentarum marcharum, dampnis, expensis et interesse ut predicitur plenarie satisfactum, ipsos auctoritate nostra juxta formam Ecclesie absolvatis, super irregularitate, si quam hujusmodi ligati sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, dispensantes misericorditer cum eisdem ;

Non obstantibus supradictis ; seu si eisdem archiepiscopo, administratoribus aut impedientibus a dicta Sede indultum existat, vel forte ipsis aut predictis successoribus contigerit indulgeri, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint, aut extra certa loca ad judicium evocari per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, sive qualibet alia prefate Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri.

Ceterum ne in hiis vorago locum sibi vendicet usurarum, nostre intentionis existit et voluimus quod idem archiepiscopus vel dicti successores et predicta ecclesia Cassellensis, sua vel ipsorum bona per dictas nostras litteras, per cujuspiam fraudis vel calliditatis astutiam, sub quovis pallio seu colore verborum, ad usuras aliquas nullatenus valeant obligari, easdem litteras et presentes concessiones quoque, recognitiones, cautiones seu promissiones per eas vel earum auctoritate seu occasione factas, quo ad obligationem usurarum hujusmodi, decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quo ad premissa omnia, que usurariam pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu malitiose aliquatenus impugnandis.

Insuper volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a presentatione presentium, etiam uni tantummodo vestrum facta, plena [1] sit attributa unicuique vestrum jurisdictio in premissis, quodque idem robur eandemque vim perpetuationis extunc jurisdictio cujuslibet vestrum obtineat, quod et quam, si quilibet vestrum auctoritate presentium incepisset per citationem, monitionem vel alias legitime procedere, obtineret, et quasi re non integra perpetuata eadem vestrum cujuslibet jurisdictio censeatur. Dat. Laterani, XVI kalendas februarii, anno primo. »

191 Au Latran, 2 décembre 1303.

Confirmat quasdam litteras, quibus ipse olim, tunc episcopus Ostiensis existens, auctoritate Bonifatii VIII concesserat fratri Andreæ, monacho monasterii s. Zenonis Veronensis, licentiam retinendi prioratum s. Martini Tervisini sibi collatum ab abbate dicti monasterii, non obstante quod forsitan in receptione prioratus ejusdem vitium intervenerit canonicum, vel quod ipse Andreas fuerit postmodum excommunicatus aut suspensus seu dicto prioratu privatus ab abbate prælibato. (nº 172, fol, 42.)

« *Dilecto filio fratri Andree, priori prioratus sancti Martini Tervisini monasterio sancti Zenonis Veronensis, ordinis sancti Benedicti*, [*subjecti*]. Licet ea que de mandato Sedis Apostolice fiunt plenam obtineant firmitatem, nos tamen illis aliquando apostolice confirmationis robur addicimus, ut magis illibata persistant cum nostro fuerint presidio communita.

Exposita siquidem dudum felicis recordationis Bo[nifatio] pape VIII, predecessori nostro, petitionis tue series continebat quod licet olim .. abbas monasterii sancti Zenonis Veronensis, ordinis sancti Benedicti, prioratum sancti Martini Tervisini, ejusdem ordinis, monasterio predicto subjectum et consuetum per monachum ipsius monasterii, quem abbas ejusdem monasterii qui est pro tempore pro sue voluntatis libito ibi ponit et removet, gubernari, tibi prefati monasterii monacho contulisset

1. Ms: « plene. »

tuque illum per duos annos et amplius possedisses pacifice et quiete, dubitans tamen ne in receptione dicti prioratus aliquod vitium intervenisset, vel quod alias ingressum canonicum non habuisses ad illum, seu quod per eundem abbatem fuisses postmodum excommunicationis vel suspensionis sententia innodatus ac per eum post iter a te arreptum veniendi ad Sedem Apostolicam dicto prioratu privatus, super hiis omnibus tibi provideri per ipsam Sedem suppliciter postulasti.

Nos autem tunc in minori officio constituti, auctoritate predecessoris ejusdem concessa nobis ab eo in hac parte oraculo vive vocis, a te libera dicti prioratus resignatione recepta, te juxta formam Ecclesie ab excommunicationis et suspensionis sententiis, si que per eundem abbatem in te late forent, absolvimus, habilitantes te ad dictum prioratum obtinendum non obstantibus supradictis, omnem infamie maculam sive notam occasione premissorum obortas in te penitus abolendo. Omnem insuper collationem, assignationem seu dispositionem aliam, si qua facta fuisset per eundem abbatem de prioratu predicto post iter a te arreptum ad Sedem veniendi predictam, penitus revocavimus, et predictum prioratum cum omnibus juribus et pertinentiis suis denuo tibi contulimus a te quoad viveres retinendum, ita quod ab ipso prioratu removeri non posses, nisi pro manifesta et rationabili causa, per abbatem predictum, ac decrevimus irritum et inane si secus de prioratu ipso contingeret attemptari, prout hec in patentibus litteris inde confectis, nostro quo tunc utebamur sigillo munitis, quarum tenor inferius est insertus, plenius continentur.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, habilitationem, abolitionem, revocationem et collationem hujusmodi, per nos ut premittitur factas dicti predecessoris auctoritate, ratas habentes et gratas, eas ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque : communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Anagni, 22 mai 1303.

« Frater Nicolaus, miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, dilecto nobis in Christo fratri Andree, priori prioratus sancti Martini Tervisini monasterio sancti Zenonis Veronensis, ordinis sancti Benedicti, subjecti, salutem in Domino. Exposita nuper sanctissimo patri et domino nostro domino Bonifatio pape VIII petitionis tue series continebat, quod licet olim.. abbas monasterii sancti Zenonis Veronensis, ordinis sancti Benedicti, prioratum sancti Martini Tervisini monasterio predicto subjectum ac consuetum per monachum dicti monasterii, quem abbas ejusdem monasterii qui est pro tempore ibi ponit et removet pro sue voluntatis libito, gubernari, tibi dicti monasterii monacho duxerit conferendum, tuque illum per duos annos et amplius pacifice possederis et quiete, dubitans tamen ne in receptione dicti prioratus vitium aliquod intervenerit, vel quod alias ingressum canonicum non habueris, seu quod postmodum fueris per eundem abbatem excommunicationis vel suspensionis sententia innodatus ac per dictum abbatem post iter arreptum veniendi ad curiam dicto prioratu privatus, ad Sedem propter hoc Apostolicam accessisti, super hiis omnibus per Sedem eandem tibi misericorditer provideri et quod dictum prioratum retinere valeres licite donec viveres, nisi rationabilem et manifestam committeres offensam, dicti abbatis contradictione seu amotione non obstantibus, Apostolice Sedis gratiam humiliter implorando.

» Nos autem auctoritate dicti domini nobis super infrascriptis omnibus ab eo concessa oraculo vive vocis, libera a te dicti prioratus resignatione recepta, te juxta formam Ecclesie ab excommunicationis et suspensionis sententiis, si que per eundem abbatem in te late essent, ac a vitiis et ingressu hujusmodi, si qui forsitan in ipso ingressu tuo intercesserint, absolvimus et ad dictum prioratum vitiis predictis non obstantibus te habilitamus, omnem infamie maculam sive notam occasione premissorum obortas in te penitus abolendo. Omnem insuper collationem, assignationem seu dispositionem aliam, si qua facta esset per eundem abbatem de prioratu predicto, postquam iter arripuisti ad Sedem veniendi predictam, penitus revocamus et eundem prioratum cum omnibus juribus et pertinentiis suis denuo tibi conferimus per te quoad vixeris retinendum, ita quod ab ipso prioratu removeri non possis, nisi pro manifesta et rationabili causa, per abbatem predictum, ac decernimus irritum et inane si secus de prioratu predicto contigerit attemptari. Volumus autem et eadem auctoritate tibi mandamus sub debito prestiti juramenti, quod si aliquam repereris in te per eundem abbatem excommunicationis vel suspensionis sententiam promulgatam, infra spatium duorum mensium postquam id tibi innotuerit ipsius abbatis presentiam adeas, mandatis ejus super hiis pro quibus eadem sententia lata fuerit, prout justum fuerit, humiliter pariturus.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, habilitationis, abolitionis, revocationis, collationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc.

» In cujus rei testimonium presentes litteras mandavi-

» mus sigilli nostri appensione muniri. Dat. Anagnie, xi » kalendas junii, pontificatus predicti domini Bonifatii » pape VIII anno nono. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, iii nonas decembris, anno primo. »

192 Au Latran, 18 décembre 1303.

Obtentu Mathæi Vicecomitis de Mediolano, Johanni ejus filio assignatur canonicatus cum præbenda in ecclesia Lincolniensi. (nº 173, fol. 42 vº.)

« *Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Mathei Vicecomitis de Mediolano, canonico Lincolniensi.* Probitatis studia — Dat. Laterani, xv kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Augustini Cantuariensis ac .. cimiliarche et .. archipresbytero ecclesie Mediolanensis.

193 Au Latran, 17 novembre 1303.

Petrus Johannis de Trivio, civis Bononiensis, creatur notarius. (nº 174, fol. 42 vº.)

« *Petro Johannis de Trivio, civi Bononiensi.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, xv kalendas decembris, anno primo. »

194 Au Latran, 5 décembre 1303.

Vertente quondam gravi discordia inter episcopum et decanum canonicosque Ambianenses super certis juribus, Bonifatius papa viii, cui negotium per appelationem et compromissum fuerat devolutum, quandam ordinationem edidit, quam partes ipsæ, donec per diffinitivam sententiam quæstio decisa foret ac fine debito terminata, deberent pro bono pacis firmiter observare.: et postmodum super hoc concessit eisdem partibus auditorem. Pendente adhuc controversia coram illo, Benedictus præfatam ordinationem executioni demandat. (nº 175, fol. 43.)

« *Dilectis filiis .. priori beate Marie de Campis prope Parisius et .. preposito Atrebatensis ac Johanni de Cresciaco, canonico Belvacensis ecclesiarum.* Admonet nos susceptum a Domino summi Apostolatus officium, ut pro felici statu ecclesiarum omnium et personarum ecclesiasticarum sollicite vigilantes, que pro amputandis ab eis litigiorum anfractibus, querelis, litibus et discordiis emergentibus provide ordinantur, sollicitis imitemur studiis et oportunis favoribus prosequamur.

Dudum siquidem inter venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum ex parte una, et dilectos filios decanum et capitulum Ambianenses ex altera materia scandali, discordie ac dissensionis exorta, videlicet super confirmatione electionis quondam Philippi electi in abbatem monasterii sancti Acheoli siti juxta civitatem Ambianensem, ordinis sancti Augustini, facta per ipsum episcopum, et super quibusdam sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti per eundem episcopum in abbatem et conventum seu canonicos monasterii sancti Martini de Gemellis Ambianensis, ejusdem ordinis, promulgatis, in quibus monasteriis et personis eorum dicti decanus et capitulum omnimodam jurisdictionem ordinariam, excepta tantummodo certo modo benedictione abbatum, ad se asserunt pertinere, ac super visitationis officio, quod dictus episcopus volebat seu nitebatur in ipsos decanum et capitulum exercere, que omnia dicti decanus et capitulum contra eorum privilegia, libertates, exemptiones, consuetudines, prescriptiones, observantias, possessionem notoriam, jurisdictionem et jura et in ipsorum prejudicium esse facta dicebant, et quorum occasione iidem decanus et capitulum divinorum organa in eorum Ambianensi ecclesia suspenderant, ac super quibus tam pro parte ipsorum decani et capituli quam predictorum electi et abbatis et conventus ac aliorum eis adherentium diverse appellationes et provocationes fuerant ad Sedem Apostolicam interjecte, ipso Ambianensi episcopo in contrarium asserente, quod omnia que super premissis fecerat, duxerat rite ac legitime et prout de jure sibi dicebat competere facienda, et quod propter hoc dicti decanus et capitulum non debuerant hujusmodi suspendisse organa contra ipsum, tandem mediantibus bonis viris, de communi concordia partium dictus episcopus quicquid in premissis consuetudine, sententiis et visitatione pro ejus parte factum fuerat revocavit et illud habere voluit pro infecto, dictique decanus et capitulum in eadem Ambianensi ecclesia resumpserunt hujusmodi suspensa organa divinorum, ac renuntiaverunt omnibus appellationibus et provocationibus supradictis, ita tamen quod per hoc nullum prejudicium fieret in petitorio vel possessorio, neque jus novum acquireretur vel accresceretur, neque quicquam de suo jure decresceret alicui partium earumdem.

Ac nichilominus tam super predictis tribus quam super nonnullis aliis articulis, super quibus quedam monitiones aliique processus ex parte dicti episcopi contra ipsos decanum et capitulum et adherentes eisdem emanaverant insimul vel divisim, nec non et super quibusdam arti-

culis ex parte dictorum decani et capituli traditis episcopo supradicto, in felicis recordationis Bonifatium papam octavum, predecessorem nostrum, olim dum viveret, sub certa forma iidem episcopus, decanus et capitulum compromittere curaverunt.

Postmodum autem hujusmodi compromisso pendente, predicti decanus et capitulum asserentes quod idem episcopus certa gravamina et injurias indebite innovaverat contra eos, Thomam de Villaribus, post cessionem dicti Philippi electum in abbatem predicti monasterii sancti Acheoli, cujus electionem ipsi decanus et capitulum admittendam duxerant et etiam confirmandam, per ipsos decanum et capitulum benedicendum eidem episcopo presentatum benedicere recusando, et denegando admittere quosdam presbyteros canonicos predicti monasterii sancti Acheoli sibi per dictum Thomam sic electum ad quasdam parrochiales ecclesias presentatos, et eis curam ipsarum ecclesiarum non tanquam presentatis set auctoritate propria confirmando, denegando etiam ad ordines promovere quosdam canonicos predictorum monasteriorum vel eorum alterius per superiores seu superiorem ipsorum presentatos sibi ad ordines promovendos, et insuper auferendo et denegando oblationes exequiarum quorumdam defunctorum ad ipsos decanum et capitulum pertinentes, nec non in predicta monasteria vel eorum alterum, in personas ipsorum vel alterius eorumdem diversas excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias promulgando, et alia in eorum prejudicium faciendo, iterato contra prefatum episcopum in eadem Ambianensi ecclesia divinorum organa suspenderant.

Set nichilominus postiteratam cessationem hujusmodi, predictus episcopus quosdam alios processus, sententias et gravamina contra ipsos decanum et capitulum et sibi adherentes et in eorum prejudicium indebite, ut dicitur, attemptavit, faciendo pulsari campanas ipsius Ambianensis ecclesie violenter, celebrando contra morem inibi alta voce et ipsius immunitatem ecclesie violando, ipsum quoque suspendendo decanum et prefatum interdicendo capitulum, et in quosdam rectores ecclesiarum ipsis decano et capitulo mediate vel immediate subjectarum diversas excommunicationum et suspensionum sententias promulgando, et nonnullos etiam ex dictis rectoribus ipsis ecclesiis spoliando et conferendo eas aliis, et alias diversimode memoratis decano et capitulo ac predictis et nonnullis aliis eorum subditis seu adherentibus molestias, dampna, injurias, et gravamina indebite irrogando. Prefato episcopo in contrarium asserente quod ea que super illis fecerat sibi de jure licebant, et quod ipsi decanus et capitulum contra quosdam presbyteros et capellanos ipsius Ambianensis et aliarum ecclesiarum eidem episcopo subjectos in ipsius episcopi prejudicium processerant, ferendo in eos excommunicationis sententias, et privando ipsos choro et distributionibus minus juste, et quod alias ipsi decanus et capitulum nec non alii occasione ipsorum et causa nonnullas injurias presumpserant contra eum, super quibus omnibus vel eorum aliquibus diverse appellationes hinc et inde ad eandem Sedem fuisse interjecte dicuntur.

Hujusmodi autem negotiis per constitutionem predicti predecessoris nostri editam super suspensionibus divinorum organorum seu super cessationibus a divinis, ac per compromissum et appellationes supradictas ad ipsius predecessoris audientiam devolutis, idem predecessor dilecto filio nostro Roberto tituli sancte Pudentiane presbytero cardinali commisit, ut causas ipsas audiret, eidem quod inveniret postmodum relaturus. Sed deinde sibi super hoc dilectum filium nostrum Johannem tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem adjunxit. Qui causis auditis eisdem, ipsi predecessori quod invenerunt referre curarunt. Et demum audita per prefatum predecessorem relatione hujusmodi et vocatis procuratoribus predictarum partium coram eo, Jacobus de Guarcino, procurator episcopi memorati, et Adam de Buignevilla, procurator decani et capituli predictorum, in ejusdem predecessoris propter hoc presentia constituti, eidem predecessori ex parte ipsorum episcopi, decani et capituli cum instantia supplicarunt, ut dignaretur hujusmodi causas per viam compendii terminare : dictusque predecessor intendens hujusmodi predictorum episcopi, decani et capituli et aliorum discordias, questiones et scandala sub compendio terminare, tam auctoritate apostolica et de apostolice plenitudine potestatis, quam ex hujusmodi arbitraria potestate, per viam ordinationis et provisionis omnes processus et excommunicationum, suspensionum, interdicti et privationum sententias supradictas et quoscumque alios predictorum occasione seu causa per eundem Guillelmum episcopum vel ejus auctotoritate sive mandato factos, latos et habitos contra predicta decanum et capitulum, monasteria, abbates, conventus et rectores seu quaslibet alias personas totaliter revocavit et substulit ac etiam relaxavit, et ipsa decanum et capitulum, monasteria, abbates, conventus, rectores et personas, tam quo ad hujusmodi processus et sententias quam quo ad possessionem rerum, jurisdictionum et jurium, quorum occasione et causa ipsi processus et sententie facti et late fuerant, in eum statum reduxit et haberi voluit pro reductis in omnibus et per omnia, in quo erant eo tempore, quo prefatus predecessor ad apicem fuerat summi Apostolatus assumptus. Omnes quoque illos ex

eis, qui ab hujusmodi excommunicationum et suspensionum sententiis absolutione indigerent, hujusmodi presbyteros et capellanos ipsi subjectos episcopo, in quos prelibatum capitulum tulerat ut prefertur excommunicationis sententias, a sententiis ipsis absolvit, cum eis super irregularitate, si quam post predictas sententias se divinis officiis immiscentes incurrerant occasione sententiarum ipsarum, si dispensatione indigerent, dispensavit, et eosdem presbyteros et capellanos subjectos episcopo memorato privatos choro et distributionibus, ut prefertur, ad chorum et distributiones hujusmodi restituit et voluit pro restitutis haberi.

Inhibuit quoque ipsi episcopo sibique districte precepit ut, dum negotium penderet hujusmodi, nullam super premissis vel eorum aliquo seu super aliis ea contingentibus pendentibus coram eo, contra predictos decanum et capitulum vel contra alios supradictos quos ea contingebant, per se vel alium faceret novitatem, et quod fieret extunc decrevit irritum et inane ac nullius existere firmitatis, presertim cum predictus Jacobus, procurator ipsius episcopi, recognovisset in judicio coram predecessore predicto eosdem decanum et capitulum fuisse tempore predicte promotionis ipsius in possessione habendi et exercendi omnimodam potestatem et jurisdictionem spiritualem, censuram ecclesiasticam, commissionem cure animarum, destitutionem, correctionem omniaque jura episcopalia in predicta monasteria sancti Acheoli et sancti Martini ac personas eorum, tanquam subjecta ipsis decano et capitulo ac libera et exempta ab omni potestate, jurisdictione ac jure episcopali Ambianensis episcopi, benedictione abbatum ipsorum monasteriorum dumtaxat excepta, facienda certo modo per Ambianensem episcopum ad presentationem decani et capituli predictorum.

Voluit autem predictus predecessor, quod per premissa vel infrascripta in hujusmodi sua ordinatione contenta seu eorum aliquod neutri dictarum partium, quo ad petitorium vel possessorium, prejudicium aliquod fieret, sed utrique ipsarum partium jus petitorii et possessorii salvum et integrum reservavit. Et insuper ad perpetuam rei memoriam in penam predictorum episcopi, decani et capituli, et ne Ambianenses episcopi qui pro tempore forent proni essent vel faciles ad dandas occasiones seu causas cessandi a divinis contra eos decano et capitulo memoratis, neve ipsi decanus et capitulum similiter de facili hujusmodi cessationis causam assumerent, tam ipsi episcopo quam predictis decano et capitulo, sub excommunicationis in eosdem episcopum et decanum et singulares personas de dicto capitulo ac interdicti in dictum capitulum penis, dističte predecessor ipse precepit quod quelibet dictarum partium, infra unum annum a die denuntiationis hujusmodi ordinationis et provisionis predecessoris ejusdem faciende in eadem Ambianensi ecclesia, teneretur et deberet facere ac fieri faceret unam ymaginem argenteam deauratam, episcopus scilicet papalem et decanus et capitulum beate Virginis, quarum quelibet valoris seu pretii mille librarum Parisiensium antiquorum ad minus existeret, expensis operum ipsarum ymaginum minime computandis, et interin duo milia librarum Parisiensium penes dilectum filium .. abbatem monasterii sancti Cornelii Compendiensis, ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diocesis, partes ipse deponerent pro predictis ad ipsius dispositionem abbatis ymaginibus faciendis. Super depositione autem hujusmodi prefatus predecessor fieri voluit duo publica consimilia instrumenta, quorum unum penes abbatem ipsum remaneret, reliquum vero sibi per fidelem nuntium mitteretur, et quod dicte ymagines ponerentur et poni deberent singulis festivitatibus solennibus super majus altare ipsius Ambianensis ecclesie, dum missa celebraretur in eo, nec unquam possent vel deberent ymagines ipse per episcopum aut decanum et capitulum Ambianenses seu alium vel alios vendi vel alienari aut obligari quomodolibet seu ad usus alios deputari.

Ad hec mandavit et voluit sepedictus predecessor quod, statim facta denunciatione ordinationis et provisionis ejusdem in Ambianensi ecclesia memorata, prefati decanus et capitulum resumerent et resumpta continuarent suspensa per eos propter hoc organa divinorum, et quod si super petitorio vel possessorio partes ipse vel earum altera seu quivis predictorum super premissis vel aliquo seu aliquibus premissorum, aut super aliis contingentibus ea vel aliquod seu aliqua eorumdem, aut dependentibus ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus vellet de suo jure contendere, pars que agere vellet contra alteram, formatis articulis super quibus experiri proponeret ac intentionem suam fundare vellet, illos tradere parti altere teneretur et denuntiare quod super eis intenderet experiri seu agere contra eam. Quibus traditione et denuntiatione sic factis, ambe partes a die denuntiationis hujusmodi infra duorum mensium spatium, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium contingentibus, comparere coram ipso predecessore per procuratores ydoneos tenerentur, facture et recepture quod justitia suaderet, quia paratus erat exhibere ipsis tam apostolica quam arbitraria potestate justitie complementum, prout expedire videret; a qua quidem arbitraria potestate predecessor ipse non intendebat recedere per premissa, quando ex ea sibi audiendi, procedendi, diffiniendi, providendi et ordinandi ulterius, sicut oportunum foret ac sibi videretur expediens, et in premissis que or-

dinavit et providit et eorum singulis addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, declarandi, interpretandi et in melius reformandi, quando et quotiens ac prout expediret videret, libera sibi foret reservata facultas, prout hec omnia in ipsius predecessoris bullatis litteris plenius continentur.

Demum vero partes ipse, prout ex eadem ordinatione poterant, procuratores earum cum quibusdam articulis et actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus ad ejusdem predecessoris presentiam destinarunt, dictusque predecessor dilectum filium nostrum Riccardum, sancti Eustachii diaconum cardinalem, super hoc deputavit ipsis partibus auditorem, et lis seu questio pendet exinde in Romana curia coram eo.

Nos autem hujusmodi ordinationem prefati predecessoris volentes in suo manere robore firmitatis, donec hujusmodi fuerit questio terminata, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate nostra ordinationem et provisionem eandem, prout executioni incumbit, faciatis a partibus, donec decisa fuerit dicta causa, firmiter observari, partes ipsas ad observationem hujusmodi et contradictores quoslibet eadem auctoritate appellatione postposita compellendo, non obstante si aliquibus a prefata sit Sede indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut supendi per litteras apostolicas, non facientes, etc., usque : mentionem. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

195 Au Latran, 12 décembre 1303.

Episcopo Lubicensi mandat ut Herricum, filium Bogusii comitis de Pogorella, restitui faciat ad possessionem scholastriæ, canonicatus ac præbendæ Wratislaviensis ecclesiæ, quibus ab episcopo Wratislaviensi privatus est indebite. (n° 176, fol. 44.)

« .. *Episcopo Lubicensi* [1]. Significavit nobis Herricus, natus nobilis viri Bogusii comitis de Pogorella, scolasticus et canonicus ecclesie Vratislaviensis, quod, cum nos olim tunc episcopus Ostiensis in illis partibus legationis officio fungeremur, Walterum Eberardi, tunc canonicum et scolasticum dicte eccclesie, scolastria, canonicatu et prebenda quos in eadem obtinebat ecclesia certis ex causis auctoritate nostre legationis justitia privavimus exigente, et deinde scolastriam, canonicatum et prebendam predictos per hujusmodi privationem vacantes sibi auctoritate predicta canonice duximus conferendos.

Cumque nos postmodum, adhuc eadem legatione durante, venerabili fratri nostro .. episcopo Wratislaviensi compellendi personas ecclesiasticas Wratislaviensis civitatis et diocesis ad contribuendum in procurationibus nostris per censuram ecclesiasticam ac etiam per privationem, si expediret, suorum beneficiorum concessissemus per nostras certi tenoris litteras potestatem, idem episcopus, occasione sumpta contra dictum Henricum quod ipse partem non solverat eum contingentem ratione scolastrie, canonicatus et prebende predictorum de procurationibus memoratis, quamvis idem Henricus de ipsis scolastria, canonicatu et prebenda nullos redditus percepisset, de facto cum de jure non posset, eundem Henricum propter hoc non monitum nec citatum, immo absentem sed non per contumaciam, dictis scolastria, canonicatu et prebenda contra mentem commissionis per nos ei super hoc facte privavit, ac inhabilem reddidit et indignum ad quelibet alia ecclesiastica beneficia obtinenda, et nichilominus scolastriam, canonicatum et prebendam predictos Walthero contulit memorato pro suo libito voluntatis. Et licet ex parte dicti Henrici ad Sedem fuerit propter hoc Apostolicam appellatum, idem tamen Waltherus scolastriam, canonicatum et prebendam predictos pretextu talis collationis occupans, eos detinet occupatos, percipiendo fructus et redditus ex eisdem in anime sue periculum dictique Henrici non modicum detrimentum.

Cum autem ex parte dicti Henrici ad nos super hiis humiliter sit recursus, nos eidem Henrico, quem benivolentia paterna prosequimur, de oportuno in hiis remedio providere volentes, fraternitati tue in virtute sancte obedientie et sub pena excommunicationis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus prefatum episcopum ut premissa, que contra dictum Henricum taliter sunt habita per eundem, prout de facto processerunt, provide revocet per seipsum, restituendo eum ad possessionem dictorum scolastrie, canonicatus et prebende, ac nichilominus prefatum Waltherum quod scolastriam, canonicatum et prebendam eosdem dicto Henrico in pace dimittat et de fructibus inde perceptis satisfactionem sibi vel procuratori suo exhibeat competentem, ex parte nostra moneas et inducas. Quod si episcopus et Walterus predicti infra quindecim dierum spatium, quod [1] ad hoc eis assignes, hujusmodi tue monitioni parere forte contempserint, tu eos extunc ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi compareant personaliter coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie pariturí ac facturi et recepturi super premissis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi cita-

1. Ms : « Subicensi. » Mais la rubrique du haut de la page porte clairement *Lubicensi*.

1. Ms : « quem. »

tionis et formam et quicquid inde duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

196 Au Latran, 6 décembre 1303.

Confirmat concessionem ecclesiæ de Pina, Cæsaraugustanæ diocesis, quam quondam diocesanus episcopus ad inopiam canonicorum ecclesiæ suæ relevandam propriis eorum usibus auctoritate ordinaria applicavit. (n° 177, fol. 44 v°.)

« *Dilectis filiis capitulo ecclesie Cesaraugustane.* Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod bone memorie Arnaldus, episcopus Cesaraugustanus, prudenter attendens quod redditus et proventus mense ecclesie vestre adeo erant tenues et exiles, quod canonici ecclesie vestre tunc servientes non poterant ex eis comode substentari, propter quod ecclesia ipsa in temporalibus et spiritualibus patiebatur defectum, ecclesiam de Pina, Cesaraugustane diocesis, tunc vacantem, ad collationem ipsius episcopi pertinentem, nulli alii de jure debitam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, de vestro consensu auctoritate ordinaria propriis usibus dicte mense concessit et etiam applicavit, reservatis de ipsius ecclesie proventibus congruis portionibus vicario et portionariis in eadem ecclesia perpetuo servituris, ex quibus comode substentari valeant, jura episcopalia solvere ac alia incumbentia eidem ecclesie onera supportare, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII idus decembris, anno primo. »

197 Au Latran, 10 janvier 1304.

Olim Bonifatio VIII adhuc vivente, Mathæus de Vicecomitibus, domini papæ capellanus, Mediolanensis ecclesiæ cimiliarcha, fuit a quibusdam molestatoribus bonis suis et beneficiorum suorum possessionibus nequiter spoliatus ac postmodum ab ipso Mediolanensi episcopo, qui spoliatoribus hujusmodi favorem exhibebat indebitum, in juribus et officiis suis specialiter gravatus. Unde contra prædictum archiepiscopum auctoritate Sedis Apostolicæ habitus est processus. Recusante autem illo satisfactionem impendere Mathæo supradicto, Benedictus episcopo et præposito Pergamensibus intimat quod, si dictus archiepiscopus de novo monitus mandatis eorum parere contempserit, cum peremptorie citent ad comparendum coram Apostolica Sede super præmissis responsurus. (n° 178, fol. 44 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilecto filio .. preposito Pergamensibus.* Licet injurie quibuscumque presertim ecclesiasticis illate personis plurimum sint contrarie votis nostris, cum tamen nostris capellanis et familiaribus irrogantur, eo magis animum nostrum turbant quo illorum gravamina specialius nos contingunt.

Intimante siquidem nobis dilecto filio Matheo de Vicecomitibus, cimiliarcha ecclesie Mediolanensis, capellano nostro, nuper accepimus quod ipse possessionibus et bonis cimiliarchie sue, quam in predicta Mediolanensi, et prepositure, quam in de Desio, Mediolanensis diocesis, ecclesiis ex dispensatione apostolica obtinet, et quorumdam aliorum beneficiorum aliisque pluribus bonis suis est a quibusdam potentibus tam clericis quam laicis civitatis et diocesis Mediolanensis nequiter spoliatus, et licet felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, per quosdam conservatores, quos ei concessit, mandaverit eum plene restitui ad predicta, iidemque conservatores nonnullos processus fecerint in premissis, quia tamen propter ipsorum potentiam et malitiam spoliantium non poterat idem capellanus nec posse sperabat contra eos coram dictis conservatoribus justitiam obtinere, ac venerabilis frater noster .. archiepiscopus Mediolanensis, cui conservatores ipsi in hac parte nimium deferebant, cum deberet eum ab hujusmodi oppressionibus defensare, ad ipsius aspirans gravamina ac favorem spoliatoribus exhibens antedictis, in officio predicte cimiliarchie quendam yconomum et in prefata prepositura per capellanum ipsius ecclesie de Desio quendam alium yconomum de potentibus illarum partium, inimicum dicti capellani, fieri procuravit, idem predecessor ad quem capellanus ipse habuit in hac parte recursum, dicto archiepiscopo in virtute obedientie per suas litteras districte precipiendo mandavit, ut predicta gravamina per eum ipsi capellano ut premittitur irrogata, sublato dilationis et difficultatis obstaculo revocaret et contra eum aliis imposterum abstineret, bona predicta quibus erat taliter spoliatus sibi restitui libere et plenarie faciendo, invocato ad hoc si opus esset auxilio brachii secularis, ac nichilominus .. episcopo et .. archipresbytero Veronensibus ac .. abbati monasterii sancti Zenonis Veronensis per alias suas injunxit litteras, ut si idem archiepiscopus super hoc requisitus mandatum suum hujusmodi non adimpleret, ipsi vel duo aut unus eorum

per se vel alium seu alios tandiu facerent dicto capellano de bonis mense sue usque ad certam pecunie summam, de qua ipsis omnibus videretur, annis singulis provideri, donec eidem capellano bona predicta, quorum proventus quadringentorum [1] florenorum auri valorem annuum attingebant, forent plene et libere restituta, contradictores auctoritate sua appellatione postposita compescendo.

Episcopus vero, archipresbyter et abbas predicti juxta formam litterarum predictarum eis super hoc directarum contra dictum archiepiscopum procedentes, per eorum certi tenoris litteras processum hujusmodi continentes mandaverunt eidem, quod infra certum terminum in ipsis eorum litteris comprehensum dicto capellano bona restitui faceret prelibata, alioquin trecentos florenos auri, de quibus ipsis omnibus deliberatione prehabita visum fuit, tandiu annis singulis eidem capellano certo termino exhiberet, donec ipse dictorum restitutionem bonorum esset adeptus. Verum quia Martinus de Buvirago, monachus monasterii sancti Victoris ad Corpus Mediolanensis, litteras eorum hujusmodi deferens, a familiaribus dicti archiepiscopi non fuit permissus domum sue habitationis intrare, dictus monachus litteras ipsas januis dicte domus dimisit affixas, ac paulo post idem monachus captus extitit et in carcere dicti archiepiscopi aliquandiu detentus, et postmodum inde dimissus iterum captus fuit ac tandiu in carcere predicto detentus, donec per offitiales ipsius archiepiscopi coactus extitit prestare corporaliter juramentum, quod absque consensu predicti archiepiscopi vel suorum offitialium diocesim Mediolanensem aliquatenus non exiret, nec extra illam litteras seu scripturas aliquas destinaret, nec consentiret vel faceret destinari, donec Matheus de Vicecomitibus vel Galaaz, filius ejus, cum eorum sequacibus a civitate Mediolanensi existerent forbanniti.

Cum autem idem archiepiscopus in predictis, si veritate nitantur, non modicum excessisse noscatur, nos nolentes quod capellanus ipse, quem suis exigentibus meritis benivolentia prosequimur speciali, taliter in suis juribus opprimatur, sed intendentes eundem in sua justitia favorabiliter confovere, discretioni vestre in virtute obedientie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios eundem archiepiscopum ex parte nostra moneatis et inducatis attente, ut ab eisdem injuriis capellani deinceps prorsus abstineat, revocando juxta mandatum dicti predecessoris que contra ipsum sunt hactenus attemptata, dictosque trecentos florenos auri in predictis eorumdem episcopi, archipresbyteri et abbatis litteris comprehensos, juxta illarum tenorem, dicto capellano vel procuratori suo ejus nomine tandiu annis singulis, dicto termino, omni difficultate cessante, faciatis per ipsum archiepiscopum exhiberi, donec idem capellanus dictorum restitutionem bonorum libere ac plenarie consequatur.

Quod si forsan archiepiscopus ipse idem facere recusaret, ipsum extunc ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi compareat personaliter coram nobis, recepturus pro meritis et mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie pariturus. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeritis faciendum nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

1. Ms : « quadrigentorum. »

198 Au Latran, 9 janvier 1304.

Quædam annua pensio ministretur Petriolo Benvenuti de Bectonio, laico Asisinatis diocesis. (nº 179, fol. 45.)

« *Dilectis filiis .. priori sancte Marie de Ronzione, Perusine diocesis, ac Petro Radulfi Asisinati et Munaldo Raynalducii* [1], *Reginensi canonicis.* Cum dilectus filius Petriolus Benvenuti de Bectonio, laicus Asisinatis diocesis, diu Apostolice Sedi serviverit fideliter et devote, nos ipsum propterea paterna benivolentia prosequentes eique volentes ad suam inopiam relevandam de alicujus subventionis remedio subvenire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios de bonis sancti Crispoliti, sancti Uberti et sancti Quirici de Bectonio monasteriis, [ordinis] sancti Benedicti, ac plebis ejusdem loci de Bectonio, prefate diocesis, singulorum videlicet eorumdem monasteriorum et plebis, in una corba frumenti ad mensuram civitatis Perusine et in uno floreno auri in festo Assumptionis beate Marie Virginis, per abbatem ipsius monasterii sancti Crispoliti et priores dictorum sancti Uberti et sancti Quirici monasteriorum, per priores solitorum gubernari, dictorumque monasteriorum conventus ac archipresbyterum et capitulum dicte plebis faciatis eidem laico annis singulis, quoad vixerit provideri;

Non obstante si pro similibus provisionibus aliquibus faciendis de bonis dictorum monasteriorum et plebis scripta apostolica sint directa, quibus per hoc nullum prejudicium generetur; seu si abbati, prioribus, conventi-

1. Ms : « Raynalduvii. » La rubrique volante donne *Raynalducii.*

bus, archipresbytero et capitulo memoratis vel quibusvis aliis ab eadem sit Sede indultum, quod ad providendum cuiquam in hujusmodi pensionibus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes, etc., usque : mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, contradictores, etc. Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

199 Au Latran, 30 décembre 1303.

Jonselino quondam Guifredi comitis de Lomello confert canonicatum et præbendam in Aquensi ecclesia dispensatque cum eodem super pluralitate beneficiorum. (n° 180, fol. 45.)

« *Dilecto filio Jonselino quondam Guifredi comitis de Lomello, canonico Aquensi.* Dum conditiones et merita — Dat. Laterani, III kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Massiliensi et .. abbati monasterii sancti Victoris Massiliensis ac .. cimiliarche ecclesie Mediolanensis.

200 Au Latran, 19 décembre 1303.

Concessionem quorumdam possessionum ac jurium, quæ abbas et conventus monasterii s. Mariæ in Cosmedin de Ravenna Lamberto, Guidonis de Polenta filio, commiserunt sub certis conditionibus jure emphyteutico retinenda, præsentibus confirmat et communit. (n° 181, fol. 45 v°.)

« *Dilecto filio Lamberto, nato nobilis viri Guidonis de Polenta civis Ravennatis.* Gerentes ad personam tuam tue ac tuorum devotionis intuitu paterne dilectionis affectum, votis tuis libenter annuimus et que digne postulas tibi favorabiliter impertimur.

Oblata siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod dilecti filii .. abbas et conventus monasterii sancte Marie in Cosmedin Ravennatis, ordinis sancti Benedicti, quedam terras, possessiones et jura dicti monasterii sita in locis et territoriis sancti Stephani in Tegurio et sancti Petri intra Silvam, in massa que vocatur Latarolium, in Aureola et in Via Nova, in cento territorii sancte Marie de Aqueductu et in fundo que vocatur Casanebula de plebatu sancti Pancratii, Ravennatis diocesis, que nonnulle persone jure emphiteotico sub certo canone dicto monasterio persolvendo tenuerant temporibus retroactis, queve, licet essent propter dictum canonem non solutum ad idem monasterium legitime devoluta, ipsi tamen abbas et conventus de personarum manibus earumdem, que illa detinebant in eorum grave prejudicium occupata, eripere non valebant, diligenti super hiis deliberatione prehabita et in hoc utilitatem dicti monasterii attendentes, tibi tuisque filiis et nepotibus dicto jure, sub certis canone monasterio predicto annuatim solvendo et conditionibus ac pactis appositis, dicto monasterio magis utilibus quam illa sub quibus antea concessa fuerant, concesserunt, dictaque terre, possessiones et jura postmodum per te de manibus dictarum personarum illa detinentium sunt extracta et ad dominium dicti monasterii revocata. Bone quoque memorie M[atheus], episcopus Portuensis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, super concessione hujusmodi tibi facta de illis diligenter inquirens, quia invenit eam in evidentem utilitatem dicti monasterii redundare, illam sue legationis auctoritate ex certa scientia confirmavit, tenores duorum instrumentorum publicorum super concessione hujusmodi editorum suis litteris super hujusmodi confirmatione confectis inseri faciendo, prout hec omnia in litteris et instrumentis predictis dicuntur latius contineri.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, concessionem eandem ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XIIII kalendas januarii, anno primo. »

201 Au Latran, 30 décembre 1303.

Dispensat cum Bercuco, filio Nicolai Quirini de Venetiis, ut ad omnes ordines promoveri et quæcumque beneficia obtinere possit, non obstante natalium defectu. (n° 182, fol. 46.)

« *Dilecto filio Bercuco, nato dilecti filii nobilis viri Nicolai Quirini de Venetiis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, III kalendas januarii, anno primo. »

202 Au Latran, 26 décembre 1303.

Eadem dispensatio concessa Petro, filio Guidonis de Bonacolsis civis Mantuani. (n° 183, fol. 46.)

« *Dilecto filio Petro, nato dilecti filii nobilis viri Guidonis de Bonacolsis civis Mantuani, scolari.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VII kalendas januarii, anno primo. »

203 Au Latran, 2 janvier 1304.

Eadem dispensatio concessa Nasambenæ, alio ejusdem Guidonis de Bonacolsis filio. (nº 184, fol. 46.)

« *Dilecto filio Nasambene, nato dilecti filii nobilis viri Guidonis de Bonacolsis civis Mantuani, monacho monasterii sancti Benedicti de Padolirone, ordinis ejusdem, Mantuane diocesis.* Testimonio tibi suffragante — Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

204 Au Latran, 28 décembre 1303.

Ricardo Mathiæ Panciæ de Anibaldis de Urbe militi committitur rectoria civitatis Beneventanæ ejusque districtus. (nº 185, fol. 46.)

« *Dilecto filio Ricardo Mathie Pancie de Anibaldis de Urbe militi.* Ad statum civitatis Beneventane ejusque districtus paterne considerationis intuitum extendentes, ipsorum regimen persone committere affectamus, que incolarum civitatis et districtus ipsorum comoda diligat, profectus exquirat, quietem cupiat et per cujus circumspectionem providam et providentiam circumspectam iidem incole in statu tranquillo et prospero conserventur.

Sane post deliberationem super hoc habitam attendentes tue dilectionis constantia[m] et fidei puritatem, quibus erga nos et Romanam viges Ecclesiam, inclite quoque probitatis industriam aliaque merita, quibus personam tuam novimus insignitam, ad te direximus oculos nostre mentis tibique propterea rectoriam civitatis et districtus predictorum apostolica auctoritate committimus per te et per alium usque ad nostrum et Sedis Apostolice beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in civitate et districtu predictis quicquid ad honorem Romane Ecclesie et statum prosperum hominum dictorum civitatis et districtus noveris pertinere, contradictores quoque et rebelles quotiens expedierit temporali districtione appellatione postposita compescendi, concedentes tibi plenariam potestatem.

Sic ergo rectoriam predictam gerere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde merito commendari valeas ac nostram et ejusdem Sedis gratiam promereri. Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. universitati civitatis Beneventane ejusque districtus.

205 Au Latran, 1er janvier 1304.

Meliori de Alberibus, clerico Florentino, reservatur beneficium quoddam in ecclesia Florentina. (nº 186, fol. 46 vº.)

« *Dilecto filio Meliori, nato nobilis viri Masii de Alberibus, clerico Florentino.* Tua et tuorum — Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Jacobi ultra Arnum Florentini et .. preposito Fesulane ac .. archipresbytero de Colle, Wlterrane diocesis, ecclesiarum.

206 Au Latran, 9 janvier 1304.

Indulget Eduensi episcopo ut possit diocesim suam usque ad quinquennium per aliquam personam idoneam facere visitari. (nº 187, fol. 46 vº.)

« *Venerabili fratri B[artholomeo], episcopo Eduensi.* Personam tuam nobis — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Nivernensi et .. decano Matisconensis ac .. cantori sancti Ylarii Pictavensis ecclesiarum.

207 Au Latran, 21 novembre 1303.

Cum Thomas quondam Pandulfi dudum receptus in canonicum sæcularis ecclesiæ s. Eleutherii Reatini præbendam nondum obtinuerit sibi reservatam, ejus petitioni Benedictus annuens mandat, ut, si præbenda quædam vacat ad præsens in supradicta ecclesia, ei assignetur remoto quolibet obstaculo; alioquin dicto canonico provideatur de præbenda quam primum ibidem vacatura. (nº 188, fol. 47.)

« *Dilectis filiis .. preposito sancti Angeli Reatini et .. archipresbytero Lucane ac magistro Petro Berardi, canonico Tiburtine ecclesiarum.* Sua nobis dilectus — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

208 Au Latran, 8 novembre 1303.

Bonifatio VIII adhuc vivente, Neapoleo Fortibrachiæ de Romangia, domini papæ capellanus, auctoritate litterarum dicti pontificis in Remensem canonicum receptus est, præbenda sibi in eadem ecclesia reservata. Sed priusquam præbendam eandem fuit assecutus, Bonifatius a sæculo migravit et paulo post Benedictus XI omnes provisiones de beneficiis vacaturis a prædecessore suo factas penitus irritavit. Precibus autem capellani supradicti idem Benedictus inclinatus, effectum irritationis hujusmodi in hac parte suspendens, collationem prædictorum canonicatus ac præbendæ renovat et confirmat de gratia speciali. (nº 189, fol. 47.)

« *Dilecto filio Neapoleoni Fortibrachie de Romangia, capellano nostro, canonico Remensi.* Dum conditiones et merita — Dat. Laterani, VI idus novembris, anno primo. »

209 Au Latran, 26 décembre 1303.

Monasterio s. Heliæ de Carbone, ordinis s. Basilii, Anglonensis diocesis, per mortem Pellagii archimandritæ solatio pastoris destituto, auctoritate apostolica præficitur in archimandritam Jacobus, monachus monasterii Criptæ Ferratæ, Tusculanæ diocesis. (n° 190, fol. 47 v°.)

« *Dilecto filio Jacobo, archimandrite monasterii sancti Elie de Carbone, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Basilii, Anglonensis diocesis.* Debitum officii nostri requirit ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias et monasteria Romane Ecclesie immediate subjecta solertiam adhibentes, eorum utilitatibus intendamus, in eo potissime ut viduatis, ne longe vacationis dispensa patiantur, de illorum celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter auctore Domino continuum suscipiant incrementum.

Dudum siquidem monasterio sancti Helie de Carbone, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Basilii, Anglonensis diocesis, per mortem quondam Pellagii, archimandrite ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, tu qui tunc eras monachus monasterii Cripte Ferrate, predicti ordinis, Tusculane diocesis, in archimandritam dicti monasterii sancti Helie per viam compromissi fuisti electus. Cumque nos, presentato nobis hujusmodi electionis decreto, tam super ipsius electionis forma quam tue persone meritis per venerabilem fratrem L[eonardum], episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Robertum, sancte Pudentiane presbyterum, et Landulfum, sancti Angeli diaconum cardinales, fecimus diligenter inquiri, facta tandem nobis per eos relatione fideli, dictam electionem non persone tue vitio sed ex aliis certis causis justitia cassavimus exigente; ac dein considerantes laudabile testimonium quod tibi de honestate conversationis et vite multeque probitatis meritis perhibetur, volentesque obviare dispendiis que solet vacantibus monasteriis prolixitas vacationis inferre, de predictorum episcopi, cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis de persona tua eidem monasterio sancti Helie duximus providendum, teque illi in archimandritam prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo; ac subsequenter tibi per eundem Albanensem episcopum fecimus munus benedictionis impendi, firma concepta fiducia quod, dirigente Domino actus tuos, monasterium ipsum per tue multiplicis circumspectionis industriam propere dirigetur et salubria dante Domino suscipiet incrementa.

Reverenter igitur et devote supportare studeas impositum a Domino tibi onus curam ejusdem monasterii gerendo sollicitam, et gregem dominicum in illo tue discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod prefatum monasterium per tue solertie studium votivis possit proficere comodis et optatis consurgat augmentis. Dat. Laterani, VII kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. priori et conventui monasterii sancti Helie.
In e. m. universis vassallis monasterii sancti Helie.
In e. m. Carolo, regi Sicilie illustri.

210 Au Latran, 14 décembre 1303.

Confertur Johanni quondam Mathiæ de s. Eustachio de Urbe canonicatus cum præbenda in ecclesia Baiocensi. Valeat insuper idem Johannes plura beneficia insimul retinere. (n° 191, fol. 48.)

« *Dilecto filio Johanni quondam Mathie de sancto Eustachio de Urbe, canonico Baiocensi.* Ut tua et tuorum — Dat. Laterani, XVIIII kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Stephani de Cadomo, Baiocensis diocesis, et Leoni de Anibaldis Lateranensis ac Jacobo de Carapelle, sancte Marie Majoris de Urbe canonicis ecclesiarum.

211 Au Latran, 18 novembre 1303.

Stephano de Pileo, archidiacono Suessionensi, indulget ut per quinquennium, sive commoretur in Romana curia, sive autem in scholis ubi viget studium generale resideat, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum integre percipiat, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (n° 192, fol. 48 v°.)

« *Dilecto filio Stephano de Pileo, archidiacono Suessionensi.* Provenit ex probitatis — Dat. Laterani, XIIII kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Anagnino et .. abbati monasterii s. Trinitatis Vindocinensis, Carnotensis diocesis, ac .. thesaurario ecclesie Suessionensis.

212 Au Latran, 29 novembre 1303.

Tempus consecrationis electi Salernitani usque ad festum apostolorum Petri et Pauli proxime venturum prorogat, indulgetque eidem electo ut non obstante prorogatione prædicta

administrationi diocesis suæ valeat interim consulere. (nº 193, fol. 48 vº.)

« *Dilecto filio Guillelmo, electo Salernitano.* Dum ad personam tuam nobis ob tuorum exigentiam meritorum acceptam vertimus considerationis intuitum, illam quantum cum Deo possumus libenter prosequimur favoribus et gratiis oportunis.

Ex tenore siquidem tue petitionis accepimus quod, cum tu olim pro negotiis dilecti filii nobilis viri R[oberti], ducis Calabrie, personaliter occupatus tue consecrationis munus comode recipere non valeres, felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, volens tibi super hoc salubriter providere, tempus dicte consecrationis ad suum beneplacitum prorogavit. Cum autem dicti ducis obsequiis utiliter occuperis, propter quod munus ad presens non posses recipere supradictum, nos tibi super hoc providere volentes, tuis supplicationibus inclinati, predictum tempus consecrationis usque ad festum beatorum apostolorum Petri et Pauli proxime venturum auctoritate apostolica prorogamus, quacumque constitutione contraria non obstante, tibi nichilominus eadem auctoritate de uberioris dono gratie indulgentes, ut quicumque antistes catholicus gratiam et comunionem obtinens dicte Sedis, quem super hoc duxeris requirendum, ascitis et in hoc assistentibus duobus vel tribus episcopis illarum partium similem gratiam et comunionem habentibus, tibi possit munus impendere memoratum. Volumus tamen quod, donec dictum munus receperis, taliter de administratione ecclesie predicte Salernitane provideas, quod ipsa interim spiritualibus non fraudetur nec in temporalibus detrimentum propterea patiatur. Nulli ergo, etc., nostre prorogationis et concessionis, etc. Dat. Laterani, III kalendas decembris, anno primo. »

213 Au Latran, 21 novembre 1303.

Consideratione Albertini Maurecini de Venetiis conferuntur Alexandro Michaeli Maurecino, ejus nepoti, canonicatus et præbenda in ecclesia Cameracensi. (nº 194, fol. 48 vº.)

« *Dilecto filio Alexandro Michaeli Maurecino de Venetiis, canonico Cameracensi.* Laudabilia testimonia tibi — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. .. archipresbytero Paduane et Grimerio de Comitibus de Placentia Parisiensis ac Johanni de Plaza de Parma, Atrebatensis canonicis ecclesiarum.

214 Au Latran, 28 décembre 1303.

Egidio quondam Guidalocti de Perusio, rectori ecclesiæ s. Martini juxta Claves, Clusinæ diocesis, reservatur beneficium quoddam ecclesiasticum in ecclesia Perusina. (nº 195, fol. 49.)

« *Dilecto filio Egidio quondam Guidalocti de Perusio, rectori ecclesie sancti Martini juxta Claves, Clusine diocesis.* Ut tua et tuorum devotio — Dat. Laterani, V kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Petri Perusini et .. sancte Marie de Valle Pontis, Perusine diocesis, monasteriorum abbatibus ac .. cantori ecclesie Morinensis.

215 Au Latran, 1[er] janvier 1304.

Raynerio de Pistorio, capellano domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Caturcensi. Dispensatur quoque cum eo super pluralitate beneficiorum. (nº 196, fol. 49 vº.)

« *Dilecto filio Raynerio de Pistorio, canonico Caturcensi, capellano nostro.* Merita tue probitatis — Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Galliaco, Albiensis diocesis, et .. archidiacono sancti Sereni ac Galhardo de Monteacuto, canonico Caturcensis ecclesiarum.

216 Au Latran, 18 décembre 1303.

Cuidam Bartholomæo, filio Jacobi Zachariæ militis, provideatur de duobus tribusve beneficiis ecclesiasticis sine cura, ad collationem archiepiscopi Neapolitani spectantibus, quorum annui redditus valorem viginti unciarum auri non excedant. (nº 197, fol. 50.)

« *Dilectis filiis Johanni Carazulo et Oberto ac Guillelmo de Tocto, canonicis Neapolitanis.* Volentes dilectum filium — Dat. Laterani, XV kalendas januarii, anno primo. »

217 Au Latran, 20 janvier 1304.

Executoribus infradictis mandat ut ad restitutionem quingentorum florenorum auri, quos episcopus Albinganensis ex licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit a mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio, diligenter intendant. — Eadem littera mittitur aliis executoribus super mutuo, quod contraxerat Lundensis archiepiscopus. (nº 198, fol. 50.)

« *Dilectis filiis .. preposito Yporiensis et Aureliacensi Claromontensis [ac] Tiburtine archidiaconis ecclesiarum.*

Cum, sicut venerabilis frater noster Nicolaus, episcopus Albinganensis, nuper in nostra proposuit presentia constitutus, ipsum tam pro suis necessariis quam pro ecclesie sue Albinganensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter subire oporteret magna onera expensarum, nobis humiliter supplicavit ut contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam quingentorum florenorum auri sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores se putabat invenire non posse, sibi licentiam largiremur.

Nos itaque de ipsius episcopi tam in hiis quam in aliis, circa sua et ipsius ecclesie negotia utiliter promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes, ac nolentes quod idem episcopus propter ipsarum expensarum defectum indigentiam pateretur, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingeret, ejus supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam quingentorum florenorum auri nomine suo et ipsius ecclesie, ac seipsum ac successores suos et predictam ecclesiam ac sua et eorumdem bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi, etc., ut in forma, usque : exceptionibus eisdem, a dilectis filiis Baldo Raynerii de Floravantis, cive et mercatore Pistoriensi de societate Clarentum, mutuante pro se ac vice et nomine Clarentini Anselmi, Merguliesis Barchii, Putii Raynerii de Floravantis, Marsopini Meliorati, Johannis Raynerii et Philippi [de] Floravantis, Conradi Gay, Andree Mergulliesis, Nelli Andree, Johannis Puctii, Lapi Lanfranchi et Lapi Baldi eorum concivium, et omnium aliorum sociorum suorum et mercatorum dicte societatis et cujuslibet eorum in solidum, mutuo receperit quingentos florenos auri pro negotiis eisdem, certis predictis mercatoribus loco et termino persolvendis, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, nos de expresso consensu dicti episcopi eorumdem mercatorum indempnitatibus precavere volentes ac eisdem, etc., ut in forma. Dat Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. dilectis filiis .. officiali Parisiensi et magistris Petro de Genezano, archidiacono Tiburtino, ac Oddoni de Sermineto, canonico Xanctonensi, camere nostre clericis. Cum sicut venerabilis — Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

218 Au Latran, 23 décembre 1303.

Vacante Spoletana ecclesia per translationem Nicolai episcopi ad episcopatum Ostiensem, dictæ ecclesiæ præficitur in pastorem Johannes, Andegavensis archidiaconus, domini papæ camerarius. (n° 199, fol. 50 v°; POTTH., n° 25328.)

« *Dilecto filio Johanni, electo Spoletano.* Ad universas orbis ecclesias juxta pastoralis officii debitum apostolice considerationis intuitum extendentes, de illis attentius non immerito cogitamus, que propriis destitute pastoribus vacationis incomodis exponuntur.

Dudum siquidem venerabilem fratrem nostrum N[icolaum] Ostiensem, tunc Spoletanum episcopum, ut ipse nobiscum universalis ecclesie onera sortiretur, ad Cardinalatus assumentes apicem dignitatis, eum ad ecclesiam Ostiensem tunc vacantem duximus transferendum, sicque Spoletana ecclesia per hujusmodi vacationem vacante, nos ipsa die provisionem dicte ecclesie Spoletane ea vice dispositioni Sedis Apostolice specialiter reservantes, decernimus extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Ac deinde de ipsius ecclesie Spoletane provisione, ne vacationis dispendia prolixe subiret, sollicite cogitantes ac cupientes illi preficere virum secundum cor nostrum ydoneum, qui sciret et posset ei preesse salubriter et prodesse, post deliberationem quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum quibus personam tuam illarum Dominus multipliciter illustravit, ad te archidiaconum Andegavensem, camerarium nostrum, cui morum elegantia, vite honestas, providentia spiritualium et circumspectio temporalium aliaque dona virtutum, prout ex experientia placide familiaritatis tue didicimus, suffragantur, convertimus oculos nostre mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta dicte Spoletane ecclesie providimus, teque illi de fratrum eorumdem consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus commitendo, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Spoletana ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, salubriter et prospere dirigetur.

Jugum itaque Domini prompta devotione suscipias et suavi ejus oneri humiliter colla flectas, ipsius ecclesie Spoletane commissum tibi regimen sic exercens sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa jugiter felicibus gratuletur successibus tuque proinde premium retributionis eterne nostrasque [1] ac Apostolice Sedis benedictiones et gratiam uberius consequi merearis. Dat. Laterani, X kalendas januarii, anno primo. »

1. Ms : « nostram. »

In e. m. capitulo ecclesie Spoletane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Spoletane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Spoletane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Spoletane.

219 Au Latran, 10 janvier 1304.

Episcopo Dolensi facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos Dolensis ecclesiæ ac providendi eisdem de vacantibus præbendis. (n° 200, fol. 51.)

« *Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Dolensi.* Personam tuam eo libentius — Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

220 Au Latran, 13 janvier 1304.

Fratribus ordinis Prædicatorum Novariensibus concedit ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si illi quibus horum restitutio fieri debeat omnino sciri vel inveniri non possint, usque ad summam quingentorum florenorum auri recipere valeant. (n° 201 A, fol. 51.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus Predicatorum Novariensibus.* Ut circa ea que — Dat. Laterani, idibus januarii, [anno] primo. »

221 Au Latran, 13 janvier 1304.

Universis Christi fidelibus, qui ecclesiam fratrum Prædicatorum de Novara in s. Dominici ac s. Petri martyris festivitatibus annis singulis visitaverint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (n° 201 B, fol. 51.)

« Universis Christi fidelibus presentes litteras, etc [1]. Vite perennis, etc.— Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

222 Au Latran, 13 décembre 1303.

Magistro Michaeli de Appogniaco, capellano domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Senonensi. (n° 202, fol. 51.)

« *Dilecto filio magistro Michaeli de Appogniaco, capellano nostro, canonico Senonensi.* Dignum et congruum — Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Pontigniaco et .. priori de Monasteriis, Senonensis et Autissiodorensis diocesium, ac .. archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi.

1. Cette rubrique n'a pas été écrite à l'encre rouge, mais à l'encre noire comme le reste de la pièce.

223 Au Latran, 10 janvier 1304.

Frater Jacobus ex ordine Prædicatorum auctoritate apostolica præficitur ecclesiæ Mantuanæ in episcopum et pastorem. (n° 203, fol. 51 v°.)

« *Dilecto filio fratri Jacobo, electo Mantuano.* Romani pontificis sollicitudo requirit, ut circa cujuslil et statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, ut per ejus circumspectionem providam et providentiam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, sicque ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur.

Sane dudum Mantuana ecclesia per obitum quondam Philippi, electi Mantuani, solatio destituta pastoris, provisionem faciendam ea vice dicte ecclesie de prelato dispositioni nostre et Apostolice Sedis duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc scienter vel ignoranter a quoquam contingeret attemptari. Ac postmodum bone memorie Philippum, tunc Tridentinum episcopum, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis a vinculo quo tenebatur Tridentine ecclesie absolventes, ipsum transtulimus ad dictam ecclesiam Mantuanam eumque concessimus ipsi Mantuane ecclesie in episcopum et pastorem, liberam sibi dantes licentiam ad dictam Mantuanam ecclesiam transeundi.

Sed ante quam hujusmodi translatio et provisio ad ipsius Philippi notitiam devenissent, eodem Philippo nature debitum persolvente, nos provisionem faciendam etiam ea vice ipsi Mantuane ecclesie de pastore modo simili duximus reservandam : ac deinde de celeri ordinatione ipsius ecclesie Mantuane sollicite cogitantes, post diligentiam quam ad preficiendam eidem Mantuane ecclesie ydoneam ac approbatam personam adhibuimus vigilanter, ad te fratrum Predicatorum ordinis professorem, quem litterali scientia preditum, virum quoque vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum et aliis virtutum donis multipliciter insignitum familiari experientia novimus, direximus aciem mentis nostre. Proinde tam gregi dominico quam dicte Mantuane ecclesie volentes salubriter providere, te ipsi Mantuane ecclesie de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Mantuane ecclesie tibi spiritualiter et temporaliter committendo.

Quocirca mandamus quatinus impositum a Domino tibi onus suscipiens reverenter, sic curam et administrationem predictas diligenter gerere studeas et sollicite prosequaris, quod ipsa ecclesia Mantuana gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur et preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Mantuane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Mantuane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Mantuane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Mantuane.

224 Au Latran, 10 janvier 1304.

Tridentina vacante ecclesia, ut refertur in littera superiore, per translationem Philippi episcopi ad Mantuanam sedem, Bartholomæus, Novariensis episcopus, ipsi Tridentinæ ecclesiæ præficitur in pastorem. (n° 204, fol. 52.)

« *Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Tridentino.* Dum ad universas — Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Tridentine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Tridentine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Tridentine.
In e. m. universis vassallis ecclesie Tridentine.

225 Au Latran, 15 janvier 1304.

Cum Angelus quondam Mothonensis episcopus, nuper autem ad Pactensem ecclesiam translatus, omne jus quod sibi competebat ex hujusmodi translatione certis ex causis libere resignaverit, ipsum Benedictus restituit ad Mothonensem sedem eumque dictæ ecclesiæ præficit iterum in pastorem. (n° 205, fol. 52 v°.)

« *Venerabili fratri Angelo, episcopo Mothonensi.* Intendentes nuper ecclesie Pattensi (*sic*) pastoris solatio destitute de ydoneo providere pastore, post deliberationem quam super hoc habuimus diligentem, te a vinculo quo Mothonensi ecclesie tenebaris astritus duximus absolvendum, preficientes te ecclesie Pactensi predicte de fratrum nostrorum consilio in episcopum et pastorem tibique liberam concedentes licentiam ad eandem Pactensem ecclesiam transeundi. Cum autem postmodum omne jus [1], quod tibi ex translatione seu provisione hujusmodi in eadem Pactensi ecclesia competebat, ex certis causis rationabilibus libere in nostris manibus resignasses, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna sollicitudine dignaremur.

Nos itaque hujusmodi resignatione recepta, dirigentes ad personam tuam paterne considerationis intuitum ac volentes tibi in hac parte paterna diligentia providere, te ad eandem Mothonensem ecclesiam de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis restituimus in episcopum et pastorem, reponentes et reducentes te in eadem Mothonensi ecclesia in eo statu, in quo te de dicta Mochonensi (*sic*) ecclesia ad Pactensem ecclesiam supradictam duximus transferendum, translatione seu provisione hujusmodi de te ad premissam Pactensem ecclesiam, ut premittitur, facta nequaquam obstante.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad premissam Mochonensem ecclesiam tue cure commissam accedens, sic eam fideliter et prudenter juxta datam tibi a Deo prudentiam regere studeas, quod eadem Mothonensis ecclesia sub tuo ministerio spiritualiter et temporaliter, annuente divina clementia, salubribus proficiat incrementis. Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

1. Ms : « omni juri. »

226 Au Latran, 22 décembre 1303.

Albertino Moratinno de Venetiis licentiam concedit habendi altare portatile. (n° 206, fol. 52 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Albertino Moratinno* [1] *de Venetiis.* Personam tuam paternis — Dat. Laterani, XI kalendas januarii, anno primo. »

227 Au Latran, 27 novembre 1303.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum concessa cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Mariæ Novæ Uticensis in ipsius Mariæ Virginis festivitatibus devote visitaverint annuatim. (*Ibid.*)

« In e. m. universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, etc. Licet Is de cujus — Dat. Laterani, V kalendas decembris, anno primo [2]. »

1. On serait tenté de lire « Moratitino. » Mais la rubrique du haut de la page porte clairement *Moratiño*; de plus on retrouve ailleurs ce même nom quoique sous des formes un peu différentes, *Maurecinus*, *Mauretinus*, ce qui ne permet pas d'hésiter sur la lecture à adopter ici. (Cf. col. 207 et le n° du ms. 867.)

2. C'est par erreur que cette pièce a été transcrite *in eundem modum* à la suite de la précédente. Les deux actes n'ont aucun rapport.

228 Au Latran, 20 novembre 1303.

Dispensat cum Guillelmo Bernardini de Polenta, clerico Ravennati, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri atque beneficium obtinere. (n° 207, fol. 52 v°.)

« *Dilecto filio Guillelmo Bernardini de Polenta, clerico Ravennati.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, xii kalendas decembris, anno primo. »

229 Au Latran, 7 décembre 1303.

Abbati majoris monasterii Turonensis mandat ut decanum et capitulum ecclesiæ s. Martini civitatis ejusdem a molestatoribus sollicite tueatur. (*Ibid.*)

« In e. m. .. abbati majoris monasterii Turonensis, etc. Etsi quibuslibet ecclesiis et personis ecclesiasticis defensionis presidio ex injuncte nobis servitutis officio assistere teneamur, illis tamen specialius et efficatius adesse nos convenit, qui Sedi Apostolice immediate subjecti non habent in terris, preter Romanum pontificem, defensorem.

Cum itaque dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie sancti Martini Turonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, sicut ex parte ipsorum fuit propositum coram nobis, a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, graves patiantur injurias [1] et jacturas, nos attendentes quod illata ipsis gravamina eo amplius nos contingunt quo eadem ecclesia specialius ad nos spectat, ac propterea volentes eorumdem decani et capituli providere quieti et molestantium malitiis obviare, discretioni tue mandamus quatinus eisdem decano et capitulo pro nostra et dicte Sedis reverentia oportuni favoris assistens presidio, ipsos in personis et bonis eorum contra indulta privilegiorum eis a Sede concessorum predicta non permittas ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi, etc., usque : compescendo, attentius provisurus ne de hiis super quibus lis est forte jam mota, etc., usque : presumas. Nos enim si secus, etc., usque: hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequaris, etc. Presentibus post triennium, etc. Dat. Laterani, vii idus decembris, anno primo [2]. »

230 Au Latran, 3 janvier 1304.

Vacante dudum monasterio s. Martini Canigonensis, ordinis s. Benedicti, Elnensis diocesis, Arnaldus de Corbiaco, monachus et sacrista cœnobii de Cuxano, præfatæ diocesis, electus est per viam compromissi in abbatem monasterii supradicti. Sed propter ægritudinem proprii corporis, confirmationem electionis hujusmodi statutis temporibus obtinere non curavit nec munus benedictionis recipere valuit. Unde jus omne, quod sibi competebat ex electione prædicta, penitus amisit. Cum autem super hoc dispensationis gratiam ab Apostolica Sede suppliciter implorasset, Benedictus xi Magalonensi et Agathensi episcopis mandat ut super præmissis diligenter inquirentes, si dictam electionem invenerint de persona idonea canonice celebratam et si memoratus Arnaldus fuerit, ut dicitur, impeditus, eundem confirment in abbatem monasterii prælibati eique munus benedictionis impendant. (n° 208, fol. 53.)

« *Venerabilibus fratribus .. Magalonensi et .. Agathensi episcopis.* Licet continuata supervenientium — Dat. Laterani, iii nonas januarii, anno primo. »

231 Au Latran, 9 janvier 1304.

Obtentu et consideratione Jacobi de Normannis, notarii apostolici, quandam Bonifatii viii gratiam confirmat, qua Manueli Raynaldi de Spinolis præbenda fuerat in ecclesia Belvacensi reservata. (n° 209, fol. 53.)

« *Manueli, nato dilecti filii nobilis viri Raynaldi de Spinolis, canonico Belvacensi.* Personis illis libenter — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

232 Au Latran, 28 décembre 1303.

Francisco Vallutii de Chiaravallis, clerico Tudertino, reservatur beneficium quoddam sine cura in civitate vel diocesi Tudertina. (n° 210, fol. 53 v°.)

« *Francisco Vallutii de Chiaravallis, clerico Tudertino.* Cum sicut accepimus — Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Laurentii in Ifci et .. sancti Fustini ac .. sancti Savini de Massa, Tudertine diocesis, prioribus.

233 Au Latran, 10 janvier 1304.

Bertuldus, canonicus Carnotensis, capellanus domini papæ, præficitur in episcopum ecclesiæ Agrigentinæ. (n° 211, fol. 53 v°.)

« *Bertuldo, electo Agrigentino.* Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nos, qui disponente Do-

1. Ms : « injuria. »
2. Cette pièce n'aurait pas dû être enregistrée *in eundem modum*, puisqu'elle n'a rien de commun avec celle qui la précède. J'ai déjà fait la même observation à propos du n° 227.

mino universalis ecclesie regimini quanquam immeriti presidemus, insultibus impetat successivis, sollicitudo tamen ecclesiarum omnium, quas presertim vacationis expositas conspicimus detrimentis, nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget[1], quanto ad providendum earum statui fuimus specialius imo principalius obligati.

Olim siquidem felicis recordationis tam Martinus IIII^tus quam Honorius IIII^tus Romani pontifices, predecessores nostri, provisiones omnium cathedralium ecclesiarum, que a preterite turbationis seu rebellionis initio in insula Sicilie vacaverant et vacarent ibidem quandiu eadem turbatio perduraret, dispositioni Sedis Apostolice reservarunt, decernentes extunc irritum et inane si quid de predictis ecclesiis contra hujusmodi reservationum tenorem, scienter vel ignoranter, a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari.

Postmodum vero eadem adhuc turbatione durante, Agrigentina ecclesia in eadem existens insula per translationem bone memorie Goberti Capudaquensis, olim Agrigentini episcopi, ad Capudaquensem ecclesiam tunc vacantem per Apostolicam Sedem factam vacavit, cui per diuturna tempora vacationis incomoda deploranti non fuit hactenus de pastore provisum.

Nos igitur de provisione ipsius ecclesie Agrigentine sollicite cogitantes, et cupientes illum prelatum eidem Agrigentine ecclesie per nostre providentie studium presidere, per quem eadem Agrigentina ecclesia possit salubriter gubernari, post deliberationem quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, in te canonicum Carnotensem, capellanum nostrum, quem nobis et predictis fratribus de litterarum scientia, nobilitate generis, maturitate morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia familiaris experientia continuata diutius apud Sedem ipsam multipliciter recommendat, nostre mentis oculos dirigentes, de te eidem Agrigentine ecclesie providemus teque de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Agrigentine preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus ac temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes quod eadem Agrigentina ecclesia per tue diligentie studium preservabitur a noxiis et spiritualibus ac temporalibus proficiet incrementis.

Reverenter itaque jugum Domini suscipe ac suavi ejus oneri colla submitte, ipsius Agrigentine ecclesie sollicitam curam gerens, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod predicta Agrigentina ecclesia tue diligentie studio votivis proficere comodis et optatis auctore Domino consurgere valeat incrementis, et nos, qui tibi favorabiliter adesse proponimus, in tuis laudibus possimus exinde non immerito delectari. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Agrigentine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Agrigentine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Agrigentine.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

234 Au Latran, 10 janvier 1304.

Rogerius, archidiaconus de Bautesio in ecclesia Constantiensi, subdiaconus et capellanus domini papæ, præficitur ecclesiæ Montisregalis in episcopum et pastorem. (n° 212, fol. 54.)

« *Dilecto filio Rogerio, electo Montisregalis.* Militanti Ecclesie disponente Domino licet immeriti presidentes, circa curam ipsius solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta pastoralis officii debitum commissi nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere divina cooperante clementia studeamus, et quanquam assidue circa singularium ecclesiarum comoda vigilemus, tamen erga illas, que deplorant viduitatis incomoda, propensiori sollicitudine ac majori sollicitamur instantia ut eis preficiamus viros ydoneos in pastores.

Dudum siquidem felicis recordationis tam Martinus IIII^us quam Honorius IIII^us Romani pontifices, predecessores nostri, etc., ut supra capitulo proximo usque : attemptari.

Postmodum vero eadem adhuc turbatione durante, ecclesia Montisregalis in eadem existens insula, bone memorie P[etro], patriarcha Aquilegensi, per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, de ipsa ecclesia Montisregalis cujus regimini preerat ad ecclesiam Capuanam translato, vacavit, cui per diuturna tempora vacationis incomoda deploranti non fuit hactenus de pastore provisum.

Nos itaque de ipsius ecclesie Montisregalis ordinatione celeri sollicite cogitantes et talem ei cupientes preesse pontificem, de quo certam haberemus notitiam nec dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam et in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, ad te archidiaconum de Bautesio in ecclesia Constantiensi, subdiaconum et capellanum nostrum, quem litterarum scientia preditum, virum quoque vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate de-

1. Ms : « perurgetur. »

corum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in temporalibus providum ac in spiritualibus circumspectum novimus, direximus oculos nostre mentis. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, te predicte ecclesie Montisregalis in archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Montisregalis tibi spiritualiter et temporaliter committendo, firma de te concepta fiducia quod, dirigente Domino actus tuos,eadem ecclesia Montisregalis per tue industrie ac operationis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis.

Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus quam suave, et in dilectione Domini pascendum suscipe gregem ejus, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori et Dominus insuspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato qui tuo labori proponitur, et horum fide servata que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat et in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Dat. ut supra. »

In e. m. .. priori (*sic*) et capitulo ecclesie Montisregalis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Montisregalis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Montisregalis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Montisregalis.
In e. m. universis suffraganeis ecclesie Montisregalis.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

235 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante olim Panormitana ecclesia per obitum Petri archiepiscopi, Cœlestinus papa v in successorem ipsius Petri quendam Theodericum, priorem ecclesiæ s. Andreæ Urbevetani, instituit de apostolicæ plenitudine potestatis : quæ quidem provisio fuit postmodum a Bonifatio viii certis ex causis irritata. Nunc autem Benedictus, ne dicta ecclesia diutius viduitatis subjaceat incommodis, eidem præficit in archiepiscopum Titium, capellanum suum, archipresbyterum ecclesiæ de Colle, Wulterranæ diocesis. (nº 213, fol. 54 vº.)

« *Dilecto filio Titio, electo Panormitano.* Celestis dispositione consilii — Dat. ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Panormitane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Panormitane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Panormitane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Panormitane.
In e. m. suffraganeis ecclesie Panormitane.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

236 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante dudum ecclesia Cephaludensi per amotionem Junctæ episcopi, quem olim Gerardus Sabinensis episcopus, tunc in illis partibus Sedis Apostolicæ legatus, sede sua privavit, Jacobus, archidiaconus de Benavento in ecclesia Ovetensi, capellanus domini papæ, præficitur supradictæ ecclesiæ in episcopum. (nº 214, fol. 55.)

« *Dilecto filio Jacobo, electo Cephaludensi.* In suppreme dignitatis — Dat. ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Cephaludensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Cephaludensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Cephaludensis.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie.

237 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante ecclesia Messanensi per translationem Franscisci archiepiscopi, quem ad Mediolanensem sedem Bonifatius viii destinavit, Guidottus, Pergamensis archidiaconus, capellanus domini papæ in diaconatus tantum ordine constitutus, præficitur dictæ ecclesiæ Messanensi in archiepiscopum. (nº 215, fol. 55 vº.)

« *Guidotto, electo Messanensi.* Superni providentia principis — Dat. ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Messanensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Messanensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Messanensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Messanensis.
In e. m. suffraganeis ecclesie Messanensis.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

238 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante dudum ecclesia Siracusana per obitum Symonis episcopi, frater Dominicus ex ordine Prædicatorum, capellanus et pœnitentiarius domini papæ, præficitur dictæ sedi in episcopum. (nº 216 a, fol. 56.)

« *Dominico, electo Siracusano.* Ex suscepte servitutis — Dat. ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Siracusane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Siracusane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Siracusane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Siracusane.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

239 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante dudum ecclesia Mazariensi per obitum Johannis episcopi, Fulco, decanus Legionensis nec non familiaris domini papæ, eidem ecclesiæ præficitur in episcopum. (n° 216 B, fol. 56 v°.)

« *Dilecto filio Fulconi, electo Mazariensi.* Ex suscepte servitutis — Dat. ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Mazariensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Mazariensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Mazariensis.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

240 Au Latran, 15 janvier 1304.

Cum quondam Bonifatius papa VIII decimam in regno Siciliæ imposuisset pro guerra et negotio dicti regni prosequendis, archiepiscopum Capuanum dictæ decimæ collectorem instituit. Quo quidem nuper ab hujusmodi officio certis ex causis amoto, loco ipsius deputatur collector Salernitanus electus. (n° 217, fol. 56 v°.)

« *Dilecto filio G[uillelmo], electo Salernitano, collectori decime imposite per felicis recordationis B[onifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, pro prosecutione guerre et negotii regni Sicilie contra hostes, in eodem regno tam ultra quam citra Farum ac civitatibus et diocesibus et locis infra ejusdem regni confines constitutis deputato.* Dudum felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us, predecessor noster, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum in totius Italie partibus et in insulis Sicilie, Sardinie, Corsice et in toto principatu Achaye, ducatu Athenarum aliisque insulis adjacentibus seu vicinis eisdem per tres annos a festo beati Johannis tunc proximo numerandos, pro prosecutione negotii atque guerre regni Sicilie contra hostes, imposuit colligendam per collectores deputatos ab eo, secundum certas locorum distinctiones in ipsius predecessoris litteris comprehensas, et per subcollectores deputatos ab ipsis, ac pro premissis assignandam juxta ipsius predecessoris et Apostolice Sedis beneplacitum ac etiam ministrandam venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Capuano, in regno predicto tam ultra quam citra Farum ac in civitatibus et diocesibus et locis infra ejusdem regni confines constitutis per ipsius predecessoris sub certa forma litteras ad collectionem ipsius decime deputato.

Cum autem dilectus filius J[ohannes], camerarius noster, de mandato nostro eundem archiepiscopum ab hujusmodi collectionis officio certis ex causis duxerit amovendum, nos nolentes ut in eisdem regno, civitatibus, diocesibus atque locis, pro tempore quod adhuc restat de hujusmodi triennio, negligatur collectio decime supradicte, sed desiderantes quod processu provido dirigatur et felicem, dante Domino, consequatur effectum, de tue quoque probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in ministerio collectionis ipsius decime in regno, civitatibus, diocesibus et locis predictis prefato archiepiscopo auctoritate apostolica subrogamus et constituimus dicte decime collectorem, juxta tenorem dictarum litterarum ipsius B[onifatii] predecessoris eidem archiepiscopo directarum super hujusmodi negotio decime processurum.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus juxta predictarum litterarum ipsius B[onifatii] predecessoris eidem archiepiscopo directarum tenorem, in negotio memorato diligentia exacta procedas, et nichilominus super ipso negotio et contingentibus illud generaliter et specialiter, prout qualitas facti suaserit et tibi videbitur, ex officio nostro diligenter inquirens, tam prefatum archiepiscopum quam omnes alios et singulos de quibus expedire videris, quod tibi quaslibet litteras dicti B[onifatii] predecessoris eidem archiepiscopo super collectione predicta directas, omnesque scripturas per eum vel de mandato seu commissione ipsius per alios inde confectas, quas ipsi vel eorum aliquis quomodolibet detinerent, tibi exhibeant auctoritate nostra appellatione cessante compellas ; super quibus omnibus ceterisque articulis contentis in predictis litteris archiepiscopo memorato directis plenam et liberam, prout per eas ipsi archiepiscopo concessa fuerat, presentium tibi auctoritate concedimus potestatem.

Considerans itaque quod negotium Dei prosequeris in premissis et in conspectu agis Ejus qui cuncta discernit, sibique nec non et nobis, qui circa hec omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte, quod in utriusque judicio non solum vites pene confusionisve discrimina, sed laudis titulos et retributionis premium exinde consequi merearis. Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. archiepiscopis et episcopis et electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum nec non Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi et beate Marie Theotonicorum prioribus, preceptoribus seu magistris ceterisque

personis ecclesiasticis regularibus et secularibus exemptis et non exemptis per regnum Sicilie tam ultra quam citra Farum infra ejusdem regni confines constitutis.

241 Au Latran, 13 janvier 1304.

Electo Ravennati curam committit præficiendi ecclesiæ Foropopuliensi tunc vacanti personam idoneam in episcopum et pastorem. (nº 218, fol. 56 vº.)

« *Venerabili fratri R[aynaldo], episcopo olim Vicentino in archiepiscopum Ravennatem electo.* Inter sollicitudines alias, quibus noster animus multiplici varietate distrahitur, illa non mediocris esse dinoscitur ut per nostre vigilantie studium de oportune provisionis remedio subveniatur ecclesiis viduatis.

Vacante siquidem dudum Foropopuliensis ecclesia per obitum bone memorie Tadei, episcopi Foropopuliensis, licet Pepo de Ordelafis, archipresbyter ecclesie de sancto Martino, Foroliviensis diocesis, fuisset in episcopum Foropopuliensem electus, felicis tamen recordationis Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, electionem hujusmodi certis ex causis cassans et irritans seu cassam et irritam nuntians, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservavit, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Nos itaque cupientes eidem ecclesie Foropopuliensi, [ne] ulterioris vacationis detrimenta sustineat, de pastore ydoneo provideri, ac gerentes in hac parte de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, providendi hac vice auctoritate nostra dicte ecclesie Foropopuliensi de persona ydonea eamque preficiendi dicte ecclesie in episcopum et pastorem plenam et liberam fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

242 Au Latran, 5 décembre 1303.

Mathæo Carazulo de Neapoli, archidiacono Majoris Caleti in ecclesia Rothomagensi, indulget ut per quinquennium, scholasticis insistens disciplinis, valeat archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari. (nº 219, fol. 57.)

« *Mathæo Carazulo de Neapoli, archidiacono Majoris Caleti in ecclesia Rothomagensi.* Personam tuam paterna — Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

In e. m. magistris Radulpho dicto Grosparmi, decano Aurelianensi, et Andree de Neapoli Botontine ac Bernardo de Placentia, Aversane canonicis ecclesiarum.

243 Au Latran, 13 janvier 1304.

Theobaldum de Brusiato, civem Brixiensem, provinciæ Romaniolæ, civitatis et diocesis Bononiensis ac comitatus Brectenorii rectorem in temporalibus constituit. (nº 220A, fol. 57.)

« *Nobili viro Theobaldo Brusiato, civi Brixiensi, provintie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensis et comitatus Brectenorii et pertinentiarum eorumdem* [1] *rectori.* Quia universalis Ecclesie regimen, ad quod sumus divina dispositione quanquam immeriti evocati, nequimus per singula humane impossibilitate nature gerere per nos ipsos, circa executionem aliquorum negotiorum sollicitudini nostre nonnunquam incumbentium tales nos convenit deputare, quorum industria et potentia commissa eis ministeria valeant exerceri.

Cum itaque provincia Romaniole, civitas et diocesis Bononiensis, comitatus Brectenorii et eorum pertinentie ac ipsorum incole, occasione guerrarum diu hactenus in illis partibus ingruentium, graves molestias sustinuerint et pressuras, propter quod illius rectoris ministerio indigere noscuntur, per cujus circumspectam providentiam possint, fugatis quarumlibet discordiarum fomitibus, ad statum prosperum dirigi et in quietis ac pacis pulcritudine conservari, nos de preficienda ydonea et approbata persona predictis provincie, civitati et diocesi ac comitatui et pertinentiis sollicite duximus cogitandum, et post vigilem quam super hoc adhibuimus diligentiam, ad personam tuam convertimus aciem nostre mentis, et considerantes quod tibi nobilitas generis, sincera devotio a te tuisque progenitoribus ad predictam Ecclesiam Romanam habita suffragantur, attendentes insuper quod in executione regiminum diversarum regionum, magnarum ac nobilium civitatum dicte provintie Lombardie tibi pro tempore commissarum prudenter et laudabiliter te gessisti, dissidentium voluntates ad concordiam reducendo et alia exercendo prudenter que incumbebant tibi ratione dictorum regiminum peragenda, ex quibus verisimiliter presumimus et spe firma tenemus, quod provinciam Romaniole, civitatem et diocesim Bononiensem, comitatum et pertinentias supradicta utiliter et salubriter gubernabis, tua studia efficaciter convertendo ad pacificandos discordes, spoliatos ac exules ad propria reducendo, quodque tam ipsos extrinsecos quam intrinsecos in statu pacifico nec non et fidelitate ac devotione Romane Ecclesie confovebis, prout te plenius duximus informandum, rectoriam provintie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensis, comitatus et pertinentiarum predictorum in temporalibus tibi apostolica auctoritate com-

1. Ms : « earumdem. » Mais plus bas on trouve *eorum, ipsorum*. Cf. la pièce suivante.

mittimus per te vel alium seu alios usque ad Sedis Apostolice beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi ac faciendi in provincia, civitate, diocesi, comitatu et pertinentiis supradictis quicquid honori dicte Romane Ecclesie ac prospero statui fidelium expedire cognoveris, et contradictores quoslibet et rebelles temporaliter appellatione postposita compescendi potestatem tibi plenariam concedentes.

Quocirca nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus onus rectorie hujusmodi devote suscipiens, sic laudabiliter illud exequi studeas, quod optati fructus ex tuis laboribus colligantur, tuque possis exinde apud Deum et homines commendari.

Nos enim processus et sententias sive penas, quos [1] temporaliter per te vel per alium seu alios, quibus id duxeris committendum, haberi, proferri ac statui contigerit in rebelles, ratos [2] habebimus, etc., usque : observari; non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis vel litteris apostolicis quibusvis locis, personis, communitatibus, religiosis, ecclesiasticis, secularibus ab eadem Sede concessis, per que tue in hac parte jurisdictionis executio possit quomodolibet impediri, et de quibus in presentibus fieri debeat de verbo ad verbum mentio specialis. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

In e. m. comitibus, baronibus aliisque nobilibus, potestatibus quoque, capitaneis ac universis rectoribus, communitatibus et universitatibus ac personis secularibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per provincie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensis, comitatus Brectenorii et pertinentiarum ipsorum partes constitutis.

244 Au Latran, 20 janvier 1304.

Ubertum de Notis de Mediolano, doctorem decretorum, earumdem partium rectorem in spiritualibus instituit. (n° 220 B, fol. 57 v°.)

« *Dilecto filio Uberto de Notis de Mediolano, doctori decretorum, canonico ecclesie sanctorum Gervasii et Protasii de Gorgonzola, Mediolanensis diocesis, in spiritualibus provincie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensis, comitatus Bretenorii* (sic) *et pertinentiarum eorumdem* [3] *rectori.* Cum in provintia Romaniole, civitate ac diocesi Bononiensi, comitatu Bretenorii et pertinentiis eorumdem in temporalibus de rectore duxerimus providendum, volentes etiam inibi de rectore in spiritualibus providere, ad hoc ut temporalis jurisdictio cum expedierit auxilio spiritualis jurisdictionis sufulta liberius et efficacius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrium et fidelem tua fama laudabiliter tuaque merita representant, jurisdictionem in spiritualibus in provincia, civitate et diocesi, comitatu et pertinentiis supradictis, in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat et non alias, presentium auctoritate committimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis, discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatinus jurisdictionem ipsam sic prudenter et fideliter exequaris sicque limites tibi datos observes, quod digne possis exinde commendari.

Nos enim sententias sive penas, quas spiritualiter rite tuleris seu statueris in rebelles, ratas habebimus, etc., usque : observari ; non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis apostolicis, cujuscumque tenoris existant, per que mandati nostri executio posset quomodolibet impediri, et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Ravennati nec non episcopis et abbatibus, prioribus, conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis ac Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, communitatibus, universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per provinciam Romaniole, civitatem et diocesim Bononiensem, comitatum Brectenorii et pertinentias eorumdem constitutis.

245 Au Latran, 10 janvier 1304.

Regem Romanorum hortatur ut Bartholomæum, Tridentinum episcopum, benigne recipiat et propensius commendatum habeat. Rogat insuper prædictum regem ut bona Tridentinæ ecclesiæ, quæ a ducibus Carinthiæ detineri pro magna parte dicuntur, eidem episcopo restitui faciat. (n° 221, fol. 57 v°.)

« *Carissimo in Christo filio A*[*lberto*], *regi Romanorum illustri.* Eam gerimus de celsitudine tua fiduciam, quod tu, tanquam princeps catholicus debitum habens ad Regem regum devotionis affectum, ministros ipsius videlicet prelatos ecclesiarum, precipue pontificali preditos

1. Ms : « quas. »
2. Ms : « ratas. »
3. Ms. « earumdem. » Voy. col. précédente, note.

dignitate, benigno favore confoveas et oportunis auxiliis prosequaris. Ex hoc enim eterne tibi premium retributionis apud majestatem divinam et apud homines famose laudis preconium acquiruntur, nosque propterea regalem excellentiam eo libentius apostolicis exhortationibus excitamus, quo magis illam in operum executione bonorum speramus promptam et facilem invenire.

Nuper siquidem ad Tridentinam ecclesiam tunc vacantem, diris hactenus turbationibus lacessitam, paterne considerationis intuitum extendentes sibique super persecutionibus et pressuris quibus exponitur compatientes ab intimis, ac cupientes de utili sibi providere pastore, qui statum reformare possit ipsius eamque salubriter gubernare, post deliberationem quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum Tridentinum, tunc Novariensem episcopum, quem sua merita commendanda nobis et eisdem fratribus gratum reddunt, et per cujus circumspectionis industriam et providentiam circumspectam speramus ejusdem ecclesie comoda posse utiliter promoveri, ad ecclesiam ipsam de fratrum eorumdem consilio duximus transferendum.

Quocirca magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatinus episcopum et ecclesiam supradictos habens pro divina, Apostolice Sedis et nostra reverentia propensius commendatos, nobiles viros Ottonem, Lodoycum et Henricum duces Carinthie, cognatos tuos, per quos bona ejusdem ecclesie detineri pro magna parte dicuntur, efficaciter exhorteris, moneas et inducas ut cum idem cupiat conversari et agere caritative ac amicabiliter cum eisdem, eum benigne recipiant et honorificentia debita prosequantur, restituendo sibi quecumque de bonis ipsius ecclesie detenta fuerint per eosdem, preces tuas in hiis taliter interponens quod, precisis miseriis quibuscumque turbationis et scandali, vigere possit inter episcopum et nobiles memoratos tuo comparante studio unio caritatis. Alias quoque ipsi episcopo sic te favorabilem reddas, sic exhibeas gratiosum quod ipse tuo favore suffultus in executione sibi commissi regiminis ejusdem ecclesie possit jugiter prosperari. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

246 Au Latran, 19 décembre 1303.

Electo Vicentino concedit liberam facultatem faciendi recipi in quibusdam suæ dioecesis ecclesiis personas idoneas in canonicos ac providendi eis de præbendis vacantibus. (n° 222 A, fol. 57 v°.)

« *Altegrado, electo Vicentino, notario nostro.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, XIIII kalendas januarii, anno primo. »

247 Au Latran, 11 décembre 1303.

Dispensat cum fratre Hugone de Hermo, monacho monasterii de s. Theorfredo, Aniciensis diocesis, super irregularitate, infamia, inhabilitate et macula, quas olim contraxit pro eo quod, contra constitutionem Concilii Turonensis, leges civiles audivit et legit ac etiam recepit magisterium in eisdem. (n° 222 B, fol. 58.)

« *Fratri Hugoni de Hermo, monacho monasterii de sancto Theorfredo, ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis.* Matris Ecclesie multa benignitas, exercens libentius mansuetudinem quam rigorem, devote petentibus se exhibet in gratia liberalem.

Porrecta siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu dudum post professionem ordinis monachalis a te factam, habitu monachali dimisso, contra constitutionem Concilii Turonensis a felicis recordationis Honorio [1] papa III, predecessore nostro, aliaque jura super hoc edita, leges audivisti et legisti civiles ac recepisti magisterium seu docendi licentiam in eisdem, propter quod excommunicationis sententiam et penas in eisdem expressas constitutionibus et aliis juribus incurristi. Cum autem tu postmodum, tuum recognoscens errorem, ab eadem sententia juxta formam Ecclesie rite feceris te absolvi ac super aliis penis nostram gratiam humiliter imploraris, nos attendentes laudabilia testimonia, que tibi alias multipliciter suffragantur, ac volentes propterea misericorditer tecum agere in premissis, tuis supplicationibus inclinati, tecum super predictis et aliis penis, ut eis non obstantibus locum pristinum in choro, mensa et capitulo retinere et sicut prius promoveri libere valeas, auctoritate apostolica dispensamus, omnem irregularitatem, infamiam, inhabilitatem, maculam sive notam premissorum occasione contractas in te penitus abolentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo. etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, III° idus decembris, anno primo. »

248 Au Latran, 3 janvier 1304.

Obtentu archiepiscopi et capituli Lugdunensium conceditur personis infra nominatis licentia contrahendi matrimonium, non obstante quarto gradu consanguinitatis. (n° 223 A, fol. 58.)

« *Dilecto filio nobili viro Guigoni, nato dilecti filii nobilis viri Dredonis Bellivisus, et dilecte in Christo filie Ysabelle,*

1. Ms: « Honorii. »

nate nobilis viri Guichardi de Anthone dominorum, Lugdunensis et Viennensis diocesium. Licet matrimonii contractum — Dat. Laterani, III nonas januarii, anno primo. »

249 Au Latran, 24 décembre 1303.

Cunctis fidelibus, qui ecclesiam bb. apostolorum Philippi et Jacobi de Arcubus in civitate Januensi devote visitaverint annis singulis in ipsorum Apostolorum et ss. Undecim Millium Virginum festivitatibus, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (n° 223 B, fol. 58.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Sanctorum meritis inclita — Dat. Laterani, VIIII kalendas januarii, anno primo. »

250 Au Latran, 22 décembre 1303.

Indulgentia eadem conceditur fidelibus, qui ecclesiam monasterii s. Crucis Venetiarum, Cluniacensis ordinis, devote visitaverint in Parascevæ et s. Crucis festivitatibus. (n° 223 C, fol. 58.)

« *Eisdem.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, XI kalendas januarii, anno primo. »

251 Au Latran, 3 janvier 1304.

Obtentu Imolensis Cambii de Imola, confertur Petro ejus filio beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Imolensi. (n° 224, fol. 58.)

« *Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Imolensis Cambii de Imola, clerico Imolensi.* Sedis Apostolice benignitas — Dat. Laterani, III nonas januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Faventino et .. abbati monasterii sancte Marie in Regula ac Manfredo de Nordulis, canonico Imolensi.

252 Au Latran, 26 janvier 1304.

Supplicante Parmensi episcopo, indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur cunctis fidelibus, qui ad reædificationem ecclesiæ s. Johannis Baptistæ Taurinensis vetustate consumptæ manum porrexerint adjutricem. (n° 225 A, fol. 58 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis manum — Dat. Laterani, VII kalendas februarii, anno primo. »

253 Au Latran, 26 janvier 1304.

Eadem indulgentia pro visitantibus ecclesiam supradictam in Nativitatis et Decollationis s. Johannis Baptistæ festivitatibus. (n° 225 B, fol. 58 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet, etc., usque : aptiores. — Dat. ut supra. »

254 Au Latran, 15 janvier 1304.

Archiepiscopo Lundensi curam committit dispensandi cum Henrico Ubbisun et Elena dicta Slewicen., suæ diocesis, ut non obstante quarto consanguinitatis gradu valeant in matrimonio illicite contracto remanere, prolem inde susceptam nec non suscipiendam legitimam nuntiando. (n° 226, fol. 59.)

« *Venerabili fratri Ysarno, archiepiscopo Lundensi, Swetie primati.* Romani pontificis precellens — Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

255 Au Latran, 10 décembre 1303.

Decano et capitulo Tullensis ecclesiæ concedit, ut in manifestos occupatores bonorum et in notorios malefactores personarum ipsius ecclesiæ sententias excommunicationis vel suspensionis aut interdicti valeant promulgare. (n° 227, fol. 59.)

« .. *Decano et capitulo ecclesie Tullensis.* Desideriis vestris super hiis libenter annuimus, per que materia sublata gravaminis vos et Tullensis ecclesia statum tranquillum et prosperum habeatis.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod nonnulli comites, barones, milites et laici illarum partium, qui gloriantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis, bona ipsius ecclesie nec non canonicorum, vicariorum, capellanorum et clericorum chori ejusdem ecclesie occupare, invadere, detinere, incendio vel alio modo devastare et alias vobis dampna gravia irrogare frequenter presumunt in vestrum et predicte ecclesie, canonicorum, vicariorum, capellanorum et clericorum predictorum prejudicium et gravamen. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos igitur pravorum conatibus congruis remediis obviare volentes, vestris supplicationibus inclinati, ut in manifestos occupatores bonorum ad ecclesiam ipsam et canonicos, vicarios, capellanos et clericos ipsos communiter vel divisim spectantium et notorios malefactores ipsorum, nisi a vobis canonice moniti occupata hujusmodi restituerint et de dampnis illatis satisfecerint competenter infra competentem terminum, quem eis ad hoc

duxeritis prefigendum, possitis excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgare ac deinde ipsos ab illis absolvere, postquam vobis super hiis fuerit plenarie satisfactum, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi et loca eorum ecclesiastico interdicto supponi nequeant per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat Laterani, IIII idus decembris, anno primo. »

256 · Au Latran, 1er décembre 1303.

Guillelmo Accursii de Bononia, legum doctori, capellano suo, indulget ut quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, fructus, redditus ac proventus beneficiorum suorum integre percipiat. (n° 228, fol. 59.)

« *Magistro Guillelmo Accursii de Bononia, legum doctori, archidiacono Gualdafaiarie in ecclesia Toletana, capellano nostro.* Provenit ex devotionis et probitatis tue meritis, ut te favoris apostolici plenitudine prosequentes, tibi in hiis que digne postulas reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, quandiu in Romana curia vel alibi obsequiis Apostolice Sedis de ipsius Sedis speciali mandato duxeris insistendum, fructus, redditus et proventus prebendarum et aliorum beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, que nunc obtines et te obtinere contigerit in futurum, etiam si dignitates et personatus existant et curam habeant animarum, possis cum ea integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si personaliter in ipsis ecclesiis resideres, et interim ad faciendum in eisdem ecclesiis personalem residentiam minime tenearis, neque ad id a quoquam valeas coartari;

Non obstantibus si tu in eisdem ecclesiis primam et consuetam non feceris residentiam personalem; seu quibuscumque statutis contrariis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, juramento, confirmatione Sedis predicte vel alia quavis firmitate vallatis, etiam si tu vel procurator tuus tuo nomine de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo prestiteris vel prestare contigerit juramentum; seu si locorum ordinariis sit ab eadem Sede concessum ut canonicos et personas ecclesiarum suarum, civitatum et diocesium compellere valeant ad faciendum personalem residentiam in eisdem; seu si capitulis earumdem ecclesiarum vel aliquibus aliis ab eadem sit Sede indultum, quod canonicis vel aliis in dignitatibus seu personatibus constitutis aut rectoribus ecclesiarum ipsarum fructus, redditus et proventus prebendarum, dignitatum, personatuum, ecclesiarum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum ministrare in absentia minime teneantur, quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ; et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, proviso quod personatus, dignitates, ecclesie ac beneficia hujusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, kalendis decembris anno primo. »

In e. m. magistro Jacobo Normanni, preposito Maguntine, notario nostro, et .. archidiacono Talavarensi Toletane ac .. cantori Caturcensis ecclesiarum.

257 Au Latran, 1er décembre 1303.

Valeat insuper idem Guillelmus Accursii archidiaconatum suum, quem obtinet in ecclesia Toletana, per vicarium idoneum facere visitari. — Licentia similis eidem Guillelmo concessa pro archidiaconatu suo de Lavanza, Palentinæ diocesis. (n° 229, fol. 59 v°.)

« *Eidem magistro Guillelmo.* Cum nostris et Apostolice — Dat. ut supra. »

In e. m. magistro Jacobo Normanni, preposito ecclesie Maguntine, notario nostro, et .. de Matalano ac .. de Retorta monasteriorum abbatibus, Palentine diocesis.

« In e. m. eidem Guillelmo pro archidiaconatu suo de Lavanza in ecclesia Palentina. Cum nostris et — Dat. ut supra. »

In e. m. prefatis executoribus.

258 Au Latran, 9 janvier 1304.

Bonanno de Crescentionibus de Urbe indulget ut usque ad triennium, dum obsequiis quorumdam cardinalium insistet apud Sedem Apostolicam, possit archipresbyteratum quem obtinet in ecclesia Turonensi per aliquam personam idoneam facere visitari. (n° 230, fol. 59 v°.)

« *Bonanno de Crescentionibus de Urbe, archipresbytero ecclesie Turonensis.* Cum apud Sedem — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

259 Au Latran, 3 janvier 1304.

Olim gravi vertente discordia inter regem Franciæ civesque Lugdunenses ex una parte, et archiepiscopum ac capitulum ecclesiæ urbis ejusdem ex altera, occasione appellationum seu *resorti*, fuit Lugdunensis civitas ecclesiastico supposita interdicto. Nunc autem Benedictus negotium ipsum ad examen apostolicum evocans, mandat archiepiscopo Viennensi et archidiacono Vivariensi ut præfatum interdictum suspendant citentque prædictos archiepiscopum, canonicos et cives ad comparendum coram Apostolica Sede, super præmissis recepturos quod justitia suadebit. (nº 231 A, fol. 59 vº; Potth., nº 25333.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Viennensi et dilecto filio .. archidiacono Vivariensis ecclesie.* Inter cetera desideria cordis nostri hoc potissimum fore cognovimus, ut inter Christi fideles pacis et concordie comoda procuremus. Scimus enim et ex facti evidentia innotescit, quod non nisi pacis in tempore bene colitur pacis Auctor, nec ignoramus quod per dissensiones et scandala non solum rerum dispendia eveniunt, sed etiam animarum pericula generantur.

Sane considerantes attentius gravem dissensionis materiam abolim exortam inter magnificum principem Phyllippum, regem Francie illustrem, et dilectos filios cives Lugdunenses ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum et dilectos filios capitulum Lugdunenses ex altera, occasione potissime appellationum seu *resorti* (ut patrie verbis utamur), propter quod Lugdunensis civitas est supposita ecclesiastico interdicto, et cupientes ut, ad laudem Dei et prosperum ipsorum archiepiscopi et capituli ac etiam Lugdunensis ecclesie dictorumque regis et civitatis statum, hujusmodi negotium feliciter terminetur, volumus et per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum in eodem negotio procedentes, predictis archiepiscopo et capitulo ac etiam personis Lugdunensis ecclesie supradicte ad spiritualia et temporalia, que extare noscuntur, per dictum regem Francie vel mandatum suum plenarie restitutis et amota etiam inde manu regia, prefatum interdictum auctoritate nostra suspendere studeatis, ita quod hujusmodi suspensio usque ad unum annum in festo Purificationis beate Marie Virginis [venturo] proximo inchoandum, et extunc usque ad festum Resurrectionis dominice immediate subsequens robur obtineat firmitatis : et nichilominus archiepiscopum et capitulum et cives predictos ex parte notra peremptorie citare curetis, ut ipse archiepiscopus personaliter vel per procuratores ydoneos, prefatum vero capitulum per duos ex ipso capitulo, dictique cives per procuratores ydoneos ad hoc specialiter constitutos, habentes plenum et sufficiens mandatum ad compromittendum, tractandum, paciscendum et componendum super dicta dissensione coram nobis et quod nobis super hiis expediens visum fuerit audiendum et recipiendum ac omnia alia et singula faciendum, que veri et legitimi procuratores facere possunt et debent, infra festum Nativitatis Domini proximo venturum, compareant coram nobis, ut hujusmodi negotio auctore Domino finis imponi valeat, prout nobis videbitur rationabiliter faciendum. Diem vero hujusmodi citationum et formam et quicquid in hac parte feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimetis. Dat. Laterani, III nonas januarii, anno primo. »

260 Au Latran, 3 janvier 1304.

Archiepiscopo Bisuntino et duci Burgundiæ de littera suprascripta significat, eisdem mandans ut, lite pendente coram Apostolica Sede, appellationes prædictas et custodiam civitatis Lugdunensis ad manus proprias assumant, redditusque ac proventus exinde percipiendos per tempus superius declaratum archiepiscopo et capitulo Lugdunensibus faciant assignari. (nº 231 B, fol. 60.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Bisuntino et dilecto filio nobili viro .. duci Burgundie.* Inter cetera desideria cordis nostri, etc., ut in proxima superiori usque : terminetur, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Viennensi et dilecto filio .. archidiacono Vivariensis ecclesie per alias sub certa forma litteras nostras injungimus, ut ipsi vel alter ipsorum in eodem negotio procedentes, predictis archiepiscopo et capitulo ac etiam personis Lugdunensis ecclesie ad spiritualia et temporalia, que extare noscuntur, per dictum regem Francie vel mandatum suum plenarie restitutis et amota etiam inde manu regia, prefatum interdictum auctoritate nostra suspendant ita quod hujusmodi suspensio usque ad unum annum in festo Purificationis beate Marie Virginis venturo proximo inchoandum, et extunc usque ad festum Resurrectionis dominice immediate subsequens robur obtineat firmitatis, et nichilominus archiepiscopum, capitulum et cives predictos ex parte nostra peremptorie citare procurent, ut idem archiepiscopus personaliter vel per procuratores ydoneos, prefatum vero capitulum per duos ex ipso capitulo, dictique cives per procuratores ydoneos ad hoc specialiter constitutos, habentes plenum et sufficiens mandatum ad compromittendum, tractandum, paciscendum et componendum super dicta dissentione coram nobis et quod no-

bis super hiis expediens visum fuerit audiendum et recipiendum ac ad alia omnia et singula faciendum, que veri et legitimi procuratores facere possunt et debent, infra festum Nativitatis Domini proximo venturum compareant coram nobis, ut hujusmodi negotio auctore Domino finis imponi valeat, prout nobis videbitur rationabile faciendum.

Cum itaque negotium ipsum specialiter insideat cordi nostro, et speremus firmiter quod ea, super quibus studia vestra requirimus, prudenter et solerter exequi studeatis, volumus et discretionem vestram rogamus et hortamur attente vobisque committimus confidenter, quatinus vos per vos vel per alium ydoneum et fidedignum ac per vos concorditer eligendum appellationes seu *resortum* predicta nec non et custodiam civitatis ejusdem ad manus vestras, sublato difficultatis obstaculo, assumentes, ea per totum tempus predictum diligenter et solerter exequi studeatis, et omnes redditus et proventus, quos ad manus vestras provenire contigerit, eisdem archiepiscopo et capitulo vel eorum procuratoribus ipsorum nomine assignetis, ut appellationes seu *resortum* et custodia supradicta ad illos redeant, ad quos finis ejusdem pertinere negotii demonstrabit, quodque si per tractatum hujusmodi vel alias prefatum negotium non contigerit terminari, illud ad statum pristinum revertatur, cum nostre intentionis non fuerit nec existat, ut per tractatum ipsum alterutri partium quo ad possessionem et proprietatem aliquod prejudicium generetur.

Sic ergo in hiis vos nostris beneplacitis conformetis et geratis sollicite in eisdem, ut proinde vobis a Domino premium et a nobis digne commendationis titulus preter laudis humane preconium producantur. Dat. ut supra. »

261 Au Latran, 18 janvier 1304.

Armanno Mantello, capellano suo, indulget ut, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, fructus ac redditus beneficiorum suorum integre percipiat. — Eadem licentia conceditur Socino de Overgnachis, alio domini papæ capellano. (n° 232, fol. 60.)

« *Magistro Armanno Mantello, canonico Parmensi, capellano nostro.* Provenit ex familiari — Dat. Laterani, xv kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Bononiensi et .. archidiacono Parmensi et .. thesaurario Suessionensi.

« In e. m. dilecto filio Socino de Overgnachis canonico Parmensi, capellano nostro. Provenit ex — Dat. ut supra. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Bartholomei Papiensis et .. decano Meldensis ac .. preposito sancte Marie in Brugis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum.

262 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante ecclesia Ferentinati per obitum Landulphi episcopi, Berardus eidem ecclesiæ præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem. (n° 233, fol. 60 v°.)

« *Berardo, electo Ferentinati.* Romani pontificis — Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Ferentinatis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Ferentinatis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Ferentinatis.

263 Au Latran, 23 décembre 1303.

Olim quidam Octo de Gevel, clericus Bambergensis diocesis illegitime natus, fuit absque dispensatione solita in subdiaconum ordinatus et in eodem ordine paulisper ministravit. Cum autem nuper super hoc ad Sedem duxerit recurrendum, Benedictus episcopo Wratislaviensi mandat ut, facta prius inquisitione de meritis ac idoneitate dicti subdiaconi, eidem prout sibi videbitur licentiam tribuat recipiendi minores ordines et beneficium ecclesiasticum obtinendi, non obstante prædicta illegitimitatis macula. (n° 234 A, fol. 60 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Wratislaviensi.* Accedens ad presentiam nostram — Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

264 Au Latran, 4 décembre 1303.

Episcopo Pataviensi cura committitur et facultas dispensandi cum quodam diocesis suæ clerico, qui acolitatus et subdiaconatus ordines eadem die indebite recepit, ut in ipsis ordinibus ministrare valeat et ad superiores etiam promoveri. (n° 234 B, fol. 60 v°.)

« .. *Episcopo Pataviensi.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Raboto Mandelini de Kalaftorf, subdiaconus tue diocesis, nobis exposuit quod ipse dudum per simplicitatem et juris ignorantiam a te acolitatus et subdiaconatus ordines eadem die, te inscio, recepit ac postmodum in ipsis ordinibus ministravit. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi in hac parte dispensationis gratia misericorditer dignaremur.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus cum eodem subdiacono, si ei ad hoc propria merita suffragentur, imposita sibi pro modo culpe pe-

nitentia salutari, eoque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium ab eorumdem ordinum executione suspenso, quod in eisdem ministrare ordinibus et ad superiores ascendere auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

265 Au Latran, 23 janvier 1304.

Caveat Eduensis episcopus, ne priores aut abbates et conventus monasteriorum suæ diocesis prioratus, ad dicta monasteria pertinentes, in propios usus retineant vel ad firmam concedant, ipsos prioratus debitis obsequiis defraudando. (n° 235 A, fol. 60 v°.)

« *Venerabili fratri B*[*artholomeo*], *episcopo Eduensi.* Tua nobis fraternitas intimavit quod nonnulli abbates, priores et conventus monasteriorum tuarum [1] civitatis et diocesis, lege tibi diocesana subditorum, prioratus pertinentes ad eos, in quibus consueverunt eorumdem monasteriorum monachi commorari et divina officia celebrare, quandoque clericis quandoque laicis ad firmam concedere ac interdum in usus proprios retinere propria temeritate presumunt, ex quo prioratus ipsi debitis obsequiis defraudantur ac divinus cultus subtrahitur in eisdem.

Nos autem de tua circumspectione gerentes fiduciam in Deo specialem, fraternitati tue compellendi abbates, priores et conventus predictos, quod in eisdem prioratibus teneant competentem numerum monachorum, prout salubriter videris expedire, mo[nitione] pre[missa] per censuram ecclesiasticam appellatione cessante plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

266 Au Latran, 23 janvier 1304.

Compellat idem episcopus quosdam rectores parochialium ecclesiarum suæ diocesis ad faciendum in ipsis ecclesiis residentiam personalem. (n° 235 B, fol. 61.)

« *Eidem.* Tua nobis fraternitas intimavit quod nonnulli rectores parrochialium ecclesiarum tuarum civitatis et diocesis, qui in majori et aliis ecclesiis dictarum civitatis et diocesis personatus, dignitates, canonicatus et prebendas obtinent, in eisdem parrochialibus ecclesiis residere non curant, quamvis eedem parrochiales ecclesie personatibus, dignitatibus aut prebendis eorum minime sint annexe, ex quo tam ecclesiis ipsis parrochialibus quam parrochianis earum non modicum iminet detrimentum.

Nos itaque de circumspectione tua gerentes fiduciam

1. Ms: « tuorum. »

in Domino specialem, fraternitati tue compellendi eosdem rectores ad faciendum in ipsis parrochialibus ecclesiis residentiam personalem mo[nitione] pre[missa] per censuram ecclesiasticam [et] per subtractionem suorum proventuum, prout expedire videris, appellatione cessante, liberam et plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

267 Au Latran, 23 janvier 1304.

Caveat episcopus Matisconensis, ne priores aut abbates et conventus monasteriorum suæ diocesis prioratus, ad dicta monasteria pertinentes, debitis defraudent obsequiis, eos ad firmam concedendo vel in proprios usus retinendo. (n° 236 A, fol. 61.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Matisconensi.* Ad audientiam nostram pervenit quod nonnulli abbates, priores et conventus monasteriorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, Eduensis civitatis et diocesis, prioratus pertinentes ad ipsos, in quibus consueverunt eorumdem monasteriorum monachi commorari et divina officia celebrare, quandoque clericis quandoque laicis ad firmam concedere ac interdum eos in usus proprios retinere propria temeritate presumunt, ex quo prioratus ipsi debitis obsequiis defraudantur ac divinus cultus subtrahitur in eisdem.

Nos autem de tua circumspectione gerentes fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue compellendi abbates, priores et conventus predictos, quod in eisdem prioratibus teneant competentem numerum monachorum, etc., ut supra capitulo secundo proximo usque in finem. Dat. ut supra. »

268 Au Latran, 22 décembre 1303.

Priorissæ et conventui monasterii s. Mariæ de Ripalta Jadrensis concedit, ut omnibus privilegiis ordini Prædicatorum concessis vel concedendis in futurum libere gaudeant et utantur. (n° 236 B, fol. 61.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et conventui monasterii sancte Marie de Ripalta Jadrensis, per priorissam soliti gubernari, secundum instituta et sub cura fratrum Predicatorum viventibus.* Cum, sicut ex parte vestra fuit expositum coram nobis, vos incluse corpore in castris [1] claus-

1. Ms : « claustris » ce qui est évidemment une erreur. Partout en effet où la même formule est reproduite, on trouve *castris* et non *claustris* (voy. col. 118, 119 et 141). De plus dans l'une des pièces précédentes (col. 119), où le scribe avait par mégarde écrit *claustris* comme ici, il est revenu sur ce mot et l'a corrigé en exponctuant les deux lettres *l* et *u*.

tralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, ordini fratrum Predicatorum auctoritate apostolica sitis unite dictique ordinis instituta laudabiliter observetis, secundum eorumdem fratrum instituta et sub cura viventes, nos propter hoc et obtentu dilecti filii nobilis viri Albertini Maurecini de Venetiis, vestri monasterii fundatoris, super hoc nobis humiliter supplicantis, ejusdem nobilis supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut omnibus privilegiis ordini predicto concessis et imposterum concedendis vobis competentibus gaudere et uti libere valeatis. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc., Dat. Laterani, XI kalendas januarii, anno primo. »

269 Au Latran, 24 janvier 1304.

Tano quondam Ubaldini de Loglano, domini papæ domicello, conceduntur sub certo annuo censu cameræ apostolicæ persolvendo omnes terræ et possessiones, quas in territorio castri Medicinæ possidet Romana Ecclesia. (n° 237 A, fol. 61.)

« *Tano, nato quondam Ubaldini de Loglano, domicello nostro.* Tue sinceritas fidei claraque tua tuorumque progenitorum devotionis merita promerentur, ut nos in hiis que tuum respiciant comodum invenias liberales.

Volentes itaque horum consideratione tibi gratiam facere specialem, omnes et singulas terras et possessiones, que in castro Medicine ac ejus territorio ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, apostolica tibi auctoritate concedimus usque ad Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis : et ut de predictorum possessione et proprietate ipsius Romane Ecclesie in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra quindenam festi Resurrectionis dominice quinque solidos Bononiensium parvorum nomine census, cum hujusmodi litterarum ostentione, camere nostre persolvas. Quod si facere forte contempseris omne jus, quod tibi ex hujusmodi nostra concessione debetur, extunc ad predictam Ecclesiam devolvatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIIII kalendas februarii, anno primo. »

270 Au Latran, 18 janvier 1304.

Moneat rector Patrimonii b. Petri in Tuscia quosdam invasores castri Jovis, Ameliensis diocesis, ut dictum castrum legitimo domino sine mora restituant et de damnis ibidem illatis plenarie satisfaciant. (n° 237 B, fol. 61.)

« .. *Rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia.* Ex parte dilecti filii nobilis viri Petri Gaitani comitis Casertani gravis nobis est oblata querela, quod nobiles viri Hugolinus et Offreduzolus, Nerius, Franciscus ac Cicerio de Alviano, Ameliensis diocesis, ad castrum Jovis dicte diocesis, ad eundem comitem pertinens, armata manu hostiliter accedentes castrum ipsum et ejus roccam, ejectis inde procuratoribus dicti comitis, qui ea dicti comitis nomine possidebant, et nonnulla bona mobilia ibidem inventa temere occuparunt dictaque castrum et roccam occupata detinere presumunt. Quare pro parte prefati comitis fuit nobis humiliter supplicatum ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur eidem comiti favorabiliter in suo jure assistere attendentes, qui sumus omnibus in justitia debitores, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus predictos Hugolinum et alios hujusmodi presumptores ex parte nostra per te vel alium seu alios monere procures, ut infra octo dies post monitionem hujusmodi eidem comiti vel procuratori suo ejus nomine castrum et roccam nec non et alia bona predicta que extant restituant, de residuis vero ex bonis ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant, eos ad id, si hujusmodi monitioni parere contempserint, extunc per temporales penas eis infligendas, presertim per privationem juris, si quod ipsis vel cujusvis eorum in castro seu rocca predictis et eorum territorio competebat vel competere potest, et etiam omnium bonorum suorum, appellatione remota ra[tione] pre[via] compellendo. Dat. Laterani, XV kalendas februarii, anno primo. »

271 Au Latran, 23 janvier 1304.

Rogerono de Loria et Ysabellæ, filiæ regis Trinacriæ, licentiam concedit matrimonium contrahendi non obstante quarto consanguinitatis gradu. (n° 238 A, fol. 61.)

« *Dilecto filio nobili viro Rogerono, nato dilecti filii nobilis viri Rogerii de Loria, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Ysabelle, nate carissimi in Christo filii nostri Friderici, regis Trinacrie illustris.* Etsi conjunctio copule conjugalis in quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provida tamen Sedis Apostolice circumspectio nonnunquam juris rigorem mansuetudine temperans, super hiis provide quandoque dispensat et quod negat juris severitas de gratia pietatis indulget, presertim cum, conditione personarum, locorum et temporum diligenter inspecta, id necessario vel utiliter videtur expedire.

Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat quod, licet inter vos contrahere matrimonium affectetis,

quarto tamen consanguinitatis gradu, in quo attinetis vobis ad invicem, prohibente, id efficere legitime non potestis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut contrahendi matrimonium inter vos licentiam vobis concedere dignaremur.

Nos igitur diligenti consideratione pensantes, quod per hoc sicut accepimus multis periculis multisque jacturis et scandalis obviatur, ac illarum partium status procuratur pacificus et tranquillus, attendentes etiam qualitatem personarum vestrarum nec non causas et circumstantias universas, que nos ad hoc merito movere possunt et debent, vestris supplicationibus inclinati, quod impedimento non obstante predicto inter vos matrimonium libere contrahere valeatis et tandem in contracto remanere, vobiscum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

272 Au Latran, 23 décembre 1303.

Abbatissam et sorores monasterii s. Silvestri de Capite de Urbe, quas Bonifatius VIII excommunicaverat pro eo quod statutum quoddam ab ipso editum minime observaverant, absolvit statutumque prædictum revocat. (nº 238 B, fol. 61 vº; POTTH., nº 25332) [1].

« *Dilectis in Christo filiabus Johanne abbatisse et conventui monasterii sancti Silvestri de Capite de Urbe, ordinis sororum Minorum inclusarum.* Dudum felicis recordationis — Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

273 Au Latran, 6 février 1304.

Fidelibus Perusinæ civitatis, qui ad reædificationem ecclesiæ prioratus s. Angeli foris Portam urbis ejusdem manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (nº 238 c, fol. 61 vº.)

« *Universis Christi fidelibus per Perusinam civitatem et diocesim constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

274 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante per obitum Gentilis electi ecclesia Cathaniensi, Leonardus, Brugensis præpositus in ecclesia Tornacensi, domini papæ capellanus, eidem ecclesiæ præficitur in episcopum. (nº 239, fol. 62.)

1. Potthast donne la date du 3 janvier 1304 (III nonas januarii).

« *Leonardo, electo Cathaniensi.* Quantis ab olim— Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Cathaniensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Cathaniensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Cathaniensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Cathaniensis.
In e. m. Friderico, regi Trinacrie illustri.

275 Au Latran, 23 janvier 1304.

Consideratione fratris Johannis Pruni, litterarum apostolicarum bullatoris, mandat ut Paulo Nicholai dicto Quantapoi unum vel plura beneficia conferantur in diocesi Verulana, quorum annui redditus valorem viginti quinque florenorum auri non excedant. (nº 240, fol. 62 vº.)

« *Dilectis filiis .. abbati secularis sancti Pauli et Gualterio ac Blaserio Rogerii, canonicis majoris ecclesiarum Verulanarum.* Cum sicut accepimus — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

276 Au Latran, 4 février 1304.

Thomasinus de Inzola de Parma constituitur rector in temporalibus Campaniæ et Maritimæ. (nº 241 A, fol. 62 vº.)

« *Nobili viro Thomasino de Inzola de Parma militi, Campanie Maritimeque rectori.* Romane matris Ecclesie pia et circumspecta provisio, quantumcumque subditorum suorum interdum excessibus provocata, illorum curam negligere minime consuevit, ne desit in eis materne correctionis officium ipsique a sinu ejus egressi irremediabiliter collabantur.

Cum igitur Campanie Maritimeque provincia, que nostrum et ipsius Ecclesie fore noscitur peculiare demanium, et in qua olim ferventer viguit devotio et reverentia filialis, diebus istis passa sit in non modica sui parte scissuram et posita proh dolor! in maligno, ejusque status noscatur sub gravi subversione manere, nos intendentes pro ipsius provincie et incolarum ejus salute satagere ac circa eos salubris reformationis remedium utiliter annuente Domino, prout ad nostrum spectat officium, adhibere, ut et ipsi ad devotionem debitam ipsius reducantur Ecclesie, ac eadem Ecclesia in eis possidens locum matris ipsorum reductione provida jocundetur ad eorum regimen exercendum, ne patris debitum in filiis negligere videamur, personam ad harum promotionem utilem inibi decrevimus deputandam, cujus industria sit salubris ad singula et expugnatrix avida vitiorum.

De tue igitur probitatis et experte circumspectionis

industria plenam in Deo fiduciam obtinentes, quod per te in hac parte satisfieri poterit laudabiliter votis nostris, rectoriam predictarum Campanie et Maritime in temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus, per te prudenter et fideliter usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in eadem provincia quicquid honori et comodo Ecclesie memorate ac prospero fidelium ipsius provincie statui expedire cognoveris, et contradictores ac rebelles temporaliter appellatione postposita compescendi, concedentes tibi plenam et liberam potestatem.

Ideoque nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus onus rectorie hujusmodi reverenter assumens, sic illud prudenter et fideliter exequaris quod possis exinde merito commendari. Nos enim processus et sententias sive penas, quos temporaliter rite feceris, tuleris vel statueris in rebelles, ratos habebimus, etc., usque : observari. Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

In e. m. universis baronibus ceterisque nobilibus communitatibusque ac universitatibus et personis secularibus civitatum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum per Campaniam et Maritimam constitutis.

277 Au Latran, 22 janvier 1304.

Andreæ Philippi Sapiti, civi Florentino, conceditur tabellionatus officium. — Eadem concessio facta Andreæ Palmerii, clerico Spoletano. (n° 241 B, fol. 62 v°.)

« *Andree Philippi Sapiti, civi Florentino.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, XI kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. Andree Palmerii, clerico Spoletano in minoribus ordinibus constituto. Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, XI kalendas februarii, anno primo [1]. »

278 Au Latran, 28 décembre 1303.

Cunctis fidelibus, qui hospitali novo de Spoleto, ordinis s. Augustini, manum porrexerint adjutricem, septimam partem de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxat. Prædictum autem hospitale sub sua et b. Petri protectione suscipit. (n° 242, fol. 63.)

« *Universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint.* Si juxta sententiam — Dat. Laterani, V kalendas januarii, anno primo. »

1. Cet *In e. m.* a été ajouté postérieurement par une autre main sur la marge inférieure du manuscrit.

279 Au Latran, 28 décembre 1303.

Omnes archiepiscopos, episcopos, abbates aliosque monasteriorum et ecclesiarum prælatos monet et hortatur ut, cum fratres ejusdem hospitalis ad loca quæcumque pro eleemosynis accesserint colligendis, eos benigne recipientes et honeste tractantes, ipsis liberam facultatem concedant populum in ecclesiis ammonendi dictasque ibidem eleemosynas colligendi. Domos insuper et jura ac privilegia supradicti hospitalis tueantur ac conservent, caveantque ne illi, qui ad ipsum hospitale veniunt, ab aliquibus injuste molestentur. (n° 243, fol. 63.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste pervenerint.* Cum dilectis filiis — Dat. Laterani, V kalendas januarii, anno primo. »

280 Au Latran, 28 décembre 1303.

Eisdem mandat ut compescant presbyteros, qui fratres ejusdem hospitalis in negotio collectionis eleemosynarum impediunt, vel qui ab eis dictarum eleemosynarum partem exigere seu extorquere non verentur; compescant quoque omnes alios qui ea, quæ dictis fratribus in testamento relicta sunt, retinere et sibi applicare propria temeritate præsumunt. (n° 244, fol. 63 v°.)

« *Eisdem.* Querelam gravem recepimus dilectorum filiorum .. preceptoris et fratrum hospitalis novi de Spoleto, ordinis sancti Augustini, quam per magnitudinem culpe ac pauperum dispendio dissimulare nec volumus nec debemus.

Proposuerunt siquidem jamdicti fratres quod, cum pro confratriis et elemosinis pauperum requirendis, juxta consuetudinem suam auctoritate apostolica confirmatam, ad ecclesias quorumdam presbyterorum accedunt, eos recipere nolunt, sed quod gravius est ab ecclesiis ipsis predictos fratres ejicere non verentur, cum deberent eos benigne ac patienter audire ac parrochianos suos ad conferendas elemosinas attentius exhortari.

Accedit ad hec quod iidem presbyteri quandam partem elemosinarum pauperum exigunt impudenter, et ut possint extorquere quod querunt, parrochianis suis reclāmantibus pauperum obsequium impedire pro sue voluntatis arbitrio non formidant. Unde, quia tantum predictorum fratrum gravamen et pauperum dispendium clausis non debemus oculis pertransire, quibus ex debito pastoralis officii patrocinium tenemur contra omnium insolentiam impertiri, universitati vestre ad instar Clementis et Urbani Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus universis presbyteris vestre potestati sub-

jectis sub pena [privationis] officii et beneficii injungatis, ut predictos fratres in ecclesiis suis ad opus pauperum predicare, dummodo questuarii non existant, et elemosinas querere, juxta quod eis Apostolica Sedes indulsit, sine qualibet contradictione permittant, salva moderatione Concilii generalis, nec aliqua ab eis exigere vel extorquere presumant. Si vero postmodum de jamdictis presbyteris ad audientiam vestram querela pervenerit, in transgressores mandati nostri juxta modum culpe veritate cognita taliter vindicetis, quod eos sue temeritatis peniteat et fratres ipsi pro defectu justitie ad nostram non cogantur presentiam laborare.

Pervenit preterea ad audientiam nostram quod, si quando parrochiani vestri predictis fratribus de rebus suis quecumque in testamento relinquunt, heredes eorum vel illi, qui res ipsas penes se habent, ipsum legatum eis solvere contradicunt. Quia vero gravem culpe maculam contrahunt et non mediocriter oculos divine majestatis offendunt, qui ea, que sacris Dei ecclesiis et viris religioni et honestati deditis rationabiliter in testamento legantur, temeritate qualibet detinere presumunt, universati vestre mandamus quatinus, si predicti fratres apud vos exinde querimoniam deposuerint, illos quos vobis nominaverint, si ita vobis esse constiterit, moneatis attentius et districtius compellatis, ut ea que predictis fratribus sunt in testamento legata, remoto appellationis obstaculo, sine malitiosa dilatione, absque diminutione persolvant vel in presentia vestra appellatione remota exhibeant justitie complementum. Quod si monitis vestris parere contempserint, eos appellatione cessante usque ad satisfactionem condignam excommunicationis vinculo astringatis. Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

281 Au Latran, 28 décembre 1303.

Eosdem rogat moneant et inducant parrochianos suos ut, ad substentationem infirmorum et pauperum, eleemosynas ac pia subsidia nuntiis hospitalis ejusdem largiantur. Concedant quoque dictis nuntiis honestum hospitium in domibus propriis. (n° 245, fol. 64.)

« *Eisdem.* Circa opera pietatis vos non credimus difficiles invenire, ad que tenemini per vos ipsos tam exemplo quam verbo vestros subditos invitare. Licet autem debeatis omnibus benignitatis vestre gratiam exhibere ac in pio eos proposito adjuvare, dilectis tamen .. preceptori et fratribus hospitalis novi de Spoleto, ordinis sancti Augustini, tanto tenemini ampliorem prestare favorem, quanto iidem per hospitalitatis opera quibus sunt dediti debent Dei et hominum gratiam plenius obtinere.

Monemus igitur universitatem vestram et hortamur attente ad instar felicis recordationis Alexandri pape IIII[ti], predecessoris nostri, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus singuli vestrum parrochianos suos moneant diligentius et inducant, ut ex parte nostra in remissionem eis peccaminum injungant, ut nuntiis hospitalis ipsius, qui pro elemosinis fidelium ad substentationem infirmorum et pauperum colligendis ad partes vestras accedunt, grata subsidia et pias elemosinas largiantur, ita ut quod pauperibus contulerint per manus eorum in terris, sibi per manus pauperum thesaurizent in celis.

Et ne dicti fratres, qui religionem professi sunt, diffamentur a populo, si cum personis secularibus in eorum domibus hospitentur, presentium vobis auctoritate mandamus quatinus, divine retributionis incursu et precum interventu nostrarum, honestum eis et caritativum hospitium in vestris domibus concedatis.

Litteras etiam, quas fratribus ipsis concessimus, parrochianis vestris diligenter et fideliter exponatis, mandatum nostrum taliter impleturi, quod ex hoc preter divine retributionis gratiam nos vobis et ecclesiis vestris fortius obligetis. Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

282 Au Latran, 28 décembre 1303.

Eisdem mandat ut prædictum hospitale, jura, bona, domos personasque ipsius a vexantibus et malefactoribus sollicite tueantur. (n° 246, fol. 64.)

« *Eisdem.* Non absque dolore — Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

283 Au Latran, 28 décembre 1303.

Cunctis fidelibus eleemosynas et subsidia erogantibus prædicto hospitali indulgentiam quadraginta dierum concedit. (n° 247, fol. 64.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

284 Au Latran, 16 janvier 1304.

Petro, nato Leonardi de Galbo, clerico Tervisino, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in Tridentina civitate vel diocesi. (n° 248, fol. 64 v°.)

« *Dilecto filio Petro* [1], *nato dilecti filii Leonardi de Galbo, clerico Tervisino.* Ut tua et tuorum — Dat. Laterani, XVII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo et .. priori Sanctorum Quadraginta Tervisinis, ac Bittino de Coneglano, archidiacono Neugradiensi in ecclesia Strigoniensi, capellano nostro.

285 Au Latran, 27 janvier 1304.

Episcopo Ruthenensi facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ Ruthenensis ac providendi eis de præbendis vacantibus. (n° 249, fol. 64 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ruthenensi* [2]. Ut personam tuam — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

286 Au Latran, 30 janvier 1304.

Guenæ, nato Mini de s. Quirico, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in Aretina civitate vel diocesi. (n° 250, fol. 64 v°.)

« *Dilecto filio Guene, nato dilecti filii Mini de sancto Quirico, canonico plebis ejusdem loci de sancto Quirico, Aretine diocesis.* Manum apostolice liberalitatis — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. magistro Bindo Bindi, canonico Senensi, notario nostro, et .. archipresbytero ecclesie Clusine ac .. plebano plebis de Marinoraya, Senensis diocesis.

287 Au Latran, 16 janvier 1304.

Plebano plebis s. Johannis de castro Pennæ, Firmanæ diocesis, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in diocesi supradicta. (n° 251, fol. 65.)

« *Dilecto filio Andree, plebano plebis sancti Johannis de castro Penne, Firmane diocesis.* Commendanda tue merita — Dat. Laterani, XVII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Savini prope Firmum et .. sancti Vitalis prope Amandulam, Firmane diocesis, monasteriorum abbatibus ac magistro Onufrio de Trebis, decano ecclesie Meldensis, capellano nostro.

1. Le ms. porte « Peno. » Mais dans une pièce, qui se trouve un peu plus loin, le même personnage est nommé *Petrus* (voy. col. 218), ce qui donne à croire qu'ici le scribe a dû se tromper.
1. Ms : « Ruchenensi. »

288 Au Latran, 13 janvier 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Pauli de Urbe concedit licentiam locandi quædam feuda ad monasterium ipsum legitime devoluta, non obstantibus quibuslibet contrariis consuetudinibus vel statutis. (n° 252, fol. 65 v°.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii sancti Pauli de Urbe.* Ex parte vestra fuit — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

289 Au Latran, 23 décembre 1303.

Quondam Bonifatius VIII monasterium s. Silvestri de Capite de Urbe, ordinis sororum Minorum inclusarum, in ordinem s. Claræ cooptatum declaravit, curam ejus committens Mathæo, s. Mariæ in Porticu diacono cardinali. Qui quidem illius ordinationis prætextu dudum fructus, redditus ac proventus dicti monasterii ab officialibus suis recolligi facit et etiam conservari. Asserentibus autem sororibus, quod occasione præmissorum gravia sustinuerant et adhuc patiebantur detrimenta, Benedictus statutum prædecessoris sui revocans, mandat episcopo Portuensi ut prædictos fructus, redditus ac proventus sic collectos et conservatos abbatissæ et conventui faciat assignari. (n° 253, fol. 65 v°.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Portuensi.* Dudum felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^{us}, predecessor noster, auctoritate apostolica statuit ut in monasterio sancti Silvestri de Capite de Urbe, in quo nunc ordo sororum Minorum inclusarum servatur et tunc etiam salubriter servabatur, extunc ordo seu regula sancte Clare a pie memorie Urbano papa IIII^{to}, predecessore nostro, edita servaretur, et quod abbatissa, sorores et conversi, quos et quas post statutum hujusmodi in ipso monasterio profiteri contingeret, profiterentur regulam supradictam ac secundum eam perpetuo vivere tenerentur, quodque prelibatum monasterium esset et diceretur dicti ordinis sancte Clare, precipiens nichilominus quod persone ille tunc in monasterio ipso degentes, que in eo erant dictum ordinem sororum Minorum inclusarum professe et profiteri nollent regulam prelibatam, deberent in aliis monasteriis, ipsius ordinis quem professe fuerant collocari.

Decrevit quoque idem predecessor ut dilectus filius noster Matheus, sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, qui est et tunc erat gubernator, ac ceteri Romane Ecclesie cardinales, qui essent pro tempore gubernatores, protectores et correctores aliorum monasteriorum ejusdem ordinis sancte Clare ac ordinis fratrum Minorum, essent de cetero gubernatores, protectores et correctores prelibati monasterii sancti Silvestri, personarum atque bonorum ipsius et in prefato monasterio, per-

sonis et bonis ejus potestatem haberent sicut in aliis monasteriis prefati ordinis dicte sancte. Sicque dictus cardinalis hujusmodi statuti pretextu, de fructibus, redditibus et proventibus ad monasterium ipsum pertinentibus curam gerens, fecit eosdem fructus, redditus et proventus per officiales suos seu alios ad hoc deputatos ab ipso recolligi et eorum pretia, ut dicitur, conservari.

Nos autem ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum Johanne abbatisse et conventus ejusdem monasterii sancti Silvestri asserentium, quod ex hujusmodi statuto dicti predecessoris B[onifatii], quod sine aliqua causa rationabili editum fuisse dicunt, gravium turbationum et dolorum fuerant aculeo sauciate ac circa regularem observantiam, que in monasterio ipso vigere solebat, nimium in derogationem cultus divini nominis impedite, ac nonnulla bona dicti monasterii occasione prelibati statuti occupata existebant, ac alias ipse ac predictum monasterium sustinuerant in spiritualibus et temporalibus non modica detrimenta, predictum statutum ac omnes processus et sententias et quecumque alia contra abbatissam et conventum ac monasterium prelibata secuta fuerunt ex ipso statuto vel ob id auctoritate apostolica revocavimus, cassavimus et irritavimus, ea omnino carere viribus nuntiantes ipsasque abbatissam et conventum ad illorum observationem aliquatenus non teneri, volentes ut bonorum temporalium predicti monasterii, que occasione dicti statuti vel alias de mandato ejusdem predecessoris B[onifatii] dicto monasterio adempta fuerant, necnon fructuum et reddituum medio tempore perceptorum ex eis plena fiat restitutio abbatisse et conventui prelibatis.

Quocirca fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatinus hujusmodi bona temporalia dicti monasterii prefatis abbatisse et conventui, que occasione dicti statuti vel alias de mandato ejusdem predecessoris B[onifatii] eis adempta fuerant, nec non fructus et redditus medio tempore perceptos ex eis dictis abbatisse et conventui ac eidem monasterio plene restitui faciens, de fructibus, redditibus et proventibus dicti monasterii a prefatis officialibus seu aliis, qui percipi potuerunt, nec non et de pretio eorumdem ac de expensis factis pro recollectione et conservatione ipsorum fructuum et salario officialium, ab eisdem officialibus seu quibusvis aliis per te vel alium seu alios exactam exigas rationem, et quicquid superest dictis abbatisse et conventui facias assignari in utilitatem dicti monasterii convertendum, quitatione et reservatione facta per dictas abbatissam et conventum de hiis, que ab eis de mandato tuo recipi contigerit de predictis, contradictores, etc. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

290 Au Latran, 27 janvier 1304.

Cum ad recuperationem bonorum ac jurium ecclesiæ suæ debeat episcopus Ruthenensis intendere, ei conceditur ut diocesim suam per alium seu alios faciat visitari. (nº 254, fol. 66.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ruthenensi.* Tue merita fraternitatis — Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. Johanni de Bacalaria et Bernardo de Cauzaco, canonicis Ruthenensibus.

291 Au Latran, 10 janvier 1304.

Cum priorissa et conventus monasterii s. Agnetis Reatini, ordinis s. Augustini, ecclesiam de Maccaversana et capellam s. Nicolai de Collevitelli propriis sumptibus reparare proponant, in quibus capellanos instituere cupiunt ibidem Domino serviturus, episcopo Reatino committitur ut, inquisita prius veritate de præmissis, si hoc sibi videatur utiliter expedire, dictas ecclesiam et capellam dictis monialibus auctoritate apostolica concedat. (nº 255, fol. 66.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Reatino.* Pietatis opera cujus — Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

292 Au Latran, 14 janvier 1304.

Dispensat cum Petro, nato Leonardi de Galbo, clerico Tervisino, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et quæcumque beneficia ecclesiastica obtinere. (nº 256, fol. 66.)

« *Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Leonardi de Galbo, clerico Tervisino.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, XVIIII kalendas februarii, anno primo. »

293 Au Latran, 13 janvier 1304.

Priori claustrali monasterii s. Georgii majoris de Venetiis curam committit exercendi visitationis officium in monasterio s. Mariæ de Virginibus ejusdem loci de Venetiis, ordinis s. Marci Mantuani. (nº 257, fol. 66 vº.)

« *Dilecto filio Andree, priori claustrali monasterii sancti Georgii majoris de Venetiis, ordinis sancti Benedicti, Castellane diocesis.* Gerentes de cunctis fidelibus curam ex debito apostolice servitutis, illam circa religiosas personas specialius adhibemus admittendo benignius supplicationes earum, in hiis presertim que salutem ipsarum respicere dinoscuntur.

Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et monialium monasterii sancte Marie de Virginibus de Venetiis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Marci Mantuani, Castellane diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum ut tam pro animarum suarum salute, ad quam vehementer aspirant, quam pro predicti monasterii profectibus procurandis visitatorem honestum, religiosum et providum, quo plurimum indigere noscuntur, eis et prefato monasterio concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, earumdem abbatisse et monialium supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus quotiens expedierit ad prefatum monasterium personaliter accedens, in eo vice nostra usque ad quinquennium officium visitationis exerceas, corrigens et reformans ibidem juxta ejusdem ordinis instituta que correctione et reformatione noveris indigere, contradictores auctoritate, etc., non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras, etc., usque : mentionem. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

294 Au Latran, 15 janvier 1304.

Episcopo Tridentino concedit ut quatuor clerici, qui ejus insistunt obsequiis, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum usque ad quadriennium libere percipere valeant. — Eidem committit ut prædictos fructus prædictis clericis ipse faciat assignari. (n° 258, fol. 66 v°.)

« *Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Tridentino.* Personam tuam — Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. eidem. Nuper tibi super percipiendis fructibus, redditibus et proventibus beneficiorum clericorum tuorum tuis obsequiis insistentium litteras nostras bullatas concessimus in hec verba :

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Tridentino, salutem, etc. Personam tuam nobis, etc., ut in proxima superiori usque : Dat., etc., ut supra. »

Volentes igitur ut hujusmodi gratia liberius et comodius sortiatur effectum, tibi faciendi per te vel per alium seu alios eisdem clericis prefatos fructus, redditus, et proventus, juxta tenorem ejusdem concessionis nostre superius enarrate, integre ministrari, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus omnibus superius enarratis, seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum vel contigerit indulgeri, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam et liberam auctoritate presentium exnunc concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

295 Au Latran, 9 janvier 1304.

Olim, cum Bonifatius VIII omnes provisiones ecclesiarum in regno Franciæ consistentium Sedis Apostolicæ donationi certis ex causis reservasset, canonici Conseranensis ecclesiæ tunc vacantis, ad quorum notitiam nondum devenerat reservatio supradicta, Bernardum de Monte Acuto, canonicum Auxitanum, in Conseranensem episcopum elegerunt; ac deinde ipse archiepiscopus Auxitanus, reservationis ejusdem similiter ignarus, præfatam electionem auctoritate metropolitica confirmavit. Quibus omnibus pensatis diligenter, Benedictus papa se dictam electionem ratam et gratam habere nuntiat, mandans eidem archiepiscopo ut munus consecrationis impendat electo prælibato, reservatione Bonifatii non obstante. — Littera similis eidem archiepiscopo directa pro Arnaldo Raymundi, sacrista ecclesiæ Aquensis, qui post obitum Dominici episcopi fuerat eodem modo in episcopum Baionensem electus ac postea confirmatus. (n° 259, fol. 67.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Auxitano* [1]. Tua nobis fraternitas intimavit quod, postquam felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^{us}, predecessor noster, provisiones ecclesiarum tam cathedralium quam regularium regni Francie, si que forsitan tunc vacabant vel cum eas vacare contingeret, dispositioni sue ac Sedis Apostolice ex certis causis auctoritate apostolica reservavit, districtius inhibendo omnibus et singulis, ad quos in dictis ecclesiis prelatorum electiones aut ipsarum electionum confirmationes aut quecumque dispositiones pertinerent earum, ne contra reservationem hujusmodi quemquam eligere seu electionem aliquam confirmare aut de ecclesiis ipsis disponere presumerent quoquomodo, ac decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis contingeret attemptari, dilectus filius Bernardus de Monte Acuto, canonicus Auxitanus, fuit concorditer a dilectis filiis capitulo ecclesie Conseranensis, metropolitico tibi jure subjecte, tunc per obitum bone memorie Augeri, episcopi Conseranensis, pastoris solatio destitute, antequam reservatio, inhibitio et decretum hujusmodi ad eorumdem capituli notitiam devenissent, in episcopum Conseranensem electus, tuque presentatam tibi electio-

1. Ms : « Anxitano. »

nem eandem, quia eam invenisti de persona ydonea alias canonice celebratam, reservationis, inhibitionis et decreti predictorum prorsus ignarus auctoritate metropolitica confirmasti.

Cum autem dicta Conseranensis ecclesia in regno predicto consistat, ac electio ipsius Bernardi et ipsius electionis confirmatio per te ut predicitur subsecuta, obsistentibus dictis reservatione, inhibitione et decreto, de jure aliquatenus non subsistant et ulterius in premissis nequeas tuum officium exercere, ex quo dicte Conseranensi ecclesie non modicum imminet detrimentum, nobis humiliter supplicasti ut de oportuno providere in hac parte remedio de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque attenta meditatione pensantes tuam et suffraganeorum tuorum devotam obedientiam et devotionem sinceram, quam ad Romanam Ecclesiam inconcusse habuistis hactenus et habetis, ac propterea non indigne volentes dictam Conseranensem ecclesiam a dispendiis ei ob hoc imminentibus preservare, electionem dictorum capituli et confirmationem electionis ejusdem per te ut predicitur habitam, sicut alias provide habite sunt, ratas et gratas habentes, illas obtinere volumus auctoritate apostolica roboris firmitatem, quam haberent si reservatio, inhibitio et decretum hujusmodi nullatenus emanassent, tibi nichilominus circa munus consecrationis impendendum eidem Bernardo et faciendum omnia, que circa hec tibi visa fuerint oportuna, reservatione, inhibitione et decreto predictis nequaquam obstantibus, tuum officium exercendi liberam concedentes auctoritate presentium potestatem, eisdem reservatione, inhibitione et decreto alias in suo robore nichilominus permansuris. Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

In e. m. eidem pro Arnaldo Raymundi, sacrita ecclesie Aquensis, electo Baionensi.

296 Au Latran, 1er février 1304.

Valeat archiepiscopus Pisanus concedere priori et fratribus ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem quendam hortum ipsorum loco vicinum. (nº 260, fol. 67.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Pisano.* Significarunt nobis dilecti filii .. prior et fratres Predicatores Pisani, quod tu quendam ortum obtines in civitate Pisana loco ipsorum vicinum, quem Jacobus dictus Pucius Cantoris, civis Pisanus, ab ecclesia tua retinet sub quodam annuo redditu eidem ecclesie solvendo modice annue pensionis et habet quasdam domunculas in eodem. Cum autem ortus ipse sit priori et fratribus eisdem, prout ipsi asserunt, valde accomodus nec ex concessione ipsius gravem sustineat tua ecclesia lesionem, nos ipsorum votis favorabiliter annuentes, fraternitati tue concedendi prefatis priori et fratribus dictum ortum cum suis juribus et pertinentiis, juramento a te de non alienandis bonis dicte ecclesie Romano pontifice inconsulto prestito non obstante, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

297 Au Latran, 15 janvier 1304.

Cuidam mulieri concedit licentiam habendi altare portatile. (nº 261, fol. 67.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Aquila, relicte quondam Jacobi de Bursono vidue.* Desideriis tuis in hiis libenter annuimus, que ad salutem anime tue cedere dinoscuntur.

Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, habendi altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congrue [competentibus] tibi et familie tue possis per cappellanum proprium divina officia facere celebrari, sine juris prejuditio alieni, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

298 Au Latran, 1er février 1304.

Quandam hortorum permutationem in Pisana civitate confirmat. (nº 262, fol. 67.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus Predicatorum Pisanis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod B. abbas sancti Pauli de Ripa Arni et G. prior sancti Augustini de Ressano, Pisane diocesis, auctoritate felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, eis in hac parte commissa, quosdam ortos loco vestro vicinos cum quibusdam domunculis super se, tunc ad ecclesiam Pisanam spectantes, pro quibusdam aliis possessionibus, quas vos obtenta super hoc ab Apostolica Sede licentia dicte ecclesie concessistis, vobis permutationis titulo concesserunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, permutationem et concessionem hujusmodi ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

299 Au Latran, 13 février 1304.

Cum sicut asseritur bona cujusdam hæretici Pisanæ civitatis, Ecclesiæ Romanæ confiscata, fuerint nuper ab inquisitore pravitatis hæreticæ in illis partibus deputato donata vel pro modico pretio vendita in ejusdem Ecclesiæ detrimentum, Benedictus ad recuperationem dictorum bonorum intendens, episcopo Ostiensi committit ut super hoc diligenter inquirat, fidelem inde relationem Apostolicæ curiæ transmissurus. (n° 263, fol. 67 v°.)

« *Venerabili fratri N[icolao], episcopo Ostiensi.* Eam gerimus de tua circumspectione fiduciam quod ea, que tibi committuntur a nobis, tam prudenter quam fideliter exequaris.

Cum itaque sicut nuper ad nostrum pervenit auditum dilectus filius frater Angelus de Aretio, ordinis Minorum, tunc inquisitor heretice pravitatis in Pisana provincia deputatus, contra quendam Loterium Bonamici, civem Pisanum, qui dicebatur eadem pravitate fuisse respersus, post obitum inquirens ipsius, memoriam suam hujusmodi occasione dampnavit bona sua Ecclesie Romane confiscando, de quibus quidem bonis aliqua per eundem inquisitorem donata et alia pro modico pretio vendita certis personis, quedam vero penes aliquos mercatores et nonnulla penes personas alias fore dicuntur, nos ad hujusmodi recuperationem bonorum diligentius intendentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super bonis jamdictis, ubi et penes quos fuerint, de quantitate ipsorum auctoritate nostra diligenter inquirens, que super hiis inveneris nobis fideliter referre procures.

Ut autem in hiis eo liberius procedere valeas quo majori per nos fueris auctoritate munitus, procedendi per te vel alium seu alios super hujusmodi negotio et contingentibus illud per indaginem etiam non solennem ac alias summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, et quomodocumque tibi videbitur expedire, ac vocandi ad presentiam tuam quoscumque propterea videris evocandos, nec non contradictores, quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si pontificali vel alia quavis premineant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendi [1], absolvendi quoque illos, qui propter occupationem, detentionem et occultationem dictorum bonorum excommunicationis sententiam latam in tales per eundem inquisitorem forsitan incurrerunt, ab eadem sententia, postquam tibi satisfecerint congrue de predictis, ac dispensandi cum illis, qui eadem ligati sententia divina officia celebrarunt vel immiscuerunt se illis, super irregularitate hujusmodi occasione contracta, injuncta eis pro modo culpe penitentia salutari, invocandi preterea si opus esset auxilium brachii secularis;

Non obstantibus de duabus et una dietis aut quibuscumque aliis constitutionibus contrariis; aut si aliquibus ab Apostolica sit Sede concessum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, seu quod ultra vel citra certa loca [ad judicium] trahi non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; aut quibuscumque litteris, privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que non expressa vel totaliter non inserta tue jurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de quibus in nostris litteris habenda sit mentio specialis, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Laterani, idibus februarii, anno primo. »

1. Ms : « compescendo. »

300 Au Latran, 8 février 1304.

Valeat episcopus Ispalensis usque ad summam duorum millium florenorum auri mutuum contrahere. (n° 264, fol. 67 v°.)

« *Venerabili fratri Fernando, archiepiscopo Ispalensi.* Cum sicut in nostra — Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

301 Au Latran, 3 février 1304.

Guillelmo de Madagoto, canonico Nemausensi, concedit facultatem insistendi usque ad triennium liberalibus artibus et juri canonico, in loco ubi viget studium generale. (n° 265, fol. 67 v°.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Madagoto, canonico Nemausensi, ordinis sancti Augustini.* Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod tu studio liberalium artium et juris canonici desideras immorari. Licet autem viros religiosos, ut pote divinis obsequiis deputatos, non deceat exiri eorum claustrum et per seculum evagari, nos tamen attendentes quod eo magis ecclesie Nemausensi ac ordini tuo te poteris reddere fructuosum, quo notitiam artium et juris predictorum obtinueris pleniorem, cum presertim fore dicaris docilis et habere animum ad studendum, tuis supplicationibus inclinati, insistendi studio hujusmodi usque ad triennium, in loco ubi illud vigeat generale, licentiam tibi presentium tenore concedimus, prefati ordinis vel alia quacumque constitutione et gratia non obstante. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, III nonas februarii, anno primo. »

302 Au Latran, 6 février 1304.

Antonio de Laveza confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Wellensi. (nº 266, fol. 67 vº.)

« *Dilecto filio Antonio de Laveza, canonico Wellensi.* Sedis Apostolice benignitas — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Lucano et .. decano Sarisbiriensis ac .. archidiacono Voukingamie Lincolniensis [1] ecclesiarum.

303 Au Latran, 4 décembre 1303.

Confirmat quandam concessionem decimarum ad ecclesiam Vicentinam spectantium, quas olim Vicentinus episcopus qui tunc erat Guidoni de Lucio, civi Paduano, et ipsius hæredibus in feudum perpetuum dederat retinendas sub certis conditionibus et pactis. (nº 267, fol. 68.)

« *Dilecto filio nobili viro Nicolao de Lucio, civi Paduano.* Personam tuam tue devotionis obtentu paterna benivolentia prosequentes, tibi que juste postulas favorabiliter impertimur.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat quod bone memorie B[ernardus] [2], episcopus Vicentinus, quasdam decimas ad ecclesiam Vicentinam spectantes, quas quondam frater Pileus et quondam frater Martabrunus, filii quondam Pilei Huguitionis de Vicentia, ordinis Militie sancte Marie Virginis gloriose, cujus ordinis fratribus ex eorum regula proprium licet habere, in feudum tenuerant ab ecclesia memorata, solitas in feudum concedi per episcopos Vicentinos a tempore cujus memoria nec extabat, queve tunc certis ex causis erant ad eandem ecclesiam legitime devolute, quondam Guidoni de Lucio patri tuo et ipsius heredibus, cujus heres tu existis, in perpetuum sub certis obsequiis per ipsum et heredes eosdem dicto episcopo et ejus successoribus qui pro tempore essent prestandis, certisque conditionibus ac pactis intervenientibus in feudum concessit, investiendo ipsum vel procuratorem suum ejus nomine per suum anulum presentialiter de eisdem, recepto propter hoc ab eo vel dicto procuratore pro ipso, speciale ad hoc mandatum habente, fidelitatis debite juramento, prout in instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri. Tu vero postmodum resignasti decimas ville sancti Petri Hengudi, Vicentine diocesis, que in concessionem hujusmodi venerant et de feudo existebant predicto, queve post resignationem hujusmodi ad monasterium monialium sancti Dominici Vicentini justo titulo devenerunt.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo [actum est] circa concessionem hujusmodi decimarum factam dicto patri tuo, predictis a te resignatis decimis exceptis, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

304 Au Latran, 10 janvier 1304.

Vacante monasterio s. Nicolai de Littore Venetiarum, ordinis s. Benedicti, per promotionem Francisci abbatis ipsius ad episcopalem dignitatem, dicto monasterio Bartholomæus, prior claustralis ejusdem, præficitur auctoritate apostolica in abbatem et pastorem. (nº 268, fol. 68 vº.)

« *Dilecto filio Bartholomeo, abbati monasterii sancti Nicolai de Litore Venetiarum, ordinis sancti Benedicti, Castellane diocesis.* Inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut monasteriorum omnium, cure nostre divina providentia commissorum, spiritualiter et temporaliter [profectus] augeantur, quodque illis, que suis destituta pastoribus vacationis incomoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus per quorum regimen utiliter et salubriter valeant gubernari.

Nuper siquidem monasterio sancti Nicolai de Litore Venetiarum, ordinis sancti Benedicti, Castellane diocesis, per promotionem venerabilis fratris nostri Francisci, episcopi Torcellani, olim ejusdem monasterii abbatis, factam ad Torcellanam ecclesiam, post consecrationis munus quod apud Apostolicam Sedem recepit vacante, nos ad prefatum monasterium gerentes specialis dilectionis affectum ipsumque plenis favoribus confoventes, ac intendentes eidem de persona juxta cor nostrum ydonea providere, provisionem ipsius monasterii ordinationi et dispositioni Apostolice Sedis et nostre ea vice auctoritate apostolica duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si quid contra hujusmodi reservationis nostre tenorem, scienter vel ignoranter, a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari. Et tandem volentes obviare dispendiis, que possent eidem monasterio ex vacatione diutina imminere, attendentes quoque laudabilia probitatis merita, honestatem morum, conversationis et vite munditiam et alias virtutes multiplices, quibus personam tuam bonorum Dator Altissimus deco-

1. Ms : « Lingonensis. »
2. Bernardus Nicelli, 1271-1286. Mais ce pourrait être tout aussi bien son prédécesseur, Bartholomæus de Braganza, 1256-1270.

ravit, et propterea firma ducti fiducia quod per tue circumspectionis industriam et attente providentie studium prefatum monasterium sancti Nicolai auctore Domino laudabilia suscipiet incrementa, premisso cum fratribus nostris super hoc deliberationis examine diligenti, te, ipsius monasterii priorem claustralem, de fratrum ipsorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis eidem monasterio in abbatem preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo.

Reverenter itaque jugum Domini suscipe ac suavi ejus oneri humiliter colla submitte, ipsius monasterii sollicitam curam gerens, gregem dominicum in eo tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tue diligentie studium memoratum monasterium votivis proficiat comodis et optatis consurgat augmentis. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Nicolai de Litore Venetiarum.

In e. m. .. episcopo Castellano.

305 Au Latran, 25 décembre 1303.

Fratribus ordinis Prædicatorum de Ripatransone, Firmanæ diocesis, concedit ut ea, quæ de usuris et aliis illicite acquisitis proveniunt, usque ad summam quingentorum florenorum auri recipere possint. — Eadem gratia pro fratribus dicti ordinis Recanatensibus. (nº 269A, fol. 68 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum de Ripatransonis* (sic), *Firmane diocesis*. Ut circa ea—Dat. Laterani, VIII kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum Recanatensibus. Ut circa ea — Dat. ut supra. »

306 Au Latran, 6 février 1304.

Quandam pensionem olim a Bonifatio VIII cuidam Ranerio Incresso medico concessam revocat. (nº 269B, fol. 68 vº.)

« Benedictus, etc., dilectis filiis .. santi Petri ad Gradus Pisani et .. de Dexio et .. de Parabiaco, Mediolanensis diocesis, prepositis ecclesiarum, etc. Dudum felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, volens magistro Ranerio Incresso, filio quondam Guillielmi Incressi de Mediolano, medico, facere gratiam specialem, suis vobis injunxit litteris ut vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, auctoritate sua eidem magistro Ranerio ubicumque foret, quoad viveret, vel procuratori suo ejus nomine, faceretis a dilecto filio .. magistro ordinis Humiliatorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ejusque successoribus magistris dicti ordinis qui essent pro tempore, infra quindecim dies festivitatem Omnium Sanctorum immediate sequentes, in annua pensione centum librarum Imperialium de bonis predicti ordinis provideri, contradictores, etc.

Cum autem ex solutione dicte pensionis grave in eodem ordine scandalum oriatur ipsique proinde non modicum imineat detrimentum, nos ipsi ordini super hoc providere volentes, ac propterea hujusmodi predecessoris litteras et processus per eas habitos omnemque ipsarum effectum penitus revocantes, ac decernentes magistrum dicti ordinis et successores predictos ad solutionem pensionis ipsius ulterius non teneri, vobis ne ulterius dictarum litterarum pretextu per vos vel alium seu alios quoslibet procedatis auctoritate presentium districtius inhibemus. Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

307 Au Latran, 6 février 1304.

Ecclesiam de Pina, Cæsaraugustanæ diocesis, quam olim episcopus quidam Cæsaraugustanus canonicis ecclesiæ suæ in usus proprios deputaverat ad eorum inopiam relevandam, dicto capitulo confirmat. (nº 270, fol. 68 vº.)

« *Dilectis filiis capitulo ecclesie Cesaraugustane* [1]. Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod bone memorie Arnaldus, episcopus Cesaraugustanus, prudenter attendens quod redditus et proventus mense ecclesie vestre adeo erant tenues et exiles, quod canonici ipsius ecclesie tunc in ea residentes non poterant ex eis comode substentari, propter quod ecclesia ipsa in spiritualibus et temporalibus patiebatur defectum, ecclesiam de Pina, Cesaraugustane diocesis, ad collationem ipsius episcopi pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, de vestro consensu auctoritate ordinaria propriis usibus dicte mense concessit et etiam applicavit, ita videlicet quod cedente vel decedente rectore qui tunc erat, ejusdem ecclesie de Pina corporalem possessionem apprehendere valeretis, reservatis de illius proventibus congruis portionibus vicario et portionariis in ea perpetuo servituris, ex quibus comode substentari possint et incumbentia ejusdem ecclesie onera supportare, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur con-

1. Ms : « Casaraugustane. » Dans le reste de la pièce au contraire le même mot est écrit très lisiblement *Cesaraugustanus*.

tineri; vosque postmodum possessionem ipsius ecclesie per dicti rectoris obitum tunc vacantis, nulli alii de jure debite, juxta tenorem concessionis hujusmodi apprehendere curavistis eamque in prefatos retinetis usus et pacifice possidetis.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis provide factum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

308 Au Latran, 10 janvier 1304.

Cum in certis locis Cæsaraugustanæ diocesis habitent Sarraceni, a quibus domini temporales dictorum locorum decimas prædiales recipiunt in ejusdem ecclesiæ detrimentum, ut tandem finis imponatur hujusmodi scandalo, Benedictus facultatem elargitur episcopo et capitulo Cæsaraugustanis concedendi prædictis dominis in feudum proventus decimarum earumdem a christianis tantummodo in antea percipiendos. (n° 271, fol. 69.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Oscensi.* Petitio venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Cesaraugustanorum nobis exhibita continebat, quod in certis locis Cesaraugustane diocesis habitant Sarraceni, a quibus christiani domini temporales dictorum locorum recipiunt decimas prediales et pati nolunt ut loca hujusmodi a christianis habitentur, ne per hoc in perceptione ipsius decime valeant impediri. Quare dicti episcopus et capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut eis concedendi proventus omnium decimarum predictarum vel ipsarum partem prefatis dominis et eorum heredibus in feudum, usque ad longevi temporis spatium vel saltem tres generationes, percipiendos a christianis quos dicta loca habitare continget, cum per hoc speretur quod ad habitandum eadem loca christianos iidem domini deputabunt, et sic cultus divinus exercebitur in eisdem locis, et Cesaraugustana poterit ecclesia dictas decimas ad plenum succedentibus recuperare temporibus, quas modo sine scandalo non valeret, licentiam largiremur.

Nos igitur dictorum episcopi et capituli supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus quatinus eisdem episcopo et capitulo, si utilitati ecclesie predicte secundum Deum expedire videris, juramento quod idem episcopus de non alienandis bonis ipsius ecclesie prestitisse dicitur et qualibet constitutione contraria non obstante, auctoritate nostra licentiam tribuas postulatam. Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

309 Au Latran, 27 janvier 1304.

Dispensat cum Berengario, nato Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri ac beneficium ecclesiasticum obtinere. (n° 272, fol. 69.)

« *Dilecto filio Berengario, nato dilecti filii Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, clerico Urgellensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

310 Au Latran, 9 janvier 1304.

Dispensat cum quodam monacho Cisterciensi, ut ad omnes prælaturas ordinis sui promoveri valeat non obstante defectu natalium. (n° 273, fol. 69.)

« *Dilecto filio Heylimanno de Herbipoli, presbytero monacho monasterii Halspriviensis, Cisterciensis ordinis, Eystetensis diocesis.* Testimonium tibi laudabile — Dat. Laterani, V idus januarii, anno primo. »

311 Au Latran, 10 janvier 1304.

Pilato quondam Almerici de Canneti de Forra clerico confertur beneficium, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Cenetensi. (n° 274, fol. 69.)

« *Dilecto filio Pilato, nato quondam Almerici de Canneti de Forra*[1], *clerico Cenetensi*[2]. Ut tua et tuorum — Dat. Laterani, IIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. priori Sanctorum Quadraginta et .. magistro scolarum ecclesie Tervisine ac .. archipresbytero canonice decumanorum Mediolanensis.

312 Au Latran, 8 janvier 1304.

Obtentu Comatii de Galluciis, ambaxiatoris communis Bononiensis, confertur Alberto ejus fratri beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Bononiensi. (n° 275, fol. 69 v°.)

« *Dilecto filio Alberto de Galluciis, canonico plebis sancti*

1. Peut-être *Fozra* ou *Fazra*.
2. Ms : « Cevetensi. »

Laurentii in Collina [1], *Bononiensis diocesis.* Tua et tuorum — Dat. Laterani, VII idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Proculi et .. sancti Felicis Bononiensis monasteriorum abbatibus ac .. priori sancti Barbatiani Bononiensis.

313 Au Latran, 7 janvier 1304.

Obtentu Johannis de Calcina, doctoris decretorum, ambaxiatoris ejusdem communis Bononiensis, Manfredo ejus filio confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Bononiensi. (nº 276, fol. 70.)

« *Dilecto filio Manfredo, nato dilecti filii Johannis de Calcina doctoris decretorum, canonico Bononiensi.* Bonitatis studia — Dat. Laterani, VII idus januarii, anno primo. »

314 Au Latran, 1er février 1304.

Magistro Johanni ad Clavas confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Cathalaunensi. (nº 277, fol. 70.)

« *Dilecto filio magistro Johanni ad Clavas, canonico Cathalaunensi.* Litterarum scientia — Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati sancti Petri ad Montes Cathalaunensis et .. archidiacono Narbonensis ac .. cantori Remensis ecclesiarum.

315 Au Latran, 30 janvier 1304.

Electo Cathaniensi licentiam concedit faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ Brugensis, cujus existit præpositus. (nº 278, fol. 70 vº.)

« *Dilecto filio Leonardo, electo Cathaniensi* [2]. Personam tuam eo — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

316 Au Latran, 27 janvier 1304.

Indulget ut quinque fratres infradicti, olim ordinis Carmelitarum professores, qui se in ordine Prædicatorum recipi procurarunt, in eodem libere remaneant. Inhibet tamen ne ullus frater prædicti ordinis Carmelitarum ad eundem ordinem Prædicatorum transire de cætero præsumat. (nº 279, fol. 70 vº.)

1. Ms : « Callina. »
2. Ms : « Cathavensi. » Mais la rubrique volante porte distinctement *Cathaniensi.*

« *Dilecto filio .. priori provinciali ordinis fratrum Predicatorum provincie regni Sicilie.* Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod Ansaldus de Messana, Hugolinus de Calatasimo, Ricardus Macaronus, Gotifridus de Pantmone et Barthucius de Squillatio, olim fratres ordinis Carmelitarum professi, ob specialem devotionem quam ad ordinem Predicatorum habebant, se in dicto ordine Predicatorum recipi procurarunt, ac professionem facientes in eodem moribus et scientia laudabiliter profecerunt; sed fratres dicti ordinis Carmelitarum volentes dictos fratres ad suum ordinem revocare, dictis fratribus et ordini tuo non modicum sunt infesti. Quia nobis humiliter supplicasti, ut eisdem fratribus et ordini tuo predicto super hoc providere paterna diligentia curaremus.

Nos igitur volentes quieti ipsorum fratrum et dicti ordinis Predicatorum consulere ac predictorum fratrum Carmelitarum conatibus obviare, receptionem ipsorum fratrum in ordine tuo factam ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, ac nichilominus volumus ut iidem fratres in dicto ordine Predicatorum possint licite remanere et dictus ordo Predicatorum ipsos libere retinere possit, contraria consuetudine vel statuto ipsorum ordinum non obstante, eadem auctoritate eisdem fratribus Carmelitis nichilominus inhibentes, ne amplius fratres ipsos verbo aut facto perturbare vel molestare presumant, et tu et ordo tuus predictus aliquem fratrem dicti ordinis Carmelitarum ad dictum ordinem Predicatorum recipere de cetero non attemptes. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, voluntatis et inhibitionis, etc. Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

317 Au Latran, 4 janvier 1304.

Recipiatur magister Radulfus de Marla in canonicum ecclesiæ Parisiensis nec non in officialem curiæ Parisiensis episcopi non obstantibus oppositione vel processibus aut sententiis, quæ contra eum fecerunt vel tulerunt tam certi coadjutores episcopi supradicti quam aliqui ejusdem ecclesiæ canonici. (nº 280, fol. 70 vº.)

« *Dilectis filiis.. decano sancti Germani Autissiodorensis Parisiensis et.. preposito Nivellensis, Leodiensis diocesis, ac.. archidiacono Flandrensi Morinensis ecclesiarum.* Petitio dilecti filii magistri Radulfi de Marla dicti de Insula, canonici et officialis Parisiensis, nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster Symon, Parisiensis episcopus, prudenter attendens quod ipse propter debilitatem proprii corporis, quam in eo parit tediosa senectus, circa pastorale officium et regimen episcopatus Pa-

risiensis sibi commissa utiliter, ut affectabat, gerenda aliorum suffragiis indigebat, de capituli sui consilio et assensu tres sibi coadjutores, videlicet dilectos filios J[ohannem] decanum, G[eraldum] archidiaconum et B[ertoldum] cancellarium ecclesie Parisiensis, eo modo assumpsit ad predicta officium et regimen exequenda, quod in spiritualibus et temporalibus, presertim in collationibus beneficiorum quorumcumque idem episcopus nichil posset facere seu etiam ordinare sine predictorum coadjutorum consilio et assensu, promittens bona fide premissa facere et observare et contra in aliquo non facere vel venire, ac volens quod si contra id faceret non valeret; dictique decanus et capitulum promiserunt bona fide premissa similiter inviolabiliter observare; iidem quoque coadjutores onus hujusmodi in se suscipientes, juraverunt eorum officium fideliter adimplere.

Cumque postmodum in predicta ecclesia canonicatus et prebenda, quos magister Thomas de Balliaco, canonicus Parisiensis, in ea obtinuerat, ad collationem memorati episcopi pertinentes, pro eo vacavissent quod idem magister Thomas eos libere dimictendo quandam prebendam acceptam ab eo in ecclesia ipsa auctoritate apostolica extitit assecutus, iidemque episcopus et coadjutores super conferendis dictis canonicatu et prebenda, ac etiam super constituendo officialem in curia ipsius episcopi diversos habuissent tractatus, nec possent in unam pariter concordare personam, dictus episcopus eundem magistrum Radulphum ad hujusmodi canonicatum, prebendam et officium, tanquam ydoneum et benemeritum, nominavit, dictosque coadjutores requisivit instanter quod in hoc eorum prestarent assensum. Et licet dictus archidiaconus nominationi hujusmodi facte per eundem episcopum consensisset, prefati tamen decanus et cancellarius, qui ad hoc preter episcopi et archidiaconi predictorum assensum quosdam alios nominarunt, responderunt quod in hoc eidem episcopo assentire nolebant, asserentes quod alii ad hoc nominati ab eis erant ydonei, et quod a sic nominatis ab ipsis recedere nullatenus intendebant, contra personam tamen dicti Radulfi nichil penitus opponentes; sicque memoratus episcopus existimans quod dicti decanus et cancellarius pro consentientibus in hoc casu haberi debebant, ex quo nichil contra dictum Radulfum rationabile proponebant, canonicatum et prebendam predictos nulli alii de jure debitos cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Radulfo conferens, ipsum officialem constituit curie antedicte, exercitium sibi jurisdictionis ordinarie committendo, de consensu archidiaconi memorati, quodam sibi super hoc executore concesso; idemque Radulfus a majori et saniori parte capituli dicte ecclesie receptus fuit auctoritate dicti episcopi ad eandem prebendam in ipsa ecclesia in canonicum et in fratrem et in officialem curie predicte admissus.

Verum decanus et cancellarius predicti et nonnulli ecclesie predicte canonici, pro capitulo ecclesie predicte se gerentes de facto, decreverunt collationem et alia premissa circa eundem Radulfum taliter acta, propter consensum dictorum decani et cancellarii in hoc non prestitum, non valere, seque dicto Radulfo super hoc opponere curaverunt; ac asserentes quod capitulo ipsius ecclesie ab Apostolica Sede indultum fuerat, quod in injuriatores suos possint censuram ecclesiasticam exercere, tam contra Radulfum quam ejus executorem predictos et eis in hac parte adherentes occasione hujusmodi varios habuerunt processus, pluresque excommunicationum et suspensionum sententias de facto protulerunt, propter que memoratus Radulfus ad Sedem predictam appellans, dilectum filium magistrum Bertramum, capellanum nostrum nostrique palatii auditorem causarum, ab eadem Sede dari obtinuit auditorem, coram quo pro parte dicti Radulfi in dicta causa in contumaciam alterius partis non comparentis libello exhibito et nonnullis aliis processibus habitis, idem Radulfus nobis humiliter supplicavit ut cum contra personam ejus nichil rationabile sit objectum, ne ipse per longos litigiorum anfractus supervacuis laboribus et sumptibus aggravetur, providere in hac parte sibi de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem Radulfum apud nos de litterarum scientia, morum honestate et vite aliisque probitatis meritis fidedignorum testimonio commendatum, horum consideratione nec non et obtentu dilecti filii nostri J[ohannis], tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, nobis pro ipso Radulfo, capellano suo, super hoc supplicantis, non indigne volentes illius favoris presidio confovere, per quod premissa per eundem episcopum circa eundem Radulfum acta, tam in conferendo sibi canonicatum et prebendam predictos quam in constituendo eum officialem dicte curie, ut prefertur, que ratione hujusmodi oppositionum, processuum et sententiarum nolumus aliquatenus impediri, celerem sortiantur effectum, ac propterea supplentes defectum, si quis in eis extitit propter dissensum decani et cancellarii predictorum, de apostolice plenitudine potestatis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, veris existentibus supradictis, vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis eundem Radulfum, dummodo sibi aliud canonicum non obsistat, pacifica dictorum canonicatus et prebende possessione gaudere, sibique de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus

universis integre responderi, ac eum nichilominus in ejusdem curie officialem, nisi forsan dictus episcopus commissionem suam hujusmodi revocaverit, admitti;

Non obstantibus oppositionibus, processibus et sententiis antedictis contra Radulfum et ejus executorem predictos et sibi adherentes, ut premittitur, factis et latis; aut quod idem Radulfus quandam prebendam seu capellaniam in Morinensi et canonicatum et prebendam in sancte Marie Casletensi, Morinensis diocesis, ecclesiis noscitur obtinere; aut si aliquibus a Sede Apostolica indultum existat quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Laterani, II nonas januarii, anno primo. »

318 Au Latran, 16 février 1304.

Exorta dudum gravi dissensione inter quondam Philippum, Mantuanum electum, ex parte una, et potestatem, capitaneum consiliariosque communis ejusdem ex altera, occasione quorumdam statutorum et bonorum, dictus Philippus civitatem ipsam supposuit interdicto, nec non in prædictos potestatem, capitaneum et consiliarios excommunicationis sententias promulgavit. Unde diversi processus habiti sunt et appellationes ad Sedem interjectæ. Nuper autem dum controversia vertebatur inter partes supradictas coram judicibus deputatis, idem Philippus obiit, ac postmodum Mantuana ecclesia fratri Jacobino infradicto commissa est. Benedictus igitur super præmissis cupiens de salubri remedio providere, eidem Jacobino concedit ut sententias relaxet prælibatas, processus ipsos revocando et dispensando cum quibusdam clericis civitatis jamdictæ super irregularitate, quam contraxerunt pro eo quod interdictum non servaverant antedictum. (nº 281, fol. 71 vº.)

« *Dilecto filio fratri Jacobino, electo Mantuano.* Nuper te nobis referente didicimus, quod quondam Philippus, electus Mantuanus, asserens quod quondam Albertus de Lascala tunc potestas, Pinamons de Bonacolsis tunc capitaneus, et consilium et comune civitatis Mantuane quedam bona mobilia et immobilia ad episcopatum Mantuanum spectantia temere occuparant et occupata etiam detinebant, et quod nonnulla statuta ediderant contra ecclesiasticam libertatem, propter hoc et alias certas causas in prefatos potestatem, capitaneum et consiliarios, qui tunc erant dicti comunis, diversas excommunicationum sententias promulgavit, ac civitatem et diocesim Mantuanam ecclesiastico supposuit interdicto, similemque protulit excommunicationis sententiam in omnes clericos dictarum civitatis et diocesis, qui interdictum hujusmodi non servarent; omnes insuper electiones factas ab eis et de ipsis qui interdictum violarent hujusmodi cassavit et irritavit et cassas et irritas nuntiavit, et postmodum asserens quod nonnulli clerici dictarum civitatis et diocesis interdictum hujusmodi violarant, ipsos occasione hujusmodi privavit omnibus beneficiis que habebant, beneficia eadem aliis conferendo.

Cumque dictus Philippus ad ..abbatem monasterii sancti Prosperi Reginensis, ejus proprio nomine non expresso, super observatione hujusmodi excommunicationis et interdicti sententiarum, sicut rationabiliter late essent, bone memorie L[atini], episcopi [1] Ostiensis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legati, litteras impetrasset, quondam Guillelmus tunc ejusdem monasterii abbas decrevit easdem sententias excommunicationis et interdicti fore inviolabiliter observandas, dictosque potestatem, capitaneum et consiliarios qui tunc erant dicti comunis debere tanquam excommunicatos ab omnibus artius evitari. Eodem insuper abbate viam universe carnis ingresso, Johannes successor ipsius, dicti monasterii abbas, litterarum earumdem pretextu pretendens, quod eedem sententie contra Albertum, capitaneum et consilarios supradictos, ut premittitur, promulgate ad successores extendebantur eorum, nobiles viros Alboinum tunc potestatem, Guidonem tunc capitaneum, et consiliarios qui tunc erant civitatis ejusdem, asserendo quod ipsi prefato Philippo non satisfecerant infra mensem super hiis, pro quibus eedem sententie late fuerant, ipsosque propter hoc easdem sententias incurrisse, mandavit excommunicatos publice nuntiari. Propter que clerus dicte civitatis, Aczolinus archipresbyter plebis de Saviola, rectores quarumdam ecclesiarum dicte diocesis, nobiles et consiliarii supradicti ad Sedem appellantes prefatam, super hujusmodi appellatione ipsorum ad .. abbatem monasterii sancti Savini, .. archidiaconum et .. prepositum ecclesie Placentine felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, sub certa forma litteras impetrarunt; coram quibus hujusmodi causa pendente dictus Philippus fuit viam universe carnis ingressus.

Cum autem premissorum occasione gravia in illis partibus, sicut accepimus, scandala sint exorta, nos super hiis providere de salubri remedio cupientes ac volentes quod tu, de cujus persona nuper ecclesie Mantuane duximus providendum, eo inibi gratiosior haberis quo pluribus poteris in premissis gratiam impertiri, discretioni tue de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, revocandi auctoritate nostra hujusmodi sententias latas, collationes, nuntiationes, privationes et collationes factas ut premittitur per

1. Ms : « episcopus. »

eundem Philippum, nec non quoscumque processus per eundem Philippum ac per predictas litteras ipsius legati super premissis habitos, et quicquid ex eis vel ob ipsos secutum fuit, ipsas etiam excommunicationum et interdicti sententias, si tibi videbitur, juxta formam Ecclesie relaxandi, dispensandi quoque si oportuerit cum illis, qui eisdem ligati sententiis beneficia ecclesiastica vel ordines receperunt seu divina officia celebrarunt aut immiscuerunt se illis, super irregularitate si quam propterea contraxerunt, et quod hiis non obstantibus possint hujusmodi sic recepta beneficia licite retinere, prout animarum suarum saluti videris expedire, statuendi preterea et ordinandi et faciendi auctoritate predicta quecumque circa premissa videris expedire, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, XIIII kalendas marcii, anno primo. »

319 Au Latran, 21 janvier 1304.

Valeat Trecensis episcopus concedere cuidam personæ tabellionatus officium. (nº 282, fol. 71 vº.)

« *Venerabili fratri G[uichardo], episcopo Trecensi.* Ne contractuum memoria deperiret inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Unde interdum Sedes Apostolica predictum officium personis, que ad illud reperirentur ydonee, concedere consuevit, ut illud prudenter et fideliter exequantur et ad eas cum necesse fuerit in hiis, que ad officium ipsum pertinent, recurratur.

Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, personarum, que contractus legitimos, acta judiciorum et alia hujusmodi redigant in publica documenta sepe defectum in tuis et ecclesie tue negotiis patiaris, nos tuis supplicationibus inclinati, concedendi predictum officium uni persone, quam ad illud post diligentem examinationem ydoneam esse repereris, prius ab ea juramento juxta formam presentibus annotatam recepto, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Forma autem juramenti, quod ipsa persona prestabit, talis est :

« Ego .. ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro et » sancte Romane Ecclesie ac domino Benedicto pape XI » et successoribus ejus canonice intrantibus. Non ero in » consilio, auxilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut » membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod » mihi per se vel per litteras aut nuntium manifestabunt, » ad eorum dampnum nemini pandam. Si vero ad meam » notitiam aliquid devenire contingat, quod in periculum » Romani pontificis aut Ecclesie Romane vergeret, seu » grave dampnum, illud pro posse impediam, et si hoc impedire non possem, procurabo bona fide id ad notitiam » domini pape perferri. Papatum Romane Ecclesie ac regalia sancti Petri et jura ipsius Ecclesie, specialiter si » qua eadem Ecclesia in civitate vel terra de qua sum » oriundus habeat, adjutor ero ad defendendum et retinendum seu recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo. Contractus in » quibus exigitur consensus partium fideliter faciam nil » addendo vel minuendo sine voluntate partium, quod » substantiam contractus immutet. Si vero in conficiendo » aliquod instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam vel minuam quod facti substantiam immutet contra » voluntatem ipsius. Instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire seu intercedere » vim vel fraudem. Contractus in prothocollum redigam et » postquam in prothocollum redegero, malitiose non differam contra voluntatem illorum vel illius, quorum est » contractus, super eo conficere publicum instrumentum, » salvo meo justo et consueto salario. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. »

Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

320 Au Latran, 21 janvier 1304.

Eidem conceditur ut usque ad triennium possit ecclesiam suam per aliquem vicarium idoneum facere visitari. (nº 283, fol. 72.)

« *Venerabili fratri G[uichardo], episcopo Trecensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

321 Au Latran, 26 janvier 1304.

Episcopo Narniensi mandat ut certas domos sitas in civitate Narniensi, quæ fuerunt olim quorumdam damnatorum de hæresi, quorum bona sunt Romanæ Ecclesiæ confiscata, priori et fratribus ordinis Prædicatorum urbis ejusdem concedat et assignet. (nº 284, fol. 72.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Narniensi.* Ex parte dilectorum filiorum .. prioris et fratrum Predicatorum Narniensium fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum domus, que fuerunt quondam Cietroncielli Angeli, Leonardi Janne, Nicolai Thome, Maffei Sarapine et Guidonis Bartholomei, civium Narniensium dampnatorum de heretica pravitate, quorum bona sunt Romane Ecclesie confiscata, posite in civitate Narniensi, loco dictorum prioris et fratrum vicine, sint ipsis priori et fratribus opor-

tune, nos illas eis concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Volentes igitur ipsorum prioris et fratrum necessitatibus subvenire, fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, premissis veris existentibus, domos ipsas cum earum juribus et pertinentiis dictis priori et fratribus auctoritate nostra per te vel alium seu alios concedas et assignes, inducens eos in illarum corporalem possessionem et defendens inductos, contradictores per censuram ecclesiasticam, etc. Dat. Laterani, VII kalendas februarii, anno primo. »

322 Au Latran, 18 janvier 1304.

Lupo Petri de Vrinza, presbytero canonico ecclesiæ Pampilonensis, cum quo fuerat antea dispensatum ut non obstante natalium defectu posset sacros ordines recipere et beneficium adipisci, nunc insuper conceditur ut ad omnes administrationes ordinis s. Augustini assumi valeat. (nº 285, fol. 72.)

« *Dilecto filio Lupo Petri de Vrinza, presbytero canonico ecclesie Pampilonensis, ordinis sancti Augustini.* Laudabile testimonium — Dat. Laterani, XV kalendas februarii, anno primo. »

323 Au Latran, 2 janvier 1304.

Angelo Eleutherii et Mariæ Johannis Ciceris, civibus Velletrensibus, indulget ut ad sedandas inimicitias inter utriusque parentes exortas matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (nº 286, fol. 72.)

« *Dilecto filio Angelo Eleutherii et dilecte in Christo filie Marie Johannis Ciceris, civibus Velletrensibus.* Intenta salutis operibus — Dat. Laterani, IIII nonas januarii, anno primo. »

324 Au Latran, 11 janvier 1304.

Dispensatio eadem civibus Romanis infranominatis concessa. (nº 287, fol. 72.)

« *Dilecto filio Alberto Johannis Stephani de Normannis*[1] *et dilecte in Christo filie Andree Petri de Comite, civibus Romanis.* Sedis Apostolice — Dat. Laterani, III idus januarii, anno primo. »

325 Au Latran, 31 janvier 1304.

Francisco Bartollucii, militi Anagnino, et ejus hæredibus molendinum de Vallerano situm in territorio castri Paliani, Civitatis Papalis diocesis, in feudum concedit sub certis conditionibus et annuo censu perpetuo retinendum. (nº 288, fol. 72 vº.)

« *Dilecto filio Francisco Bartollucii, militi Anagnino*[1]. Tue merita devotionis exposcunt ut nos personam tuam paterna benivolentia prosequentes, tibi reddamur ad gratiam liberales.

Dudum siquidem concessionem, quam fecerat felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, quondam Bartholucio, patri tuo, et ejus heredibus de molendino de Vallerano sito in territorio castri Paliani, Civitatis Papalis diocesis, quod quidem molendinum fuerat domus sancti Ypoliti, ordinis Militie Templi Jerosolimitani, ejusdem diocesis, ad Romanam Ecclesiam pertinentis, certis ex causis duximus revocandam.

Nunc autem volentes dictorum meritorum obtentu gratiam tibi facere specialem, molendinum predictum cum omnibus juribus et pertinentiis suis in feudum tibi ac tuis heredibus presentium auctoritate concedimus per te ac ipsos perpetuo retinendum, ita tamen quod tu et ipsi heredes, sicut et alii feudatarii dicte Ecclesie de Campania et Maritima, debita et consueta servitia propter hoc exhibeatis Ecclesie memorate, nec quicquam de feudo predicto aliquatenus alienetis vel quodlibet distrahatis. Quod si secus egeritis, illud exnunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis.

Ut autem de predictis circa possessionem et proprietatem Ecclesie prefate in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis, infra quindenam Resurrectionis dominice, viginti florenos auri cum ostentione presentium camere nostre persolvatis. Quod si facere contempseritis, omne jus, quod tibi vel eisdem heredibus ex presenti nostra concessione debetur, libere ad prelibatam Ecclesiam devolvatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

326 Au Latran, 1er février 1304.

Archiepiscopo Bituricensi facultatem concedit exercendi visitationis officium in ecclesia sua per aliquam personam ad hoc idoneam. (nº 289, fol. 72 vº.)

« *Venerabili fratri E[gidio], archiepiscopo Bituricensi.* Meritis tue fraternitatis — Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

1. Ms : « Normanus. »

1. Ms : « Anagniensi. » Mais la rubrique volante porte *Anagnino*, ce qui est la forme habituelle.

In e. m. .. de sancto Amano et .. beate Marie de Gratiaco prioribus, Bituricensis diocesis, et .. archidiacono Stadiensi in ecclesia Cathalaunensi.

327 Au Latran, 27 janvier 1304.

Cunctis fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ fratrum Prædicatorum de Messana manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. — Eadem indulgentia pro visitantibus ecclesiam antedictam in b. Mariæ Virginis, s. Dominici et s. Petri martyris festivitatibus. (n° 290, fol. 73.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. universis Christi fidelibus, etc. — Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

328 Au Latran, 10 janvier 1304.

Valeat Ilerdensis episcopus usque ad biennium diocesim suam per vicarium idoneum facere visitari. (n° 291, fol. 73.)

« *Venerabili fratri Petro, episcopo Ilerdensi.* Suscepti regiminis nos — Dat. Laterani, iiii idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. Ripacurtie et .. Benascensi ac .. Terracon[ensi] archidiaconis in ecclesia Ilerdensi.

329 Au Latran, 23 janvier 1304.

Cunctis fidelibus subsidia erogantibus pro ædificatione cathedralis ecclesiæ Aquilensis indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit. (n° 292, fol. 73.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

330 Au Latran, 23 janvier 1304.

Episcopo Aquilensi facultatem concedit faciendi recipi tres personas idoneas in canonicos in ecclesia sua cathedrali et in duabus collegiatis suæ diocesis, nec non eisdem providendi de beneficiis vacantibus vel quam primum vacaturis. — Eidem indulget ut quartam partem decimarum et mortuariorum, quam nonnulli episcopi Aquilenses dudum a rectoribus et clericis suæ diocesis exigere negligenter omiserunt, de cætero valeat petere ac recipere ab eisdem. (n° 293, fol. 73 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aquilensi.* Tuam volentes honorare — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. eidem. Dignum est ut petitiones, que sapiunt justitiam et continent honestatem, ad exauditionis gratiam admictamus.

Oblata siquidem nobis tua petitio continebat quod nonnulli predecessores tui, episcopi Aquilenses qui fuerunt pro tempore, quartam partem decimarum et mortuariorum, ad mensam tuam episcopalem spectantem, a rectoribus et clericis tue civitatis et diocesis omiserunt petere negligenter in ejusdem mense non modicam lesionem. Nos itaque super hoc tuis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut hujusmodi quartam a rectoribus et clericis predictis petere et exigere ac recipere libere valeas, dicta negligentia non obstante. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

331 Au Latran, 23 décembre 1303.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum de s. Severino, Camerinensis diocesis, concedit ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si illi quibus horum restitutio fieri debeat omnino sciri vel inveniri non possint, usque ad summam mille florenorum auri libere recipiant. (Potth., n° 25326.) — Indulgentia unius anni et quadraginta dierum concessa visitantibus ecclesiam eorumdem fratrum in die consecrationis ejus; illis vero, qui ad eam accesserint in b. Mariæ, ss. Apostolorum, s. Dominici ac s. Petri martyris festivitatibus, centum dies de injunctis eis pœnitentiis relaxat. (n° 294, fol. 73 v°; Potth., n° 25327.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum de sancto Severino, Camerinensis diocesis.* Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. eisdem. Vite perennis gloria — Dat. ut supra. »

332 Au Latran, 9 janvier 1304.

Valeat Tricastinus episcopus, propter discrimina guerrarum in illis partibus ingruentia, diocesim suam usque ad triennium per aliquam personam idoneam facere visitari. (n° 295, fol. 73 v°.)

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Tricastino.* Personam tuam nobis — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

333 Au Latran, 21 janvier 1304.

Conservatores infradictos rogat et hortatur ut Stephano de Pileo, archidiacono Suessionensis ecclesiæ, efficaciter assistentes ipsum faciant beneficiorum, quæ in Suessionensi, Carnotensi, Senonensi et de s. Audomaro Morinensi obtinet ecclesiis, pacifica possessione gaudere. — Littera eadem archiepiscopo Patracensi, ut jura dicti Stephani in Atheniensi et Corinthiensi ecclesiis, quarum existit canonicus, similiter tueatur. (nº 296, fol. 73 vº.)

« *Dilectis filiis.. abbati monasterii Sancte Trinitatis, Carnotensis diocesis, et .. archidiacono Lingonensis ac .. cancellario Parisiensis ecclesiarum.* Laudabilia dilecti filii — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

« In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Patracensi. Laudabilia dilecti — Dat. ut supra. »

334 Au Latran, 23 janvier 1304.

Reservatur Philippo de Quinto de Advocatis, canonico Vercellensi, personatus seu dignitas in Mediolanensi civitate vel diocesi. (nº 297, fol. 74.)

« *Dilecto filio Philippo de Quinto de Advocatis, canonico Vercellensi.* Nobilitas generis — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Ambrosii Mediolanensis ac.. Yporiensis et .. sancti Gratiani Vercellensis ecclesiarum prepositis.

335 Au Latran, 8 février 1304.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri conceditur electo Milevitano. (nº 298, fol. 74 vº.)

« *Dilecto filio Nicolao, electo Milevitano.* Cum sicut in — Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

336 Au Latran, 8 février 1304.

Percevallo de Barbania conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Gebennensi. (nº 299, fol. 74 vº.)

« *Dilecto filio Percevallo de Barbania, canonico Gebennensi.* Digne agere credimus — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Stephani Iporigiensis et magistro Buxolo de Parma Tornacensis, capellano nostro, ac Jacobo de Ponte, sancti Martini Lausanensis ecclesiarum canonicis.

337 Au Latran, 8 février 1304.

Dispensat cum Guillelmo de Comitibus, scholari Paduano, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri ac beneficium ecclesiasticum obtinere. (nº 300, fol. 75.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Comitibus, scolari Paduano.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

338 Au Latran, 20 janvier 1304.

Episcopo Trecensi concedit, ut duo clerici commensales ejus ac domestici valeant usque ad quadriennium fructus redditusque et proventus beneficiorum suorum integraliter percipere, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis. (nº 301, fol. 75.)

« *Venerabili fratri G[uichardo], episcopo Trecensi.* Habet in nobis — Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. ..abbati monasterii Celle ac .. priori sancti Sepulchri ac .. decano ecclesie sancti Stephani Trecensis.

339 Au Latran, 21 janvier 1304.

Nuper episcopo Trecensi concessit, ut ecclesiam suam per vicarium idoneum faceret visitari : nunc autem super hoc quosdam executores deputat. (nº 302, fol. 75.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii Celle et .. priori sancti Sepulchri ac .. decano ecclesie sancti Stephani Trecensis.* Personam venerabilis — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

340 Au Latran, 21 janvier 1304.

Eidem episcopo facultatem concedit faciendi recipi in canonicos ecclesiæ suæ cathedralis duas personas idoneas ac providendi eisdem de præbendis. (nº 303, fol. 75 vº.)

« *Venerabili fratri G[uichardo], episcopo Trecensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

341 Au Latran, 9 janvier 1304.

Episcopo Aurelianensi committit curam et potestatem dispensandi cum Guillelmo Drugnemant, clerico diocesis ejusdem, ut non obstante illegitimitatis macula sacros ordines recipere ac beneficium assequi valeat. Dictus autem clericus, postquam beneficium obtinuerit antedictum, personalem in eo residen-

tiam facere teneatur. — Idem mandatum datur episcopo Morinensi pro Johanne de Dohem, clerico Morinensi. (n° 304, fol. 75 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aurelianensi* [1]. Accedens ad presentiam — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

« In e. m. venerabili fratri .. episcopo Morinensi. Accedens ad presentiam — Dat. ut supra. »

342 Au Latran, 23 janvier 1304.

Valeat Lincolniensis episcopus ecclesias et cimiteria suæ diocesis, quæ violata fuerint, per se vel per alium reconciliare. (n° 305 A, fol. 75 v°.)

« *Venerabili [fratri] Johanni, episcopo Lincolniensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

343 Au Latran, 16 février 1304.

Magistro Symoni Magni Raynaldi de Podiobonizi indulget, ut non obstante natalium defectu, super quo dispensationem solitam dictus magister jam obtinuit, duo beneficia ecclesiastica præter præbendam, quam in ecclesia b. Mariæ Magdalenæ Virdunensis adeptus est, valeat retinere. (n° 305 B, fol. 75 v°.)

« Benedictus, etc., dilecto filio magistro Symoni Magni Raynaldi de Podiobonizi, canonico ecclesie beate Marie Magdalene Virdunensis. Libenter illis — Dat. Laterani, XIIII kalendas marcii, anno primo. »

344 Au Latran, 6 janvier 1304.

Consideratione Guillelmi, s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, concedit Guillelmo de Longis de Pergamo, nepoti et capellano cardinalis ejusdem, ut dum in Romana curia vel in loco ubi viget studium generale commorabitur, archidiaconatum suum Drocensem in ecclesia Carnotensi per aliquam personam ad hoc idoneam visitari faciat. (n° 306, fol. 76.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Longis de Pergamo, archidiacono Drocensi in ecclesia Carnotensi.* Cum sicut ex — Dat. Laterani, VIII idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Petri Carnotensis et .. archidiacono Vercellensi ac .. thesaurario Baiocensi.

[1]. Ms : « Amelianensi. » Rubrique volante : *Aurelianensi*.

345 Au Latran, 28 janvier 1304.

Olim Nicolaus papa IV cum quodam Petro Alveri super defectu natalium dispensavit, ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum adipisci valeret; ac postmodum dictus Petrus canonicatum, præbendam et præstimonia assecutus est in ecclesia Legionensi. Cum vero litteras sibi concessas super dispensatione hujusmodi casu fortuito amiserit, ei misericorditer Benedictus concedit, ut canonicatum, præbendam ac præstimonia prædicta licite retineat, non obstante defectu supradicto vel alio, quem patitur in ætate. Indulget quoque eidem Petro, ut beneficium aliud possit insuper obtinere. (n° 307, fol. 76.)

« *Dilecto filio Petro Alveri, canonico Legionensi.* Credite nobis servitutis — Dat. Laterani, v kalendas februarii, anno primo. »

346 Au Latran, 29 janvier 1304.

Johanni Siginulfi, civi Beneventano, conceduntur judicatus atque tabellionatus officia. (n° 308 A, fol. 76.)

« *Dilecto filio Johanni Siginulfi, civi Beneventano.* Quoniam si jus sibi quilibet in sua propria causa dictaret, non sopirentur discordantium lites, sed potius augerentur et eorum fieret odium immortale, provida fuit deliberatione provisum ut certe persone, que forent in jure perite, ad judicatus assumerentur officium et aliorum lites juxta juris ordinem terminarent.

Rursus ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur.

Hinc est quod predicta officia, ad que per dilectum filium Altegradum, electum Vicentinum, notarium nostrum, examinatorem super hoc deputatum a nobis, fuisti repertus idoneus, cum potestate dandi tutores et curatores, decretum interponendi, alimenta decernendi et publicandi acta et prothocolla et instrumenta exemplandi nec non auctoritatem prestandi emancipare, manumittere et adoptare et insinuare volentibus, duximus concedenda, ut illa prudenter et fideliter exequaris et ad te cum necesse fuerit in hiis, que ad officia ipsa pertinent, utiliter recurratur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, IIII kalendas februarii, anno primo. »

347 Au Latran, 27 janvier 1304.

Universis fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ s. Flaviani de Monteflascone, Balneoregensis diocesis, manum porre-

xerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum clargitur. (no 308 B, fol. 76 v°.)

« Benedictus, etc., universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, etc. Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

348 Au Latran, 7 février 1304.

Obtentu et consideratione electi Vicentini dispensat cum Jacobino, nato Manuelis de Cataneis Lendenariæ nec non prædicti electi nepote, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et beneficia vel officia quæcumque adipisci. (n° 309, fol. 76 v°.)

« *Dilecto filio Jacobino, nato dilecti filii nobilis viri Manuelis de Cataneis Lendenarie, clerico Adriensi.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

349 Au Latran, 16 février 1304.

Gaspar de Montasia, Cumanus canonicus, constituitur rector in spiritualibus Campaniæ et Maritimæ. (no 310, fol. 76 v°.)

« *Dilecto filio Gaspar de Montasia, canonico Cumano, Campanie Maritimeque in spiritualibus rectori.* Cum in Campania et Maritima de rectore in temporalibus duxerimus providendum, volentes etiam inibi de rectore in spiritualibus providere, ad hoc ut temporalis jurisdictio, cum expedierit, auxilio spiritualis jurisdictionis fulcita liberius et efficacius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrium et fidelem tua fama laudabilis tuaque merita representant, rectoriam in spiritualibus in Campania et Maritima supradictis, in fulcimentum temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat et non alias, presentium auctoritate committimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus rectoriam ipsam sic prudenter et fideliter gerere studeas, sicque limites tibi datos observes, quod digne possis exinde commendari. Nos enim sententias sive penas, quas spiritualiter, ut premittitur, rite tuleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari; non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis apostolicis, cujuscumque tenoris existant, per que mandati nostri executio possit quomolibet impediri, et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Laterani, XIIII kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. episcopis et abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus, ceterisque personis exemptis et non exemptis, ac Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus universis per Campaniam et Maritimam constitutis.

350 Au Latran, 17 février 1304.

Mandat episcopo Aquilensi, ut duabus personis suæ diocesis licentiam concedat remanendi in contracto matrimonio, non obstante constitutione quæ prohibet ne duorum compatrum filii matrimonialiter copulentur. (no 311, fol. 76 vo.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aquilensi.* Exposita coram nobis dilecti filii Mauri de sancto Dimitrio et dilecte in Christo filie Petrucie, nate quondam Petri magistri Gentilis, uxoris ejus, tue diocesis, petitio continebat quod ipsi olim ad sedandum odia et graves inimicitias exortas dudum inter eorum consanguineos et amicos, bannis prius in ecclesia positis, sine aliqua contradictione in facie Ecclesie matrimonium contraxerunt, ignari juris quod prohibet duorum compatrum filios matrimonialiter copulari. Verum quia postmodum compertum extitit quod matrimonium ipsum subsistere non poterat, pro eo quod pater dicti Mauri de sacro fonte levavit Petruciam memoratam, nobis humiliter supplicarunt ut, cum ex separatione ipsius matrimonii, si fieret, sopita ex hoc odia resuscitarentur forcius ac multa scandala et etiam homicidia sequerentur, providere super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Nos autem, qui salutem querimus singulorum et libenter Christi fidelibus pacis comoda procuramus, volentes hujusmodi gravibus inimicitiis et scandalis obviare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si premissis veritas suffragatur, cum predictis Mauro et Petrucia quod in contracto matrimonio licite remanere possint, impedimento hujusmodi non obstante, auctoritate nostra dispensas, prolem suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Dat. Laterani, XIII kalendas marcii, anno primo. »

351 Au Latran, 19 mars 1304.

Priori provinciali ordinis fratrum Prædicatorum provinciæ Lombardiæ Inferioris mandat, ut Janninum quondam Petri de Musto de Venetiis absolvat ab excommunicationis sententia, quam olim incurrit pro eo quod galeam et lignamina deferri fecit in Alexandriam vendiditque Sarracenis. (n° 312, fol. 77.)

« *Dilecto filio fratri Guidoni, priori fratrum ordinis Predicatorum in provincia Lombardie Inferioris.* Ex parte Jannini quondam Petri de Musto de Venetiis, laici Castellane diocesis, fuit propositum coram nobis, quod olim ipse lignamina in quadam galea, quam propter hoc conduxit in Alexandriam, causa negotiationis fecit deferri ipsaque lignamina et galeam vendidit Sarracenis, propter quod excommunicationis sententias in tales tam a canone quam per Sedem Apostolicam generaliter promulgatas noscitur incurrisse. Quare idem Janninus nobis humiliter supplicavit ut ei, parato super hoc humiliter Ecclesie parere mandatis, providere de oportuno absolutionis beneficio dignaremur.

Nos igitur dicti Jannini supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, presentium auctoritate mandamus quatinus, competenti super hiis juxta arbitrium tuum satisfactione a predicto Jannino recepta, eum a prefatis sententiis absolvas juxta formam Ecclesie vice nostra, injuncta sibi propter hoc penitentia salutari; non obstante indulgentia qua, fili prior, ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod fratres ipsius ordinis non teneantur se intromittere de quibuscumque negotiis, que eis per ipsius Sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione hujusmodi et ordine ipso plena et expressa mentio habeatur. Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

352 — Au Latran, 24 janvier 1304.

Cum Baldebertus, capellanus cardinalis tituli s. Georgii ad Velum Aureum, retinuerit insimul, licentia Sedis Apostolicæ non obtenta, cantoriam Bambergensis ecclesiæ nec non præposituram ecclesiæ s. Stephani civitatis ejusdem et insuper plures canonicatus ac præbendas in eadem Bambergensi, in Misnensi et in s. Mariæ Erfordensis, Maguntinæ diocesis, ecclesiis, cumque maculam et inhabilitatem exinde contraxerit, Benedictus misericorditer cum eo dispensans, ipsi remittit fructus minus juste perceptos ex beneficiis supradictis, maculam et inhabilitatem sic contractas in eo penitus abolet, eique concedit ut prædicta beneficia de cætero libere retineat. (n° 313, fol. 77.)

« *Dilecto filio Baldeberto, cantori ecclesie Bambergensis.* Sedis Apostolice multa — Dat. Laterani, VIIII kalendas februarii, anno primo. »

353 — Au Latran, 19 février 1304.

Deputantur executores super negotio mutui, quod episcopus Bononiensis ex licentia Sedis Apostolicæ nuper contraxit pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Romanam curiam expediendis. (n° 314, fol. 77.)

« *Dilectis filiis .. Bononiensis ac magistris Petro de Genezano, Tiburtine ecclesiarum archidiaconis, et Oddoni de Sermineto, canonico Xanctonensi.* Cum, sicut venerabilis frater noster Ubertus, episcopus Bononiensis, in nostra proposuit presentia constitutus, tam pro suis necessariis, quam pro sue ecclesie Bononiensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter ipsum subire oporteret magna onera expensarum, nobis humiliter supplicavit ut usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores se putabat invenire non posse, sibi licentiam largiremur.

Nos itaque de ipsius episcopi tam in hiis quam in aliis, circa sua et ipsius ecclesie Bononiensis negotia promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes, et nolentes quod propter expensarum ipsarum defectum idem episcopus indigentiam pateretur, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingeret, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, sibi contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam mille florenorum auri nomine suo et ipsius ecclesie Bononiensis, ac seipsum et successores suos et predictam ecclesiam ac sua et eorumdem bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutionibus tam felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, etc., usque : et exceptionibus eisdem, a dilectis filiis Anselmo Meliorati[1], cive et mercatore Pistoriensi de societate Clarentum, mutuante pro se ac vice et nomine Clarentini Anselmi, Merguliensis Braccii, Puctii Floravantis, Marsoppini de Clarentibus, Baldi Raynerii, Symonis Anselmi, Conradi Gai, Raynerii et Philippi Floravantis, Cini et Mothi Pepi, Johannis Puccii, Andree et Nicolai Merguliensis, Melliorati Marsoppini, Lapi Baldi, Bonini et Ridolfi de Clarentibus, Lapi Lanfranchi et Nelli Andree et omnium aliorum sociorum suorum de societate predicta, et cujuslibet eorum in solidum, pro negotiis eisdem mutuo receperit mille florenos auri, certis prefatis mercatoribus loco et termino persolvendos, prout in instrumento publico, etc., ut in forma usque in finem. Dat. Laterani, XI kalendas marcii, anno primo. »

354 — Au Latran, 9 janvier 1304.

Episcopo Tricastrino facultas testandi conceditur. (n° 315, fol. 77.)

1. Ms : « Melborati. » Il faut certainement lire *Meliorati* comme on le voit quelques lignes plus bas et aussi col. 151 et 177.

« *Venerabili fratri .. episcopo Tricastrino.* Quia presentis vite — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

355 Au Latran, 19 février 1304.

Vacante Noviomensi ecclesia per translationem Petri episcopi ad sedem Arelatensem, Andræas, abbas monasterii Liskensis, ordinis Præmonstratensis, Morinensis diocesis, præficitur eidem ecclesiæ Noviomensi in episcopum ac pastorem. (nº 316, fol. 77 vº.)

« *Dilecto filio Andree, electo Noviomensi.* Ad universalis ecclesie regimen exercendum divina dispositione vocati, circa statum cujuslibet aciem sollicite considerationis extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut ecclesie singule pastoribus gubernentur ydoneis et rectoribus providis disponantur, quatinus illorum circumspectione provida et providentia circumspecta, operante Illo qui pastorum pastor et rector agnoscitur, spiritualium et temporalium proficiant incrementis.

Sane vacante nuper Noviomensi ecclesia per translationem venerabilis fratris nostri Petri, episcopi quondam Noviomensis, Arelatensis electi, factam per nos ad ecclesiam Arelatensem, nos qui circa viduatas ecclesias continue attentionis oculis ad hoc potissime vigilamus, ut mora exclusa dampnosa talibus ipsarum regimen committatur, per quos salutaria in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa, ad te abbatem monasterii Liskensis, Premonstratensis ordinis, Morinensis diocesis, cui laudabilis discretionis industria, vite munditia, religionis zelus ac litteralis scientia, prout habet fidedignorum assercio, suffragantur, direximus aciem mentis nostre. Ne igitur memorata Noviomensis ecclesia viduitatis diutius dampna deploret, te de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Noviomensi ecclesie in episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes quod supradicta Noviomensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam in spiritualibus et temporalibus, dextera tibi Domini assistente propitia, prospere dirigetur et salubribus proficiet incrementis.

Suscipiens itaque reverenter impositum a Domino tibi onus, sollicitam ipsius ecclesie curam geras, gregem dominicum in illa tue discretioni commissum, doctrina verbi et operis juxta datam tibi ex alto prudentiam informando, ita quod ecclesia eadem per tue vigilantie studium votivis proficiat comodis et successibus prosperis vigeatur. Dat. Laterani, xi kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. decano et capitulo Noviomensibus.
In e. m. clero civitatis et diocesis Noviomensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Noviomensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Noviomensis.
In e. m. .. archiepiscopo Remensi.

356 Au Latran, 3 avril 1304.

Regi Franciæ significat se Andræam supradictum ecclesiæ Noviomensi præfecisse in episcopum; regem hortatur eundem ut dictum Andræam propensius commendatum habeat. (*Ibid.*)

« In e. m. carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Gratie tibi divine premium et humane preconium laudis acquiritur, si ecclesias et personas ecclesiasticas precipue regni tui regali presidio foveas et favore benivolo prosequaris, nosque ad id celsitudinem tuam eo fiducialius apostolicis exhortationibus excitamus, quo magis illam in operum executione bonorum speramus promptam et facilem invenire.

Sane vacante nuper Noviomensi ecclesia, etc., usque : incrementis. Quare celsitudinem regiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus eundem electum et ecclesiam Noviomensem prefatam pro nostra et Apostolice Sedis reverentia habens propentius comendatos, sic te eidem electo favorabilem exhibeas et benignum, ac ipsum et eandem ecclesiam benivolentie tue gratia prosequaris, quod ipse regalibus fulctus presidiis commissum sibi regimen facilius et efficatius prosequatur, et nos magnificentiam tuam dignis laudibus in Domino attollamus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, iii nonas aprilis, anno primo [1]. »

357 Au Latran, 6 février 1304.

Rogerio de Armanniaco, Agennensi archidiacono, indulget ut usque ad biennium, quandiu studio litterarum et præcipue juris civilis insistet, prout ex indulto apostolico sibi concessum est, valeat archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari. (nº 317, fol. 77 vº.)

« *Dilecto filio Rogerio de Armanniaco, archidiacono Agennensi.* Cum sicut ex — Dat. Laterani, viii idus februarii, anno primo. »

1. Cette pièce a été ajoutée après coup sur le manuscrit en marge de la précédente.

358 Au Latran, 19 mars 1304.

Deputantur executores super gratia prædicta. (*Ibid.*)

« In e. m. .. abbati monasterii de Florano, Auxitane diocesis, et .. Suipodii ac .. Sanavesii in ecclesia Auxitana archidiaconis. Cum sicut ex — Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo [1]. »

359 Au Latran, 23 janvier 1304.

Dispensat cum duabus personis Florentinæ diocesis, ut non obstante quarto affinitatis gradu in matrimonio illicite contracto remanere valeant. (nº 318, fol. 78.)

« *Dilecto filio Johanni, nato nobilis viri Tani de Ubaldinis de Civitate Castelli, et dilecte in Christo filie Andree quondam Maghinardi Pagani de Susennava, ejus uxori, Florentine diocesis.* Intenta salutis operibus — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

360 Au Latran, 7 décembre 1303.

Magistro Johanni de Anchona phisico licentiam concedit retinendi præter canonicatum ac præbendam nec non perpetuum beneficium, quæ in Tornacensi et Aquilegensi obtinet diocesibus, quæcumque alia beneficia sibi canonice collata, non obstantibus defectu alterius oculorum vel statutis aut consuetudinibus contrariis. (nº 319, fol. 78.)

« *Dilecto filio magistro Johanni de Anchona phisico, canonico ecclesie Harlebecensis, Tornacensis diocesis.* Illis Apostolica Sedes adesse propitia consuevit, quibus ad obtinendam gratiam propria merita laudabiliter suffragantur.

Licet autem tu ab olim, dum adhuc infans existeres, prout in nostra proposuisti presentia constitutus, ex infirmitate supervenienti perdideris alterum oculorum, postmodum tamen studiis bonitatis taliter inhesisti per semitas incedendo virtutum, quod te favore apostolico fore dignum meritorum tuorum exigentia representat.

Nos itaque propter hoc personam tuam paterna benivolentia prosequentes, tuis supplicationibus inclinati, tecum quod non solum canonicatum et prebendam, quos in ecclesia Harlebecensi, Tornacensis diocesis, et perpetuum beneficium, quod in plebe sancti Pauli de Laveriano, Aquilegensis diocesis, te canonice proponis adeptum, set alia quecumque beneficia ecclesiastica sine cura, si qua in antea tibi alias canonice conferri contigerit, retinere licite valeas, defectu dicti oculi seu quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis predictarum ecclesie Harlebecensis et plebis et aliarum ecclesiarum, in quibus dicta beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis predicte vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

1. Cet *In e. m.* a été ajouté plus tard au bas de la page.

361 Au Latran, 17 janvier 1304.

Jacobo de Orto ex ordine fratrum Heremitarum s. Augustini licentiam concedit docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisiis et ubique locorum in theologica facultate. (nº 320, fol. 78.)

« *Dilecto filio Jacobo de Orto, ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini.* Dum fecunditatem scientie litteralis presertim facultatis theologice, eloquentie venustatem, gravitatem morum aliaque dona virtutum, quibus personam tuam Dominus illustravit, attendimus, dignum arbitramur et congruum, ut illa te favorabiliter gratia honoremus, ad quam ydoneus comprobaris ob tuorum exigentiam meritorum.

Cum itaque tu ab olim studio dicte facultatis insistens, sic profeceris per Dei gratiam laudabiliter in eadem, quod Parisius librum sententiarum legisti solenniter ac in scolis magistrorum facultatis predicte arguendo et respondendo frequenter te ydoneum comprobasti ad conscendendum cathedram magistralem, nos premissis debita consideratione pensatis, te ad hoc ydoneum reputantes, de fratrum nostrorum consilio licentiam docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisius et ubique locorum tibi auctoritate apostolica in eadem concessimus facultate; tuque postmodum de mandato nostro sub venerabili fratre nostro Egidio, archiepiscopo Bituricensi, in aula nostri palatii Laterani in facultate predicta solenniter incepisti, prestitis a te in manibus dilecti filii nostri fratris G[entilis], tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro nobis et ecclesia Romana recipientis, corporaliter juramentis, que in Universitate Parisiensi solenniter incipientes in facultate predicta soliti sunt prestare. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas februarii, anno primo. »

362 Au Latran, 27 février 1304.

Episcopo Astensi mandat ut, cum fratres ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem nequeant commode in cœnobio suo Domino famulari, dictis fratribus locum ecclesiæ s. Secundi de

Mercato concedat et assignet, præpositum vero et septem canonicos, qui in eodem loco consistunt, ad ecclesiam cathedralem transferat, statuens ut ipsi et alii canonici Astenses unum corpus unumque capitulum de cætero censeantur. (n° 321, fol. 78.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Astensi.* Clara ordinis Predicatorum religio, virtutum fecunditate refecta et tota per bonorum operum studia Domino stabilita, ex sue institutionis exordio ad robur et munimentum erecta fidei orthodoxe, per insignium gratiam meritorum et sacre predicationis doctrinam uberes hactenus in universali ecclesia honestatis fructus protulit et salutis. Quare religionem tam insignem, tam sanctam, et professores ipsius sincera diligentes in Domino caritate, eam in locis, in quibus ex illa fructus uberior expectatur, affectuosius cupimus propagari, amaro nimirum gerentes animo si proventus pretiosos religionis ejusdem contingat infeste contrarietatis seu cujusvis impedimenti obice alicubi retardari, ac per hoc non indigne intendimus ad impedimenta hujusmodi submovenda, cum expedit, efficax apostolice providentie studium adhibere.

Petitio siquidem dilectorum filiorum .. prioris et fratrum predicti ordinis Astensium nobis exhibita continebat, quod ipsi propter guerrarum et dissensionum discrimina in contrata civitatis Astensis, ubi ad presens immorantur, ingruentium et alia gravamina et incomoditates multiplices, que inibi patiuntur, nequeunt aliquatenus, ut desiderant et tenentur, in quietis spiritu sub predicti ordinis observantia virtutum Domino famulari. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis in dicta civitate de loco alio congruenti de benignitate apostolica dignaremur.

Cum itaque, sicut accepimus, locus in quo ecclesia sancti Secundi de Mercato Astensis est sita, in qua sunt unus prepositus et septem canonici instituti, sit habitationi dicti prioris et fratrum accomodus et admodum oportunus, nos intendentes necessitati dictorum prioris et fratrum in hac parte taliter subvenire, quod per hoc non inferamus gravem alicui lesionem, ac de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatinus predictam ecclesiam cum domibus et ortis suis circumadjacentibus, si ad hoc dictorum prioris, prepositi et canonicorum vel majoris partis ipsorum accedat assensus, memoratis priori et fratribus auctoritate nostra concedas ac ipsos in eorumdem ecclesie, domorum et ortorum corporalem possessionem inducas et defendas inductos, dictos vero prepositum et canonicos cum prebendis, quas distinctas in dicta ecclesia sancti Secundi obtinent, ac certis bonis et juribus ejusdem ecclesie sancti Secundi ad cathedralem ecclesiam transferens, ipsosque numero canonicorum ejusdem Astensis ecclesie in augmentum ipsius numeri superadens, faciendo eos in ipsa ecclesia Astensi in canonicos recipi et in fratres, stallis sibi in choro et locis in capitulo cum plenitudine juris canonici assignatis, statuas ut ipsi et canonici Astenses predicti unum corpus unumque capitulum censeantur, et quod dictus numerus taliter augmentatus semper in dicta Astensi ecclesia observetur quodque ecclesia ipsa eodem numero de cetero sit contenta, nisi adeo ipsius excreverint facultates, quod merito illum exigant augmentari, mandato Sedis Apostolice semper salvo, contradictores, etc. Dat. Laterani, IIII kalendas marcii, anno primo. »

363 Au Latran, 28 décembre 1303.

Consideratione electi Vicentini concedit Theobaldo quondam Frederici de Archo, ejusdem electi nepoti, ut defectu natalium non obstante possit ad omnes ordines promoveri et unum vel plura beneficia ecclesiastica obtinere. (n° 322, fol. 78 v°.)

« *Dilecto filio Theobaldo, nato quondam Frederici de Archo, scolari Tridentine diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

364 Au Latran, 26 février 1304.

Obtentu ducis Calabriæ concedit Fernando Garciæ de Calatambio, ordinis fratrum Minorum, ut non obstante illegitimitatis macula possit officia quæcumque, administrationes seu prælaturas sui ordinis assumere. (n° 323, fol. 78 v°.)

« *Dilecto filio Fernando* [1] *Garcie de Calatambio, ordinis fratrum Minorum, Tirasonensis diocesis.* Testimonio tibi — Dat. Laterani, v kalendas marcii, anno primo. »

365 Au Latran, 23 janvier 1304.

Cuidam Tanordo, quem nuper in præpositum ecclesiæ Grossetanæ episcopus et capitulum elegerunt, conceditur facultas retinendi cum eadem præpositura plebem de Buriano, diocesis ejusdem, cujus plebanus existit. (n° 324, fol. 78 v°.)

« *Dilecto filio Tanordo, plebano plebis de Buriano, Grossetane diocesis.* Liberter erga prosecutionem — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

1. Ms : « Pernando. » Rubrique volante : *Fernando.*

366 Au Latran, 23 janvier 1304.

Indulgentia decem dierum pro erogantibus eleemosynas et subsidia domui leprosorum s. Antonii prope muros civitatis Aquinatis. (n° 325, fol. 78 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

367 Au Latran, 5 janvier 1304.

Vacante ecclesia Vigintimiliensi per obitum Johannis episcopi, Octo canonicus, a capitulo per viam compromissi in episcopum electus, eidem ecclesiæ præficitur. (n° 326, fol. 79; * Potth., n° 25351 [1].)

« *Venerabili fratri Octoni, episcopo Vigintimiliensi.* Pastoralis officii debitum cui presidemus exposcit, ut ad provisionem ecclesiarum vacantium sollicite intendamus.

Vacante siquidem dudum ecclesia Vigintimiliensi per obitum bone memorie Johannis, episcopi Vigintimiliensis, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad hoc prefixa, convenientes in unum pro futuri facienda substitutione pastoris ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, dilectis filiis Manueli de Vigintimilio et Marino Radaci de Nicca, canonicis Vigintimiliensibus, providendi ea vice dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem, promittendo illum in eorum et dicte ecclesie pastorem et episcopum recipere et habere, de quo ipsi compromissarii eidem ecclesie providerent.

Iidem vero compromissarii, hujusmodi potestate recepta secedentes in partem, post deliberationem quam habuerunt inter se super hujusmodi negotio diligentem, consideratis virtutum donis quibus te noverant insignitum, ad te canonicum ejusdem ecclesie, virum utique genere nobilem, laudabilis conversationis et vite, litterarum scientia preditum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, suos oculos direxerunt teque unus ex eis, suo et collège sui ac totius capituli nomine, de ipsius collège mandato in episcopum Vigintimiliensem elegit, electionem hujusmodi coram ipsis capitulo solenniter publicando; tuque prefate electioni infra tempus legitimum consensisti.

Verum, licet ejusdem electionis confirmatio ad venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Mediolanensem, loci metropolitanum, spectaret, tamen felicis recordationis Bo[nifati]us papa VIII[us], predecessor noster, confirmationem eandem certis ex causis Apostolice Sedi reservans, decrevit extunc irritum et inane si secus super hoc scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Presentato itaque nobis ejusdem electionis decreto, nos tam electionem predictam quam persone tue merita per venerabilem fratrem Petrum, episcopum Sabinensem, et dilectos filios nostros Gentilem, tituli sancti Martini in Montibus presbyterum, et Ricciardum, sancti Eustachii diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et quia demum, facta nobis per eos super hoc relatione fideli, electionem eandem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, illam de predictorum episcopi, cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, preficiendo te ipsi ecclesie in episcopum et pastorem, tibique demum consecrationis munus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam salubriter et prospere dirigetur.

Reverenter itaque supportare procures tibi onus impositum, et commissum tibi ecclesie regimen sic utiliter studeas exercere, quod ipsa cura tua felicibus augeatur comodis et votivis proficiat incrementis. Dat. Laterani, nonis januarii, anno primo. »

368 Au Latran, 27 janvier 1304.

Præposito et fratribus domus s. Johannis de Alexandria, ordinis Humiliatorum, indulget ut quasdam possessiones, quas Raynerius de Karolo de Alexandria eis in ultima voluntate legavit pro ædificando hospitali ad opus infirmorum et pauperum, vendere possint ac de ipsarum pretio domum congruam extruere, residuum si quod fuerit in usus pauperum convertendo. (n° 327, fol. 79.)

« *Dilectis filiis .. preposito et fratribus domus sancti Johannis de Alexandria, ordinis Humiliatorum.* Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quondam Raynerius de Karolo de Alexandria judex, Aquensis diocesis, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna salubri commercio commutare, quasdam possessiones ad eum spectantes pro edificando quodam hospitali ad opus infirmorum et pauperum, pro sue et parentum suorum anime remedio, vobis ac vestre domui in sua ultima voluntate reliquit. Cum autem dicte possessiones valorem trecentorum florenorum auri non excedant, que si eas vendi contingeret nequaquam sufficerent ad hospitale competens construendum, et ad dictam domum pauperum ac hospitum, quibus per vos humanitatis solatia exhiben-

1. Potthast donne à cette pièce la date du 31 janvier 1304 (II kalendas februarii).

tur, confluat multitudo, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis in hac parte paterna diligentia curaremus.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ut predictas possessiones vendere ac de ipsarum pretio aliquam congruam domum, ubi predicti pauperes recipi possint, construere ac residuum, si quod fuerit, in usus pauperum qui recipientur in domo ipsa convertere, nec ad construendum propter hoc aliud hospitale teneamini, vobis auctoritate presentium duximus concedendum. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

369 Au Latran, 7 janvier 1304.

Franciscus quondam Petri Aliatæ, civis Ferrariensis, creatur notarius. (nº 328, fol. 79.)

« *Dilecto filio Francisco quondam Petri Aliate, civi Ferrariensi.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, VII idus januarii, anno primo. »

370 Au Latran, 3 février 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum cœnobii Paduani indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si illi quibus horum restitutio fieri debeat, omnino sciri et inveniri non possint, usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant. (nº 329, fol. 79; Potth., nº 25356 [1].)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum Paduanis.* Ut circa ea — Dat. Laterani, III nonas februarii, anno primo. »

371 Au Latran, 13 janvier 1304.

Cunctis fidelibus, qui ecclesiam monasterii ss. Gervasii et Protasii Belunensis, Cisterciensis ordinis, visitaverint annuatim in singulis Duodecim Apostolorum festivitatibus, indulgentiam centum dierum promittit. (nº 330, fol. 79.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

372 Au Latran, 22 janvier 1304.

Renovat et confirmat quandam Bonifatii VIII gratiam, qua concessa fuerat archiepiscopo Lugdunensi licentia faciendi recipi duos nepotes suos in canonicos ecclesiæ Lugdunensis ac eisdem de communibus ejusdem ecclesiæ proventibus sicut aliis canonicis provideri. (nº 331, fol. 79 vº.)

« *Venerabili fratri Ludovico, archiepiscopo Lugdunensi.* Tue devotionis sinceritas promeretur, ut ad personam tuam illius munificentie dexteram extendamus, per quam etiam consanguinitate tibi conjunctis valeas gratiam impertiri.

Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^{us}, predecessor noster, tibi faciendi recipi auctoritate sua Johannem Johannis de Camera et Humbertum Johannis de Cosanai clericos, nepotes tuos, in Lugdunensi ecclesia, in qua certus canonicorum numerus et prebendarum distinctio non habentur, in canonicos et in fratres ac eis de communibus ipsius ecclesie proventibus sicut aliis ejusdem ecclesie canonicis provideri, concessit per suas certi tenoris litteras facultatem. Verum quia tu, qui sicut asseris in hujusmodi provisionis predictorum clericorum negotio in adventu tuo ad civitatem Lugdunensem juxta dictarum litterarum tenorem procedere intendebas, ad civitatem ipsam adhuc accedere, pro eo quod est ecclesiastico interdicto supposita, pro dicto exequendo negotio noluisti, dicto predecessore interim rebus humanis exempto, nullus per ejus litteras habitus est processus. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna diligentia curaremus.

Nos igitur, qui personam tuam claris tuis exigentibus meritis benivolentia prosequimur speciali, votis tuis volentes sic favorabiliter annuere in hac parte, quod per hoc ex spe, quam de hujusmodi facta tibi per dictum predecessorem gratia concepisse dinosceris, optatum comodum valeat provenire, fraternitati tue faciendi recipi auctoritate nostra prefatos nepotes tuos in memorata ecclesia in canonicos et in fratres, ac eis de comunibus ipsius ecclesie proventibus sicut aliis ejusdem ecclesie canonicis provideri, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus quibuslibet ecclesie predicte contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacumque firmitate alia roboratis; seu si dilectis filiis .. decano et capitulo ejusdem ecclesie a prefata Sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; sive quod de canonicatibus et proventibus ipsius ecclesie ac beneficiis ad eorum collationem seu quamcumque dispositionem spectantibus nequeat alicui provideri per litteras, etc., usque : mentionem; aut qualibet alia ipsius Sedis indulgentia generali vel speciali,

1. Potthast donne la date du 5 février 1304 (nonis februarii).

cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda; seu quod prefatus Umbertus in ecclesia Lausanensi canonicatum et prebendam noscitur obtinere, plenam et liberam tibi concedimus tenore presentium potestatem. Dat. Laterani, XI kalendas februarii, anno primo. »

373 Au Latran, 27 février 1304.

Episcopo Cumano concedit facultatem faciendi recipi octo personas idoneas in totidem collegiatis ecclesiis Cumanæ diocesis, videlicet singulas in singulis, in canonicos et in fratres ac providendi eisdem de præbendis. (nº 332, fol. 79 vº.)

« *Venerabili fratri Leoni, episcopo Cumano.* Tuam volentes honorare — Dat. Laterani, IIII kalendas marcii, anno primo. »

374 Au Latran, 27 janvier 1304.

Andreæ, nato Nicolai de Galluciis, canonico Bononiensi, reservatur beneficium quod duxerit acceptandum in civitate Lucana vel diocesi. (nº 333, fol. 79 vº.)

« *Dilecto filio Andree, nato dilecti filii Nicolai de Galluciis, canonico Bononiensi.* Grata devotionis sinceritas — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Proculi Bononiensis et Benedicto Gaytani, preposito ecclesie sancti Petri ad Gradus Pisani, ac Buxolo de Parma, canonico Tornacensi, capellano nostro.

375 Au Latran, 6 février 1304.

Potestati, capitaneo et communi civitatis Cæsenatis indulget, ut ad opus fabricæ nec non ad conservationem cujusdam pontis, quem in flumine quod dicitur Sapis construere cupiunt, certum pedagium a singulis forensibus dumtaxat laicis dictum flumen transeuntibus exigere valeant. (nº 334, fol. 80 ; THEINER, *Codex dipl. dom. temp. S. Sedis*, t. I, nº DLXXIX [1].)

« *Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo [et] comuni civitatis Cesenatis.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod in flumine quod dicitur Sapis, decurrente prope civitatem vestram, propter defectum pontis lapidei, qui ibi fore consueverat retroactis temporibus, nunc destructi, plurimi submerguntur magnumque transeuntibus dictum flumen periculum imminet, nisi pons ipse inibi reparetur. Cum autem vos reparare ac manutenere dictum pontem in eodem flumine ad opus transeundum, prout asseritis, proponatis, idque propter dampna gravia, que hactenus faciente malitia temporis sustinuistis, non possitis absque adjutorio in effectum deducere per vos ipsos, nos vestrum in hac parte propositum commendantes vobisque volentes ad hec de alicujus subventionis remedio, per quod premissa comodius possitis efficere, providere, auctoritate vobis presentium indulgemus quod, fabrica pontis ejusdem durante ac etiam post, vobis pontem hujusmodi conservantibus et manutenentibus, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis a singulis forensibus laicis dumtaxat, qui flumen ipsum in loco ubi pons ipse construitur vel pontem ipsum postquam fuerit constructus transierint, pro quolibet scilicet equite duos, pro pedite unum, pro salma tres, pro curru quatuor denarios et non plures usualis monete nomine pedagii dicti pontis petere, recipere et exigere valeatis, quacumque constitutione contraria non obstante. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

1. Voy. la note 1 de la col. 88. La même remarque est à faire ici.

376 Au Latran, 7 février 1304.

Episcopo Ostiensi mandat ut, si electionem de Guidone sacrista, administratore monasterii de Nonantula, ordinis s. Benedicti, Mutinensis diocesis, in abbatem ejusdem cœnobii canonice celebratam invenerit, ipsam confirmet. (nº 335, fol. 80 ; POTTH., nº 25357.)

« *Venerabili fratri N[icolao], episcopo Ostiensi.* Olim monasterio — Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

377 Au Latran, 27 janvier 1304.

Duabus personis Caturcensis diocesis, quarto gradu affinitatis invicem se contingentibus, permittit ut ad sedandas inimicitias inter earum parentes exortas matrimonium contrahere valeant. (nº 336, fol. 80 vº.)

« *Dilecto filio nobili viro Olivaro de Penna et dilecte in Christo filie nobili mulieri Philippe, nate nobilis viri Ysarni de Asperomonte, Caturcensis diocesis.* Etsi conjunctio copule — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

378 Au Latran, 18 février 1304.

Episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ legato, mandat, moneat et inducat rectores et consilium communis Pistorii, ut ab omnibus processibus, quos contra Baldum Raynerii de Floravantis, civem Pistoriensem nec non mercatorem cameræ apostolicæ, facere moliuntur, prorsus abstineant. (nº 337, fol. 80 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato.* Pervenit ad audientiam nostram quod .. potestas, .. capitaneus, anziani, .. vexillifer justitie, consilium et comune civitatis Pistoriensis dilectum filium Baldum Raynerii de Floravantis, civem Pistoriensem, mercatorem camere nostre, quod de curia recedat compellere moliuntur, diversos contra ipsum propter hoc faciendo processus ac turrium et domorum suarum et consanguineorum ipsius dirutionem etiam comminando.

Cum autem idem Baldus nostris et Ecclesie Romane servitiis jugiter immoretur, sitque nobis et eidem Ecclesie in magnis pecuniarum quantitatibus obligatus, et de multis etiam nobis et eidem Ecclesie teneatur reddere rationem, propter que omnia, etiam si vellet, non posset Baldus predictus a Romana se curia absentare, nos quoque turres, domos et alia bona ipsius, que pro premissis nobis et eidem Ecclesie obligata existunt, confiscare dicte Ecclesie si expedierit intendamus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus potestatem, capitaneum, anzianos, vexilliferum justitie, consilium et comune predictos ex parte nostra per te vel alium seu alios efficaciter moneas et inducas, ut ab hujusmodi processibus contra Baldum et consanguineos suos predictos aut in turribus, domibus et aliis bonis ipsorum occasione hujusmodi faciendis pro nostra et Apostolice Sedis reverentia abstinere procurent, revocando que per ipsos contra eum vel eosdem consanguineos acta fuerint in hac parte, ac alias dictum Baldum prosequi studeant favoribus oportunis, cum presertim hoc tempore ipsius Baldi presentia sit nobis et eidem Ecclesie super certis negotiis non modicum oportuna, significaturus nobis per tuas litteras quod ipsi potestas, capitaneus, anziani, vexillifer, consilium et comune responderint et fecerint in premissis. Dat. Laterani, XII kalendas marcii, anno primo. »

379 Au Latran, 31 janvier 1304.

Episcopo Sedunensi concedit facultatem faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ suæ cathedralis, ac providendi eisdem de præbendis cum proventibus, qui *canonia* vulgariter in illis partibus appellantur. (nº 338, fol. 80 vº.)

« *Venerabili fratri Bonifacio, episcopo Sedunensi.* Volentes tibi gratiam — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

380 Au Latran, 3 février 1304.

Petro de Treva confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Metensi. Dispensatur insuper cum eo super pluralitate beneficiorum. (nº 339, fol. 80 vº.)

« *Dilecto filio Petro de Treva, canonico Metensi.* Dignum et congruum — Dat. Laterani, III nonas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Pauli et .. decano sancte Marie Magdalene Virdunensis ac Theodisio de Malocellis de Janua, canonico Cameracensis ecclesiarum.

381 Au Latran, 22 janvier 1304.

Priori fratrum Prædicatorum Senensi committit, ut locum quendam in civitate Senensi positum, ad ordinem fratrum Saccorum pertinentem, in quo nobilis mulier Contessa, uxor Musciatti de Senis, ecclesiam seu capellam ædificare desiderat et exposcit, dictæ Contessæ apostolica auctoritate concedat et insuper eidem mulieri licentiam largiatur prædictam ecclesiam seu capellam ibidem extruendi. (nº 340, fol. 81.)

« *Dilecto filio .. priori Predicatorum Senensi.* Dudum felicis recordationis Greg[orius] papa X^{mus}, predecessor noster, in generali Lugdunensi Concilio novissime celebrato duxit inter cetera statuendum, ut ordinum professores, quibus victum questus publicus ministrabat, quibusdam tamen exceptis, domos sive loca, que hii quos statutum includit hujusmodi obtinebant, alienare non possent absque Apostolice Sedis licentia speciali ; sed domos et loca predicta prefatus predecessor dispositioni Sedis reservavit ejusdem in subsidium Terre Sancte vel pauperum aut alios pios usus per locorum ordinarios vel alios, quibus id Sedes ipsa committeret, convertenda.

Cum autem fratres ordinis Saccorum, qui sunt de predictis ordibus non exceptis, locum in civitate Senensi obtinuerint hactenus, in quo nullus ex ipsis fratribus commoratur, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Contessa, uxor dilecti filii nobilis viri Musciatti de Senis, pro anime sue ac parentum suorum remedio, de ipsius viri sui consensu, in loco predicto, in honorem beati Nicolai confessoris ecclesiam seu capellam de novo construere ipsamque de possessionibus propriis juxta locum positis supradictum decenter dotare desideret pro uno presby-

tero et uno clerico ibidem perpetuo servituris [1], nobis humiliter supplicavit, ut prefatum locum cum omnibus juribus et pertinentiis suis benigne sibi concedere dignaremur.

Nos itaque pium in hac parte desiderium nobilis supradicte prosequi favorabiliter intendentes, et de tua circumspecta prudentia et fidelitate probata fiduciam gerentes in Domino specialem, discretioni tue presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus, si premissis veritas suffragatur, eidem Contesse facienti quod offert memoratum locum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, pro ecclesia seu capella inibi construenda, nec non et construendi eandem sibi plenam et liberam auctoritate nostra licentiam, sine juris alieni prejudicio, largiaris; non obstante indulgentia qua tibi et ordini tuo ab Apostolica Sede dicitur esse concessum, quod fratres ejusdem ordinis non teneantur se intromittere de quibusdam negotiis, que ipsis per Sedis predicte litteras committuntur, nisi in eis de concessione hujusmodi et ordine supradicto plena et expressa mentio habeatur. Dat. Laterani, xi kalendas februarii, anno primo. »

382 Au Latran, 7 février 1304.

Petro de Narbona conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Carnotensi. (n° 341, fol. 81 v°.)

« *Dilecto filio Petro de Narbona, canonico Carnotensi.* Nobilitas generis — Dat. Laterani, vii idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Tholosano et .. decano Parisiensis et .. thesaurario Baiocensis ecclesiarum.

383 Au Latran, 17 janvier 1304.

Dispensat cum duabus personis civitatis Tudertinæ, ut ad sedandas discordias inter consanguineos ipsarum exortas matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (n° 342, fol. 81 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Martino Machelli et dilecte in Christo filie nobili mulieri Lasie* [2], *nate quondam Massei de Massa militis, civibus Tudertinis.* Petitio vestra nobis — Dat. Laterani, xvi kalendas februarii, anno primo. »

384 Au Latran, 5 février 1304.

Valeat abbas monasterii s. Justinæ Paduanæ dispensare cum Thomasio Armanni subdiacono, canonico monasterii s. Margaritæ de Vigontia, ordinis s. Augustini, Paduanæ diocesis, ut ad quaslibet ordinis sui prælaturas promoveri possit, defectu natalium non obstante. (n° 343 A, fol. 82.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii sancte Justine Paduane.* Accedens ad presentiam — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

385 Au Latran, 27 novembre 1303.

Electo Vicentino mandat, ut præsentationem factam a duce Cretensi de quodam clerico Castellanæ diocesis, quem in primicerium ecclesiæ s. Marci civitatis Candidæ institui postulat, diligenter examinet, et si dictam præsentationem canonicam dictumque clericum ad hoc idoneum invenerit, eundem recipi faciat in officium antedictum. (n° 343 B, fol. 82.)

« Benedictus, etc., dilecto filio Altegrado, electo Vicentino, notario nostro, etc. Insinuavit nobis dilectus filius nobilis vir Jacobus, dux Cretensis, quod ad eum de antiqua, approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet ad ecclesiam sancti Marci de civitate Candide, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem, consuetam per primicerium gubernari, cum eam vacare contingit, personam instituendam in ejusdem ecclesie primicerium Romano pontifici, ad quem dumtaxat institutio primicerii in ea spectare dicitur, presentare, quodque dicta ecclesia per mortem quondam Leonardi, primicerii ejusdem ecclesie, vacabat; ac nichilominus nobis dilectum filium Nicolaum, natum dilecti filii Marini Barachi, clericum Castellane diocesis, ad eandem ecclesiam sancti Marci presentavit, ac tam ipse quam dictus clericus a nobis humiliter petierunt, ut presentationem hujusmodi admictentes, clericum ipsum in primicerium ejusdem ecclesie sancti Marci instituere dignaremur.

Nos igitur gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, discretioni tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatinus hujusmodi presentationem et ipsius presentati merita diligenter examinans, si presentationem eandem canonicam dictumque Nicolaum ad hoc ydoneum fore repereris, dictam presentationem auctoritate nostra admittas ipsumque Nicolaum instituas in primicerium ecclesie antedicte, prout de jure fuerit faciendum. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

386 Au Latran, 8 février 1304.

Obtentu Grimerii de Pecoraria, civis Placentini, conferuntur

1. Ms : « servaturis. »
2. Dans le corps de la pièce on trouve *Fasia*.

Giffredo, ejus filio, canonicatus et præbenda in ecclesia Sarisbiriensi. (n° 344, fol. 82.)

« *Dilecto filio Giffredo, nato dilecti filii nobilis viri Grimerii de Pecoraria civis Placentini*[1], *canonico Sarisbiriensi.* Laudabilibus tue — Dat. Laterani, vi idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Firmano et magistro Bartholomeo de Ferentino ac Henrico de Sarracenis de Urbe, canonicis Londoniensibus.

387 Au Latran, 15 décembre 1303.

Priorissæ et conventui monasterii s. Sixti de Urbe indulget ut ad præstationem decimarum vel ad contributionem in aliquibus talliis seu collectis minime teneantur. (n° 345, fol. 82 v°.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et conventui monasterii sancti Sixti de Urbe, per priorissam soliti gubernari, secundum instituta et sub cura fratrum Predicatorum viventibus.* Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet religiosis personis nos esse deceat in oportunitatibus suis favorabiles et benignos, mulieribus tamen, que sub religionis habitu Domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate [2] sexus feminei majoribus dinoscantur subsidiis indigere.

Vestris itaque supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut vos et alie persone monasteriorum et locorum vobis subjectorum de quibuscumque possessionibus et bonis, ad vos et dicta monasteria et loca spectantibus, et ipsa [loca et monasteria] cuiquam ecclesie vel persone decimas solvere aut contribuere in aliquibus talliis vel collectis, presertim in partibus anglicanis ratione annui redditus quinquaginta marcharum argenti, in quo dilecti filii .. prior et canonici monasterii sancti Oswaldi, ordinis sancti Augustini, Eboracensis diocesis, vobis et monasterio vestro tenentur, minime teneamini et ad hoc vos vel procuratores vestros compellere nullus possit per litteras Apostolice Sedis vel legatorum ejus impetratas vel imposterum impetrandas, nisi eedem dicte Sedis littere impetrande plenam et expressam facerent de hac indulgentia et dictis vestris ordine et monasterio mentionem. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xviii kalendas januarii, anno primo. »

1. Ms : « Placenen'. » Mais dans le corps de la pièce et dans la rubrique volante il y a clairement *Placentin'*.
2. Le copiste a dû se tromper. Il faut probablement corriger *propter fragilitatem*, comme on le voit col. 118 et 141.

In e. m. .. sancti Pauli et .. sancti Sabe et .. sancti Gregorii de Urbe monasteriorum abbatibus.

388 Au Latran, après le 19 février 1304.

Valeat Noviomensis electus munus consecrationis recipere. (n° 346, fol. 82 v°.)

« *Dilecto filio Andree, electo Noviomensi.* Personam tuam — Dat. Laterani,..... anno primo [1]. »

389 Au Latran, 27 janvier 1304.

Episcopo Baiocensi concedit ut, cum senex et valetudinarius existat, possit usque ad triennium ecclesiam suam per vicarium idoneum facere visitari. (n° 347, fol. 82 v°.)

« *Venerabili fratri Petro, episcopo Baiocensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

390 Au Latran, 28 février 1304.

Ordini Humiliatorum concedit, ut quilibet successorum magistri, si fuerit in concordia electus, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suæ administrationis officium libere exequatur. (n° 348, fol. 83; Potth., n° 25378.)

« .. *Magistro, prepositis, prelatis, fratribus et sororibus universis ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Presignis ordinis vestri religio promeretur, ut vos illius favoris presidio muniamus per quod quietis et salutis vestri status comodum procuretur.

Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestre presentium auctoritate concedimus, ut quilibet successorum tuorum, fili magister, si fuerit in concordia electus et nichil obstiterit de canonicis institutis, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso tanquam vestri ordinis magister sue administrationis officium seu jus administrandi in spiritualibus et temporalibus consequatur et illud tanquam verus magister, prout ad eum pertinet, libere exequatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, iii kalendas martii, anno primo. »

391 Au Latran, 27 janvier 1304.

Episcopo Brandeburgensi potestatem tribuit dispensandi cum quibusdam diocesis suæ clericis super infamia sive nota,

1. La date du mois et du jour a été laissée en blanc. Mais la pièce est certainement postérieure au 19 février, puisque c'est le 19 que cet évêque fut nommé. Voy. col. 251.

quas contraxerunt pro eo quod parochiales ecclesias adepti non se fecerunt infra annum, prout tenebantur ex constitutione Concilii Lugdunensis, ad sacerdotium promoveri. (nº 349 A, fol. 83.)

« *Venerabili fratri Frederico, episcopo Brandeburgensi.* Tua nobis fraternitas — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

392 Au Latran, 27 janvier 1304.

Eidem concedit ut similiter dispenset cum aliis clericis super infamia, quam contraxerunt plura beneficia curam animarum habentia absque Sedis Apostolicæ dispensatione insimul retinendo. (nº 349 B, fol. 83.)

« *Eidem.* Cum sicut in nostra — Dat. ut supra. »

393 Au Latran, 27 janvier 1304.

Eidem licentia conceditur conferendi personis idoneis plures archidiaconatus vacantes in Halberstadensi ecclesia per ipsius promotionem ad episcopatum Brandeburgensem. (nº 350 A, fol. 83.)

« *Eidem.* Personam tuam — Dat. ut supra. »

394 Au Latran, 27 janvier 1304.

Eidem conceditur, ut duas personas idoneas recipi faciat in canonicos in ecclesiis s. Mariæ ac s. Pauli civitatis Halberstadensis, eisque provideat de præbendis. (nº 350 B, fol. 83.)

« *Eidem.* Tuam volentes — Dat. ut supra. »

395 Au Latran, 27 janvier 1304.

Rectori ecclesiæ s. Georgii in Woceke, Caminensis diocesis, qui dictam ecclesiam olim assecutus non se fecit infra annum, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari, indulget ut eandem ecclesiam de cætero retinere valeat, dummodo se faciat statutis temporibus ad sacerdotium promoveri. (nº 351 A, fol. 83 vº.)

« *Theoderico de Bertekowe, rectori ecclesie sancti Georgii in Woceke, Caminensis diocesis.* Petitio tua nobis — Dat. ut supra. »

396 Au Latran, 27 janvier 1304.

Similis gratia pro rectore ecclesiæ s. Bartholomæi in majori Orden, Halberstadensis diocesis. (nº 351 B, fol. 83 vº.)

« *Siffrido de Hoyem, rectori ecclesie sancti Bartholomei in majori Orden, Halberstadensis diocesis.* Petitio tua nobis — Dat. ut supra. »

397 Au Latran, 24 janvier 1304.

Cantori Bambergensis ecclesiæ remittit fructus, quos indebite percepit ex beneficiis suis postquam fuerat suspensus ab ipsis : omnem insuper maculam vel inhabilitatem in eo obortas occasione hujusmodi penitus abolet. (nº 352, fol. 83 vº.)

« *Baldeberto, cantori ecclesie Babenbergensis.* Sancta mater Ecclesia, salutem filiorum affectans, gratiam suam implorantibus aures consuete benignitatis inclinat, libentius in eis exercens mansuetudinem quam rigorem.

Porrecta siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu olim, ductus affectione non bona, et nonnulli alii de capitulo ecclesie Babenbergensis, quorum plures ad id tuo consilio, favore et auxilio induxisti, eadem ecclesia tunc vacante, Johannem prepositum ipsius ecclesie in Babenbergensem episcopum elegistis scienter indignum, presertim ex eo quia pluralitatem personatuum seu dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum absque dispensatione apostolica retinebat; et licet propter hoc a beneficiis ecclesiasticis per triennium suspensi fueritis secundum Lateranensis constitutionem Concilii, tu tamen nichilominus cantoriam, canonicatum et prebendam, quos in dicta ecclesia obtines, retinens sicut prius percepisti et percipis infra dictum triennium, quod nondum elapsum fore dinoscitur, fructus et redditus ex eisdem.

Cum autem super hiis tuo provideri statui ac saluti de benignitate Sedis Apostolice humiliter postularis, nos volentes tecum super hiis misericorditer agere tibique gratiam facere specialem, omnes hujusmodi fructus a te, prius quam dictam suspensionem incurristi, perceptos apostolica tibi auctoritate remittimus et donamus omnemque infamiam, inhabilitatem, maculam sive notam horum occasione contractas in te totaliter abolemus de apostolice plenitudine potestatis, ejusdem suspensionis obstaculum omnesque penas, quas propterea incurristi, penitus amoventes, ut eis nequaquam obstantibus possis cantoriam, canonicatum et prebendam predictos, sicut ante dictam suspensionem poteras, licite retinere. Nulli ergo, etc., nostre remissionis, donationis, abolitionis et amotionis, etc. Dat. Laterani, VIIII kalendas februarii, anno primo. »

398 Au Latran, 5 janvier 1304.

Archiepiscopo Ebredunensi mandat, ut super dissensione

orta inter Avinionensem episcopum et moniales monasterii s. Laurentii Avinionensis occasione electionis abbatissæ ipsius diligenter inquirat, statuatque in dicto negotio quidquid de jure fuerit statuendum. (n° 353, fol. 83 v°.)

« *Venerabili fratri.. archiepiscopo Ebredunensi.* Intimantibus nobis dilectis in Christo filiabus Ermessendi de Aramone sacrista, Mabilia Augerie, Johanna de Rupe, Maura Rixendi, Flechiera Rixendi de Sarahaco, Nova Vayrane Bellendi, Mabilia Rixendi et Bertranda dictis Broncinelle, Symona de Aramone et aliis monialibus monasterii sancti Laurentii Avinionensis, ordinis sancti Benedicti, sacriste prefate adherentibus, que major et sanior pars conventus dicti monasterii fore dinoscuntur, nuper accepimus quod, vacante dudum eodem monasterio per mortem quondam Raymunde de Aramone, ipsius monasterii abbatisse, major pars ejusdem monasterii monialium quondam Dulciam de Avinione primo, et ea postmodum viam universe carnis ingressa, quondam Alazasiam Vinhayrola, dicti monasterii moniales, in ipsius monasterii abbatissam concorditer elegerunt.

Verum venerabili fratre nostro A[ndrea], episcopo Avinionensi, asserente sibi per speciale privilegium fore ab Apostolica Sede concessum, quod moniales dicti monasterii ad electionem future abbatisse absque ipsius episcopi consilio, presentia et assensu procedere non valebant, Rostagnus de Mesoaga, canonicus Avinionensis, tunc officialis dicti episcopi, ipsius ut dicebat auctoritate sibi in hac parte commissa, hujusmodi electionem de prefata Alazasia ut premittitur celebratam, occasione hujusmodi et quia, ut dicebat, personam elegerant scienter indignam, infirmavit. Ac pretendens, quod jus eligendi seu providendi dicto monasterio de abbatissa ad eum ea vice fuerat devolutum, de Alazasia de Mandegoth, dicti monasterii moniali, monasterio prefato providit, propter quod ex parte dicte Alazasie Vinhayrole et sibi adherentium ad Sedem fuit Apostolicam appellatum.

Sed postmodum eadem Alazasia Vinhayrola decedente, dictus episcopus fecit monialibus dicti monasterii inhiberi, ne sine ipsius presentia et consensu ad electionem future abbatisse procedere attemptarent, in eas si secus agerent excommunicationis sententiam promulgando, propter quod ex parte ipsarum ad Sedem fuit appellatum eandem.

Dictus vero episcopus appellationibus hujusmodi vilipensis, quin potius ex eis contra ipsas gravius provocatus, ad monasterium predictum accessit cum multitudine armatorum, nitens eas compellere ut hujusmodi provisioni, quam de dicta Alazasia de Mandegoth fecerat, consentirent. Cujus adventum sacrita memorata presentiens sibique obviam exiens, humiliter supplicavit eidem ut in dicto monasterio scandala non poneret, in ipsius prejudicium aliquid attemptando, et ad dictam Sedem, si secus ageret, appellavit. Ac idem episcopus hujusmodi appellatione et supplicatione contemptis, dictum monasterium intravit, ac fractis per officialem ipsius ostiis dicti monasterii violenter, ibi hujusmodi provisionem factam, ut premittitur, ejus auctoritate de Alazasia de Mandegoth supradicta ratificavit et eam confirmavit, sicque dicta Alazasia de Mandegoth talis confirmationis pretextu, ipsius episcopi favore suffulta, administrationi dicti monasterii se immiscens illius bona delapidat enormiter et consumit.

Porro sacrista et ejus adherentes predicte Bertrandam de Bariolis, ejusdem ordinis monialem, in ipsius monasterii abbatissam concorditer elegerunt. Ex quo dictus officialis ejusdem episcopi ad gravamina ipsarum aspirans ac de ipsius episcopi mandato, ut presumitur, ad monasterium predictum accedens, fractis armariis et vasis aliis in quibus thesaurus et bona dicti monasterii servabantur, calices argenteos, libros, pannos et vestimenta presbyteralia pluraque alia bona ibidem inventa fecit exinde nequiter asportari ; demumque pretendens quod sacrista et sibi adherentes predicte majoris erant excommunicationis vinculo innodate, precepit eisdem ut ecclesiam monasterii predicti exirent, unamque ipsarum fune ligatam per seculares personas vilis conditionis verberari fecit et ab eadem ecclesia ejici violenter, in eas nichilominus excommunicationis sententiam promulgando, propter quod iterum ex parte ipsarum ad dictam Sedem extitit appellatum. Quare sacrista et sibi adherentes predicte fecerunt nobis humiliter supplicari, quod, cum eis propter rerum inopiam sit valde difficile hujusmodi negotium ad Sedem prosequi prelibatam, providere super hiis ipsis paterna sollicitudine dignaremur.

Quocirca fraternitati tue de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus super premissis omnibus solerter inquirens, si de predictis vel eorum aliquibus, que ad cassationem provisionis facte, ut premittitur, de prefata Alazasia de Mandegoth sufficiant, tibi constiterit, ea rite cassata, electionem hujusmodi dicte Bertrande, si quidem de persona ydonea canonice celebrata fuerit, confirmare, alioquin infirmare procures, faciens eidem Alazasie de Mandegoth, si dicta ejus provisio fuerit reperta canonica, vel ipsi Bertrande, si ejus electio confirmata, ab ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Quod si utraque ipsarum cassari forte contingat, conventus dicti monasterii, ne illud diutius vacare contingat, prout de

jure fuerit, sibi procurent de abbatissa per electionem canonicam providere, ipsis etiam sacriste et ei adherentibus, si de ejus rerum ablatione, injuriis et violentiis tibi constiterit, res easdem sic ablatas restitui et de predictis dampnis et injuriis satisfactionem impendi facias competentem, non obstante si aliquibus a Sede sit indultum predicta, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc. Dat. Laterani, nonis januarii, anno primo. »

399 Au Latran, 29 janvier 1304.

Valeat archipresbyter plebis s. Stephani de Barbiano, Imolensis diocesis, archipresbyteratum suum retinere, natalium defectu non obstante. (n° 354 A, fol. 84.)

« *Frederico Guidonis de Cunio, archipresbytero plebis sancti Stephani de Barbiano, Imolensis diocesis.* Pie matris Ecclesie — Dat. Laterani, IIII kalendas februarii, anno primo. »

400 Au Latran, 20 janvier 1304.

Valeat Faventinus episcopus condere testamentum. (n° 354 B, fol. 84.)

« *Venerabili fratri Matteo* [1], *episcopo Faventino.* Quia presentis vite conditio, usque: pervenire.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, et que ordinis sancti Augustini, quem fuisti professus,non fuerint,etc., ut in forma usque in finem. Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

401 Au Latran, 21 janvier 1304.

Patriarchæ Gradensi concedit ut tres clerici, obsequiis ejus insistentes, possint per quinquennium fructus beneficiorum suorum percipere. (n° 355 A, fol. 84.)

« *Venerabili fratri E*[*gidio*], *patriarche Gradensi.* Ut benivolentie specialis — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

1. Ms : « Masseo. » L'évêque se nommait *Matteo Eschini.*

« In e. m. .. episcopo Crapulano et .. sancti Cypriani ac .. sancti Michaelis de Muriano monasteriorum abbatibus, Torcellane diocesis.

402 Au Latran, 21 janvier 1304.

Eidem indulget ut apud Venetias, ubi nunc commoratur, possit in omnibus exemptis ecclesiis missarum solemnia celebrare ac populo proponere verbum Dei, absque licentia episcopi Castellani. (n° 355 B, fol. 84 v°.)

« *Eidem.* Tue merita fraternitatis exposcunt, ut nos personam tuam paterna benivolentia prosequentes, illam congruis muniamus favoribus et dignis gratiis honoremus.

Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, tu in civitate Gradensi, ubi sedes tua patriarchalis existit, propter ineptitudinem loci et alias causas multiplices comode morari non possis, sed apud Venetias, Castellane diocesis, in patriarchali palatio quod ecclesia Gradensis habet ibidem, tu [1] plurimum commoreris, nos tuis supplicationibus inclinati, ut tam in fratrum Predicatorum quam aliis ecclesiis exemptis ejusdem loci de Venetiis, cum a prelatis seu personis ipsarum ecclesiarum ad hoc fueris invitatus, possis missarum solennia etiam in pontificalibus solenniter celebrare ac populis illuc accedentibus undecumque proponere verbum Dei, absque licentia et requisitione venerabilis fratris nostri .. episcopi Castellani, quibuscumque conventionibus inter predecessores tuos, patriarchas Gradenses, et dictum episcopum habitis, seu compositione facta vel arbitrio promulgato, que premissis quomodolibet obviarent, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

403 Au Latran, 4 février 1304.

Electo Strigoniensi potestatem committit dispensandi cum Beda presbytero, canonico ecclesiæ s. Nicolai de Alba Regali, Vesprimiensis diocesis, super irregularitate quam contraxerat, pro eo quod durante interdicto divina officia in civitate prædicta celebraverat. (n° 356, fol. 84 v°; POTTH., n° 25353.)

« *Michaeli, electo Strigoniensi.* Petitio dilecti filii — Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

1. Ms : « ut » au lieu de *tu*.

404 Au Latran, 6 février 1304.

Bononiensis episcopus deputatur executor cujusdam testamenti. (n° 357 A, fol. 84 v°.)

« *Venerabili fratri Uberto, episcopo Bononiensi.* Cum sicut accepimus quondam Franciscus de Lavania dictus Siccus, prepositus ecclesie Siclinensis, Tornacensis diocesis, condens in sua ultima voluntate testamentum, bone memorie G[erardum], Sabinensem episcopum tunc viventem, et dilectum filium nostrum Guillelmum, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales, et quosdam alios executores ejusdem constituerit testamenti, ac episcopus, cardinalis et alii supradicti onus executionis ipsius testamenti in se suscipere recusarint, nos intendentes super hoc salubriter providere ac de tua circumspectione plenam in Deo fiduciam obtinentes, te loco predictorum executorum ad executionem hujusmodi faciendam duximus subrogandum, presentium tibi auctoritate mandantes, quatinus prefatum testamentum, prout secundum Deum saluti anime dicti prepositi videris expedire, per te vel per alium fideliter exequaris, contradictores, etc. Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

405 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem concedit ut dispensare valeat super defectu natalium cum Lanfranco, nato quondam Corradi comitis de Panico, qui subdiaconatus et diaconatus ordines dudum indebite recepit, licentia Sedis Apostolicæ non obtenta. (n° 357 B, fol. 84 v°.)

.. « *Episcopo Bononiensi.* Ex parte dilecti filii — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

406 Au Latran, 31 janvier 1304.

Abbati monasterii Fuldensis, Herbipolensis diocesis, mandat ut quendam Symonem, nuper electum in abbatem monasterii Herfeldensis, Maguntinæ diocesis, peremptorie citet ad comparendum coram Apostolica Sede super electione prædicta responsurum. (n° 358, fol. 85.)

« .. *Abbati monasterii Fuldensis, Herbipolensis diocesis.* Accedens ad presentiam nostram dilectus filius Henricus, monachus monasterii Herfeldensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Maguntine diocesis, nobis exposuit quod, vacante dudum eodem monasterio per obitum quondam Bertholdi, ejusdem monasterii abbatis, conventus dicti monasterii ad tractandum de futuri substitutione abbatis, die ad hoc prefixa, insimul convenerunt : quorum aliqui Symonem, decanum dicti monasterii, intollerabilem patientem in litteratura defectum et alias indignum, non servata forma generalis Concilii, in abbatem dicti monasterii nominantes, nominationem ipsius publicarunt, et exeuntes de capitulo memorati monasterii se fecerunt a tractatione et electione hujusmodi alienos. Reliqui vero diligentius attendentes, quod dicta nominatio nulla erat, quodque jus eligendi residebat in eis pro eo quod predicti, qui dictum S[ymonem] nominaverant, recesserant a dicto capitulo et se fecerant alienos, dictum H[enricum] in ejusdem monasterii abbatem per viam scrutinii canonice elegerunt et electionem hujusmodi publicarunt; ac idem Henricus infra tempus a jure statutum eidem electioni de se facte consensit.

Verum venerabilis frater noster .. archiepiscopus Maguntinus de causa hujusmodi electionis et nominationis cognoscere satagens, eundem Henricum fecit ad suam presentiam evocari, et licet ex parte dicti Henrici propter hoc ad Sedem fuerit Apostolicam appellatum, idem tamen archiepiscopus, hujusmodi appellatione contempta, dictam nominationem predicti decani de facto confirmans, prefecit eum ipsi monasterio in abbatem, eique postmodum munus benedictionis impendit. Ac idem decanus administrationi dicti monasterii se immiscens, illos, qui ut premittitur eundem Henricum elegerant, privavit omnibus officiis et administrationibus que inibi obtinebant. Quare dictus Henricus hujusmodi negotium coram nobis et fratribus nostris exponens, nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse infra tempus contentum in constitutione felicis recordationis N[icolai] pape III, predecessoris nostri, ad eandem Sedem accesserit pro hujusmodi negotio prosequendo, dictusque decanus infra tempus ipsum ad eandem nec venerit nec procuratorem sufficienter instructum vel alias idoneum destinarit, propter quod decanus ipse a jure cecidit, si quod ei fuisset ex tali nominatione de ipso facta quesitum, ad confirmationem electionis sue procedere dignaremur.

Nos autem volentes in dicto negotio cum debita maturitate procedere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem decanum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis dictum negotium contingentibus, compareat personaliter coram nobis facturus et recepturus super hoc quod justitia suadebit. Intendimus namque quod hujusmodi citatio quo ad penam dicte constitutionis, si forsan in illam inciderit, nullum suffragium sibi prestet et quod per idem eum artet, sicut artaret si non per hominem sed ex vigore sive auctoritate

constitutionis ejusdem seu per eam, dicta citatio emanaret. Diem vero citationis et formam et quicquid inde duxeris faciendum per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. ut supra. »

407 Au Latran, 4 février 1304.

Episcopo Lingonensi concedit, ut propter debilitatem proprii corporis diocesim suam per vicarium idoneum faciat visitari. (nº 359, fol. 85.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Lingonensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

408 Au Latran, 4 février 1304.

Eidem concedit ut faciat recipi in canonicos Lingonensis ecclesiæ Erveum, natum Ervei domini de Safris, Eduensis diocesis, et Johannem dictum de Andilleyo de Lingonis jurisperitum, præfatæ ecclesiæ clericos. (nº 360, fol. 85.)

« *Eidem.* Illum te ad — Dat. ut supra. »

409 Au Latran, 4 février 1304.

Eidem concedit ut duo clerici, familiares ejus et domestici ac continui commensales, fructus ac redditus beneficiorum suorum per triennium percipere valeant, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis. (nº 361, fol. 85.)

« *Eidem.* Gerentes erga personam — Dat. ut supra. »

In e. m. .. sancti Martini Eduensis et .. de Pulteriis monasteriorum abbatibus ac .. decano capelle ducis Burgondie de Divione, Lingonensis diocesis.

410 Au Latran, 21 novembre 1303.

Obtentu Albertini Mauretini de Venetiis pro Alexandro nepote suo supplicantis, dicto Alexandro confertur canonicatus in ecclesia Cameracensi et reservatur præbenda non sacerdotalis quam primum ibidem vacatura. (nº 362, fol. 85 vº.)

« *Alexandro Michaelis Mauretini de Venetiis, canonico Cameracensi.* Laudabilia tibi testimonia — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. Altegrado, electo Vicentino, notario nostro, et Grimerio de Vicecomitibus de Placentia Parisiensis, ac Johanni de Plaza de Parma, Atrebatensis canonicis ecclesiarum.

411 Au Latran, 2 février 1304.

Vacante præbenda quadam in ecclesia supradicta per mortem Petri quondam Jacobi Bonaventuræ de Cardinali de Urbe, dicta præbenda confertur præfato Alexandro juxta tenorem superioris epistolæ. Dispensatur quoque cum eodem super pluralitate beneficiorum. (nº 363, fol. 86.)

« *Alexandro, nato dilecti filii nobilis viri Michaelis Maurecini de Veneciis, canonico Cameracensi.* Laudabilia tibi — — Dat. Laterani, IIII nonas februarii, anno primo. »

In e. m. eisdem executoribus proximo suprascriptis.

412 Au Latran, 25 janvier 1304.

Jacobo Mathæi Ursi de filiis Ursi, archidiacono Senonensi, capellano domini papæ, conceditur ut archidiaconatum suum per vicarium idoneum faciat visitari. (nº 364, fol. 86.)

« *Jacobo Mathei Ursi de filiis Ursi, archidiacono Senonensi, capellano nostro.* Personam tuam — Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati sancti Salvatoris de Scantrilia, Sabinensis diocesis, et .. archidiacono Yoniville in ecclesia Cathalaunensi ac Landulpho de Columpna, canonico Carnotensi.

413 Au Latran, 31 janvier 1304.

Fidelibus infradictarum diocesium, qui monasterio s. Agnetis prope Urbemveterem, ordinis s. Benedicti, manum porrexerint adjutricem ad ipsius inopiam relevandam, indulgentiam quadraginta dierum elargitur. (nº 365 A, fol. 86 vº.)

« *Universis Christi fidelibus per Urbevetanam, Clusinam et Perusinam civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

414 Au Latran, 13 janvier 1304.

Indulgentia quadraginta dierum pro visitantibus plebem s. Angeli de Castelione, Aretinæ diocesis. (nº 365 B, fol. 86 vº.)

« *Universis Christi fidelibus*[1] *presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria, etc., usque : collaudetur.

Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in

1. Ms : « fideles »

Deo, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad plebem sancti Angeli de Castelione, Aretine diocesis. imploraturi a Deo veniam peccatorum in humilitatis spiritu accedatis.

Nos enim ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictam plebem in sancti Johannis Baptiste et sancti Nicolai confessoris, quorum ibi reliquie ut dicitur requiescunt, ac ejusdem sancti Angeli festivitatibus et per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitarint annuatim, XL dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

415 Au Latran, 13 février 1304.

Restituantur abbas et conventus monasterii Casemarii, Verulanæ diocesis, ad possessionem prioratus s. Mariæ de Ustica, Panormitanæ diocesis, quo quidem fuerant contra justitiam spoliati. (n° 366, fol. 86 v°.)

« .. *Abbati monasterii Sancti Spiritus prope Panormum*. Significarunt nobis dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Casemarii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Cisterciensis ordinis, Verulane diocesis, quod, licet prioratus sancte Marie de Ustica situs in mari Panormitano, Panormitane diocesis, cum ecclesia sancti Onufrii Panormitani eidem prioratui annexa, ad monasterium ipsum pleno jure pertinere noscatur, nonnulli tamen monachi et conversi ejusdem prioratus, contra ipsos abbatem et conventum spiritu rebellionis assumpto, ipsos [1] prioratu et ecclesia supradictis eorumque juribus et pertinentiis, in quorum possessione pacifica existebant et diu fuerant, contra justitiam spoliarunt. Cum igitur spoliatis injuste sit restitutionis beneficio succurendum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi summarie et de plano sine strepitu et figura judicii de hujusmodi spoliatione constiterit, prefatos abbatem et conventum ad possessionem dictorum prioratus, ecclesie, jurium et pertinentiarum restituas et restitutos etiam tuearis, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, contradictores, etc., invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, idibus februarii, anno primo. »

416 Au Latran, 15 février 1304.

Executoribus infradictis mandat, ut Berardo de Po[illegible]io Bastonis, canonico Reatino studenti in theologica facultate, faciant per quinquennium proventus ac fructus beneficiorum ejus integre ministrari, juxta Honorii III et Innocentii IV constitutiones. (n° 367, fol. 86 v°.)

« .. *Preposito sancti Angeli Reatini ac magistris Bartholomeo de Florent[ia] Londoniensis ac Johanni de Reate, Patracensis canonicis ecclesiarum*. Dilectus filius Berardus — Dat. Laterani, XV kalendas martii, anno I°. »

417 Au Latran, 20 janvier 1304.

Cum Vanuzulo, nato Manentis de Trevio, clerico Spoletanæ diocesis, dispensat ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et beneficia ecclesiastica obtinere. (n° 368 A, fol. 87.)

« *Vanuzulo, nato dilecti filii nobilis viri Manentis de Trevio, clerico Spoletane diocesis*. Illegitime genitos — Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

418 Au Latran, 18 décembre 1303.

Priori et conventui ordinis Prædicatorum Ferrariensibus indulget, ut de usuris, rapinis, aliisque male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant. (n° 368 B, fol. 87; POTTH., n° 25322.)

« .. *Priori et conventui ordinis fratrum Predicatorum Ferrariensibus*. Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, XV kalendas januarii, anno primo. »

419 Au Latran, 25 janvier 1304.

Christi fidelibus, qui ad refectionem ecclesiæ monasterii s. Memmii Cathalaunensis, ordinis s. Augustini, nimia vetustate consumptæ manum porrexerint adjutricem, indulgentiam quadraginta dierum elargitur. (n° 369, fol. 87.)

« *Universis Christi fidelibus per Remensem, Cathalaunensem et Trecensem civitates et dioceses constitutis*. Ecclesiarum fabricis — Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno primo. »

420 Au Latran, 2 mars 1304.

Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Lombardia declarat quid agendum sit, si episcopi diocesani et inquisitores sejunctim quæstionem criminis hæreseos habuerint. (n° 370, fol. 87; POTTH., n° 25381.)

« .. *Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia*. Ex eo quod quedam novella constitutio super negotio heretice pravitatis a bone memorie Bo[nifatio] papa VIII, predecessore nostro, edita continet, quod in ipso negotio per diocesanos episcopos et inquisitores super eodem facto inquiri valeat communiter vel divisim, et si divisim pro-

1. Ms : « ipsis. »

cesserint, teneantur sibi invicem communicare processus, nos consulere voluistis quando et quotiens sit ista processuum communicatio facienda.

Nos autem de fratrum nostrorum consilio, intelligendo diocesanos et inquisitores tunc demum divisim procedere, cum hii et illi separatim, non quando episcopi tantum vel inquisitores tantum procedunt, consultationi vestre breviter respondemus : quod, quando utrique procedunt sejunctim, sibi debent in fine tamen, dum nil restat agendum nisi quod sententia promulgetur, communicare processus. Licet enim quibusdam potuisset videri per legem civilem, quod, sicut quando aliquis ex actitatis [1] coram alio debet ferre sententiam (ut puta quando administrator delegat alii causam sibi sententia reservata), saltem in principio id est contestatione, rursus in medio et semel in fine que sunt examinata audire debet, ita (et in casu presenti ubi ex actis coram alio habitis alter profert sententiam) sic ter hujusmodi acta recenseat, quod fieri non potest si eorum denegetur editio, tamen id equitas canonum non admisit. Unum sane casum excipimus, si alter comode non possit procedere, nisi alterius actis visis : ex hac enim causa semel tantum, ut fraudi locus non fiat, in toto negotio copia tribuatur.

Verum quia nonnulli diocesani partem partis proventuum de hereticorum bonis inquisitionis officio deputate, propter expensas quas dum inquirunt in sepedicto negotio faciunt, a vobis exigere moliuntur, hoc tanquam juri absonum, cum ordinarii sit ideoque officium tale quod eis incumbit propriis oportet eos explere stipendiis, fieri penitus inhibemus. Rationem autem iidem diocesani proventuum [et] obventionum ex inquisitionis officio a vobis, non obstante aliqua constitutione, consuetudine vel mandato contrariis, non exposcant, sed eam camere nostre vel alii, cui nos vel successores nostri Romani pontifices mandaremus reddendam, reddatis. Que generaliter observari jubemus. Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

421 Au Latran, 8 février 1304.

Cintio, nato Johannis Arletti de Urbe, confertur canonicatus præbendaque reservatur in ecclesia Turonensi. Dispensatur quoque cum eodem super pluralitate beneficiorum. (n° 371, fol. 87.)

« *Cintio, nato quondam dilecti filii nobilis viri Johannis Arletti de Urbe, canonico Turonensi.* Nobilitas generis — Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

1. Corriger : ex actis; à moins qu'on ne veuille considérer *actitatis* comme le fréquentatif de *actis*.

In e. m. .. majoris monasterii et .. sancti Juliani Turonensis monasteriorum abbatibus ac .. archidiacono Drocensi in ecclesia Carnotensi.

422 Au Latran, 18 janvier 1304.

Licentiam elargitur construendi Tholosæ in burgo s. Saturnini oratorium seu capellam in honorem s. Orientii. (n° 372, fol. 87 v°.)

« *.. Priori et conventui monasterii sancti Orientii Auxitani per priorem soliti gubernari, ordinis Cluniacensis.* Petitio vestra nobis exhibita continebat quod Guillelma Palme, mulier Tholosana, propter immensam devotionem et reverentiam quam habebat ad beatum Orientium confessorem, cujus corpus in vestro monasterio ut dicitur requiescit, quasdam domum et possessiones alias consistentes in burgo monasterii sancti Saturnini Tholosani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, tunc ad eam spectantes, vobis et monasterio vestro pro anime sue remedio pia et provida liberalitate donavit, ut inibi construeretur oratorium seu capella, in qua deberent divina officia celebrari. Quare nobis humiliter supplicastis ut vobis, qui parati estis in dicta domo juxta votum dicte Guillelme oratorium construere seu capellam, construendi hujusmodi oratorium inibi seu capellam, in quo vel in qua possitis divina officia facere celebrari, et in eo vel in ea habere campanam, jure tamen parrochialis ecclesie in aliis semper salvo, licentiam concedere dignaremur.

Nos itaque augeri cultum divini nominis cupientes, vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate apostolica tenore presentium licentiam concedimus postulatam, ita quod in aliis juri parrochialis ecclesie vel alterius cujuscumque nullatenus derogetur; non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, litteris apostolicis, sub quavis forma verborum .. abbati et conventui dicti monasterii sancti Saturnini vel aliis quibuscumque concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris habenda esset mentio specialis, et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XV kalendas februarii, anno primo. »

423 Au Latran, 28 février 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Parmensibus confirmat quædam ædificia, ipsorum loco contigua, quæ abbas et conventus monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, ad quos dicta ædificia pertinebant, eisdem fratribus concesserunt sub certis conditionibus. (n° 373, fol. 87 v°.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Parmensibus.* Cum a nobis petitur, etc., usque : perducatur effectum.

Nuper siquidem vobis nobis intimantibus quod dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, habebant quedam casamenta, domos et alia edificia loco vestro contigua, que vobis pro jamdicti loci ampliatione erant accomoda et etiam oportuna, quodque dicti abbas et conventus illa vobis erant parati concedere, dummodo pro recompensatione ipsorum hospitale de Ponte Taronis, dicte diocesis, pertinens ad ecclesiam Parmensem, concederetur eisdem nostraque interveniret licentia in premissis, nos cupientes vestris necessitatibus providere, venerabili fratri nostro Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario, nostris mandavimus litteris ut ipsis abbati et conventui concedendi vobis casamenta, domos et alia edificia supradicta auctoritate nostra licentiam largiretur, ipsisque, prius quam hoc fecissent, in recompensatione[m] illorum hospitale predictum ob reverentiam nostram concederet sub certis conditionibus et modis, qui in dictis litteris exprimuntur.

Cum itaque frater Johannes Borrinus, prior et syndicus dicti monasterii, super hoc mandatum habens ab abbate et conventu predictis, licentia ei super hoc per dictum episcopum litterarum ipsarum auctoritate concessa, casamenta, domos et edificia supradicta vobis contulerit [1], ac in recompensationem pro illis postmodum hospitale predictum receperit [2] ab episcopo prelibato, prout in instrumento publico super hujusmodi concessione vobis facta confecto plenius continetur, nos vestris supplicationibus inclinati, concessionem eandem vobis factam ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus, supplentes defectum si quis ex eo fuerit in eadem concessione vobis facta, quod idem syndicus mandatum non habuerit ad ea facienda sufficiens, de apostolice plenitudine potestatis. Tenorem vero dicti instrumenti presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Rome, 18 février 1304.

« In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem » M°CCC°IIII°, indictione secunda, die martis XVIII° februarii, pontificatus domini Benedicti pape XI anno » primo, in presentia mei notarii et testium subscriptorum, religiosus vir frater Johannes Borrinus, prior monasterii de Fontanaviva, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, syndicus.. abbatis et conventus ejusdem » monasterii, habens ab eis ad infrascripta facienda mandatum, prout in instrumento syndicatus ejus a me notario viso et lecto plenius continetur, constitutus in » presentia reverendi patris domini Pap[iniani], Dei gratia » episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, qui auctoritate sanctissimi patris et domini » Benedicti divina providentia pape XI sibi concessa per » litteras speciales, filo canapis et vera bulla ipsius domini » pape bullatas, a me notario visas et lectas, dicto syndico syndicario nomine predictorum dedit licentiam concessionem que sequitur faciendi, dedit, tradidit et » concessit pure, libere, simpliciter et irrevocabiliter » imperpetuum.. priori et fratribus ordinis Predicatorum » Parmensibus quedam casamenta, domos et alia edificia, que predicti abbas et conventus habebant in civitate Parme, loco et domibus fratrum ipsorum contigua, » pro ampliatione loci eorum accomoda et etiam oportuna, ad habendum, tenendum et possidendum ac » quicquid predictis priori et fratribus, qui nunc sunt » et fuerint in futurum in loco ipsorum predicto, deinceps perpetuo placuerit faciendum, cum omnibus » que infra seu intra predicta casamenta, domos et alia » edificia continentur accessibus et egressibus suis usque in vias publicas omnique jure et actione, usu seu » requisitione sibi ex eis vel pro eis rebus aut ipsis rebus quomodolibet pertinente : que quidem casamenta, » domos et edificia se ipsorum prioris et fratrum Predicatorum nomine constituit possidere, donec ipsarum » rerum possessionem acceperint corporalem, quam accipiendi sua auctoritate et retinendi deinceps licentiam » omnimodam eis dedit, promittens syndicario nomine » predictorum .. abbatis et conventus mihi notario, stipulanti nomine et vice .. prioris et fratrum Predicatorum, » predictam concessionem et omnia et singula suprascripta perpetuo firma et rata habere et tenere et perpetuo contra non venire per se vel alium, aliqua causa vel » ingenio, de jure vel de facto, nec ipsam concessionem » ingratitudinis vel alia causa aliqua revocare, sub pena » extimationis rerum predictarum, stipulatione premissa, » et refectione dampnorum et expensarum litis et ext[imationis] et obligatione omnium bonorum dicti monasterii de Fontanaviva, qua pena soluta vel non soluta, » predicta omnia et singula firma et rata perdurent. Act. » Rome apud Lateranum in domo cancellarie, presentibus discretis viris dominis Johanne de sancto Martino » Iporiensi et Valino de Silavengo Novariensi canonicis, » ac Guillelmo Becuto et Symone de Pellizonis de Taurino, capellanis dicti domini episcopi vicecancellarii, » et pluribus aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis. » Et ego Ottobonus de Arnulphis, clericus Pergamensis, » publicus imperiali auctoritate notarius et prefati domini

1. Ms : « contulerint. »
2. Ms : « receperint. »

» episcopi vicecancellarii scriba, predictis interfui eaque » scripsi et publicavi et meo signo consueto signavi et ad » majorem cautelam sigillum ipsius domini episcopi vi- » cecancellarii de mandato ipsius instrumento presenti » appendi. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et suppletionis, etc. Dat. Laterani, III kalendas martii, anno primo. »

424 Au Latran, 28 février 1304.

Abbati et conventui ejusdem monasterii Fontisvivi confirmat hospitale de Ponte Taronis, Parmensis diocesis, ad episcopatum Parmensem spectans, quod diocesanus episcopus ex auctoritate apostolica eisdem abbati et conventui concessit pro recompensatione ædificiorum, quæ ipsi abbas et conventus dederunt et tradiderunt fratribus ordinis Prædicatorum Parmensibus, ut plenius dicitur in epistola superiore. (n° 374, fol. 88.)

« .. *Abbati et conventui monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Nuper siquidem dilectis filiis .. priore et fratribus ordinis Predicatorum Parmensibus nobis intimantibus, quod vos habebatis quedam casamenta, domos et alia edificia loco et domibus ipsorum contigua, que ipsis pro dicti eorum loci ampliatione erant valde accomoda et etiam oportuna, queve parati eratis eis concedere dummodo vobis hospitale de Ponte Taronis, Parmensis diocesis, ad episcopatum Parmensem pertinens, in recompensationem concederetur illorum, nos venerabili fratri nostro Pap[iniano], episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario, nostris mandavimus litteris ut vobis concedendi dictis priori et fratribus casamenta, domos et alia edificia supradicta licentiam largiretur, ac postmodum, cum id fecissetis, in eorum recompensationem hospitale vobis concederet antedictum, ita tamen quod in eo servetur perpetuis temporibus hospitalitas consueta, ac fratres et sorores tunc inibi existentes in eo quoad vixerint remanere debeant et de ipsius proventibus sustentari, jure ipsius episcopi et episcopatus Parmensis in eodem hospitali nichilominus semper salvo.

Cumque frater Johannes Borrinus, prior et syndicus monasterii vestri, super hoc mandatum habens a vobis, obtenta prius super hoc licentia hujusmodi ab episcopo memorato, concessisset casamenta, domos et alia edificia prefata priori et fratribus antedictis, idem episcopus in recompensationem eorum hospitale predictum sub hujusmodi conditionibus eidem syndico nomine vestro recipienti concessit, annuo censu unius floreni auri in dicto hospitali sibi et suis successoribus, episcopis Parmensibus, in festo Assumptionis beate Marie Virginis annuatim solvendo, perpetuis temporibus, in signum dominii reservato, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius episcopi sigillo munito, plenius continetur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi vobis factam de eodem hospitali ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Tenorem vero dicti instrumenti presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Rome, 18 février 1304.

« In nomine Domini amen. Cum religiosus vir frater » Johannes Borrinus, prior et syndicus monasterii Fon- » tisvivi, Parmensis diocesis, ordinis Cisterciensis, de » licentia venerabilis patris domini Pap[iniani], Dei gratia » episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecan- » cellarii, concessa eidem syndico per ipsum dominum » episcopum auctoritate litterarum sanctissimi patris do- » mini Benedicti divina providentia pape XI, vera bulla » ipsius domini pape in filo canapis pendente bullatarum, » a me Ottobono infrascripto visarum et lectarum, dedis- » set hodie discreto viro fratri Guidoni de Miano, priori » fratrum Predicatorum Parmensi, nomine suo et ipso- » rum fratrum seu conventus et loci eorum recipienti, » quedam casamenta, domos et alia edificia, que predic- » tum monasterium habebat in civitate Parme, loco et » domibus ipsorum fratrum Predicatorum contigua, sicut » constat publico instrumento inde confecto per me no- » tarium predictum, dictusque dominus episcopus habe- » ret per easdem litteras apostolicas in mandatis ut ipse, » hujusmodi donatione facta, in recompensationem pre- » dictorum ob reverentiam Sedis Apostolice concederet » .. abbati et conventui memoratis hospitale de Ponte » Taronis, Parmensis diocesis, ad episcopatum Parmen- » sem pertinens, sub modis seu conditionibus infrascrip- » tis, idcirco idem dominus episcopus volens mandato » apostolico hujusmodi satisfacere humiliter et parere, » dedit et concessit ob reverentiam dicte Sedis et in re- » compensationem hujusmodi predicto fratri Johanni, » priori et syndico, nomine predictorum abbatis et con- » ventus monasterii Fontisvivi quorum est syndicus reci- » pienti, et per eum ipsis abbati, conventui et monasterio » hospitale predictum de Ponte Taronis, cum omnibus » domibus, edificiis, grangiis seu membris, terris, pos- » sessionibus, tenimentis et juribus ad hospitale spectan- » tibus memoratum, ad habendum, tenendum et possi- » dendum per eos perpetuo cum omnibus que infra dicti » hospitalis et bonorum ipsius continentur confines ac- » cessibus et egressibus suis, ita videlicet quod in eo

» servetur perpetuis temporibus hospitalitas consueta, ac » fratres et sorores nunc existentes ibidem in eo quoad » vixerint maneant de ipsius hospitalis proventibus subs- » tentandi, jure ipsius domini episcopi et episcopatus » Parmensis in eodem hospitali nichilominus semper » salvo, et annuo censu unius floreni auri in ipso hospitali » prefato domino episcopo et suis successoribus, episco- » pis Parmensibus, in festo Assumptionis beate Marie » Virginis annuatim solvendo, perpetuis temporibus in » signum dominii reservato. Act. Laterani in domo can- » cellarie, anno dominice Nativitatis M°CCC°IIII°, indic- » tione secunda, die martis XVIII februarii, pontificatus » vero sanctissimi patris domini Benedicti pape XI anno » primo, presentibus discretis viris dominis Johanne de » sancto Martino Iporiensi et Valino de Silavengo Nova- » riensi canonicis ac Guillelmo Becuto et Symone de » Pellizonis de Taurino, predicti domini episcopi capel- » lanis, testibus ad predicta vocatis. Et ego Ottobonus, » etc., ut supra. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. ut supra. »

425 Au Latran, 28 février 1304.

Episcopo Parmensi de suprascriptis significat et mandata dat. (n° 375, fol. 88 v°.)

« *Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario.* Nuper dilectis filiis .. priore et fratribus ordinis Predicatorum Parmensibus nobis intimantibus, quod .. abbas et conventus monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, tue diocesis, quedam habebant casamenta, domos et alia edificia loco et domibus ipsorum prioris et fratrum contigua, que ipsis priori et fratribus pro jamdicti eorum loci ampliatione erant valde accomoda et etiam oportuna, quodque ipsi abbas et conventus parati erant illis ea concedere, dummodo pro recompensatione illorum hospitale de Ponte Taronis, dicte diocesis, ad te pertinens, concederetur eisdem nostraque interveniret licentia in premissis, nos tibi litteris nostris mandavimus, ut eidem abbati et conventui concedendi casamenta, domos et alia edificia supradicta dictis priori et fratribus auctoritate nostra licentiam largires [1] eisque, cum id fecissent, in recompensationem illorum ob reverentiam nostram hospitale concederes antedictum, ita videlicet quod hospitalitas consueta perpetuis ibi temporibus servaretur, et fratres ac sorores tunc inibi existentes in eo quoad viverent remanerent de ipsius proventibus substentandi, jure tuo et episcopatus Parmensis in eodem hospitali nichilominus semper salvo.

Cum autem postmodum frater Johannes Borrinus, prior et syndicus monasterii memorati, habens super hoc a jamdictis abbate et conventu mandatum, obtenta super hoc a te litterarum predictarum auctoritate licentia, casamenta, domos et edificia predicta priori et fratribus predictis concesserit, tuque ipsis abbati et conventui in eorum recompensationem, sub hujusmodi conditionibus et certo annuo censu, prefatum concesseris hospitale, nosque hujusmodi concessiones duxerimus confirmandas, supplentes defectum, si quis ex eo fuerit in eisdem quod dictus syndicus mandatum non habuerit ad id faciendum sufficiens, de apostolice plenitudine potestatis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos priorem et fratres in possessionem casamentorum, domorum et edificiorum, predictos vero abbatem et conventum in possessionem hospitalis, jurium et pertinentiarum predictorum per te vel alium seu alios inducas auctoritate nostra et defendas inductos, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc. Dat. ut supra. »

1. Ms : « largiretis. »

426 Au Latran, 31 janvier 1304.

Vacante Bambergensi ecclesia per mortem Lupoldi episcopi, Wulvingus, Laventinus episcopus, ad prædictam Bambergensem ecclesiam transfertur. (n° 376, fol. 88 v°; * Potth, 25352.)

« *Venerabili fratri Wulvingo, episcopo Bambergensi.* Romani pontificis, quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit, ut circa cujuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, ut per ejus providentiam circumspectam, nunc per simplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis accomode, prout locorum et temporum qualitas exigit, ecclesiis pastor accedat ydoneus et gubernator providus deputetur, ut ecclesie ipse superni favoris adjute presidio votive prosperitatis successibus gratulentur.

Vacante siquidem dudum ecclesia Bambergensi per obitum bone memorie Lupoldi, episcopi Bambergensis, dilectis filiis .. preposito, .. decano et capitulo ejusdem ecclesie convenientibus insimul, die ad hoc prefixa, pro futuri substitutione pastoris, ac in plures dirigentibus vota sua, duas ibi contigit electiones, unam videlicet de

Johanne dicte Bambergensis et alteram de magistro Gerlaco in Volkenmarket, Salzburgensis diocesis, ecclesiarum prepositis, in discordia celebrari.

Cum idem Johannes, electioni de se facte consentiens, ad Sedem Apostolicam accessisset pro ejusdem sue electionis negotio prosequendo, Octo de Orlamunde et Lupoldus de Eglosistein, canonici dicte ecclesie, qui fuerant de electoribus dicti Gerlaci et ad hujusmodi prosequendum negotium ad Sedem ipsam accesserant, dicto Gerlaco, qui tunc apud Sedem consistebat eandem, tali electioni de se facte consentire nolente, ad prefatum Johannem, suo et aliorum qui dictum Gerlacum elegerant nomine, a quibus super hoc habebant mandatum sufficiens, accesserunt. Nosque deinde examinationem persone dicti Johannis ac formam hujusmodi sue electionis venerabili fratri J[ohanni], Portuensi episcopo, et dilectis filiis nostris J[ohanni], tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero, ac L[uce], sancte Marie in Via Lata diacono cardinalibus, duximus committendam. Sed idem Johannes postmodum in manibus dictorum episcopi et cardinalium omne jus, si quod ei ex predicta electione facta de ipso fuerat acquisitum, sponte ac libere resignavit.

Nos itaque hujusmodi resignatione admissa, de provisione dicte ecclesie Bambergensis, ne ulterioris vacationis dispendia pateretur, sollicite cogitantes, post deliberationem quam super hoc habuimus diligentem, ad te episcopum Laventinum, quem diversis muneribus gratiarum novimus insignitum, convertimus oculos nostre mentis, ac proinde tam ipsi ecclesie Bambergensi quam gregi dominico providere salubriter intendentes, te a vinculo quo teneris ecclesie Laventine prorsus absolvimus et ad prefatam ecclesiam Bambergensem transferimus de episcopi Portuensis, cardinalium predictorum et aliorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, preficiendo te ipsi Bambergensi ecclesie in episcopum et pastorem, plenam tibi concedendo licentiam ad eandem ecclesiam Bambergensem libere transeundi, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod, cum sis vir litterarum scientia preditus, morum honestate decorus, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, memorata ecclesia Bambergensis per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam, gratia tibi suffragante divina, salubriter et prospere dirigetur ac spiritualibus et temporalibus auctore Domino proficiet incrementis.

Suscipiens itaque reverenter impositum a Domino tibi onus, solicitam ipsius Bambergensis ecclesie curam geras, gregem dominicum in illa tue gubernationi commissum doctrina verbi et operis juxta datam tibi ex alto prudentiam informando, ita quod eadem ecclesia Bambergensis tue vigilantie studio votivis proficiat commodis et successibus prosperis augeatur. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. preposito, .. decano et capitulo ecclesie Bambergensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Bambergensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Bambergensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Bambergensis.

In e. m. A[lberto], regi Romanorum illustri.

427 Au Latran, 3 mars 1304.

Uberto de Mazadio, comiti Valpergæ, et Jacobinæ ejus uxori indulget, ut in matrimonio contracto libere remaneant, non obstante quod dictus Ubertus, priusquam uxorem duxit, quandam mulierem præfatæ Jacobinæ conjunctam quarto consanguinitatis gradu carnaliter cognovit. (n° 377 A, fol. 89.)

« *Dilecto filio nobili viro Uberto de Mazadio, comiti Valperge, et dilecte in Christo filie Jacobine, nate dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Castronovo comitis de sancto Martino, uxori ejus, Yporiensis diocesis.* Sedis Apostolice circumspecta — Dat. Laterani, V nonas martii, anno primo. »

428 Au Latran, 13 janvier 1304.

Dispensat cum Nicolao, nato Adalgerii de Glemona, clerico diocesis Aquilegensis, ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficia obtinere. (n° 377 B, fol. 89.)

« *Nicolao, nato dilecti filii Adalgerii de Glemona, clerico Aquilegensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

429 Au Latran, 31 janvier 1304.

Queritur de abbate et conventu monasterii s. Ansardi, Caturcensis diocesis, et de quibusdam aliis, qui Thomam Bruneti de Murro, priorem prioratus de Gazarano, Tholosanæ diocesis, contra justitiam impediunt quominus possessionem obtineat prioratus supradicti, nec non excommunicationum et interdicti sententias, quas olim hujusmodi occasione incurrerunt, sustinent animis induratis. Mandat igitur, ut ad comparendum coram conspectu apostolico citentur pro meritis recepturi et facturi super præmissis quod justitia suadebit. (n° 378, fol. 89.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Caturcensi et dilectis filiis Bernardo de Narcesio ac Bernardo de Livernone, canonicis*

Caturcensibus. Insolens et effrenis presumptio et presumptuosa insolentia in quibusdam perversis per impunitatis licentiam sic excrevit, quod irreverenter mandatis Sedis Apostolice refragantes et nitentes vesana superbia contra stimulum calcitrare, ad illos excessus prorumpere non formidant, quibus esset culpabile ultionem debitam relaxare.

Sane petitio dilecti filii Thome Bruneti de Murro, germani venerabilis fratris nostri J[ohannis], episcopi Portuensis, prioris prioratus de Gazarano, Tholosane diocesis, nobis exhibita continebat, quod cum olim idem prioratus qui *Decimarum* vulgariter nuncupatur, consuetus clericis secularibus assignari, spectans ad collationem .. abbatis et conventus monasterii sancti Ansardi, Caturcensis diocesis, quem venerabilis frater noster Egidius, Rodonensis episcopus, consecrationis sue tempore obtinebat, per consecrationem ipsius apud Sedem Apostolicam vacavisset, felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us, predecessor noster, cum non esset alius preter eum qui prioratum ipsum conferre valeret, constitutione felicis recordationis C[lementis] pape IIII^ti, predecessoris nostri, super beneficiis ecclesiasticis apud Sedem ipsam vacantibus per Romanum dumtaxat pontificem conferendis edita obsistente, pro eo quod a tempore vacationis hujusmodi nondum unius mensis spatium erat elapsum juxta moderationem pie memorie G[regorii] pape X, predecessoris nostri, super hoc adhibitam in generali Concilio Lugdunensi, prioratum ipsum sic vacantem cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Thome auctoritate apostolica contulit et providit etiam de eodem, .. cantore ecclesie sancte Radegundis Pictavensis ejusque collegis prefato Thome super hoc per ipsius predecessoris Bo[nifatii] litteras executoribus deputatis.

Sed prefati abbas et conventus se ad excogitatam malitiam convertentes, prioratum predictum, quanquam eis de hujusmodi collatione constaret, Pontio Molinerii de Montealbano, clerico dicte diocesis, patienti in ordinibus et etate defectum, pro quadringentis libris Turonensium quas Geraldus Molinarius laicus, pater dicti Pontii, propter hoc dictis abbati et conventui mutuasse dicitur, in elusionem et contemptum Sedis Apostolice contulerunt. Et licet dictus cantor qui solus in hujusmodi executionis negotio, prout ex forma dictarum litterarum poterat, procedebat, predictum Thomam in corporalem possessionem dicti prioratus mandaret induci juxta traditam sibi formam, tamen predicti abbas et conventus dictique Giraldus et Pontius, ejus filius, in concepta nequitia persistentes seque super hoc dicto Thome temere opponentes, eundem Thomam quominus hujusmodi possessionem assequi posset impedire contra justitiam presumpserunt; propter quod dictus cantor in dictum abbatem et in Raynaldum Maurisii, Robertum de la Roberia et Guillelmum de sancto Bausilio, monachos ejusdem monasterii, quos magis pertinaces invenit, ac in dictos Giraldum et Pontium, ejus filium, excommunicationis et in dictum conventum interdicti sententias, canonica monitione premissa, exigente justitia promulgavit ipsosque fecit excommunicatos publice nuntiari, quas ipsi dampnabiliter contempnentes, eas per quadriennium et amplius sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis. Ac nichilominus dicti abbas et monachi dictusque Pontius divina officia sicut prius celebrare et se illis immiscere presumunt in animarum suarum periculum, ecclesiastice discipline contemptum, plurimorum scandalum et dicti Thome prejudicium et gravamen. Et ut dictum Thomam, fatigatum laboribus et exhaustum expensis, cum ipsis dampnosas pactiones inire compellant invitum, procurarunt quod idem Pontius a processibus dicti cantoris ad Sedem Apostolicam ex quibusdam causis frivolis appellavit, qui pretextu appellationis hujusmodi prefatum Thomam coram diversis auditoribus apud dictam Sedem diutius litigare coegit, ac nichilominus predictum prioratum una cum dicto Giraldo patre ipsius occupavit et occupatum detinet, bona illius delapidans enormiter et consumens, ac nonnulla alia contra dictum Thomam committens enormia, que in contemptum prefate Sedis redundant et homines scandalizant.

Nolentes igitur, sicut etiam non debemus, tante presumptionis excessum sub dissimulatione transire, ne transeat [1] presumptoribus in exemplum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium aut alios prefatos abbatem et conventum ac dictos Giraldum et Pontium ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi predicti abbas et monachi ac prefati Giraldus et Pontius personaliter dictique conventus per procuratorem ydoneum, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, apostolico se conspectui representent pro meritis recepturi, ac facturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

430 Au Latran, 16 novembre 1303.

Archiepiscopo Maguntino mandat, ut ecclesiam monasterii monialium de Clarendale, ordinis s. Claræ, quod Adolphus rex

1. Ms : « transerat. »

et Imagina regina Romanorum olim construxerint et dotaverint, ad requisitionem ipsius regine sine difficultate consecret. (POTTH., nos 25343 et 26028 [1].) — Quod si facere distulerit, mandatum illud impleat archiepiscopus Treverensis. (no 379, fol. 89 vo.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Maguntino.* Petitio carissime in — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

« In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Treverensi. Petitio carissime — Dat. ut supra. »

431 Au Latran, 13 janvier 1304.

Restituatur Radulphus, olim prior prioratus de Flawigneio, Tullensis diocesis, ad administrationem dicti prioratus, a qua remotus fuerat sine rationabili causa. (no 380, fol. 89 vo.)

« *Dilectis filiis .. decano sancti Theobaldi prope muros Metenses et .. archidiacono ac .. cancellario majoris Metensis ecclesiarum.* Ex parte dilecti filii Radulfi, olim prioris prioratus de Flawignеio, Tullensis diocesis, ad monasterium sancti Vitoni Virdunensis, ordinis sancti Benedicti, immediate spectantis, fuit propositum coram nobis, quod .. abbas ipsius monasterii nuper eundem Radulfum ab administratione dicti prioratus, quam diu laudabiliter gessit, ut venerabilis fratris nostri .. episcopi Virdunensis in hac parte placeret ut dicitur voluntati, qui adversus dilectum filium .. primicerium Metensem, fratrem ipsius Radulfi, ea occasione rancorem concepit quod idem primicerius, olim Virdunensis electus, electionis sue causam contra dictum episcopum extitit rationabiliter prosecutus, removit pro sue libito voluntatis.

Nos igitur nolentes dictum Radulfum, cui de nobilitate generis, religionis observantia, honestate morum et vite ac aliis virtutum meritis laudabile a fidedignis testimonium perhibetur, eodem prioratu remanere taliter destitutum, sed eum super hoc gratiose prosequi intendentes, eidem abbati nostris damus litteris in mandatis ut, si est ita, prefatum Radulfum sine more dispendio ad administrationem restituatis supradictam ipsumque in corporalem possessionem dicti prioratus reducatis et reductum defendatis, contradictores, etc., non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, aut interdici nequeant vel suspendi per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

1. Potthast a mentionné deux fois cette bulle, d'abord d'après Wadding sous la fausse date du 17 janvier 1304, puis d'après une expédition originale des archives d'Idsteim (Nassau) sous la date du 16 novembre 1303, date conforme à celle de notre registre. Il n'a pas remarqué qu'il avait affaire à une seule et même pièce.

432 Au Latran, 27 février 1304.

Consideratione Andreæ Garreti, juris civilis professoris, Stephano, ejus filio, confertur canonicatus et prebenda reservatur in ecclesia Lexoviensi. (no 381, fol. 89 vo.)

« *Stephano, nato dilecti filii Andree Garreti juris civilis professoris, canonico Lexoviensi.* Sincere devotionis affectus — Dat. Laterani, IIII kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. priori sanctorum Apostolorum Astensis et .. Yporiensis ac .. sancti Secundi de Mercato Astensis ecclesiarum prepositis.

433 Au Latran, 30 janvier 1304.

Valeat Petrus Baudrici, rector ecclesiæ b. Mariæ de Beceda, Apamiarum diocesis, dictam ecclesiam de cætero retinere, dummodo se faciat ad sacerdotium promoveri, non obstante autem quod a monasterio Electensi, Narbonensis diocesis, pensionem tringinta librarum Turonensium parvorum annuatim percipit. (no 382 A, fol. 90.)

« *Petro Baudrici presbytero, rectori ecclesie beate Marie de Beceda, Appamiarum diocesis.* Probitatis merita — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

434 Au Latran, 6 février 1304.

Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam b. Mariæ de Podio Serdani, Urgellensis diocesis, in singulis ipsius Virginis festivitatibus. (no 382 B, fol. 90.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Gloriosus Deus — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno Io. »

435 Au Latran, 1er mars 1304.

Indulgentia pro visitantibus ecclesiam b. Mariæ Virginis de Caritate de Arena civitatis Paduæ. (no 382 c, fol. 90.)

« *Eisdem.* Vite, etc., usque : collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Deo, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad ecclesiam beate Marie Virginis de Caritate de Arena Paduane imploraturi a Deo delictorum veniam in humilitate spiritus [1] accedatis.

Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dic-

1. Voyez la note de la colonne 134.

tam ecclesiam in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis ipsius Virginis festivitatibus annuatim, unum annum et XL dies, per octo vero dies festivitates ipsas immediate sequentes venerabiliter visitarint, centum dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, kalendis martii, anno primo. »

436 Au Latran, 12 décembre 1303.

Hospitali prope ecclesiam s. Mariæ ad Gradus Viterbiensis, ordinis fratrum Prædicatorum, quod nobilis vir Visconta dictus Gattus, miles Viterbiensis, sub vocabulo domus Dei de bonis propriis fecit construi, confirmat privilegia eidem a Bonifatio VIII concessa atque ampliat. (nº 383, fol. 90; POTTH., nº 25320.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Devotorum vota que — Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

437 Au Latran, 12 décembre 1303.

Quandam apostolicam dispositionem confirmat, qua Bonifatius VIII priorem et conventum cœnobii s. Mariæ ad Gradus Viterbiensis, ordinis Prædicatorum, a jurisdictione et potestate diocesani episcopi exemptos declaravit, statuens ut de cætero fratribus ejusdem ordinis Astensibus subjaceant. Ipsos monet et hortatur ut ad prosperum statum prædicti cœnobii diligenter intendant. (nº 384, fol. 90 vº.)

« .. *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum sancte Marie ad Gradus Viterbiensis.* Devotorum vota, etc. — Dat. ut supra. »

438 Au Latran, 14 février 1304.

Fratribus ordinis Prædicatorum Astensibus indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant. (nº 385 A, fol. 90 vº.)

« .. *Prioribus et fratribus Predicatoribus Astensibus.* Ut circa ea — Dat. Laterani, XVI kalendas martii, anno primo. »

439 Au Latran, 14 février 1304.

Valeat clericus quidam Astensis omnes ordines recipere et ecclesiasticum beneficium etiam cum cura obtinere, non obstante natalium defectu. (nº 385 B, fol. 90 vº.)

« *Georgio, nato dilecti filii nobilis viri Guillelmi Alferii, clerico Astensi.* Illegitime genitos — Dat. ut supra. »

440 Au Latran, 13 février 1304.

Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesias locorum ordinis Prædicatorum in singulis b. Mariæ Virginis, s. Dominici confessoris et s. Petri martyris festivitatibus annis singulis visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (nº 386, fol. 91; POTTH., nº 25365.)

« *Indulgentia generalis pro ordine Predicatorum* [1]. »

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* In ordine fratrum — Dat. Laterani, idibus februarii, anno primo. »

441 Au Latran, 5 février 1304.

Priorissæ et sororibus monasterii s. Dominici Imolensis, ordinis s. Augustini, sub cura fratrum Prædicatorum viventibus indulget, ut ad præstationem decimarum, vel ad exhibendum pedagia minime teneantur. (nº 387, fol. 91; POTTH., nº 25354.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii sancti Dominici Ymolensis, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus.* Sacra vestra religio — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

442 Au Latran, 5 février 1304.

Priorissam et sorores monasterii s. Petri martyris de Regio, ordinis s. Augustini, magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali provinciæ Lombardiæ Inferioris committit. Easdem ab episcopi Regini et cujuslibet alius jurisdictione ac potestate prorsus eximit. (nº 388 A, fol. 91.)

« *Dilectis in Christo filiabus.. priorisse et sororibus monasterii sancti Petri de Regio, ordinis sancti Augustini.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. ut supra. »

443 Au Latran, 5 février 1304.

Magistro et priori provinciali provinciæ Lombardiæ Inferioris ordinis fratrum Prædicatorum scribit de eodem argumento. (nº 388 B, fol. 91.)

« .. *Magistro et.. priori provinciali provincie Lombardie Inferioris ordinis fratrum Predicatorum.* Apostolice Sedis — Dat. ut supra. »

444 Au Latran, 18 février 1304.

Priorissa et sorores monasterii s. Mariæ Magdalenæ juxta muros Basilienses magistro et priori provinciali provinciæ Theotoniæ ejusdem ordinis similiter committuntur. (*Ibid.*)

1. Ces mots sont écrits en marge à l'encre rouge.

« In e. m. .. priorisse et sororibus monasterii sancte Marie Magdalene juxta muros Basilienses. Apostolice Sedis, etc., ut in secunda superiori usque : provinciali provincie Theotonie ipsius ordinis, etc., usque : Dat. Laterani, XII kalendas martii, anno primo. »

« In e. m. .. magistro et.. priori provinciali provincie Theotonie ordinis fratrum Predicatorum. Apostolice Sedis benignitas, etc., ut in secunda usque in finem. Dat. ut supra. »

445 Au Latran, 6 février 1304.

Bartholomæo clerico, Thomæ Stephani civis Romani filio, conceditur tabellionatus officium. — Concessio eadem alii facta. (n° 389, fol. 91.)

« *Bartholomeo, nato quondam Thome Stephani civis Romani, clerico in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno I°. »

« In e. m. pro Rogerio, nato quondam Guidocti de Balduinis de civitate Castelli, penitentiarie nostre scriptori. »

446 Au Latran, 5 mars 1304.

Confirmat litteras, quibus ipse dudum concesserat magistro Thomæ de Balliaco, Parisiensi canonico, ut quandiu Parisiis regeret in theologica facultate, posset præbendæ suæ per vicarium facere deserviri : dicit suæ esse intentionis ut prædicta gratia debitum sortiatur effectum, non obstante juramento quod præstitit dictus magister de ipsius præbendæ oneribus personaliter et non per alium exercendis. (n° 390, fol. 91 v°.)

« *Magistro Thome de Balliaco, canonico Parisiensi.* Dudum ex parte tua fuit expositum coram nobis quod tu, qui es in sacerdotii ordine constitutus, quandam sacerdotalem prebendam in Parisiensi ecclesia eras auctoritate apostolica assecutus, sed quia Parisius docebas in theologica facultate et predicationibus, lectionibus et disputationibus eras sepius occupatus, onera que ratione dicti ordinis ipsi prebende incumbunt non valebas personaliter exercere. Nos volentes te favore prosequi gratioso, auctoritate litterarum nostrarum tibi duximus indulgendum, ut quandiu Parisius regeres in facultate predicta, posses eidem prebende per ydoneum vicarium facere deserviri, qui hujusmodi gereret onera vice tua, et interim gerere eadem onera personaliter minime tenereris.

Verum quia in predictis nostris litteris non fuit facta mentio de juramento, quod personaliter prestitisti cum predictam recepisti prebendam, ut ipsius prebende onera personaliter et non per alium exerceres, hujusmodi gratia tibi non extitit fructuosa, nos volentes ut hujusmodi gratia debitum sortiatur effectum, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut quandiu sicut premittitur Parisius rexeris in facultate predicta, possis eidem prebende per ydoneum vicarium, prout in dicta ecclesia fieri consuevit, facere deserviri, qui hujusmodi gerat onera vice tua et interim gerere predicta onera personaliter minime tenearis, non obstante predicto juramento et aliis quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate vallatis, et quibuscumque Apostolice Sedis privilegiis et indulgentiis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus presentium impediri valeat vel differri. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, III nonas martii, anno primo. »

447 Au Latran, 4 mars 1304.

Indulget electo Noviomensi, ut in ecclesia sua recipi faciat in canonicos duas personas idoneas, eisque provideat de præbendis. (n° 391, fol. 91 v°.)

« *Andree, electo Noviomensi.* Illum te ad — Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

448 Au Latran, 4 décembre 1303.

Francisco Malcaciæ, capellano Albanensis episcopi, canonicatum confert in ecclesia Capuana, mandans insuper executoribus infrascriptis ut beneficium unum vel plura, cujus vel quorum annui redditus valorem quindecim unciarum auri non excedant, eidem Francisco in prædicta diocesi Capuana faciant assignari. (n° 392, fol. 91 v°.)

« *Francisco Malcacie presbytero, canonico Capuano.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

In e. m. Corrado de Auximo Aversane et Burdoni dicto Malcatie ac Petro dicto Castanea, Gaetane canonicis ecclesiarum.

449 Au Latran, 31 janvier 1304.

Johannes, canonicus basilicæ s. Mariæ Majoris de Urbe, ecclesiæ Pactensi præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem. (n° 393, fol. 92.)

« *Dilecto filio Johanni, electo Pactensi.* In suppreme dignitatis specula disponente Domino constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de personis illis provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria et virtute eedem ecclesie in suis juribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status et comodis salutis et gaudii plebs letetur.

Dudum siquidem felicis recordationis tam Martinus IIII quam Honorius IIII^us Romani pontifices, predecessores nostri, provisiones omnium ecclesiarum cathedralium, que a preterite turbationis seu rebellionis initio in insula Sicilie vacaverant et vacarent ibidem quandiu turbatio eadem perduraret, ordini et dispositioni Sedis Apostolice reservarunt, decernentes extunc irritum et inanc, si quod de predictis ecclesiis contra hujusmodi reservationum tenores scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eadem adhuc turbatione durante, Pactensi ecclesia per obitum bone memorie Pandulfi, Pactensis episcopi, pastoris solatio destituta, nos de ipsius ecclesie Pactensis ordinatione utili, ne prolixioris vacationis sustineret incomoda, mente vigili cogitantes, de venerabili fratre nostro Angelo, episcopo Mothonensi, eidem Pactensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis duximus providendum, preficientes eum ipsi ecclesie in episcopum et pastorem et absolventes ipsum a vinculo, quo Mothonensi ecclesie tenebatur, ac ad predictam ecclesiam Pactensem transferentes, liberam sibi ad illam transeundi licentiam concedendo. Sed postmodum idem frater Angelus omne jus [1], quod sibi ex translatione seu provisione hujusmodi competebat, ex certis causis rationabilibus libere in nostris manibus resignavit.

Nos itaque hujusmodi resignatione recepta, ejusdem Pactensis ecclesie, quam speciali affectione prosequimur, precavere dispendiis intendentes et considerantes attentius probitatis merita grandia quibus, prout habet fama laudabilis et multorum fidedigna profitetur assertio, nosceris insignitus, de te canonico basilice beate Marie Majoris de Urbe predicte Pactensi ecclesie de fratrum predictorum consilio et ejusdem potestatis plenitudine providentes, te illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma concepta fiducia quod, dirigente Domino actus tuos, eadem Pactensis ecclesia per tue providentie studium prospere dirigetur sibique salubria Domino largiente provenient incrementa.

Suscipiens itaque reverenter impositum a Domino tibi onus, sollicitam ipsius ecclesie curam geras, gregem dominicum in illa tue discretioni commissum doctrina verbi et operis juxta datam tibi ex alto prudentiam informando, ita quod eadem ecclesia per tue vigilantie studium votivis proficiat comodis et successibus prosperis augeatur. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

1. Ms : « omni juri. »

In e. m. .. decano et capitulo [1] ecclesie Pactensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Pactensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Pactensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Pactensis.
In e. m. Frederico, regi Trinacrie illustri.

450 Au Latran, 14 février 1304.

Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani libertates ac privilegia confirmat et communit. (n° 394 A, fol. 92.)

« *Dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia aut alias indulgentias vobis et Hospitali vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus et alias Christi fidelibus rationabiliter vobis et Hospitali predicto indultas, sicut eas juste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem Hospitali auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas martii, anno primo. »

451 Au Latran, 6 février 1304.

Libertates et privilegia domus Militiæ Templi Jerosolimitani similiter confirmat. (*Ibid.*, fol. 92 v°.)

« In e. m. dilectis filiis .. magistro et fratribus domus Militie Templi Jerosolimitani, sub dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo [2]. »

452 Au Latran, 14 février 1304.

Episcopum Massiliensem monet et hortatur, ut magistrum et fratres Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani contra molestatores tueatur ac protegat. (n° 394 B, fol. 92 v°.)

1. Ms : « priori et conventui. »
2. Cet *In e. m.* a été ajouté postérieurement sur la marge inférieure du manuscrit.

« *Venerabili fratri .. episcopo Massiliensi.* Si cunctos [1] sub religionis observantia militantes favore benivolo foveamus, tamen dilectos filios .. magistrum et fratres Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, qui mundanis illecebris salubriter abdicatis se divinis obsequiis devoverunt, se suaque pro illis exponere non verentes, favoris et gratie prerogativa prosequimur et ad ipsius Hospitalis solerter intendimus incrementum, moleste ferentes injurias et jacturas, que magistro et fratribus ipsis a quibuslibet inferuntur.

Cum itaque, sicut ad nostrum nuper pervenit auditum, magister et fratres predicti a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, in eorum personis et bonis multipliciter molestentur, nos volentes ipsorum magistri et fratrum providere quieti et perversorum conatibus obviare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem magistro et fratribus efficacis presidio defensionis assistens, non permittas ipsos in personis aut bonis eorum contra indulta privilegia Sedis Apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi, quicumque et cujuscumque religionis, conditionis aut status existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendo ;

Non obstantibus constitutionibus tam felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, quarum prima cavetur ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis auctoritate apostolica ad judicium evocetur, quam de duabus dietis in Concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur; seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari seu extra vel ultra certum locum ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi, eorum personis, locis vel ordinibus mentionem ; seu qualibet indulgentia dicte Sedis generali vel speciali, per quam tue jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, attentius provisurus ne de hiis, super quibus lis est forte jam mota seu que cause cognitionem exigunt et que personas et bona hujusmodi non contingunt, te nullatenus intromittas. Nos enim si secus presumpseris, tam presentes litteras quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate habere contigerit, omnino carere viribus et nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequaris, ut ejusmodi fines quomodolibet non excedas. Presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. Laterani, XVI° kalendas martii, anno primo. »

1. Ms : « cunctis. »

453 Au Latran, 18 janvier 1304.

Episcopo Aretino dat licentiam conferendi cuidam Bandino Fructi, civi Aretino, officium tabellionatus. (n° 395 A, fol. 92 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aretino.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, XV kalendas februarii, anno primo. »

454 Au Latran, 4 mars 1304.

Fratri Nicolao de Mileto, priori monasterii s. Anastasii de Urbe, curam committit et administrationem in spiritualibus et temporalibus exercendam monasterii Sublacensis, Tiburtinæ diocesis. (n° 395 B, fol. 92 v°.)

« *Fratri Nicolao de Mileto, priori monasterii sancti Anastasii de Urbe, Cisterciensis ordinis.* Ad statum monasterii Sublacensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Tiburtine diocesis, apostolice considerationis intuitum convertentes, ad ea libenter intendimus, per que monasterium ipsum preservetur a noxiis et ad salubria dirigatur.

Dudum siquidem Franciscus, abbas dicti monasterii, fuit certis ex causis per Apostolicam Sedem a spiritualium et temporalium administratione suspensus, et licet alique commissiones de administratione bonorum et exercitio jurisdictionis in terris dicti monasterii nonnullis personis facte fuisse dicantur, nos tamen ad reformationem status ejusdem monasterii paternis studiis intendentes plenamque gerentes de tua circumspectione fiduciam, quod tu illius comoda fideliter et utiliter promovebis, omnes commissiones hujusmodi penitus revocamus et curam et administrationem dicti monasterii ac bonorum ipsius in spiritualibus et temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus, per te usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis salubriter exercendas, tibique disponendi interim de bonis predictis, prout ejusdem monasterii utilitatibus noveris expedire, ac faciendi quecumque circa premissa fuerint oportuna, contradictores, etc., usque : compescendi, omni tamen alienationis tibi genere interdicto, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de in-

dulto hujusmodi mentionem, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus curam et administrationem hujusmodi sic solicite, prudenter et fideliter exequaris quod divine retributionis premium exinde consequi merearis, nosque devotionem tuam possimus propter hoc non immerito commendare. Dat. Laterani, iiii nonas martii, anno primo. »

In e. m. .. priori et conventui monasterii Sublacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Tiburtine diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii Sublacensis.

455 Au Latran, 3 mars 1304.

Facultas electo Rigensi conceditur contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium florenorum auri pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis. (nº 396, fol. 93.)

« *Dilecto filio fratri Frederico, electo Rigensi.* Cum sicut in — Dat. Laterani, v nonas martii, anno primo. »

456 Au Latran, 4 février 1304.

Christi fidelibus infradictarum diocesium hospitali s. Petri Senensis elemosynas et subsidia erogantibus indulgentiam centum dierum tribuit. (nº 397, fol. 93.)

« *Universis Christi fidelibus per Senensem, Florentinam et Aretinam civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, ii nonas februarii, anno primo. »

457 Au Latran, 29 février 1304.

Rectori in spiritualibus Campaniæ et Maritimæ mandat, ut magistrum Nicolaum, scriptorem apostolicum nec non rectorem ecclesiæ s. Leonardi de Casagentium, Alatrinæ diocesis, quem Alatrinus episcopus ab eadem ecclesia de facto privaverat, ipsam indebite cuidam alii conferendo, ad possessionem dictæ ecclesiæ restitui faciat ac nihilominus præfatum episcopum et alios dicti Nicolai molestatores peremptorie citet ad comparendum coram Apostolica Sede. (nº 398, fol. 93.)

« *Dilecto filio Gaspar de Montasia, canonico Cumano, Campanie Maritimeque in spiritualibus rectori.* Querelam venerabilis fratris nostri Radulphi patriarche et dilectorum filiorum .. prioris et capituli ecclesie Jerosolimitane nuper accepimus continentem, quod bone memorie Nicolaus patriarcha, ipsius Radulphi predecessor, et capitulum ejusdem ecclesie attendentes grata et devota servitia, que magister Nicolaus Bartholomei de Guarcino, scriptor noster, rector ecclesie sancti Leonardi de Casagentium, Alatrine diocesis, ipsis et eidem ecclesie Jerosolimitane in Romana curia impenderat hactenus et impendere poterat in futurum, predictam ecclesiam sancti Leonardi tunc vacantem et ad eorum comuniter collationem spectantem ipsi magistro Nicolao, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, motu proprio canonice contulerunt, quam idem magister N[icolaus] per duodecim annos et amplius tenuit et possedit pacifice et quiete, fructus, redditus et proventus percipiens ex eadem. Sed venerabilis frater noster Nicolaus, episcopus Alatrinus, predictam ecclesiam sancti Leonardi, ab ejus jurisdictione prorsus exemptam, ex arrupto sine alicujus cause cognitione, predicto magistro Nicolao non monito nec citato, immo absente sed non per contumaciam, Matheo, filio nobilis viri Maximi quondam Raynaldi de Trebis, civis Alatrini, infra decennium constituto, nuper de facto cum de jure non posset contulit et providit etiam de eadem, ipsumque fecit in ejusdem ecclesie possessionem intrudi, qui pretextu intrusionis hujusmodi una cum Maximo supradicto prefatam ecclesiam sancti Leonardi detinent occupatam et fructus percipiunt ex eadem, in eorum patriarche, prioris et capituli prejudicium et gravamen et dicti magistri N[icolai] dampnum non modicum et jacturam. Quare prefati patriarcha, prior et capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut super premissis tam eis quam prefato magistro Nicolao providere in hac parte de oportuno et celeri remedio curaremus.

Nos itaque nolentes patriarche, priori et capitulo et scriptori predictis in eorum jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatum episcopum ex parte nostra per te vel per alium seu alios efficaciter moneas et inducas, ut quod super hiis improvide fecit celeriter studeat revocare; Maximum vero et Matheum predictos ut a molestatione predicti magistri N[icolai] penitus conquiescant, eandem ecclesiam sancti Leonardi infra quindecim dies post monitionem tuam dicto magistro Nicolao, vel procuratori suo ejus nomine, liberam et expeditam dimittant, ipsumque vel dictum procuratorem suum permittant prefate ecclesie sancti Leonardi, jurium et pertinentiarum ipsius pacifica, ut prius, possessione gaudere, sibique vel dicto procuratori pro ipso de subtractis plenam et integram satisfactionem impendant; et nichilominus prefatos episcopum, Matheum ac Maximum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut iidem episcopus

et Matheus per se vel procuratores ydoneos, Maximus vero personaliter, infra decem dies predictam quindenam immediate sequentes, si premissa facere forte distulerint seu contempserint adimplere, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, apostolico se conspectui representent facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis, non obstante quod predictus magister Nicolaus alias in hujusmodi negotio dilectum filium magistrum Boxolum de Parma, canonicum Tornacensem, capellanum nostrum nostrique palatii auditorem causarum, sibi a nobis dari obtinuit auditorem, per quem contra dictum Matheum ad citationes aliquas est processum. Diem vero citationis et formam et quicquid super premissis duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Dat. Laterani, II kalendas marcii, anno primo. »

458 Au Latran, 4 février 1304.

Abbati monasterii s. Johannis in Acerreto, ordinis s. Benedicti, Faventinæ diocesis, facultatem elargitur dispensandi cum quodam ejusdem monasterii monacho, ut ad omnes ordines promoveri possit non obstantibus infrascriptis. (n° 399 A, fol. 93 v°.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii sancti Johannis in Acerreto, ordinis sancti Benedicti, Faventine diocesis.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius frater Drudo, tui monasterii monachus, nobis exposuit ut, cum ipse olim laicus existens audisset quod nuntii curie secularis ad quosdam latrones inerant capiendos multique illuc concurrerent hec visuri, ipse similiter cum aliis ea illuc intentione accessit, ut favorem prestaret quod latrones ipsi penitus caperentur, et quia latrones ipsi se ceperunt defendere dixit eis : « Miseri, permittatis vos capi priusquam mori taliter vos contingat. » Et licet dicti latrones propter hoc non dimiserint quin se quantum potuerunt defenderint, finaliter tunc capti fuerunt et, eorum exigentibus culpis ultionem, supplicio deputati.

Cum autem idem monachus, qui postmodum professus est ordinem monachalem, in hujusmodi casu gratiam nostram suppliciter implorarit et amplius, ut asserit, non commiserit in predictis, nos volentes super hoc misericorditer agere cum eodem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, cum eodem monacho, ejus ad hoc suffragantibus meritis, quod hiis non obstantibus possit ad omnes ordines promoveri auctoritate nostra dispenses. Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

459 Au Latran, 30 janvier 1304.

Cuidam clerico Velletrensi conceditur officium tabellionatus. (n° 399 B, fol. 93 v°.)

« *Dilecto filio Jacobo Jacobi Feiapanen., [clerico] Velletrensi in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

460 Au Latran, 12 décembre 1303.

Hospitali prope ecclesiam s. Mariæ ad Gradus Viterbiensis, ordinis fratrum Prædicatorum, efficaciter assistant neque idem ab aliquibus injuriis affici vel alias injuste molestari permittant. (n° 400, fol. 93 v°; Potth., n° 25321 [1].)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per Patrimonium sancti Petri in Tuscia constitutis, nec non rectoribus tam in spiritualibus quam in temporalibus et nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, capitaneis aliisque officialibus et communitatibus civitatum, castrorum et terrarum dicti Patrimonii, etc. Etsi locorum — Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

461 Au Latran, 15 décembre 1303.

Conservatoribus infradictis notum facit se priorissæ et sororibus monasterii s. Syxti de Urbe concessisse, ut ipsæ et personæ monasteriorum et locorum eis subjectorum de quibuscumque possessionibus et bonis suis decimas cuiquam solvere vel contribuere in aliquibus talliis seu collectis, præsertim in partibus Anglicanis, minime teneantur. Eisdem mandat ut personas supradictas contra concessionis hujusmodi tenorem ab aliquibus injuste molestari non permittant. (n° 401, fol. 93 v°.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Eboracensi et .. episcopo Lincolniensi ac dilecto filio .. archidiacono Conventrensi in ecclesia Sichefeldensi.* Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet religiosis personis nos esse deceat in oportunitatibus suis favorabiles et benignos, mulieribus tamen, que sub religionis habitu Domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate [2] sexus feminei majoribus dinoscuntur subsidiis indigere.

Dilectarum itaque in Christo filiarum .. priorisse et conventus monasterii sancti Syxti de Urbe per priorissam soliti gubernari, secundum instituta et sub cura fra-

1. Potthast date cette pièce du 13 décembre.
2. Voy. col. 267, note 2.

trum Predicatorum viventium, supplicationibus inclinati, auctoritate litterarum nostrarum eis duximus indulgendum, ut ipse et persone monasteriorum et locorum eis subjectorum de quibuscumque possessionibus et bonis, ad eas et dictum monasterium et loca spectantibus et ipsarum, cuiquam ecclesie vel persone decimas solvere aut contribuere in aliquibus talliis vel collectis, presertim in partibus Anglicanis ratione annui redditus quinquaginta marcarum sterlingorum, in quo dilecti filii .. prior et canonici monasterii sancti Oswaldi de Nostle, ordinis sancti Augustini, Eboracensis diocesis, dictis priorisse et conventui ac monasterio ipsarum tenentur, minime teneantur et ad hoc eas vel procuratores suos compellere nullus possit per litteras Apostolice Sedis vel legatorum ejus impetratas et imposterum impetrandas, nisi eedem dicte Sedis littere impetrande plenam et expressam facerent de hac indulgentia et dictis earum monasterio et ordine mentionem. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eisdem priorisse et conventui efficacis defensionis presidio assistentes, non permictatis eos contra hujusmodi concessionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si pontificali premineant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendo;

Non ob[stantibus] constitutione de duabus edita in Concilio generali et felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, tam de una dietis quam de aliquo extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis casibus in eis expressis, ad judicium non vocando, et quibuscumque aliis constitutionibus contrariis, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium non trahatur; seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et quibuslibet privilegiis, litteris, indulgentiis quibuscumque et sub quacumque forma verborum concessis, per que jurisdictionis vestre explicatio in hac parte posset quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, XVIII kalendas januarii, anno primo. »

462 Au Latran, 21 janvier 1304.

Christi fidelibus, qui capellam in honorem s. Mariæ Virginis in ecclesia s. Petri Ferrentinatis erectam devote visitarint in singulis ipsius Virginis festivitatibus, indulgentiam centum dierum promittit. (nº 402, fol. 94.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Gloriosus Deus — Dat. Laterani, XII kalendas februarii, anno primo. »

463 Au Latran, 23 janvier 1304.

Indulgentia quadraginta dierum pro fidelibus, qui capellam domus leprosorum s. Antonii prope muros civitatis Aquinatis in festivitatibus Nativitatis et Resurrectionis Domini et per octo dies festivitates ipsas sequentes devote visitarint. (*Ibid.*)

« In e. m. universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Cum ad promerenda — Dat. Laterani, X kalendas februarii, anno primo. »

464 Au Latran, 28 février 1304.

Præposito ecclesiæ s. Donnini de Burgo, Parmensis diocesis, mandat ut monasterium Fontisvivi, prædictæ diocesis, et personas ejusdem a vexantibus sollicite tueatur. (nº 403 A, fol. 94.)

« *Dilecto filio ..preposito ecclesie sancti Donnini de Burgo, Parmensis diocesis.* Sub religionis habitu — Dat. Laterani, III kalendas marcii, anno primo. »

465 Au Latran, 31 janvier 1304.

Conservatores infrascriptos rogat et hortatur ut episcopo Imolensi efficaciter assistentes, eum a molestatoribus strenue tueantur, illos qui jura, privilegia et possessiones ejus turbaverint vel invaserint compescendo. (nº 403 B, fol. 94.)

« *Venerabilibus fratribus .. Faventino et .. Cesenati episcopis ac dilecto filio .. preposito ecclesie Faventine.* Presumentium ministros — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

466 Au Latran, 7 mars 1304.

Statutum, quod electus Parmensis de senario in ecclesia de Sorbulo canonicorum numero ediderat, confirmatur. (nº 404, fol. 94 vº.)

« *Dilectis filiis .. archipresbytero et canonicis plebis de Sorbulo, Parmensis diocesis.* Dignum est ut in ecclesiis determinatus sit numerus personarum, ne provisione careat superflua multitudo vel ex paucitate dignum Deo servitium subtrahatur.

Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod bone memorie Albertus, electus Parmensis, ecclesie vestre facultatibus et expensis provida deliberatione pensatis, senarium in ea canonicorum numerum, te fili archipresbyter in ipso numero computato, statuit et taxavit, cum ad ipsum redacti fueritis ulterius non augendum, decernens ut ex ipsis canonicis preter archipresbyterum duo in presbyteratus, tertius in diaconatus, reliqui vero in minoribus sint ordinibus constituti, quibus cedentibus vel decedentibus, nisi eorumdem ordinum vel ad ipsos in proximo promovendi, qui nichil ante susceptionem hujusmodi ordinum de ipsius ecclesie percipiant proventibus, aliqui non succedant, prout in litteris ejusdem electi confectis exinde plenius dicitur contineri.

Nos itaque vestris precibus inclinati, ad instar felicis recordationis Alexandri pape [IIII], predecessoris nostri, quod ab eodem electo super hoc provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut eadem ecclesia predicto numero de cetero sit contenta, nisi adeo ipsius excreverent facultates quod merito illum exigant augmentari, auctoritate Sedis Apostolice semper salva. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

467 Au Latran, 22 février 1304.

Tempus consecrationis electi Vicentini usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum prorogat. (n° 405, fol. 94 v°.)

« *Dilecto filio Altegrado, electo Vicentino, notario nostro.* Probitatis tue merita grandia nobis utique non ignota tueque devotionis et fidei puritatem, que te reddit in nostris oculis multipliciter gratiosum, paterne considerationis indagine perscrutantes, dignum fore cognoscimus et rationi consonum arbitramur, ut personam tuam affectu favorabili prosequentes, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

In nostra siquidem proposuisti presentia constitutus, quod tu nostris et Apostolice Sedis occupatus obsequiis, nequis ad presens consecrationis munus recipere comode ut teneris. Quare nobis humiliter supplicasti ut tibi tempus consecrationis hujusmodi auctoritate apostolica prorogare de speciali gratia dignaremur.

Nos igitur ob tuorum exigentiam meritorum volentes favore te prosequi gratioso, ac nolentes quod occasione consecrationis ejusdem aliquod impedimentum recipiat obsequiorum executio predictorum, tuis supplicationibus inclinati, prefatum consecrationis tue tempus usque ad beneplacitum dicte Sedis auctoritate presentium prorogamus, tibi de ampliori gratia concedentes ut omnia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si personatus vel dignitates existant, que nunc obtinere dinosceris, quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, valeas interim licite retinere. Volumus tamen ut de administratione Vicentine ecclesie tue gubernationi commisse taliter studeas providere, quod ipsa interim nullum propterea in spiritualibus vel temporalibus sustineat detrimentum. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancte Justine Paduane et .. archipresbytero canonice decumanorum Mediolanensis ac .. archidiacono Neugradensi in ecclesia Strigoniensi.

468 Au Latran, 26 janvier 1304.

Bernardo Tardini, presbytero diocesis Apamiarum, indulget ut infradictas ecclesias, quarum possessionem dudum obtinet illicite, de cætero libere valeat retinere. Ipsi quoque remittit fructus, quos percipit indebite ex eisdem ecclesiis. (n° 406, fol. 94 v°.)

« Benedictus, etc., dilecto filio Bernardo Tardini presbytero, rectori sancti Marcelli de Podio Viridi animarum curam habentis, ac sancti Andree de Villaforti et sancti Johannis de Fornellis ab ea dependentium ecclesiarum, Appamiarum diocesis, etc. Sedis Apostolice — Dat. Laterani, VII kalendas februarii, anno primo. »

469 Au Latran, 11 février 1304.

Regulam et institutiones fratrum Servorum s. Mariæ, ordinis s. Augustini, confirmat, approbat et communit. (n° 407, fol. 95; Potth., n° 25363.)

« *Dilectis filiis .. generali et universis prioribus et fratribus Servorum sancte Marie, ordinis sancti Augustini.* Dum levamus in circuitu oculos nostros et gregem dominicum, nobis licet immeritis divina dispositione commissum, undique juxta pastoralis officii debitum contemplamur, vigilem quantum nobis ex alto permictitur curam libenter impendimus, ut cultores vinee Domini Dei Sabaoth sic cultui salutis intendant, quod eadem vinea palmites diffusos extendens salutarium producat fructuum ubertatem. Et licet erga singulos cultores hujusmodi personas videlicet ecclesiasticas apostolica sollicitudo versetur, erga tamen viros religiosos, qui comtemplationi celestium

mundanis relegatis illecebris pie vite studio sine intermissione desudant, eo propensiorem nos deceat diligentiam adhibere, quo ipsi pro religionis favore sunt amplius apostolicis presidiis confovendi.

Sane vos, qui ordinem sancti Augustini per Sedem Apostolicam approbatum profitemini et servatis, ex devotionis affectu, quem geritis ad beatam Mariam Virginem gloriosam, assumpsistis vobis vocabulum ab eadem vos *Servos* ejusdem Virginis humiliter nominando, dictumque ordinem sancti Augustini nichilominus juxta pias et honestas institutiones vestre regule in honorem ipsius Virginis editas laudabiliter servastis hactenus et servatis, ac vobis per specialia privilegia dicta Sedes indulsit quod celebrare possitis capitulum generale ac in eodem capitulo priorem vobis generalem eligere, qui in fratres vestri ordinis correctionem et alia que ad suum spectant officium libere valeat exercere, quodque ad sepulturam possitis recipere illos qui apud loca vestra elegerint sepeliri, ex quibus clare inspicientibus innuitur dictam vestram regulam per eandem Sedem existere quodammodo confirmatam. Nos autem, qui ad ipsam Virginem dominam nostram libenter devotionem quam possumus exhibemus, nolentes quod aliquis contra vos et regulam ipsam quicquam possit distractionis impingere, quin eadem regula plenam habeat apostolici muniminis firmitatem, ad omnem hesitationis materiam circa hec de quorumvis animis amovendam, vestris supplicationibus inclinati, regulam et ejus institutiones predictas expresse auctoritate apostolica confirmamus et etiam approbamus et presentis scripti patrocinio communimus eamque vobis concedimus, decernentes ipsam per vos fore perpetuis temporibus observandam. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, approbationis, concessionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, III idus februarii, anno primo. »

470 Au Latran, 18 février 1304.

Magistro Jacobo de Ispania, canonico Londoniensi, conceditur ut coram archiepiscopo Cantuariensi, qui contra eum processum fecerat pro eo quod pluralitatem beneficiorum receperat ac retinuerat indebite, amplius litigare non cogatur, quousque aliud super hoc ab Apostolica Sede extiterit ordinatum. (no 408, fol. 95.)

« *Dilecto filio magistro Jacobo de Ispania, nepoti clare memorie Alienore regine Anglie, canonico Londoniensi.* Tue devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris Ecclesiam, tue quoque merita probitatis digne nos excitant et inducunt, ut personam tuam condignis favoribus foveamus.

Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster .. archiepiscopus Cantuariensis, loci metropolitanus, dum suam provinciam visitando ad ecclesiam Londoniensem, cujus existis canonicus, pro impendendo ibidem visitationis officio declinasset, asserens quod ipse intendebat ex officio contra te procedere super eo quod dicebat, quod tu defectum natalium patiens pluralitatem beneficiorum absque dispensatione apostolica minus licite receperas, tenueras et plura ex ipsis adhuc etiam retinebas fructus percipiens ex eisdem, te propter hoc et quedam alia statum tuum tangentia fecit ad suam presentiam evocari.

Te vero proponente coram dicto archiepiscopo tecum fore super hiis auctoritate apostolica dispensatum, et quod privilegia dispensationis hujusmodi faciebas penes quosdam amicos tuos Rome et in Ispanie partibus conservari, idem archiepiscopus tibi certum terminum assignavit in quo coram eo tua super hiis privilegia exhiberes, et postmodum termino prefato pendente, tu propter hoc ad Sedem Apostolicam accessisti et deinde omnia hujusmodi tua privilegia et alia statum persone tue tangentia in nostris manibus posuisti. Adveniente autem termino prelibato, et procuratore tuo coram generalibus causarum curie dicti archiepiscopi auditoribus sive commissariis comparente, ac ab eis petente tuo nomine supradictum terminum prorogari, dicti auditores seu commissarii terminum ipsum usque ad primam diem juridicam post quindenam Resurrectionis Domini venturam proximo prorogarunt. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hiis de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur volentes super hujusmodi negotio circa personam tuam, quam ob tuorum exigentiam meritorum et obtentu venerabilis fratris P[etri], episcopi Sabinensis, et dilecti filii nostri Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro te nobis in hac parte humiliter supplicantium, benivolentia prosequimur speciali, salubriter ordinare, sed ad presens variis occupati negotiis circa hoc comode intendere nequeuntes, ac per hoc non indigne volentes ut interim dictus archiepiscopus seu quivis alius de dicto negotio se nullatenus intromittant, presentium tibi auctoritate duximus concedendum, ut eidem archiepiscopo seu cuivis alii prefata privilegia ostendere seu docere de ipsis vel super predictis etiam respondere vel comparere coram eis sive aliis minime tenearis, nec ad id a quoquam valeas coartari, quousque aliud super hiis per prefatam Sedem extiterit ordinatum, decernentes irritum et inane quicquid per eosdem archiepiscopum vel ejus vices gerentes aut quoscumque alios, postquam iter arripuisti propter hoc ad Sedem ve

niendi predictam, contra te circa premissa vel aliquod premissorum attemptatum est vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xii kalendas marcii, anno primo. »

471 Au Latran, 31 janvier 1304.

Olim Bononiensis episcopus cum quodam clerico suæ diocesis dispensavit, ut minores ordines recipere et beneficium ecclesiasticum sine cura adipisci valeret, non obstante natalium defectu. Prædictam dispensationem Benedictus xi confirmat, statuens ut idem clericus ad omnes ordines et quæcumque beneficia promoveri possit. (n° 409 a, fol. 95 v°.)

« *Dilecto filio Mulcobono Ymelde Veugnan., clerico Bononiensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, ii kalendas februarii, anno primo. »

472 Au Latran, 14 janvier 1304.

Indulget electo Vicentino ut duo clerici, ejus obsequiis insistentes, possint per quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum. (n° 409 b, fol. 95 v°.)

« *Dilecto filio Altegrado, electo Vicentino, notario nostro.* Placide familiaritatis — Dat. Laterani, xviiii kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Felicis et .. priori sancti Viti Vicentini ac .. archipresbytero ecclesie de Lognito, Vicentine diocesis.

473 Au Latran, 17 février 1304.

Archidiacono Alnisiensi in ecclesia Xanctonensi concedit, ut per quinquennium archidiaconatum suum per idoneam personam faciat visitari. (n° 410, fol. 95 v°.)

« *Dilecto filio Hugolino de Marsciano, archidiacono Alnisiensi in ecclesia Xanctonensi.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, xiii kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. decano Xanctonensis et magistro Andree de Eugubio Cathalaunensis, thesaurario nostro, ac Andree de Tuderto, Lemovicensis canonicis ecclesiarum.

474 Au Latran, 1er mars 1304.

Inquisitori pravitatis hæreticæ in Romana provincia deputato committit ut, si quasdam personas in illis partibus invenerit olim damnatas de hæretica pravitate sed nimis rigide punitas nec non beneficiis, officiis aut bonis suis privatas minus juste, eas ad dicta beneficia, officia et bona misericorditer restituere possit. (n° 411, fol. 96.)

« *Dilecto filio fratri Symoni, inquisitori heretice pravitatis in provincia Romana.* Etsi contra hereticos eorumque fautores et receptores canonice discipline severitas sit merito exercenda, consuevit tamen interdum Apostolice Sedis circumspecta benignitas erga tales, qui suum recognoscentes errorem humiliter redeunt ad Ecclesie unitatem, juris rigorem misericordie mansuetudine temperare.

Nos igitur de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue presentium tenore commictimus quatinus, si quas personas ecclesiasticas vel mundanas inveneris in Romana provincia tibi decreta, occasione criminis hereseos per fratres Angelum de Reate et Angelum de Colleveteri, olim inquisitores pravitatis heretice in eadem provincia per Sedem apostolicam deputatos, injuste privatos (*sic*) suis beneficiis seu officiis aut nimis rigide punitos secundum tuum judicium extitisse, tu, culpis eorum et penis propter hoc eis inflictis diligenter pensatis, possis auctoritate nostra, prout secundum Deum videris expedire, hujusmodi personas ecclesiasticas ad eorum beneficia et officia ecclesiastica, in quibus vel ad que aliter jus competat, reliquas vero personas ad officia publica seu actus legitimos nec non ad bona temporalia, quibus per inquisitores predictos fuerant sic privati et que inveniuntur extare, restituere, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohercere. Dat. Laterani, kalendis marcii, anno primo. »

475 Au Latran, 1er février 1304.

Supplicante Roberto, s. Pudentianæ presbytero cardinali, concedit rectori ecclesiæ de Jussiaco, Autissiodorensis diocesis, ut prædictam ecclesiam retinere valeat, dummodo se faciat infra annum in presbyterum ordinari. (n° 412, fol. 96.)

« *Dilecto filio Stephano nato Stephani dicti Militis diacono, rectori ecclesie de Jussiaco, Autissiodorensis diocesis.* Petitio tua nobis — Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

476 Au Latran, 14 mars 1304.

Monasterium Sancti Spiritus de Sulmone, Valvensis diocesis, ordinis s. Benedicti, tuendum suscipit omnesque ejus posses-

siones ac bona nominatim recensita, jura ac privilegia confirmat. (n° 413, fol. 96; POTTH., n° 25398.)

« *Dilectis filiis Berardo, patriabbati monasterii sancti Spiritus de Sulmon[e], Valvensis diocesis, ejusque coabbatibus et conventibus aliorum monasteriorum et membrorum eidem monasterio Sancti Spiritus subjectorum, ordinis sancti Benedicti, presentibus et futuris in perpetuum.* Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit !) sacre religionis infringat.

Cum itaque Regi regum mentibus humilibus et devotis exhibeatis religiose ac jugiter famulatum, nos ob vestre religionis zelum quem habere dicimini et contemplatione felicis recordationis Celestini pape Quinti, predecessoris nostri, predicti ordinis professoris, ad vos vestrumque ordinem sincere gerentes caritatis affectum, in hiis que ipsius religionis augmentum et prosperum statum respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiles exhibemus.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Spiritus ac alia monasteria, prioratus, ecclesias, membra et loca eidem monasterio Sancti Spiritus subjecta, que per speciale privilegium Sedis Apostolice novimus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in monasteriis, prioratibus et membris et aliis locis predictis institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona monasterium Sancti Spiritus et alia monasteria, prioratus et membra predicta impresentiarum rationabiliter possident aut in futurum largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant.

In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet: locum ipsum in quo prefatum monasterium Sancti Spiritus situm esse dinoscitur cum omnibus pertinentiis suis, monasterium sancti Johannis in Plano, Lucerine diocesis, sancti Bartholomei de civitate Sancte Marie olim vocata Luceria, Sancti Spiritus de Majella, sancti Georgii de Rocha Morici, sancti Petri Valisbone, sancti Petri de Monte Plano, Sancti Spiritus et hospitale cum ecclesia sancti Andree de Bucclano, sancte Marie de Civitellis de civitate Theatina, Sancti Spiritus de Ortona, Sancti Spiritus de Lonzano, sancte Marie inter Montes, Theatine diocesis, sancti Eusebii de Urbe, sancte Marie in Pizano, Pennensis diocesis, sancti Salvatoris de civitate Pennensi, sancte Marie de Collemadio juxta Aquilam, sancti Cecidii de Caporziano, Sancti Spiritus de Ysernia, sancte Marie de Gravento, sancte Marie de Anglono, Treventine diocesis, Sancti Spiritus juxta Venafrum, Sancti Spiritus Alifane[nsis], sancti Antonii de Campania, Ferentinatis diocesis, prioratus sancti Antonii et sancti Leonardi prope Sculculam, Anagnine diocesis, sancti Johannis de Aqua Sancta, sancti Marci de Fuis, Marsicane diocesis, sancti Nicolai de civitate Sancti Martini de Boiano et sancti Johannis de Rodio.

Et quia inter alia, que salubrem et quietum statum vestrum sapiunt, de precipuis casibus hoc esse necessarium arbitramur, ut de substitutione futuri abbatis successuri tibi, fili abbas Sancti Spiritus, quem patremabbatem ceteris tuis coabbatibus, prelatis et fratribus tibi subjectis presentibus et futuris perpetuo stabilimus, precipue ordinetur, volumus et districte precipimus observari :

Quod paterabbas singulis trienniis in generali capitulo sponte sua offerat et exhibeat cessionem, et idem capitulum statim et absque temporis intervallo ad patrisabbatis substitutionem procedant juxta formam in regula traditam, et aut de abbate cedente, si eum tamen putaverint, vel de alia persona monasteriorum et locorum vestrorum per electionem canonicam predicto monasterio Sancti Spiritus provideant de abbate.

Qui quidem abbas, si fuerit in concordia electus et nichil obstiterit de canonicis institutis, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso sue administrationis officium seu jus administrandi in spiritualibus et temporalibus consequatur et illud tanquam paterabbas, prout ad eum pertinet, exequatur.

At idem abbas, si alias non extiterit benedictus, benedictionis sue munus a quocumque maluerit catholico episcopo, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, recipere studeat illudque sibi dictus episcopus gratis impendat.

Preterea ut idem paterabbas non possit a rectitudine sue regule deviare, mandamus [quatinus] omni anno a tribus prioribus sui ordinis qui pro tempore fuerint, videlicet a Sancti Spiritus de Majella, sancte Marie de Collemadio juxta Aquilam ac Sancti Spiritus de Isernia monasteriorum prioribus visitetur.

Sane de fructibus terrarum ac possessionum vestrarum hactenus acquisitarum, quas propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de ortis vel de nutrimentis animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat.

Concedimus quoque etiam vobis ne de hiis, que in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo ac trigesimo sive alias ad perpetuum cultum divinum seu pro pietantiis vel indumentis vel calceamentis vestris vobis legantur pietatis intuitu, dummodo id in fraudem non fiat, nulli teneamini justitiam seu portionem canonicam exhibere.

Concedimus etiam tibi, fili abbas Sancti Spiritus, tuisque successoribus qui pro tempore fuerint, ut fratribus vestri ordinis in ipso monasterio Sancti Spiritus ac aliis monasteriis, prioratibus et membris ac locis subjectis eidem monasterio Sancti Spiritus constitutis, absolutione ac dispensatione indigentibus, sive prius quam intraverint ordinem, sive post in casibus excesserint pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrunt sententias a canone promulgatas, et hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes vel suscipientes ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrunt, de consilio fratrum vestrorum qui litterati sint et Deum timentes, absolutionis juxta formam Ecclesie prout secundum Deum expedire videritis valeatis beneficium impertiri, nisi adeo gravis et enormis foret excessus quod essent propter hoc ad eandem Sedem merito destinandi, proviso ut lesis satisfaciant competenter.

Inhibemus etiam ne aliquis episcopus vel quevis alia persona, spiritualem vel aliam jurisdictionem habens, vos ad synodos vel conventus forenses aut ad convocationes suas accedere, vel cum eis intra vel extra civitates vel terras processionaliter exire, aut suis constitutionibus subjacere, seu capitula, scrutinia et inquisitiones in locis vestris vel alibi de vobis vel de vestrorum aliquo facere, aut fidelitatis juramento firmatam et manualem obedientiam a vobis aut prioribus et supprioribus vestris exigere, seu etiam prohibere ne ad civitates seu villas et ad loca quelibet ubi religiose et honeste morari possitis audeatis accedere, ibique pro vestris usibus edificia, monasteria, ecclesias seu oratoria ex permissione et indulto nostro construere libere valeatis, nec in accedentes fratres et monachos vestros seu constructores hujusmodi seu receptores eorum excommunicationis vel interdicti sententias possint proferre.

Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro vel aliis locis vestris ejusdem ordinis professionem, fas sit sine abbatis sui licentia ordinem ipsum relinquere et ad locum religionis alterius vel ad ordinem alium se transferre. Discedentem vero aliter nullus cujuscumque religionis vel status existat audeat retinere : quod si secus factum fuerit, tam discedens quam is seu illi qui ipsum talem receperint, si requisiti eum a se non rejecerint infra mensem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat monasteria, prioratus, membra et loca predicta temere perturbare aut eorum possessiones auferre vel abbatas retinere, minuere seu quibuslibet exactionibus fatigare; sed ea omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens et contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Redemptoris Jhesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eisdem locis sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu-Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Benedictus, Catholice Ecclesie episcopus, ss.

Ego Johannes, Tusculanus episcopus, ss.
Ego Theodericus, Civitatis Papalis episcopus, ss.
Ego Leonardus, episcopus Albanensis, ss.
Ego Petrus, Sabinensis episcopus, ss.
Ego frater Johannes, Portuensis episcopus, ss.

Ego Johannes, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, ss.

Ego frater Robertus, tituli sancte Pudentiane presbyter cardinalis, ss.

Ego frater Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, ss.

Ego Neapoleo, tituli sancti Adriani diaconus cardinalis, ss.

Ego Landulfus, tituli sancti Angeli diaconus cardinalis, ss.

Ego Guillelmus, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, ss.

Ego Franciscus, sancte Lucie in Silice diaconus cardinalis, ss.

Ego Franciscus, sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, ss.

Ego Ricardus, sancti Eustachii diaconus cardinalis, ss.

Ego Lucas, sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, ss.

Dat. Laterani per manum Papiniani, episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, II idus marcii, indictione secunda, Incarnationis dominice millesimo CCCIIII^to^, pontificatus vero donni Benedicti pape XI^mi^ anno primo. »

477 Au Latran, 13 mars 1304.

Jacobino Cazolini et Guaschinæ Facii Gerardi, ejus uxori, civibus Albinganensibus, indulget ut in contracto matrimonio remanere possint, non obstante quod olim Guaschina prædicta sponsalia contraxit non secuta cum Robaldo Cepulla, cive Albinganensi, qui conjunctus erat quarto consanguinitatis gradu Jacobino supradicto. (n° 414, fol. 97.)

« *Dilecto filio Jacobino Cazolini et dilecte in Christo filie Guaschine, filie Facii Gerardi, civibus Albinganensibus.* Romani pontificis precellens — Dat. Laterani, III idus marcii, anno primo. »

478 Au Latran, 30 janvier 1304.

Rectori ecclesiæ de Falzeto, Terraconensis diocesis, qui dictam ecclesiam in minoribus tantum constitutus ordinibus quondam obtinuit nec se fecit, prout tenebatur juxta constitutionem Concilii Lugdunensis, ad sacerdotium promoveri, remittit fructus minus juste perceptos ex eadem ecclesia, statuens ut ipsam præfatus rector de cætero retinere valeat, dummodo infra annum in presbyterum ordinetur. (n° 415, fol. 97.)

« *Dilecto filio Humberto de Monte Olivo, rectori ecclesie de Falzeto, Terraconensis diocesis.* Petitio tua nobis — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

479 Au Latran, 22 février 1304.

Episcopo Roskildensi licentia conceditur contrahendi mutuum usque ad summam mille marcharum boni et puri argenti ad pondus Romanum. (n° 416, fol. 97.)

« *Venerabili fratri Olavo, episcopo Roskildensi.* Cum sicut in — Dat. Laterani, VIII kalendas martii, anno primo. »

480 Au Latran, 12 mars 1304.

Executioni demandat quendam Bonifatii VIII processum olim factum contra Octonem et Conradum, marchiones Brandeburgenses, nec non eorum officiales ac fautores, qui excommunicationis et diversas alias incurrerant sententias, pro eo quod episcopos Havelbergensem et Brandeburgensem et personas ecclesiasticas diocesium earumdem gravibus injuriis et pressuris afflixerant. (n° 417, fol. 97 v°.)

« *Venerabilibus fratribus .. Magdeburgensi et .. Bremensi archiepiscopis ac .. episcopo Lubicensi*[1]. Sua nobis venerabiles fratres nostri J[ohannes] Havelbergensis et F[redericus] Brandeburgensis episcopi petitione monstraverunt, quod cum nobiles viri Octo et Conradus, marchiones Brandeburgenses, per se ac officiales ipsorum ab hominibus et colonis episcoporum predictorum et capitulorum Havelbergensis et Brandeburgensis ecclesiarum ac ex bonis ad episcopos et capitula predicta spectantibus, nomine subsidii, subventionis et aliis causis, multa pro eorum voluntatis arbitrio extorsissent, gravia illis alias nichilominus onera imponendo et diversis eos affligendo pressuris, prefati episcopi eosdem nobiles canonice monuerunt, ut ipsi eisdem episcopis et capitulis sic extorta restituerent, ac eis de dampnis et injuriis super hoc ipsis illatis satisfactionem debitam exhiberent. Et demum quia ipsi nobiles hujusmodi eorum monitionibus parere contumaciter contempserunt, nullam causam rationabilem pretendentes quare parere non deberent eisdem, cum hec adeo forent notoria quod nulla poterant tergiversatione celari, in ipsos nobiles et eorum in hac parte complices auctoritate ordinaria excommunicationis sententiam exigente justitia promulgarunt. Et postmodum dictorum nobilium contumacia excrescente, eorum terras in eorumdem episcoporum diocesibus consistentes supposuerunt ecclesiastico interdicto, prefatos quoque nobiles et complices ac officiales ipsorum, qui etiam propter premissa sententiam excommunicationis incurrerant per constitutionem felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, in tales prolatam, fecerunt excommunicatos publice nuntiari.

Cumque dicti episcopi non valentes in eorum episcopatibus propter nobilium predictorum tyrannidem absque periculo remanere, ad civitatem Magdeburgensem eorum metropolim confugissent, quidam nuntius dictorum nobilium se procuratorem asserens eorumdem, ex quibusdam frivolis et falsis causis ab hujusmodi dictorum episcoporum processibus, elapso duorum mensium et amplius spatio, eorum nomine ad Sedem Apostolicam appellavit, ac appellationem prius ut dicebat eorum nomine interpositam innovavit; ac dicti episcopi hujusmodi appellationi dicti nuntii ob ipsius Sedis reverentiam deferentes, ei ad comparendum apud Sedem predictam cer-

1. Ces trois noms sont écrits sur le ms : Madeburgen', Bremon', Lubiten'. J'ai rectifié d'après la rubrique volante.

tum terminum prefixerunt. Sicque dicti nobiles, appellationis ejusdem pretextu, hujusmodi excommunicationum et interdicti sententias, quas tamen observarunt primitus, contempnentes, clericos dictarum terrarum per spoliationem suorum beneficiorum et bonorum temporalium et alias diversas penas divina inibi compulerunt officia celebrare; .. prepositum quoque ac .. priorem et quosdam canonicos Havelbergenses de terris predictis exbanniri et plures alios clericos capi fecerunt ac eorum beneficiis spoliari, et loco dicti prepositi quendam alium clericum temeritate propria intruserunt; ecclesias insuper, parrochias et capellas dictarum ecclesiarum cathedralium, clericis ipsarum ab eis expulsis, commiserunt aliis gubernandas, comminantes quibusdam monialibus quod eas etiam de suis monasteriis violenter expellerent, ac fratribus Predicatoribus et Minoribus, pro eo quod interdictum hujusmodi observabant, inhibuerunt districtius elemosinas exhiberi, sicque fratres ipsi et plures clerici coacti sunt per hujusmodi vim et metum dictorum nobilium in eisdem terris interdictis resumere organa divinorum et celebrare divina officia sicut prius.

Ipsi preterea nobiles, post et contra hujusmodi appellationem eorum nomine interpositam, curias et alia bona dictorum episcoporum et capitulorum, officialibus ipsorum episcoporum et capitulorum inde violenter ejectis, nequiter occuparunt, quorum adhuc aliqua occupata detinent percipientes fructus et redditus ex eisdem; alia vero incendio devastarunt, eosdem episcopos et capitula nichilominus decimis, redditibus, proventibus et aliis eorum bonis mobilibus et immobilibus temere spoliando.

Cumque dicti episcopi ad dicti predecessoris super hiis providentiam recurrentes, ab eo suppliciter petiissent in hac parte de oportuno remedio provideri, demum dilectus filius noster L[andulfus], sancti Angeli diaconus cardinalis, cui predecessor ipse commisit ut probationibus et informationibus, que summarie super hiis coram eo producerentur vel exhiberentur, admissis, quod inveniret sibi referre curaret, cum de excessibus hujusmodi tam per litteras tuas, frater archiepiscope Magdeburgensis, loci metropolitane, et aliorum prelatorum illarum partium, quam per plures personas fidedignas partium earumdem apud Sedem consistentes eandem, fides facta fuisset eidem, diligenter attendens quod excessus tales in eisdem partibus non poterant non esse notorii, quodque excessuum enormitas eorumdem in conculcationem ecclesiastice libertatis et dicte Sedis contemptum et injuriam redundabant, ac exposcebant celeritatem remedii oportuni, facta super hoc dicto predecessori relatione fideli, de speciali mandato suo facto sibi oraculo vive vocis, episcopos, capitula, clericos et alios supradictos taliter spoliatos, presentibus ad hec procuratoribus nobilium predictorum, ad ecclesias, capellas, curias, decimas, redditus, proventus, et alia bona predicta, quibus fuerant ut predicitur spoliati, restituit, decernens eos in corporalem possessionem omnium predictorum, prout eam tempore hujusmodi spoliationis habebant, fore plenarie reducendos, ac predictas excommunicationum et interdicti sententias tanquam rite latas usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observandas, quodque si iidem nobiles, complices vel officiales aut aliqui ex eisdem, post beneficium absolutionis obtentum, ad similes forsan excessus redirent, vel non permitterent episcopos, capitula, clericos et alios predictos taliter restitutos dictarum parrochiarum, capellarum, curiarum, decimarum, redditaum et proventuum et aliorum predictorum bonorum pacifica possessione gaudere, in pristinam reciderent excommunicationis sententiam ipso facto et eorum terre predicte modo simili subjacerent ecclesiastico interdicto.

Idem quoque predecessor omnia premissa, que per eundem cardinalem de mandato suo facta erant, rata habens et grata eaque apostolica auctoritate confirmans, vobis suis in virtute obedientie ac sub excommunicationis pena, quam eo ipso incurreretis si mandato hujusmodi dicti predecessoris in hac parte non pareretis, districte dedit litteris in preceptis, ut vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios ea omnia diligenter, celeriter et sollicite executioni debite demandantes, episcopos, capitula, clericos et alios predictos taliter spoliatos in corporalem possessionem ecclesiarum, capellarum, curiarum, reddituum, proventuum et aliorum bonorum predictorum, ad que per cardinalem eundem erant ut premittitur restituti, reduceretis auctoritate ipsius predecessoris et defenderetis reductos, ac prefatos nobiles, complices et officiales tunc ligatos eisdem sententiis et qui etiam post absolutionem obtentam, ut premissum est, reciderent in easdem, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos et dictas eorum terras interdictas tandiu appellatione remota publice nuntiaretis ac faceretis ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videretis, etiam nuntiari, ipsosque nobiles, officiales et complices ab omnibus artius evitari, donec ipsi episcopi, capitula, clerici et alii supradicti ad plenam et corporalem pacificam possessionem ecclesiarum, capellarum, curiarum, decimarum, reddituum, proventuum et aliorum bonorum predictorum restituti forent eisque de hujusmodi ablatis, exactis nec non dampnis, injuriis et offensis illatis eisdem esset plenarie satisfactum, ac iidem excommunicati ab eadem Sede mererentur absolutionis beneficium obtinere, interdictum vero hujusmodi tam per dictos fratres Predicatores et Minores, quam Cistercienses et quos-

cumque alios religiosos cujuscumque ordinis, nec non clericos seculares appellatione remota, privilegiis quibuscumque cessantibus, faceretis usque ad satisfactionem convenientem, appellatione non obstante predicta, inviolabiliter observari, invocato ad hoc si necesse foret auxilio brachii secularis.

Voluit insuper dictus predecessor, quod quicumque vestrum esset super hoc requisitus, premissa omnia et singula que mandarat, etiam si per collegam seu collegas ipsius prius processum foret in eisdem, prout expediret sub pena exequeretur predicta.

Et licet vos auctoritate hujusmodi litterarum predecessoris ejusdem juxta earum tenorem, tam per ipsos fratres Predicatores et Minores, quam Cistercienses et quoscumque alios religiosos cujuscumque ordinis, nec non clericos seculares dictas sententias mandaveritis inviolabiliter observari, ad aliorum tamen contentorum in ipsis litteris executionem propter predictorum marchionum, officialium et complicum malitiam et potentiam hactenus procedere nequivistis. Sicque dicti nobiles, officiales et complices, hujusmodi sententiis vilipensis, eas per triennium et amplius sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, nec adhuc cessant ab hujusmodi spoliis, injuriis et offensis, immo pejora prioribus committere non formidant in animarum suarum periculum, Havelbergensis et Brandeburgensis episcoporum et capitulorum et aliorum predictorum prejudicium, et scandalum plurimorum. Quare fuit a nobis ex parte ipsorum suppliciter postulatum, ut congruum super hoc contra dictorum nobilium, officialium et complicum pertinaciam remedium apponere dignaremur.

Nos igitur nolentes ut dicti nobiles, officiales et complices de tanta eorum nequitia valeant gloriari, cum crescente contumacia pena sit merito augmentanda, et per hoc digne volentes ut dicti nobiles, complices et officiales, quandiu in hujusmodi dampnabili eorum pertinacia perstiterint, a communione fidelium penitus maneant separati, fraternitati vestre in virtute obedientie ac sub excommunicationis pena, quam eo ipso si mandato nostro in hac parte non parueritis incurratis, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa omnia, juxta tenorem predictarum litterarum prefati predecessoris vobis super hoc ut premittitur directarum, diligenter, celeriter et sollicite prout poteritis executioni debite demandantes, barones, milites, officiales et alios laicos et clericos seculares et religiosos de quibus videritis expedire canonice moneatis, ut a dictorum nobilium, complicum et officialium suorum participatione, quandiu in pertinacia perstiterint supradicta, omnino desistant. Alioquin contra hujusmodi participantes ad excommunicationis sententiam procedatis, ac nichilominus terras dictorum marchionum ubicumque et in quibuscumque diocesibus consistentes subiciatis ecclesiastico interdicto, ipsumque interdictum tam per clericos seculares, quam religiosos predictos cujuscumque ordinis fuerint, faciatis usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari, aggravando contra eos alias manus vestras, prout protervitas exegerit eorumdem, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis;

Non obstantibus privilegiis quibuscumque; seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi aut interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc.

Volumus insuper quod quicumque vestrum super hoc fuerit requisitus premissa omnia et singula que mandamus, etiam si per collegam seu collegas ipsius prius processum fuerit in eisdem, sub pena predicta prout expedierit exequatur. Dat. Laterani, IIII idus marcii, anno primo. »

481 Au Latran, 12 janvier 1304.

Archiepiscopo Gneznensi mandat, moneat et inducat episcopum Wratislaviensem ut infra unius mensis spatium relaxet excommunicationis sententiam, quam in magistrum Mirozlaum, archidiaconum ecclesiæ Glogoviensis, sine causa rationabili promulgavit, et dictum magistrum ad officia et possessiones ejus plene restituat. (n° 418, fol. 98; POTTH., n° 25339.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Gneznensi* [1]. Significavit nobis dilectus — Dat. Laterani, II idus januarii, anno primo ».

482 Au Latran, 31 janvier 1304.

Vacante quondam ecclesia Milevitana per obitum Jacobi episcopi, ipsius sedis provisio fuit a Martino IV et Honorio IV apostolicæ dispositioni reservata: nunc autem auctoritate Benedicti XI Nicolaus præficitur eidem ecclesiæ in episcopum et pastorem. (n° 419, fol. 98 v°.)

« *Dilecto filio Nicolao, electo Milevitano.* Ex suscepte servitutis — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono et capitulo ecclesie Milevitane.

1. Ms : « Gueznensi. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Milevitane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Milevitane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Milevitane.
In e. m. F[riderico], regi Trinacrie illustri.

483 Au Latran, 15 mars 1304.

Deputantur executores super negotio quingentorum florenorum auri, quos Milevitanus electus ex licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit ab Uguitione de Calidoboccone, Donato Grancelli et Bartholomæo de Turre sociis, civibus et mercatoribus Romanis. (n° 420, fol. 99.)

« *Dilectis filiis Guidocto, electo Messanensi, et .. archipresbytero sancti Eustachii ac Jacobo Archionis, canonico sancte Marie Majoris de Urbe ecclesiarum.* Cum sicut dilectus — Dat. Laterani, idibus marcii, anno primo. »

484 Au Latran, 15 février 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Esculanis indulget, ut de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant. (n° 421, fol. 99.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus Predicatorum Esculanis.* Ut circa ea — Dat. Laterani, xv kalendas marcii, anno primo. »

485 Au Latran, 16 février 1304.

Calaguritana et Calciatensi ecclesiis, quæ invicem sunt unitæ, vacantibus per obitum Ferrandi episcopi, Rodericus, dictarum ecclesiarum canonicus, in episcopum Calaguritanum et Calciatensem per viam compromissi electus est : quæ quidem electio confirmatur. (n° 422, fol. 99.)

« *Venerabili fratri Roderico, Calaguritano et Calciatensi episcopo.* Militanti ecclesie — Dat. Laterani, xiiii kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. decano et capitulo Calagurritane (*sic*) et Calciatensis ecclesiarum.
In e. m. cleris Calagurritane et Calciatensis civitatum et diocesium.
In e. m. populis civitatum et diocesium Calagurritane et Calciatensis.
In e. m. Fernando, illustri regi Castelle et Legionis.

486 Latran, 5 janvier 1304.

Inquisitione facta super statu monasterii s. Benedicti de Gualdo, Nucerinæ diocesis, citentur abbas et monachi ejusdem monasterii, inter quos quædam discordia vertitur, ad comparendum coram Apostolica Sede facturi et recepturi in dicto negotio quod justitia suadebit. (n° 423, fol. 99 v°.)

« *Dilectis filiis .. sancti Pauli et .. sancte Marie de Valle Pontis, Perusine diocesis, monasteriorum abbatibus ac .. priori fratrum Predicatorum Perusino.* Pastoralis officii debitum cui presidemus exposcit, ut de ecclesiis et locis ecclesiasticis, religiosis precipue, sollicite cogitantes, ad eorum reformationem cum expedit apostolice providentie studium apponamus.

Nuper siquidem dilecti filii conventus monasterii sancti Benedicti de Gualdo, ordinis ejusdem sancti, Nucerine diocesis, nobis insinuare curarunt, quod Hermandus, abbas dicti monasterii, incontinentie laborans vitio aliisque diversis criminibus irretitus, bona dicti monasterii dilapidat enormiter et consumit; et licet idem abbas pluribus majorum excommunicationum sententiis sit astrictus, ipse tamen divina officia celebrare, quin potius quantum in eo est prophanare, ac immiscere se illis propria temeritate presumit, alias quoque dictus abbas multa enormia committere dicitur, que limam apostolice correctionis exposcunt.

E contra vero memoratus abbas conqueritur, quod monachi dicti monasterii contra eum, spiritu rebellionis assumpto, debitam ei obedientiam et reverentiam denegant exhibere ipsumque regimine dicti monasterii, quod diu exercuerat, spoliarunt et alia committunt plurima enormia ac etiam inhonesta. Cum autem occasione talis discordie monasterium ipsum dicatur in spiritualibus et temporalibus deformatum, nos ad reformationem ipsius paternis studiis intendentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad monasterium ipsum personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, eodem abbate ad ipsius monasterii regimen prius sicut justum est restituto, faciatis eidem a prefatis monachis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac tam super premissis quam aliis que fuerint requirenda inquiratis ibidem, tam in capite quam in membris diligentius veritatem. Que autem super hiis inveneritis, fideliter in scriptis redacta, sub vestris inclusa sigillis, ad presentiam nostram destinare curetis, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo compareant legitime coram nobis, facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi prefixionis et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis, non obstante indulgentia qua, fili prior, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, nonis januarii, anno primo. »

487 Au Latran, 3 février 1304.

Confirmatur statutum quod archiepiscopus Januensis de mandato Bonifatii VIII ediderat super quinario canonicorum numero in ecclesia s. Mariæ de Castello Januensis servando, nec non super instituendis in eadem tribus capellanis, qui perpetuo inibi deservirent. (n° 424, fol. 100.)

« *Dilectis filiis .. preposito et capitulo ecclesie sancte Marie de Castello Januensis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod licet in ecclesia vestra, in qua canonicorum receptionem et prebendarum collationem ad vos asseritis pertinere, dudum senarius esset canonicorum numerus, te fili preposite computato, per vos juramento firmatus et per Sedem Apostolicam confirmatus, quia tamen, pluribus ex canonicis dicte ecclesie in ea non curantibus residere, ecclesia ipsa que diffusam habet parrochiam detrimentum patiebatur non modicum in divinis, felicis recordationis Bonifatio pape VIII, predecessori nostro, humiliter supplicastis ut ordinandi et faciendi in dicta ecclesia tres capellanias et instituendi tam tunc quam successive perpetuo tres perpetuos ydoneos capellanos, qui essent presbyteri et continue inibi deservirent, deputandi quoque capellanis eisdem ac inter eos equaliter dividendi fructus, redditus et proventus unius prebende ipsius ecclesie nulli alii de jure debite, si qua in eadem ecclesia tunc vacaret vel quam cito eam vacare contingeret [vobis], licentiam concedere dignaretur.

Idem vero predecessor nolens quod eadem ecclesia defectum divinorum aliquatenus sustineret, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Januensi suis injunxit litteris ut, si expedire videret et aliquid rationabile non obstaret, vobis ipsius predecessoris auctoritate faciendi predicta licentiam largiretur ac statueret auctoritate predicta, quod extunc prefata ecclesia quinario canonicorum numero, te dicte preposite computato, foret contenta nec quisquam loco alicujus cedentis vel decedentis canonici subrogari valeret, nisi deesset aliquis de quinario numero supradicto. Dictus autem archiepiscopus litterarum earumdem forma servata, quia id vidit salubriter expedire, vobis hujusmodi licentiam contulit ac statuit ea que sibi per easdem litteras mandabantur, prout in instrumentis publicis inde confectis hec dicuntur plenius contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, que in premissis per eundem archiepiscopum provide acta sunt rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, III nonas februarii, anno primo. »

488 Au Latran, 27 janvier 1304.

Valeant custos ecclesiæ s. Castoris in Confluentia, diocesis Treverensis, et canonicus quidam ecclesiæ s. Paulini extra muros Treverenses, custodiam, canonicatum ac præbendam, quæ in prædictis ecclesiis obtinent, invicem permutare. (n° 425, fol. 100.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Treverensi.* Cum dilecti filii Henricus dictus Cufflex, custos ecclesie sancti Castoris in Confluentia, Treverensis diocesis, perpetuam custodiam suam ipsius ecclesie et Nicolaus dictus Ungaria de Metis, canonicus ecclesie sancti Paulini extra muros Treverenses, canonicatum et prebendam, quos obtinet in eadem ecclesia sancti Paulini, affectent ut asserunt invicem permutare, nos de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus custodie, canonicatus et prebende predictorum ab Henrico et Nicolao predictis vel procuratoribus eorum ad hoc speciale mandatum habentibus, cum super hoc ab ipsis vel dictis suis procuratoribus fueris requisitus, resignatione recepta, canonicatum et prebendam eosdem Henrico, eandem vero custodiam Nicolao predictis auctoritate nostra conferas et assignes, faciens dictum Henricum ad eandem prebendam in dicta ecclesia sancti Paulini in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo cum plenitudine juris canonici assignatis, ac prefatum Nicolaum ad dictam custodiam in memorata ecclesia sancti Castoris, prout est moris, admitti, et tam Henrico de canonicatus et prebende quam Nicolao prefatis de custodie predictorum fructibus, redditibus, proventibus et juribus integre responderi, contradictores per censuram, etc.;

Non obstantibus quibuslibet contrariis ecclesiarum ipsarum consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis; aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia sancti Paulini in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus faciendis aliquibus de canonicatibus, prebendis, custodiis, officiis, personatibus vel dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis in dictis ecclesiis specialiter vel in illis partibus generaliter scripta apostolica sint directa, quibus omnibus in assecutione dictorum canonicatus et prebende ac custodie prefatos Henricum et Nicolaum volumus anteferri, sed quo ad assecutionem aliorum canonicatuum, prebendarum et custodiarum nullum eis prejudicium generari; seu si personis aliquibus, cujuscumque dignitatis, conditionis aut status existant, a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli seu quod interdici,

suspendi vel excommunicari non possint, et quod de canonicatibus et prebendis, custodiis, officiis, personatibus vel dignitatibus ac beneficiis ad eorum collationem vel quamcumque dispositionem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes, etc., usque: mentionem; et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis, proviso ne circa premissa ex parte Henrici seu Nicolai predictorum vel alias fraus aliqua seu pravitas quomodolibet intercedat. Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

489 Au Latran, 16 février 1304.

Confirmat in episcopum Roskildensem Olavum, cui nuper munus consecrationis per Tusculanum episcopum fecit impendi, eique mandat ut Roskildensis ecclesiæ curam gerat sollicitam. (nº 426, fol. 100 vº; Potth., nº 25368.)

« *Venerabili fratri Olavo, episcopo Roskildensi.* Dum sollicite considerationis — Dat. Laterani, xiiii kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Roskildensis.
In e. m. clero ecclesie Roskildensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Roskildensis.
In e. m. .. archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.
In e. m. Errico, Danorum Sclavorumque regi illustri.
In e. m. Wyselao et Zamburo, principibus Ryxianorum fratribus. (Potth., nº 25369.)

490 Au Latran, 12 février 1304.

Præposito Pergamensis ecclesiæ mandat, ut personas et jura monasterii Carevallis, Cisterciensis ordinis, Mediolanensis diocesis, efficaciter tueatur. (nº 427, fol. 101.)

« *Dilecto filio .. preposito ecclesie Pergamensis.* Sub religionis habitu — Dat. Laterani, ii idus februarii, anno primo. »

491 Au Latran, 25 janvier 1304.

Archiepiscopo Remensi et episcopo Virdunensi mandatur ut Jacobum Mathæi Ursi de filiis Ursi, capellanum domini papæ, in juribus et bonis, quæ in Senonensi et Cathalaunensi obtinet ecclesiis, a vexantibus sollicite tueantur. (nº 428, fol. 101.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi et .. episcopo Virdunensi.* Injuncte nobis debitum servitutis exposcit, ut personas ecclesiasticas contra malignorum incursus oportune defensionis auxilio defendamus, sed familiares et capellanos nostros eo potius nos decet in suis manutenere juribus ipsosque contra pravorum audaciam defensare, quo magis illate illis injurie in nostrum et Apostolice Sedis contemptum redundare noscuntur.

Cum itaque dilectus filius Jacobus Mathei Ursi de filiis Ursi, archidiaconus Senonensis, capellanus noster, sicut eo accepimus conquerente, super archidiaconatu quem in Senonensi, nec non canonicatibus et prebendis quos in ipsa et Cathalaunensi ecclesiis obtinet, ac jurisdictione quam in eodem archidiaconatu de consuetudine se habere proponit, aliisque juribus ac fructibus, redditibus et proventibus archidiaconatus, canonicatuum et prebendarum predictorum a nonnullis prelatis et aliis potentibus tam clericis quam laicis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, multipliciter molestetur, nos volentes eidem archidiacono quem paterna dilectione prosequimur super hoc de remedio consulere oportuno, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios predicto archidiacono efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eum super hiis ab aliquibus indebite molestari, exhibituri eidem archidiacono vel procuratori aut procuratoribus suis de molestatoribus hujusmodi et quibuscumque injuriatoribus suis, quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si pontificali vel quacumque alia premineant dignitate, quotiens expedierit, super hiis que judicialem requirant indaginem, sine strepitu et figura judicii, super aliis vero, prout negotiorum qualitas exegerit, justitie complementum, molestatores predictos nec non contradictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra appellatione postposita compescendo;

Non obstantibus de duabus dictis edita in Concilio generali et felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, tam de una dieta [1] quam de aliquo extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis casibus in eis expressis, ad judicium non vocando, et quibuscumque aliis constitutionibus contrariis, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium non trahatur; seu si aliquibus a Sede sit indultum predicta, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras, etc., usque : mentionem, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Ceterum volumus et presentium auctoritate decernimus quod a dat. presentium plena vobis, etc., usque : extitis-

1. Ms : « dictis. »

set. Presentibus post triennium, etc. Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno primo. »

492 Au Latran, 28 janvier 1304.

Vigiliensi episcopo committit potestatem dispensandi cum Manino Judicis Samarii, clerico illegitime nato, qui subdiaconatus ordinem olim recepit licentia Sedis Apostolicæ non obtenta, ut ad superiores ordines promoveri possit atque beneficium ecclesiasticum adipisci, non obstantibus supradictis. (n° 429, fol. 101 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Vigiliensi.* Accedens ad presentiam — Dat. Laterani, v kalendas februarii, anno primo. »

493 Au Latran, 31 janvier 1304.

Jacobo, s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, committit ut abbati et conventui monasterii s. Pauli de Urbe licentiam largiatur dividendi ac locandi feuda quædam ad eos pertinentia, cum ipsa ad dictum monasterium devolvi de cætero contigerit, quibusdam statutis non obstantibus. (n° 430, fol. 101 v°.)

« *Dilecto filio Jacobo, sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali.* Petitio dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii sancti Pauli de Urbe, ordinis sancti Benedicti, nobis exhibita continebat quod in eodem monasterio quedam statuta fore noscuntur juramento firmata, quibus cavetur ne iidem abbas et conventus feuda ad ipsum monasterium pertinentia, per nobiles et alios quoscumque detenta, que ad ipsum monasterium devolvi contingit, possint dividere aut illa locare aliis absque Sedis Apostolice licentia speciali, propter quod terras, possessiones ac bona et jura eorumdem feudorum contingit frequenter occupari ab aliis et inculta dimitti aliasque dampna et incomoda ipsi monasterio provenire.

Nos itaque super hoc eorumdem abbatis et conventus et monasterii indempnitati providere volentes, discretioni tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, si id secundum Deum utilitati dicti monasterii videris expedire, dictis abbati et conventui dividendi feuda eadem, que ad eos et monasterium predictum sunt legitime devoluta et que in futuram devolvi contigerit, ac locandi ea tam integra quam divisa personis ydoneis ad certum tempus, sub censu annuo dicto monasterio persolvendo, prefatis statutis seu quibusdam litteris, privilegiis et indulgentiis apostolicis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in presentibus fieri mentio specialis, nequaquam obstantibus, auctoritate nostra licentiam largiaris. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

494 Au Latran, 31 janvier 1304.

Abbati monasterii s. Pauli de Urbe concedit facultatem recipiendi resignationem Johannis, abbatis monasterii s. Clementis Tiburtini, ordinis s. Benedicti, prædicto cœnobio s. Pauli subjecti. Mandat quoque ut eidem Johanni provideatur de qualibet ecclesia, ad collationem conventus s. Pauli spectante. (n° 431, fol. 101 v°; Potth., n° 25350.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii sancti Pauli de Urbe.* Ex parte tua — Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

495 Au Latran, 6 février 1304.

Episcopo Placentino mandat ut fratres Militiæ Templi Jerosolimitani protegendos suscipiat eorumque jura et possessiones in diocesi Placentina specialiter conservet. (n° 432 A, fol. 101 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Placentino.* Etsi cunctos sub — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

496 Au Latran, 10 février 1304.

Priori generali fratrum Heremitarum ordinis s. Augustini indulget, ut fratribus dicti ordinis absolutione vel dispensatione indigentibus, qui ad Sedem Apostolicam aut ad diocesanum episcopum accedere nequeunt pro munere hujusmodi obtinendo, absolutionis seu dispensationis gratiam concedere possit. Valeat insuper dictus prior, quotiens fuerit opportunum, eandem potestatem prioribus provincialibus committere. (n° 432 B, fol. 102.)

« *Dilecto filio .. priori generali fratrum Heremitarum ordinis sancti Augustini.* Licet ad hoc — Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

497 Au Latran, 5 février 1304.

Præceptori et fratribus hospitalis pauperum de Perpiniano, Elnensis diocesis, concedit ut in hospitali prædicto oratorium seu capellam extruant ad opus infirmorum et pauperum, atque ibidem faciant divina officia celebrari. (n° 433 A, fol. 102.)

« *Dilectis filiis .. preceptori et fratribus hospitalis pauperum de Perpiniano, Elnensis diocesis.* Ex affectu paterne — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

498 Au Latran, 16 mars 1304.

Magistro Frederico de Borgorellis confirmat archipresbyteratum plebis de s. Genesio, quem dicto magistro contulerat Parmensis episcopus : teneatur autem dictus Fredericus sacros ordines infra certum terminum recipere. (nº 433 B, fol. 102.)

« *Dilecto filio magistro Frederico de Borgorellis, archipresbytero plebis de sancto Genesio, Parmensis diocesis.* Probitatis tue meritis — Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

499 Au Latran, 5 février 1304.

Electo Virdunensi facultatem impertitur compescendi per censuras ecclesiasticas illos, qui bona ac jura ejus vel episcopatus Virdunensis irreverenter invaserint aut turbaverint, nec non relaxandi post satisfactionem condignam sententias latas occasione hujusmodi. (nº 434 A, fol. 102 vº.)

« *Dilecto filio Thome, electo Virdunensi.* Sincere caritatis affectus — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

500 Au Latran, 5 février 1304.

Valeat idem electus concedere duabus personis diocesis Virdunensis tabellionatus officium. (nº 434 B, fol. 102 vº.)

« *Eidem.* Ex parte tua fuit — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

501 Au Latran, 5 février 1304.

Eidem electo facultatem tribuit absolvendi quosdam suæ diocesis clericos, qui suspensionis sententiam incurrerant, et dispensandi quoque cum eis super irregularitate, quam postmodum contraxerunt sese divinis officiis immiscendo. (nº 435 A, fol. 102 vº.)

« *Eidem.* Cum, sicut accepimus, nonnulli prelati et alii clerici seculares tuarum civitatis et diocesis jurisdictionem eis delegatam vel ordinatam quam de consuetudine obtinent exercentes, contra tenorem constitutionis felicis recordationis Innocentii IIIIti, predecessoris nostri, excommunicationum et interdicti sententias protulerint sine scriptis, propter quod suspensionis incurrerunt [1] sententiam in eadem constitutione prolatam, ac non abstinendo postmodum a divinis notam irregularitatis incurrerint, nos de tua circumspectione confisi, absolvendi eos hac vice ab eadem suspensionis sententia juxta formam Ecclesie vice nostra, cum super hoc ab ipsis fueris humiliter requisitus, ac dispensandi cum eis super irregularitate hujusmodi occasione contracta, dummodo scienter et in contemptum clavium talia non presumpserint, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari et injuncto eis quod alias de jure fuerit injungendum, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1. Ms : « intulerunt. » Le scribe avait d'abord écrit *incurrerunt*, puis il a remplacé ce mot par *intulerunt*, mais sa correction est évidemment fautive.

502 Au Latran, 5 février 1304.

Compellat idem electus nonnullos clericos beneficia obtinentes in ecclesia Virdunensi ad faciendum in ipsis debitam residentiam et ad recipiendum ordines, prout dictorum beneficiorum onus requirit. (nº 435 B, fol. 102 vº.)

« *Eidem.* Intimasti nobis quod nonnulli clerici et persone ecclesiastice personatus et dignitates, ecclesias et beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in tuis civitate et diocesi obtinentes, debitam residentiam in eis facere et se promoveri ad ordines, prout eorum onus requirit, indebite pretermittunt, quanquam eorum percipiant cum integritate proventus, propter quod personatus, dignitates, ecclesias et beneficia hujusmodi debitis defraudantur obsequiis et in eis cura negligitur animarum.

Nos itaque gerentes de tua circumspectione fiduciam [in Domino specialem], fraternitati tue hujusmodi clericos, quod in personatibus, dignitatibus, ecclesiis et beneficiis ipsis debitam residentiam faciant et ad ordines, quod [1] eorum onus requirit, se faciant statutis a jure temporibus promoveri, illis exceptis qui nostris et fratrum nostrorum obsequiis immorantur vel qui super hoc apostolicis indulgentiis ostenderint se munitos, per subtractionem dictorum proventuum, appellatione postposita, compellendi plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

503 Bolsena, 29 avril 1304.

Cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Christinæ de Vulsena, Urbevetanæ diocesis, in festivitatibus ejusdem sanctæ devote visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit. (nº 436 A, fol. 102 vº.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria — Dat. Vulsene, III kalendas maii, anno primo. »

504 Au Latran, 15 février 1304.

Episcopo Florentino mandat ut juxta tenorem cujusdam sententiæ, quam apud Sedem Apostolicam Daynesius de Casalia

1. Il faut sans nul doute corriger « quos. »

clericus meruit obtinere, ipsum Daynesium inducat in possessionem plebanatus plebis de sancto Apiano, Florentinæ diocesis, quem in dicti Daynesii damnum et gravamen Petrus de Gerardinis ejusque in hac parte complices contra justitiam detinere præsumunt. Citentur quoque Petrus et complices prædicti ad comparendum coram conspectu apostolico super præmissis parituri. (nº 436 B, fol. 103.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Florentino.* Exposuit nobis dilectus filius Daynesius de Casalia, plebanus plebis de sancto Apiano, tue diocesis, quod quondam frater Petrus de Morrono, tunc Celestinus papa V[us], antecessor noster, volense idem Daynesio, obtentu venerabilis fratris nostri J[ohannis], episcopi Tusculani, gratiam facere specialem, plebanatum dicte plebis tunc vacantem apud Sedem Apostolicam per mortem quondam Benevenuti, plebani plebis ejusdem et capellani dicti episcopi, dicto Daynesio duxit auctoritate apostolica conferendum, certis super hoc sibi per antecessoris ejusdem litteras executoribus deputatis. Et cum idem Daynesius easdem litteras infra tempus per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, peremptorie assignatum illis qui ab eodem antecessore hujusmodi gratias habuerant, ipsius predecessoris et dicte Sedis conspectui presentasset, idem predecessor volens ut dicto Daynesio fructuosa hujusmodi sibi facta gratia redderetur, dictis executoribus suis dedit litteris in mandatis, ut in hujusmodi executionis negotio auctoritate sua appellatione remota procederent, juxta predictarum [directarum] eis super hoc dicti antecessoris continentiam litterarum.

Verum a collatione hujusmodi et processibus dictorum executorum super hoc habitis, ex parte Petri de Gerardinis, asserentis se plebanum dicte plebis et esse in possessionem ipsius, et quorumdam canonicorum ejusdem plebis fuit ad Sedem Apostolicam appelatum : idemque predecessor causam hujusmodi appellationis et negotii principalis venerabili fratri nostro Pap[iniano], episcopo Parmensi, Ecclesie Romane vicecancellario, tunc canonico Laudunensi et capellano suo et causarum apostolici palatii auditori, audiendam commisit et fine debito terminandam.

Sed postmodum predictus Daynesius, post nonnullos auditores in causa hujusmodi per eundem predecessorem datos ac diversos processus in causa ipsa habitos, super jamdicto plebanatu diffinitivam sententiam meruit obtinere, dictusque Petrus eidem Daynesio in fructibus ex dicto plebanatu perceptis et qui percipi potuerunt a tempore dicte sententie, nec non et in expensis factis in causa predicta extitit condempnatus. Et licet idem predecessor postmodum quod super hiis provide factum erat ratum et gratum habens ac id auctoritate apostolica confirmans, certis executoribus per suas litteras duxerit injungendum ut illud per se vel alium seu alios executioni debite demandarent, contradictores, etc., usque : compescendo, et licet tu dictum Daynesium sive procuratorem suum ejus nomine in possessionem dicti plebanatus ac jurium et pertinentiarum ejus, ad mandatum eorum executorum tibi in hac parte vices suas committentium, auctoritate litterarum hujusmodi induxeris corporalem, mandans eadem auctoritate dicto Daynesio sive ipsius procuratori pro eo de predictis fructibus et expensis juxta condempnationem premissam integre satisfieri, in contradictores et rebelles excommunicationis sententia promulgata, tamen dictus Petrus animum obfirmans ad malum, adjunctis sibi Paulo et Bartolomeo ,nepotibus suis, quos ipse de facto in canonicos instituit dicte plebis, non solum eidem Daynesio de fructibus et expensis predictis satisfacere denegat, verum etiam dictum Daynesium sive procuratorem suum pro ipso, quominus plebanatum predictum pacifice possidere valeat ac fructus, redditus et proventus percipiat ex eodem, contra justitiam impedire presumit, ac nichilominus tam ipse quam dicti Paulus et Bartolomeus, qui prefato Daynesio in hac parte contradictores et rebelles existunt, eandem excommunicationis sententiam, quam propter hoc incurrisse noscuntur, dampnabiliter contempnentes divina officia celebrant sicut prius, etiam in ecclesiis ecclesiastico suppositis interdicto, nec hiis contenti, de mandato Bernardini, plebani plebis de sancto Donato, dicte diocesis, fratris dicti Petri et canonici plebis predicte, qui eos in hujusmodi eorum nequitia fovere non cessat, fructus, redditus et proventus ac bona alia plebis predicte de sancto Appiano nequiter percipiunt, diripiunt et consumunt, ea propriis applicare usibus non verentes, ac nonnulla alia contra Daynesium et procuratorem suum committendo enormia, que in contemptum Apostolice Sedis redundant et homines scandalizant.

Cum itaque nos nolumus, sicuti nec debemus, talia conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si premissa veritate nitantur, per te vel alium seu alios eidem Daynesio sive procuratoribus suis pro eo presidio defensionis assistens, non permittas eum super plebanatu prefato ac ejus fructibus, redditibus et proventibus, obventionibus et juribus universis a predictis Petro et ejus nepotibus sive a dicto plebano de sancto Donato vel aliquibus aliis indebite molestari, faciens dictum Daynesium, sive dictum procuratorem pro ipso illorum pacifica possessione gaudere, sibique de prefatis fructibus et expensis juxta condempnationem jamdictam satisfactionem plenariam exhiberi, contradictores et molestatores hujusmodi per

censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Et ne prefati Petrus et Paulus ac Bartholomeus, nepotes ipsius, dictusque plebanus de sancto Donato de sua possint nequitia gloriari, ipsos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quindecim dies post citationem tuam personaliter compareant coram nobis, pro meritis recepturi ac facturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Dat. Laterani, xv kalendas martii, anno primo. »

505 Au Latran, 10 février 1304.

Oliverio, nato Cabrii de Modoetia, reservatur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in civitate Mediolanensi vel diocesi. (n° 437, fol. 103.)

« *Dilecto filio Oliverio, nato dilecti filii nobilis viri Cabrii de Modoetia, canonico ecclesie sancti Georgii in Palatio Mediolanensis.* Tua et tuorum sincera — Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. preposito sancte Marie ad Fulcormum ac .. archidiacono et Manfredo Litte, canonico Mediolanensis ecclesiarum.

506 Au Latran, 15 février 1304.

Archiepiscopo et capitulo Lugdunensibus concedit ut fructus, redditus, proventus ac obventiones primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quæ vacant ad præsens in provincia Lugdunensi vel usque ad triennium vacare contigerit, quibusdam tamen exceptis, libere percipiant in ipsius ecclesiæ Lugdunensis debitorum solutionem et onerum supportationem plenarie convertendos. (n° 438 A, fol. 103 v°.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Lugdunensibus.* Licet ex debito pastoralis officii, nobis licet immeritis superni pastoris dispositione commissi, circa quarumlibet ecclesiarum necessitates sollicite vigilemus, tamen illarum ecclesiarum indigentiis specialius adesse nos convenit, que abolim in bonis temporalibus habundantes, per oppressiones varias et diversas occupationes bonorum et jurium earumdem ad diminutionem non modicam suorum reddituum et proventuum sunt redacte et alias debitorum onere occasione hujusmodi pregravate.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod Lugdunensis ecclesia ob multimodas occupationes et invasiones bonorum et jurium ipsius, a nonnullis illarum partium dampnali temeritate presumptas, in perceptione fructuum, reddituum et proventuum suorum fore conspicitur non modicum diminuta, et quod vos pro defensione bonorum et jurium predictorum oportuit et oportet gravia subire onera expensarum, et ob hoc vos et eadem ecclesia estis gravi debitorum sarcina pignorati, a quibus, nisi per apostolice provisionis et subventionis auxilium vobis et eidem ecclesie succurratur, absque gravi lesione et distractione bonorum ecclesie memorate non potestis aliquatenus liberari nec predicta sufferre onera expensarum. Quare nobis humiliter supplicastis ut super hoc providere vobis et eidem ecclesie de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur attenta meditatione pensantes vestram et predecessorum vestrorum devotam obedientiam et devotionem sinceram, quam ad Ecclesiam Romanam inconcusse habuistis hactenus et vos habetis, et per hoc volentes prout debemus vos et eandem ecclesiam dilectioni prosequi speciali, et ad ea que vestrum comodum et statum quietum et prosperum ac vestrorum conservationem jurium respicere dinoscuntur, apostolici favoris auxilium quantum cum Deo possumus prompto animo impertiri, vestris supplicationibus inclinati, vobis fructus, redditus, proventus et obventiones primi anni omnium ecclesiarum, prioratuum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam si personatus et dignitates existant et curam habeant animarum, que in civitate et diocesi ac provincia Lugdunensibus vacant ad presens vel usque ad triennium quocumque modo vacare contigerit, illis exceptis que ad dispositionem alicujus vel aliquorum exemptorum spectare noscuntur, auctoritate apostolica percipiendos a vobis de gratia concedimus speciali pro exoneratione debitorum hujusmodi et dictis oneribus facilius supportandis, ita tamen quod per hoc receptis et recipiendis in Lugdunensi et aliis ecclesiis quibuscumque in predictis civitate et diocesi ac provincia constitutis, qui beneficia auctoritate predicta expectant [1] in eisdem ecclesiis vel etiam expectabunt, nullum quo ad assecutionem prebendarum et beneficiorum ipsorum prejudicium generetur;

Non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis generalibus vel specialibus seu litteris apostolicis sub quacumque forma vel expressione verborum personis quibuscumque concessis, per que effectus presentium impediri valeat vel differri, et de quibus in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, proviso quod hujusmodi fructus, redditus et proventus in alios usus quam in so-

1. Ms : « expectent. »

lutionem debitorum et supportationem onerum predictorum minime convertantur, et quod ecclesie, personatus, prioratus, dignitates et beneficia hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xv kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii Savignacensis, Lugdunensis diocesis, et .. priori beate Marie de Plateria Lugdunensis ac .. camerario ecclesie sancti Pauli Lugdunensis.

507 Au Latran, 13 mars 1304.

Concedat Barensis archiepiscopus cuidam personæ tabellionatus officium. (n° 438 B, fol. 104.)

« *Venerabili fratri Renicaldo, archiepiscopo Barensi.* Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum personarum, que contractus legitimos, acta judiciorum et alia hujusmodi redigant in publica documenta, sepe defectus in illis partibus habeatur, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, concedendi tabellionatus officium uni persone, quam [1] ad illud post diligentem examinationem ydoneam esse reppereris, ab ea juramento juxta formam presentibus annotatam recepto, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Forma autem juramenti, quod ipsa persona prestabit, talis est :

« Ego juro quod ab hac hora in antea fidelis ero beato
» Petro et sancte Romane Ecclesie ac domino Benedicto
» pape XI° et successoribus ejus canonice intrantibus.
» Non ero in consilio, etc., ut in forma usque in finem. »

Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

508 Au Latran, 11 mars 1304.

Potestatis et consilii civitatis Vicentinæ supplicationibus inclinatus, ipsis notum facit se inhibere ne contra cives de urbe prædicta vel ejus districtu, qui, relictis erroribus Ezzolini de Romano quibus olim adhæserant, nunc in fide catholica sunt constantes, ullus inquisitor hæreticæ pravitatis quomodolibet procedere de cætero præsumat. (n° 439 A, fol. 104.)

« *Dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni civitatis Vicentine.* Quanto devotiori studio nos et Sedem Apostolicam vestra devotio reveretur, tanto libentius apostolici presidia favoris apponimus circa statum vestrum prospere conservandum, providendo libenter tranquillitati vestre, ac hiis ex quibus gravamen vobis provenire valeat occurrendo, ut sicut eandem Sedem favorabilem vobis et propitiam fore senseritis, sic eam velut matrem vestram et dominam plenitudine reverentie, more devotorum filiorum, intimis affectibus honoretis.

Dudum siquidem, prout ex parte vestra fuit expositum coram nobis, tempore persecutionis quondam Ezzolini de Romano, qui in illis partibus publice fovebat hereticos ac deprimebat fidei orthodoxe cultores, multi de civitate vestra et ejus districtu, ob timorem ipsius suorumque sequacium cum eisdem hereticis conversantes, ipsorum erroribus adheserunt, sed eadem persecutione cessante, tam ipsi quam descendentes ex eis, hujusmodi erroribus relictis, in fide catholica sunt constantes, contra quos si occasione eorum que tempore dicte persecutionis gesta fuerunt inquireretur ad presens, gravia de facili possent ibidem scandala suboriri.

Nos autem hujusmodi scandalis et gravaminibus occurrere vestreque quieti volentes paterna diligentia providere, vestris supplicationibus inclinati, ne contra aliquos de civitate et districtu predictis vel illorum bona, pretextu eorum que per eos aut progenitores ipsorum tempore persecutionis ipsius acta fuerunt, dummodo non sint alias cujusvis erroris fermento respersi, inquiratur vel quomodolibet procedatur per inquisitorem aliquem heretice pravitatis in illis partibus deputatum vel etiam deputandum auctoritate apostolica districtius inhibemus, decernentes exnunc irritum et inane si quid contra hujusmodi nostram inhibitionem contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, v idus martii, anno primo. »

509 Au Latran, 11 mars 1304.

Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus mandat, ut officium suum in illis partibus taliter studeant exercere, quod ad Sedem Apostolicam occasione processuum quos fecerint clamor ulterius non ascendat. (n° 439 B, fol. 104.)

« .. *Inquisitoribus heretice pravitatis in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus deputatis.* Gravem dilectorum filiorum .. potestatis, consilii et comunis civitatis Vicentine querimoniam recepimus continentem, quod per inquisitores heretice pravitatis in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus hactenus constitutos ac officiales eorum contra multos de civitate predicta et ejus districtu, qui erant et sunt catholici et fideles, propter calumpnias illos accusantium et denuntiantium fraudulenter ac tes-

1. Ms : « quod. »

tium contra ipsos deponentium malo modo multi habiti sunt processus iniqui, qui quidem processus revocandi essent de jure in totum vel in melius reformandi, ac accusatores, denuntiatores et testes predicti pena debita castigandi.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus in premissis, quantum justitia suadebit, vestrum studeatis officium sic efficaciter exercere, quod ad nos de talibus clamor ulterius non ascendat. Dat. ut supra. »

510 Au Latran, 10 février 1304.

Magistro cæterisque personis ordinis Humiliatorum notum facit se juxta tenorem cujusdam privilegii Innocentii papæ IV statuisse, ut nec præpositus et fratres domus s. Johannis de Alexandria, ordinis ejusdem, Aquensis diocesis, nec quævis alia persona de visitatione vel correctione domorum dicti ordinis, aut de approbatione præpositorum earumdem se imposterum aliquatenus intromittant. (n° 440 A, fol. 104; POTTH., n° 25361.)

« *Dilectis filiis .. magistro, prepositis, prelatis ceterisque fratribus et sororibus ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Ordinem vestrum per Illius gratiam, qui humiliavit semetipsum pro nobis, in humilitate fundatum paternis affectibus prosequentes, libenter illum gratiis condignis attollimus, ex quibus status ipsius de bono semper in melius augeatur.

Porrecta siquidem nobis ex parte vestra petitio continebat, quod licet felicis recordationis Innocentius papa III^us^, predecessor noster, duxerit statuendum ut in eodem ordine quatuor essent prepositi principales, quorum singuli annis singulis successive universis domibus professionis eorum officium visitationis impenderent, et electum ad preposituram alicujus ecclesiarum dicti ordinis approbarent, et exinde prepositos cum foret expediens removerent, postmodum tamen pie memorie Innoc[entius] papa IIII^us^, predecessor noster, volens eidem ordini pacem et quietem paterne diligentie studio procurare, ut quasi unum corpus unum capud haberet, noscitur statuisse ut in predicto ordine sit unus magister, qui universo ordini provideat et intendat, universis quoque domibus dicti ordinis, ubi per se ipsum potuerit, quolibet anno aut per personas idoneas in capitulo generali electas officium visitationis impendat, idemque magister visitationis et correctionis super universum ordinem tam in spiritualibus quam in temporalibus plenam obtineat potestatem ; electus vero in prepositum alicujus domus ordinis predicti per magistrum approbetur; quod si forte aliquid commiserit propter quod sit merito amovendus, de consilio quatuor priorum prepositorum ab eodem, si sponte cedere noluerit, poterit amoveri.

Inhibuit quoque dictus predecessor Innoc[entius] IIII^us^, ut nullus episcopus vel quelibet alia persona de instituendo vel destituendo preposito vel prelato dicti ordinis, qui pro tempore fuerit, se aliquatenus intromittat, prout hec in ipsius Innoc[entii] IIII privilegio plenius continentur.

Et licet in aliis locis ejusdem ordinis observetur, quod solum dictus magister vel visitatores in capitulo generali electi juxta tenorem dicti privilegii visitent, solusque magister prepositos approbet, instituat et destituat, prepositus tamen et fratres domus sancti Johannis de Alexandria, ejusdem ordinis, Aquensis diocesis, unitatem dicti ordinis dividere satagentes, ac pretendentes se capud existere quorumdam membrorum ordinis memorati, non solum magistrum ac visitatores in capitulo generali electos ad visitandum se recusant admittere, verum domos aliquas dicti ordinis, quarum se asserunt fundatores, visitare ac corrigere, ac eos qui in ipsarum domorum prepositos eliguntur approbare debere contendunt, quamvis non negent quod premissa etiam ad magistrum pertineant antedictum. Cum autem occasione hujusmodi discordie gravia in eodem ordine scandala sint exorta et super hiis tam in judicio quam extra nonnulli processus habiti, compositiones inite, arbitria promulgata ac appellationes etiam interjecte, nos paci et tranquillitati dicti ordinis providere volentes ac occurrere scandalis antedictis, apostolica auctoritate statuimus quod juxta tenorem dicti privilegii servetur unitas in ordine antedicto, ita quod nec prepositus et fratres predicti de Alexandria nec quevis alia persona ejusdem ordinis de visitatione et correctione quarumvis domorum dicti ordinis nec de approbatione prepositorum earumdem domorum, pretextu approbationis eorum vel alicujus consuetudinis seu possessionis aut alia quacumque occasione, preter tenorem ejusdem privilegii dicti predecessoris Innoc[entii] IIII, se imposterum aliquatenus intromittat, non obstantibus processibus, compositionibus, arbitriis et appellationibus antedictis. Nulli ergo, etc., nostri statuti et constitutionis, etc. Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

511 Au Latran, 10 février 1304.

Archiepiscopis et episcopis ac abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis mandat ut fratres ordinis Humiliatorum, qui sententiam excommunicationis incurrerint pro eo quod, post factam in ordine ipso professionem, de eodem exire præsumpserint, vel reverentiam et obedientiam debitam magistro prædicti ordinis recusarint exhibere, excommunicatos publice nuntiari faciant. (n° 440 B, fol. 104 v°; POTTH., n° 25362.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis ad quos presentes littere pervenerint.* Significarunt nobis dilecti filii magister et fratres ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quod nonnulli de ordine ipso, quandoque animi levitate, quandoque alia de causa minus rationabili, post factam in ipso professionem exire presumunt, ac frequenter alii fratres dicti ordinis, spiritu rebellionis assumpto, eidem magistro obedientiam ac reverentiam debitam exhibere recusant, in animarum suarum periculum et scandalum ordinis supradicti.

Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus illi, quos dicti magister et fratres ab eodem magistro excommunicatos ex causis hujusmodi nuntiabunt, nisi, postquam a vobis moniti fuerint, diligenter ad ordinem predictum redire, ibidem regulariter moraturi, dictoque magistro obedientiam ac reverentiam sibi debitam exhibere curaverint, tandiu excommunicatos publice nuntietis et faciatis ab aliis nuntiari et ab omnibus arcius evitari, donec ad dictum ordinem humiliter revertantur et dicto magistro obedientiam et reverentiam exhibeant ut tenentur. Dat. ut supra. »

512 Au Latran, 10 février 1304.

Magistro, præpositis et fratribus ordinis Humiliatorum concedit ut in domibus, grangiis et locis sui ordinis possint construere oratoria ibique habere altaria portatilia. (n° 441 A, fol. 104 v°; Potth., n° 25360.)

« .. *Magistro, prepositis et fratribus ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Meritis vestre religionis — Dat. ut supra. »

513 Au Latran, 10 février 1304.

Christi fidelibus, qui ad reædificationem et ampliationem domus de Braida, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis dioecesis, manum adjutricem porrexerint, indulgentiam centum dierum elargitur. (n° 441 B, fol. 104 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. ut supra. »

514 Au Latran, 10 février 1304.

Instrumentum præsentibus annotatum confirmat, quo rector ecclesiæ s. Salvatoris ad Ortum Mediolanensis quasdam terras, ad eandem ecclesiam pertinentes, præposito et fratribus domus de Mirasole, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis concessit, jure libellario sub certo annuo censu dictæ ecclesiæ solvendo. (n° 442 A, fol. 104 v°.)

« .. *Preposito*[1] *et fratribus domus de Mirasole, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod dilectus filius .. rector ecclesie sancti Salvatoris ad Ortum Mediolanensis quasdam terras cultas et incultas ad eandem ecclesiam pertinentes, consuetas aliis sub annuo redditu seu affictu certe quantitatis bladi libellario jure concedi, vobis et successoribus vestris, cum ad supportanda onera vobis incumbentia facultates vestre nequaquam sufficerent, sub annuo censu certe quantitatis pecunie annuatim dicte ecclesie persolvendo dicto jure concessit, .. vicarii venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Mediolanensis, ab eo super hoc sufficiens mandatum habentis, ad id accedente consensu, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Tenorem vero dicti instrumenti presentibus fecimus annotari, qui talis est :

Milan, 2 mars 1299.

« In nomine Domini. Anno a Nativitate ejusdem M° CC° » LXXXXVIIII°, indictione XII^a, die lune secundo martii, » in domo seu canonica de Mirasole, ordinis Humiliato- » rum, in capitulo seu conventu illius domus more solito » pro infrascripto negotio peragendo specialiter convo- » cato et congregato, in quo capitulo aderant frater Fran- » ciscus, prepositus dicte domus seu canonice, frater » Laurentius, frater Miranus, frater Octo, frater Mussus, » frater Stephanus de Montexello, frater Jacobinus, fra- » ter Paganus, frater Guillelmus de Ghigiano, frater Gi- » rardus, frater Dyonisius, frater Andriolus et frater » Ubertus, omnes fratres dicte domus qui sunt due par- » tes et plus capituli dicte domus, ut dixerunt et protes- » tati fuerunt, investuit libellario nomine usque in per- » petuum ad benefaciendum, ad meliorandum et non » pejorandum, dominus presbyter Robba de Valle, be- » neficialis ecclesie sancti Salvatoris Porte Orientalis, » ejus nomine et illius ecclesie habens parabolam et li- » centiam hec faciendi a domino Petrazano de Petraza- » nis, vicario venerabilis patris domini F[rancisci], sancte » Mediolanensis ecclesie archiepiscopi, ut constat per » litteras patentes sigillatas sigillo cereo pendente dicti » domini vicarii, predictos dominum prepositum et fra-

1. Ms : « Prepositis. »

» tres, recipientes eorum nomine et capituli seu conventus illius domus nominative, de omnibus sediminibus et terris cultis et incultis, pratis, buschis, herbis, vicanalibus et communantiis dicte ecclesie sancti Salvatoris jacentibus et existentibus in loco et territoriis de Maliano, Carpiano, Fayno et circumstantibus locis, seu que dicta ecclesia habet et sibi pertinent in ipsis locis et territoriis, eo tenore quod de cetero usque in perpetuum predicti dominus prepositus et fratres, nomine capituli dicte domus, et ipsum capitulum tenere debeant predicta omnia sediminia et terras libellario nomine ut supra, et dare et solvere debeant et teneantur eidem presbytero Robbe, nomine dicte ecclesie, omni anno pro ficto predictorum omnium libras viginti quatuor tertiolorum in Ambrosinis novis monete nunc currentis, videlicet medietatem in festo sancti Laurentii et aliam medietatem in festo sancti Martini, cum omnibus expensis et damnis et interesse, que fierent pro ipso ficto seu pro ipsis denariis petendis et exigendis termino predicto; et acto et dicto expressim quod si predicti dominus prepositus et fratres et capitulum aliquo tempore starent vel steterint per mensem unum post terminum, quod predictum fictum non solverent ut supra, quod cadant et ceciderint et pro caduti habeantur et teneantur ab hac investitura et jure libellario [1], et extunc dictus presbyter Robba, nomine dicte ecclesie, et ipsa ecclesia facere possint de predictis omnibus sediminibus et terris quicquid voluerint tanquam de re sua, non obstante consuetudine Mediolanensi continente, quod si res libellaria petatur eo quod in solutione ficti cessatum sit, quod tunc sacramentum defertur libellario ut juret quod in solutione ficti non est cessatum, ubi contrarium non probatur. Cui consuetudini expressim renuntiaverunt, salvo quod si propter guerram dicte terre laborari non possent, quod tunc dicti prepositus et fratres et capitulum non teneantur de prestatione et solutione dicti ficti; et eo acto et dicto quod si predicti prepositus et fratres et capitulum aliquo tempore vendere vellent dicta sediminia et terras, quod hoc denuntiare teneantur dicto presbytero Robbe vel suis successoribus, nomine dicte ecclesie, et si ea sediminia et predictas terras emere vellent, quod ea et eas habere possint pro denariis xii^cim pro pertica minus quam aliunde numerate haberi poterit. Et si nollent eas emere, quod novus emptor teneatur ab eo presbytero Robba, nomine dicte ecclesie, seu ab ipsa ecclesia recipere similem investituram de predictis, et tunc ipsi fratres dare debeant dicto presbytero Robbe soldos duos tertiolorum pro investitura.

» Que omnia predictus dominus prepositus de voluntate et consensu dictorum fratrum suorum, et ipsi omnes fratres de licentia et mandato dicti prepositi sui promiserunt et vadiam dederunt et omnia bona dicte domus et congregationis et capituli pignora obligarunt suprascripto presbytero Robbe, recipienti nomine dicte ecclesie, attendere et observare et dare et solvere et restituere ei, predicto nomine recipienti, omnes expensas et dampna et interesse, que fierent pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis et consequendis. Que omnia fecerunt predicti prepositus et fratres, ita quod ad predicta omnia possit omni tempore conveniri, si agi contigerit occasione predictorum, renuntiantes quod non possint aliquo tempore opponere vel allegare causas collocatas vel collocandas vel ferias ordinarias solennes vel repentinas vel aliut interdictum causarum, nec dicere se velle dare nec ipsum presbyterum Robbam suprascripto nomine cogendum esse recipere in solutum pro predictis vel aliquo predictorum cartas vel notas debiti comunis Mediolanensis nec aliquid aliud nisi pecuniam numeratam, et statuto facto per comune Mediol[anense] quod statutum dicitur *paratitorum*, et omnibus [1] aliis statutis, ordinamentis, consiliis et arengis factis vel faciendis et omni alii juri, auxilio et defensioni usus et legis, quibus se tueri possent, quibus omnibus ex certa scientia et pacto speciali renuntiaverunt. Actum in predicta domo, in loco capituli dicte domus, coram Borrino de Nicolao civitatis Mediolanensis pronotario. Interfuerunt Nicolla, filius quondam Morandi Massarzii de Cassinis de Novarasca, notarius, et Petrus, filius quondam Jacobi Bolgareni porte Vercelline, qui habitat in dicta domo, et Jacobus, filius quondam Aderardi Lupi de Bustiarsizia, qui similiter habitat in ea domo. Ego Nicolinus, filius quondam domini Burri de Nicolao, civitatis Mediolanensis porte Orientalis, parrochianus sancti Petri ad Ortum, notarius tradidi [2] et subscripsi. Ego Johanninus, filius quondam Cabrii de Birago, civitatis Mediolanensis porte Cumane, notarius scripsi. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. ut supra. »

515 Au Latran, 10 février 1304.

Magistro ordinis Humiliatorum indulget, ut fratres excommunicatos sui ordinis absolvere possit ac dispensare cum eis in

1. Ms : « libello. »

1. Ms : « ab omnibus. »
2. Ms : « traditi. »

casibus infradictis. Valeat ipse magister, quotiens opportunum fuerit, a confessoribus suis similis absolutionis vel dispensationis beneficium obtinere. (n° 442 b, fol. 105; Potth., n° 25358.)

« .. *Magistro ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Quia proni sensus hominis ab adolescentia sunt ad malum, et caro semper vergit in culpam ex humana fragilitate, contingit quod fratres tui ordinis excedunt in casibus ex quibus sententias excommunicationum et notas irregularitatis incurrunt.

Volentes igitur eorum in hac parte providere saluti, ne oporteat eos discurrere pro dispensationis vel absolutionis gratia obtinenda, discretioni tue absolvendi juxta formam Ecclesie eos ex dictis fratribus, qui per superiores suos dicti ordinis excommunicationum fuerint ligati sententiis vel eas incurrerint pro transgressione statutorum ordinis memorati, ac dispensandi cum illis ex eisdem fratribus qui dispensatione indiguerint in casibus, qui non sint Sedi Apostolice reservati, liberam et plenam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Volumus insuper quod fratres ejusdem ordinis, quos tu in confessores tuos duxeris eligendos, tibi possint quotiens indigueris de similis absolutionis et dispensationis in eisdem casibus beneficio providere. Dat. ut supra. »

516 Au Latran, 10 février 1304.

Eidem concedit facultatem uniendi illas ex domibus sui ordinis, de quarum unione ordini dicto commoditas ac personis in eis degentibus quies et salus provenient animarum. (n° 443 a, fol. 105; Potth., n° 25359.)

« .. *Magistro generali ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* De provisionis nostre — Dat. ut supra. »

517 Au Latran, 5 février 1304.

Indulgentia centum dierum conceditur cunctis fidelibus, qui capellam hospitalis Lamberti dicti Pedis in Ipra, Morinensis diocesis, in s. Stephani ac b. Mariæ festivitatibus et in anniversario die dedicationis ipsius capellæ devote visitarint. (n° 443 b, fol. 105 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is de cujus — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

518 Au Latran, 17 février 1304.

Confirmat Johannem, quem ex abbate monasterii s. Angeli de Gaifa, ordinis s. Benedicti, Urbinatis diocesis, capitulum Forosinfroniensis ecclesiæ per viam compromissi in episcopum elegit. (n° 444, fol. 105 v°; * Potth., n° 25371.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Forosinfroniensi.* Dum ad universalis orbis ecclesias, quarum cura nobis iminet generalis, juxta pastoralis officii debitum dirigimus considerationis intuitum, earum propensior sollicitudo nos angit, que propriis destitute pastoribus vacationis incomodis exponuntur.

Vacante siquidem nuper ecclesia Forosinfroniensi per obitum bone memorie Munaldi, episcopi Forosinfroniensis, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie pro futuri facienda substitutione pastoris, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad hoc prefixa, convenientes in unum ac deliberantes per viam procedere compromissi, dilecto filio Thome, archipresbytero ejusdem ecclesie, providendi ea vice dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in episcopum Forosinfroniensem recipere, de quo dictus archipresbyter ipsi ecclesie provideret. Dictus vero archipresbyter, hujusmodi compromisso recepto, ad provisionem dicte ecclesie diligenter intendens ac deliberatione super hoc habita, prout ejusdem negotii qualitas exigebat, ad te tunc abbatem monasterii sancti Angeli de Gaifa, ordinis sancti Benedicti, Urbinatis diocesis, consideratis muneribus gratiarum quibus te noverat insignitum, mentis oculum dirigens, te in episcopum Forosinfroniensem elegit ac electionem hujusmodi coram ipsis capitulo solenniter publicavit. Tuque hujusmodi electioni consentiens, una cum dicto archipresbytero et Guidone, canonico dicte ecclesie, procuratoribus dicti capituli, ad Sedem Apostolicam accessisti pro ipsius electionis negotio prosequendo.

Presentato itaque nobis hujusmodi electionis decreto ac in hiis omnibus statutis a jure temporibus observatis, nos electionem eandem tueque persone merita per venerabilem fratrem J[ohannem], episcopum Tusculanum, et dilectos filios nostros Gentilem, tituli sancti Martini in Montibus presbyterum et F[ranciscum], sancte Lucie in Silice diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et quia illam invenimus de te persona ydonea canonice celèbratam, ipsam de episcopi Tusculani et cardinalium predictorum ac aliorum fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, preficientes te ipsi ecclesie in episcopum et pastorem, tibique deinde per eundem episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi, firma de te concepta fiducia quod, cum sis vir litterarum scientia preditus, morum gravitate decorus, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et provi-

dentiam circumspectam salubriter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad eandem ecclesiam sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic te in ejus ampliandis comodis et honoribus promovendis exhibeas diligentem, quod exinde premium retributionis eterne nostramque et dicte Sedis gratiam uberius consequi merearis. Dat. Laterani, XIII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. archipresbytero et capitulo ecclesie Forosinfroniensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Forosinfroniensis.

519 Au Latran, 17 février 1304.

Vacante dudum Vestana ecclesia per decessum Angeli episcopi, Gabriel, abbas monasterii de Pulsano, ordinis s. Benedicti, Sypontinæ diocesis, fuit in successorem ipsius Angeli canonice electus : qui postmodum omne jus quod sibi competebat ex electione prædicta in manibus Albanensis episcopi sponte sua resignavit. Unde Benedictus XI, Landulfo, s. Angeli diacono cardinali, commisit ut eidem ecclesiæ de pastore idoneo provideret. Dictus igitur cardinalis ad provisionem hujusmodi diligenter intendens, fratrem Johannem ordinis Heremitarum s. Augustini in Vestanum episcopum nominavit. Eundem Johannem per præsentes litteras Benedictus confirmat. (nº 445, fol. 105 vº.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Vestano.* Licet ea que — Dat. Laterani, XIII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono et capitulo ecclesie Vestane.

In e. m. .. archiepiscopo Sypontino.

520 Au Latran, 14 février 1304.

Cunctis fidelibus, qui episcopo et capitulo Lemovicensibus pia subsidia et eleemosynas contulerint pro reædificatione cathedralis ecclesiæ vetustate consumptæ, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit. (nº 446, fol. 106.)

« *Universis Christi* [*fidelibus*] *presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis manum — Dat. Laterani, XVI kalendas martii, anno primo. »

521 Au Latran, 3 mars 1304.

Olim Gerardus, Sabinensis episcopus, condens ex concessione Sedis Apostolicæ testamentum, monasterio Vallis Serenæ, Parmensis diocesis, quod construi fecerat, omnia bona sua in ultima voluntate legavit. Cum vero quamplures ecclesiasticæ personæ in regno Siciliæ constitutæ certas pecuniæ quantitates detineant, in quibus ipsi Gerardo tempore obitus ejus tenebantur, Benedictus XI mandat episcopo Casertano, moneat et inducat personas easdem ut juxta dispositionem ipsius Gerardi prædictas summas sine contradictione qualibet exhibeant monasterio supradicto. — Eadem littera mittitur episcopo Regino, ut compellat quasdam personas provinciæ Lombardiæ ad exhibendum monasterio Vallis Serenæ pecuniarum summas quas similiter detinent. (nº 447, fol. 106.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Casertano.* Petitio dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Vallis Serene, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, nobis exhibita continebat quod olim bone memorie G[erardus], Sabinensis episcopus, dum viveret, cepit edificari facere monasterium supradictum, et tempore sui obitus affectans perfici quod pie de ipso monasterio duxerat inchoandum, ac condens ex concessione Sedis Apostolice testamentum, omnia bona sua mobilia et immobilia tunc ad eum spectantia in eodem testamento reliquit[1] monasterio supradicto, et postmodum dicti abbas et conventus auctoritate felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, fuerunt in eodem monasterio instituti.

Cum autem nonnulli archiepiscopi, episcopi, abbates, archidiaconi et alii ecclesiarum prelati, collectores procurationum que dicto episcopo ratione sue legationis debebantur, tempore quo in regno Sicilie ipsius legationis officio fungebatur, ab eodem episcopo specialiter deputati, quasdam pecunie quantitates quas ex predictis procurationibus perceperunt, nec non alie ecclesiastice persone ac nobiles quamplures de partibus dicti regni, que certas pecuniarum summas ab eodem Sabinensi episcopo mutuo receperunt, illas recusent exhibere juxta dispositionem dicti episcopi monasterio memorato, propter quod pia prefati testatoris intentio defraudatur, iidem abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt ut providere eis in hac parte de oportuno remedio dignaremur.

Nos itaque volentes hujusmodi tam salubrem dicti episcopi voluntatem ultimam per nostri favoris presidium adimpleri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus dictos prelatos et collectores decimarum, procurationum et alios de dicto regno, cujuscumque preeminentie, dignitatis, status aut conditionis existant, per te vel alium seu alios ex parte nostra monere procures, ut infra decem dies post monitionem tuam dictis abbati et conventui de hujusmodi pecunie quantitatibus, in quibus eidem episcopo prescripto sui obitus tempore tenebantur, eisdem abbati et conventui vel ipsorum procuratori eorum nomine satisfacere juxta prefatam dispo-

1. Ms : « reliquid. »

sitionem ipsius episcopi non omittant; alioquin peremptorie cites eosdem ut infra unius mensis spatium, predictos decem dies immediate sequentis, per se vel procuratores ydoneos compareant coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, III nonas martii, anno primo. »

« In e. m. venerabili fratri .. episcopo Regino. Petitio, etc. — Dat. ut supra. »

522 Au Latran, 28 janvier 1304.

Valeat Ispalensis archiepiscopus conferre personis idoneis quædam beneficia dudum in civitate vel diocesi Ispalensi vacantia, quorum collatio propter diuturnam hujusmodi vacationem est ad Sedem Apostolicam devoluta. (n° 448 A, fol. 106 v°.)

« *Fernando, archiepiscopo Ispalensi.* Tuam volentes honorare — Dat. Laterani, v kalendas februarii, anno primo. »

523 Au Latran, 28 janvier 1304.

Eidem archiepiscopo concedit facultatem absolvendi quosdam suæ diocesis clericos ab excommunicationis sententia, nec non dispensandi cum illis super irregularitate contracta pro eo quod, predicta ligati sententia, sese divinis officiis immiscuerunt vel ipsa officia celebrarunt. (n° 448 B, fol. 106 v°.)

« *Eidem.* Ex parte tua fuit — Dat. ut supra. »

524 Au Latran, 18 février 1304.

Laurentio de Levanto, presbytero Lunensis diocesis, beneficium ecclesiasticum reservat in esclesia Januensi. (n° 449, fol. 106 v°.)

« *Laurentio de Levanto, presbytero Lunensis diocesis.* Probitatis tue laudabilia merita, super quibus laudabiliter commendaris, exposcunt ut ad personam tuam apostolice liberalitatis dexteram extendamus.

Hinc est quod nos volentes tibi gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, nulli alii de jure debitum, ad collationem, presentationem vel electionem dilectorum filiorum capituli ecclesie Januensis pertinens communiter vel divisim, si quod in civitate vel diocesi Januensi vacat ad presens vel cum vacare contigerit, quod tu vel procurator tuus ad hoc legitime constitutus infra unius mensis spatium, postquam tibi vel ei hujusmodi vacatio innotuerit, duxeritis acceptandum, conferendum tibi donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes dictis capitulo ne de beneficio ipso disponere contra hujusmodi nostram reservationem quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari;

Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesie, in qua hujusmodi beneficium fuerit, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus dicte Sedis, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari, vel legatorum ejus litteras impetrarint; aut si dictis capitulo vel quibuscumque aliis ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de beneficiis ecclesiasticis ad ipsorum collationem, electionem vel presentationem spectantibus cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Nulli ergo, etc., nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, XII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Januensi et .. abbati monasterii sancti Syri Januensis ac Salvo de Pellacano, canonico Lexoviensi.

525 Au Latran, 22 février ou 8 mars 1304.

Cum ecclesia Larinensis pastoris præsidio destituta sit per suspensionem Pasqualis episcopi, committuntur Petro, episcopo olim Cassanensi, cura et administratio ejusdem ecclesiæ ac bonorum ipsius. (n° 450, fol. 106 v°.)

« *Petro, episcopo olim Cassanensi.* Ad ecclesiam Larinensem apostolice considerationis intuitum convertentes, ad ea libenter intendimus per que eadem ecclesia preservetur a noxiis et ad salubria dirigatur.

Dudum siquidem P[asqualis], episcopus Larinensis, fuit certis ex causis a spiritualium et temporalium administratione per bone memorie G[erardum], Sabinensem episcopum, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatum, suspensus. Nos autem ad statum ejusdem ecclesie prospere conservandum paternis studiis intendentes, plenamque gerentes de tua fraternitate fiduciam quod tu illius comoda fideliter et utiliter promovebis, curam et administrationem ejusdem ecclesie ac bonorum ipsius in

spiritualibus et temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis salubriter exercend[as], tibique disponendi interim de bonis predictis, prout ipsius ecclesie utilitatibus noveris expedire, ac faciendi quecumque circa premissa fuerint oportuna, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam et liberam auctoritate predicta tibi concedimus facultatem, omni tibi alienationis genere interdicto.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus curam et administrationem hujusmodi sic sollicite, prudenter et fideliter exercere procures quod digne retributionis premium exinde consequi merearis, nosque devotionem tuam possimus propter hoc non immerito commendare. Dat. Laterani, viii... martii [1], anno primo. »

In e. m. .. archidiacono et capitulo ecclesie Larinensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Larinensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Larinensis.

526 Au Latran, 4 mars 1304.

Vacante dudum ecclesia Satrianensi per obitum Laurentii episcopi, duas electiones contigit per canonicos ejusdem ecclesiæ in discordia celebrari, unam videlicet de fratre Andrea de Orto, ordinis fratrum Prædicatorum, secundam vero de Francisco, rectore ecclesiæ s. Blasii de Trajecto. Cum autem ipsi ambo omne jus, quod sibi competebat ex electionibus prædictis, apud Sedem Apostolicam resignarint, Benedictus eundem Franciscum dictæ Satrianensi ecclesiæ præficit auctoritate propria in episcopum et pastorem. (nº 451, fol. 107.)

« *Francisco, electo Satrianensi.* Licet ecclesiarum omnium — Dat. Laterani, iiii nonas martii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Satrianensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Satrianensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Satrianensis.
In e. m. C[arolo], regi Sicilie illustri.

527 Au Latran, 10 mars 1304.

Valeat idem electus, postquam se fecerit in diaconum et deinde in presbyterum ordinari, munus consecrationis recipere. (*Ibid.*)

« In e. m. Francisco, electo Satrianensi. Sincere tue devotionis — Dat. Laterani, vi idus martii, anno primo. »

1. Le scribe a oublié soit le mot *kalendas*, soit le mot *idus*.

528 Au Latran, 18 février 1304.

Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis in singulis b. Mariæ Virginis festivitatibus. (nº 452 A, fol. 107.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, xii kalendas martii, anno primo. »

529 Au Latran, 18 février 1304.

Quibusdam civibus Mediolanensis civitatis licentiam concedit erigendi ac dotandi altaria in eadem ecclesia. (nº 452 B, fol. 107.)

« .. *Magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis.* Dignum et congruum — Dat. ut supra. »

530 Au Latran, 3 janvier 1304.

Quandam bonorum donationem priorissæ et conventui monasterii s. Margaritæ Vercellensis factam confirmat. (nº 453 A, fol. 107 vº.)

« .. *Priorisse et conventui monasterii sancte Margarite Vercellensis, ordinis sancti Augustini.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod quondam Petrus de Bicheriis, civis Vercellensis, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici comertio commutare, in sua ultima voluntate mandavit, quod ex quibusdam possessionibus positis in loco qui dicitur *Cassire* et alibi in diocesi Vercellensi, pertinentibus ad eundem, pro salute ipsius quoddam fieret hospitale ; sed bone memorie Aymo, episcopus Vercellensis, diligenter attendens quod ex eis propter tenuitatem reddituum eorumdem, qui triginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, fieri congrue non poterat hospitale, possessiones easdem cum earum pertinentiis vobis et per vos monasterio vestro concessit pro vestris necessitatibus relevandis.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo in hac parte pie ac provide actum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, iii nonas januarii, anno primo. »

531 Au Latran, 8 février 1304.

Facta inquisitione super regimine et vita abbatis monasterii s. Nicasii Remensis, contra quem monachi quamplures ejus-

dem cœnobii ad Sedem Apostolicam appellarunt, citentur dictus abbas et duo ex præfatis appellantibus ad comparendum coram summo pontifice, recepturi super hoc quod justitia suadebit. (n° 453 B, fol. 107 v°.)

« .. *Priori sancti Dyonisii et .. preposito ac .. cantori ecclesie Remensis.* Pastoralis officii debitum cui presidemus exposcit, ut de universis ecclesiis et monasteriis sollicite cogitantes, ad eorum reformationem cum expedit paternis studiis intendamus.

Accedentes siquidem ad presentiam nostram dilecti filii Johannes de Carneto, prior de Burbaco, et Johannes Granatarius, monachi monasterii sancti Nicasii Remensis, ordinis sancti Benedicti, nobis exponere curaverunt quod Rogerus, abbas dicti monasterii, incontinentie laborans vicio ac perjurii et alias diversis criminibus irretitus, intolerabilem quoque patiens in litteratura defectum et alias inhabilis ad ipsius monasterii regimen exercendum, statum monasterii predicti subvertit, tranquillitatem turbat ejusque bona adeo dilapidat enormiter et consumit, quod propter ejus insolertiam monasterium ipsum in spiritualibus et temporalibus graviter est collapsum, propter que ac alias causas legitimas dicti monachi contra eundem abbatem ad Sedem Apostolicam appellarunt, ac dilecti filii Stephanus cantor, Poncardus refectarius, Thomas celerarius, Johannes tertius prior dicti monasterii, Johannes de Castro Portuensi, Petrus de Fima, prioratuum priores, Thomas dictus Rex, Gannus de Bectinguilla, Robertus dictus Vastellarius, Johannes de Compendio, Jacopus de Anisio, Symon de Chalon et Adam dictus Bos, monachi monasterii memorati, appellationi hujusmodi adheserunt.

Nos autem nolentes premissa prout etiam nec debemus, si veritate nitantur, sub dissimulatione transire, ne occasione hujusmodi dictum monasterium gravius collabatur, discretioni vestre, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus ad monasterium ipsum personaliter accedentes et habentes preoculis solum Deum, visitetis et inquiratis ibidem tam in capite quam in membris super hiis et aliis, que vobis videbuntur, quecumque visitationis et inquisitionis officio noveritis indigere, que super hiis inveneritis fideliter in scriptis redacta, sub vestris inclusa sigillis, ad nostram presentiam transmissuri, prefixo eidem abbati et duobus de appellantibus vel adherentibus supradictis, de quibus magis vobis videbitur expediens, termino peremptorio competenti, quo compareant personaliter coram nobis mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie parituri, ac alias facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi prefixionis et formam et quicquid inde feceritis nobis per v[estras] l[itteras] ha[rum] s[eriem] con[tinentes] f[ideliter] intimare curetis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

532 Au Latran, 6 mars 1304.

Archiepiscopo Lundensi mandat ut electionem Petri, prioris ecclesiæ Othoniensis, in Othoniensem episcopum diligenter examinet, et si eandem de persona idonea invenerit canonice celebratam, confirmet. (n° 454, fol. 107 v° ; Potth., n° 25384.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Lundensi, Suetie primati.* Licet ad universas — Dat. Laterani, II nonas martii, anno primo. »

533 Au Latran, 29 février 1304.

Maurus, abbas monasterii s. Mariæ de Pratalia, ordinis s. Benedicti, Paduanæ diocesis, præficitur in abbatem monasterio s. Benedicti, ordinis ejusdem, Mantuanæ diocesis. (n° 455, fol. 107 v°.)

« *Mauro, abbati monasterii sancti Benedicti de Padolirono ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis ejusdem sancti, Mantuane diocesis.* De universis orbis ecclesiis et monasteriis juxta pastoralis officii debitum solicite cogitantes, ad ea que ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinent tanto attentius dirigimus considerationis intuitum, cum presertim illa conspicimus vacationis incomoda deplorare, quanto nos eis fore conspicimus specialius obligatos.

Dudum siquidem felicis recordationis N[icolaus] IIII[us] primo et postmodum B[onifatius] VIII[us], predecessores nostri, Romani pontifices, curam et administrationem monasterii sancti Benedicti de Padolirono ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis dicti sancti, Mantuane diocesis, per obitum quondam Johannis, abbatis ejusdem monasterii, tunc vacantis, bone memorie P[hilippo], episcopo Tridentino, certis ex causis usque ad Apostolice Sedis beneplacitum commiserunt. Eodem vero episcopo viam universe carnis ingresso, licet conventus dicti monasterii dilectum filium Nascimbene de Bonacolsis, ejusdem monasterii monachum, patientem in ordinibus et etate defectum, in ejusdem monasterii abbatem duxerint postulandum, nos tamen postulationem hujusmodi nobis presentatam ex causis rationalibus non duximus admittendam, sed postmodum de provisione dicti monasterii, ne diu subiret prolixioris vacationis dispendia, cogitantes, post deliberationem quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, ad te tunc

abbatem monasterii sancte Marie de Pratalia, ejusdem ordinis, Paduane diocesis, cui litterarum scientia, morum gravitas, providentia spiritualium et temporalium circumspectio prout fidedignorum didicimus testimonio suffragantur, convertimus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de te ipsi monasterio sancti Benedicti de fratrum predictorum consilio providemus teque illi preficimus in abbatem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma de te concepta fiducia quod monasterium ipsum sancti Benedicti per te salubriter et prospere dirigetur.

Quocirca mandamus quatinus ad dictum monasterium sancti Benedicti cum nostra gratia et benedictione te conferens, illius regimen sic exercere studeas quod gubernatori provido gaudeat se commissum, tuque proinde gratie divine premium, nostram benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Dat. Laterani, II kalendas martii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Benedicti de Padolirono ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis ejusdem sancti, Mantuane diocesis.

In e. m. universis vassallis et fidelibus monasterii sancti Benedicti.

534 Au Latran, entre le 13 janvier et le 26 mars 1304.

Johanni de Chalona, collectori decimæ dudum impositæ a Bonifatio VIII in infradictis diocesibus, mandat ut pecuniam jam collectam occasione hujusmodi vel in antea colligendam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet nec non per subcollectores suos faciat assignari. (nº 456 A, fol. 108.)

« Benedictus, etc., dilecto filio Johanni de Chalona, preposito Arien[si], Morinensis diocesis, collectori decime pro oneribus et necessitatibus Romane Ecclesie per felicis recordationis Bo[nifatium] VIII, predecessorem nostrum, dudum imposite in Metensi, Virdunensi, Tullensi, Leodiensi et Cameracensi civitatibus et diocesibus, ea parte Cameracensis diocesis que est in regno Francie constituta dumtaxat excepta, deputato, salutem, etc.

Cum felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^us, predecessor noster, tibi, tunc archidiacono Gandensi in ecclesia Tornacensi, collectionem decime per eum imposite pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per triennium duxerit in Metensi, Virdunensi, Tullensi, Leodiensi et Cameracensi civitatibus et diocesibus per suas sub certa forma litteras committendum, nos nolentes ut hujusmodi negotium decime negligatur, sed cupientes potius ut dicta decima in prefatis civitatibus et diocesibus per idem triennium fideliter colligatur, ac gerentes de tua circumspectione fiduciam in Deo specialem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in hujusmodi commisso tibi negotio sicut hactenus sic in antea diligentia exacta procedas juxta predictarum continentiam litterarum.

Ut autem predictam decimam habere possimus impromptu, volumus quod totam pecuniam, quam de ipsa decima ad manus tuas vel illorum, quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputasti vel in antea deputaveris, pervenire contigerit, necnon pecuniam de ipsa decima jam collectam, que aliis mercatoribus de mandato predecessoris ipsius nondum fuerit assignata, dilectis filiis Oliverio Lippo et Naddo de Circulis et Bonacurso Bonincontri, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, camere nostre mercatoribus, vel eorum alteri seu ipsorum vel alterius eorumdem procuratori seu procuratoribus ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet assignes integraliter et per subcollectores a te deputatos vel deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Roma[1] persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi et valore monete que ipsis assignabitur, videlicet ad quot florenorum auri valorem eadem moneta tempore hujusmodi assignationis ascendat, duo similia confici publica instrumenta, illa nobis penes te retentis similibus per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nobis nichilominus per tuas litteras, harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris faciendum, contrario mandato super pecunia dicte decime aliis assignanda per predictum predecessorem facto aliquatenus non obstante. Sic itaque in hac parte vigilanter et fideliter te habere procures, quod possis exinde merito commendari. Dat. Laterani,..... anno primo[2]. »

1. Ms : « in Ro^a. » Ce doit être une erreur du scribe. Dans deux autres pièces semblables on lit *in Romana curia persolvendam*. (Voy. col. 146; et lettre curiale nº 124, fol. 218 du ms.)

2. La date du mois et du jour a été omise. Néanmoins on peut affirmer que la bulle est postérieure au 13 janvier et antérieure au 26 mars 1304.

En effet à la date du 13 janvier (col. 146) nous trouvons en *In eundem modumx* à la suite du nº 181 un mandement identique à celui-ci, et adressé sans nul doute au même personnage. Or dans cette pièce le destinataire porte le titre d'archidiacre de Gand. Ici au contraire il est qualifié (col. 357) d'*ancien* archidiacre de Gand. Par conséquent la lettre ci-dessus est postérieure à la première, c'est-à-dire au 13 janvier. — J'ai dit aussi que la pièce était antérieure au 26 mars. En effet, elle a été donnée au Latran; or nous savons que le 26 mars au plus tard Benoît XI quitta cette résidence pour n'y jamais revenir. (Voy. la table chronologique.)

535 Au Latran, 11 février 1304.

Cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Bartholomæi Tervisini in die dedicationis ipsius et in festivitate ejusdem sancti devote visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (nº 456 B, fol. 108.)

« *Universis* [*Christi fidelibus*] *presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, III idus februarii, anno primo. »

536 Au Latran, 4 mars 1304.

Episcopo Baiocensi supplicante, confertur magistro Symoni de Guibervilla canonicatus in ecclesia Baiocensi ibique præbenda reservatur. (nº 457, fol. 108.)

« *Magistro Symoni de Guibervilla, canonico Baiocensi.* Litterarum scientia qua — Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

In e. m. . . abbati monasterii de Troarno et . . decano sancti Sepulcri de Cadomo, Baiocensis diocesis, ac magistro Jacobo de Rocca, litterarum nostrarum correctori, canonico Noviomensis ecclesiarum.

537 Au Latran, 2 mars 1304.

Petro de Salis confirmat prioratum de Verziano, Cluniacensis ordinis, Brixiensis diocesis, quem ex provisione abbatis monasterii Cluniacensis obtinuerat. (nº 458 A, fol. 108 vº.)

« *Petro de Salis, priori prioratus de Verziano, Cluniacensis ordinis, Brixiensis diocesis.* Laudabile testimonium, quod tibi a fidedignis apud nos de religionis observantia, honestate morum et vite perhibetur, nec non et porrecta nobis pro te dilecti filii Brixiani de Salis, militis Brixiensis, germani tui, devota supplicatio nos inducunt ut personam tuam condignis favoribus foveamus.

Harum igitur consideratione volentes te prosequi gratia speciali, auctoritate tibi presentium indulgemus ut prioratum de Verziano, Cluniacensis ordinis, Brixiensis diocesis, quem obtines ex provisione tibi facta de ipso a dilecto filio .. abbate monasterii Cluniacensis, ad quem ejusdem prioratus dispositio pertinet sicut dicis, possis dum vixeris licite retinere nec a quoquam inde amoveri valeas absque mandato Sedis Apostolice speciali. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

538 Au Latran, 16 mars 1304.

Jacobo et Bicchæ infradictis indulget ut in contracto matrimonio libere remaneant, non obstante quarto gradu consanguinitatis, quo dictus Jacobus olim conjunctus fuit quondam Petro, cujus eadem Biccha uxor erat. (nº 458 B, fol. 108 vº.)

« *Jacobo de Ayrali, nato quondam Guillelmi de Ayrali, et dilecte in Christo filie Bicche, filie Ferrarii de Salliceto, ejus uxori, Albensis diocesis.* Etsi conjunctio copule — Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

539 Au Latran, 31 janvier 1304.

Fratri Claro, monacho monasterii s. Morentii, Forosinfroniensis diocesis, qui se gerit pro abbate monasterii s. Vincentii de Petrapertusa, Urbinatis diocesis, peremptorius terminus assignetur, ut personaliter coram Apostolica Sede compareat super infrascriptis responsurus. (nº 459 A, fol. 108 vº.)

« .. *Abbati monasterii sancti Angeli de Claserña, Eugubine diocesis.* Significarunt nobis . . prior et conventus heremi sancte Crucis Fontis Avellane ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis, quod, cum dudum monasterium sancti Vincentii de Petrapertusa, dicti ordinis, Urbinatis diocesis, adeo in spiritualibus et temporalibus esset collapsum, quod non nisi abbas cum uno monacho remanserat in eodem, venerabilis frater noster . . episcopus Urbinas, ad reformationem ipsius diligenter intendens, monasterium ipsum de voluntate dictorum abbatis et monachi dictis priori et conventui, per quos sperabat illud posse salubriter reformari, cum juribus et pertinentiis suis auctoritate ordinaria concessit, ac dilectus filius noster . . sancti Angeli diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, quod ab eodem episcopo in hac parte actum fuerat sue legationis auctoritate ex certa scientia confirmavit.

Porro dicto monasterio per ipsos priorem et conventum salubriter reformato, cum jam reflorere in spiritualibus incepisset, duo qui se dicebant dicti monasterii monachos illuc nequiter accedentes, abbate et monachis, quos dicti prior et conventus ibi posuerant, exinde violenter ejectis, fratrem Clarum monachum monasteiri sancti Morentii, Forosinfroniensis diocesis, in abbatem dicti monasterii sancti Vincentii de facto eligere presumpserunt. Qui hujusmodi electioni de se facte consentiens, quia dictus episcopus ejectionem eandem sibi presentatam noluit, prout nec de jure poterat, confirmare, propter hoc et alias certas causas ad Sedem appellavit predictam. Et licet idem frater Clarus pro hujusmodi prosequendo negotio ad Sedem se contulerit[1] prelibatam, ibique nonnullis protestationibus factis aliquandiu moram traxerit, .. procuratore tamen dictorum prioris et

1. Ms : « contulit. »

conventus contra eum apud Sedem eandem infra tempus legitimum comparente, dictus frater Clarus exinde recessit non obtenta super hoc licentia nec petita, propter quod a jure cecidit, si quod ei fuisset ex electione hujusmodi acquisitum. Sed ipse nichilominus postmodum electionem eandem per eundem episcopum confirmari sibique munus benedictionis impendi de facto, cum id de jure fieri nequiverit, procuravit, ac deinde administrationi dicti monasterii sancti Vincentii temere se immiscuit et immiscet in anime sue periculum, plurimorum scandalum dictorumque prioris et conventus non modicum detrimentum.

Nos autem nolentes prout etiam nec debemus, premissa si veritate nitantur, sub dissimulatione transire, sed potius ipsis priori et conventui sua jura servare, cum simus omnibus in justitia debitores, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eundem fratrem Clarum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, cum appellationibus, protestationibus, actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, compareat personaliter coram nobis, eisdem priori et conventui super premissis de justitia responsurus ac facturus et recepturus in hac parte quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, ii kalendas februarii, anno primo. »

540 Au Latran, 3 mars 1304.

Arnoldo dicto de Puteo, clerico Coloniensi, conceditur officium tabellionatus. (nº 459 b, fol. 109.)

« *Arnoldo dicto de Puteo, clerico Coloniensi in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria, etc., usque : notarentur.

Hinc est quod predictum officium, ad quod per dilectum filium magistrum Altegratum, electum Vicentinum, notarium nostrum, cui examinationem tuam super hoc commisimus, fuisti repertus ydoneus, tibi auctoritate predicta duximus concedendum, ut illud prudenter et fideliter exequaris et ad te dum necesse fuerit in hiis, que ad officium ipsum pertinent, recurratur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, v nonas martii, anno primo. »

541 Au Latran, 2 mars 1304.

Concessio eadem pro Christiano de Hoynvilla, clerico Morinensis diocesis. — Alia concessio ejusdem officii pro Francisco, nato Oddonis de Lande, clerico. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Christiano de Hoynvilla, clerico in minoribus ordinibus constituto, Morinensis diocesis. Dat. Laterani, vi nonas martii, anno primo. »

« In e. m. Francisco, nato quondam magistri Oddonis de Lande, clerico in minoribus ordinibus constituto. Sub eadem dat. »

542 Au Latran, 13 mars 1304.

Alia concessio similis. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Petro Silvatico de Terracen[a], clerico in minoribus ordinibus constituto. Sub dat. Laterani, iii idus martii, anno primo. »

543 Au Latran, 2 mars 1304.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur eis, qui ecclesiam monasterii s. Syxti de Urbe in festivitate ejusdem sancti ac in feria quarta post tertiam dominicam Quadragesimæ visitarint. (nº 460 a, fol. 109.)

« *Universis [Christi fidelibus] presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, vi nonas martii, anno primo. »

544 Au Latran, 21 mars 1304.

Michaeli de Encra, clerico et familiari domini papæ, conceditur ut, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, valeat fructus ac redditus beneficiorum suorum integraliter percipere. (nº 460 b, fol. 109.)

« *Michaeli de Encra, canonico Atrebatensi, clerico et familiari nostro.* Laudabilia tue merita — Dat. Laterani, xii kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. sancti Petri Corbeyensis, Ambianensis diocesis, et .. sancti Johannis juxta Ambianis monasteriorum abbatibus, ac magistro Petro de Genazano, canonico Meldensi.

545 Au Latran, 2 mars 1304.

Communi Pisanæ civitatis scribit de quibusdam verbis olim a Bonifatio papa viii coram cardinalibus editis super prohibitione commercii cum Sarracenis. (nº 461, fol. 109.)

« *Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, antianis, consilio et comuni Pisanis.* Habet vestra petitio ut vobis declarare et concedere dignaremur, quod vos et illi de territorio civitatis vestre, non obstante quod felicis recorda-

tionis Bo[nifatius] papa VIII^us, predecessor noster, simplici verbo dixerit etiam in Consistorio coram fratribus suis, quod nullus poterat vel debebat ire aut aliquid deferre ad Sarracenorum partes vel Sarracenos ubicumque existentes, suos nichilominus ad eos preteritos processus extendens, possitis ad alias, preter quam Babilonie soldano subjectas, Sarracenorum terras accedere cum mercibus et rebus non vetitis et habere commercium cum Sarracenis terrarum ipsarum.

Nos autem aliquam super hoc non dantes licentiam, vos et predictos territorii memorati, de fratrum nostrorum consilio, solum modo eatenus in predictis astringimus, quatinus in eis canonice constitutiones et nostrorum ac aliorum Romanorum pontificum, qui nos precesserunt, processuum verba vos et sepedictos territorii ejusdem astringunt, memoratis et similibus verbis predicti predecessoris nequaquam obstantibus et habitis pro non dictis. Litteras autem, si quas quibuscumque personis dicta sua verba secutus forsitan idem predecessor concessisset, cujuscumque tenoris existant, predictis constitutionibus et processuum prefatorum verbis non consonas aut concedentes aliquid ultra ea, etsi per mortem dicti Bo[nifatii] expirasse credantur, tamen ad cautelam exnunc, etiam antequam revocatio hujusmodi ad eorum quibus concesse sunt notitiam veniat, penitus revocamus. Dat. Laterani, vi nonas martii, anno primo. »

546 Pérouse, 12 mai 1304.

Eadem epistola communi civitatis Januensis directa. (*Ibid.*)

« In e. m. dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni civitatis Januensis. Sub dat. Perusii, iiii idus maii, anno primo. »

547 Au Latran, 9 janvier 1304.

Electo Arelatensi mandat ut, si hoc viderit expedire, Petro de Thofaliis et Petro de Both, clericis Caturcensibus, nec non Raynaldo de Setia, canonico ecclesiæ s. Caprasii Agennensis, licentiam concedat permutandi adinvicem quædam beneficia. (n° 462, fol. 109.)

« *Venerabili fratri Petro, olim episcopo Noviomensi, electo Arelatensi.* Cum dilecti filii — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

548 Au Latran, 18 mars 1304.

Episcopo Xanctonensi indulget, ut diocesim suam possit per aliquam personam idoneam facere visitari. (n° 463, fol. 109 v°.)

« *Venerabili fratri Guidoni, episcopo Xanctonensi.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Corona, Engolismensis diocesis, et Giraldo de Lobestor ac Radulfo dicto Labessa, can[onicis] Engolismen[sibus].

549 Au Latran, 18 mars 1304.

Faciat idem episcopus recipi in canonicum Xanctonensis ecclesiæ magistrum Petrum Radulfi, ejusdem ecclesiæ presbyterum. (n° 464, fol. 109 v°.)

« *Eidem.* Merita tue fraternitatis — Dat. ut supra. »

550 Au Latran, 18 février 1304.

Liceat magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis recipere usque ad summam mille florenorum auri ea quæ de usuris, rapinis et aliis male acquisitis proveniunt. (n° 465 A, fol. 109 v°.)

« .. *Magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis.* Volentes vestris ac — Dat. Laterani, xii kalendas martii, anno primo. »

551 Au Latran, 18 février 1304.

Christi fidelibus per civitates et dioceses infrascriptas constitutis, qui eleemosynas et subsidia hospitali de Brolio Mediolanensi erogaverint, indulgentiam quadraginta dierum promittit. (n° 465 B, fol. 110.)

« *Universis Christi fidelibus per Mediolanensem, Cumanam, et Laudensem civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. ut supra. »

552 Au Latran, 15 janvier 1304.

Indulgentia centum dierum conceditur fidelibus, qui ecclesiam s. Pauli Narbonensis in duabus festivitatibus dicti sancti devote visitarint. (n° 466, fol. 110.)

« .. *Abbati et capitulo secularis ecclesie sancti Pauli Narbonensis.* In sanctorum festivitatibus — Dat. Laterani, xviii kalendas februarii, anno primo. »

553 Au Latran, 27 février 1304.

Consideratione Bernardi de Vicecomitibus nepotis Gregorii papæ x, confertur Oberto, ejusdem Bernardi filio, canonicatus

in ecclesia Constantiensi eique præbenda non sacerdotalis ibidem reservatur. (n° 467, fol. 110.)

« *Oberto, nato dilecti filii Bernardi de Vicecomitibus, canonico ecclesie Constantiensis.* Laudabilia tue juventutis — Dat. Laterani, IIII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. preposito sancti Antonini Placentini, et .. thesaurario Baioeensis et Grimerio de Artellis, canonico Rothomagensis ecclesiarum.

554 Au Latran, 30 janvier 1304.

Decano ecclesiæ s. Gengulphi Tullensis committit curam et potestatem taxandi et statuendi in monasterio s. Mansueti, ejusdem urbis, ordinis s. Benedicti, certum monachorum numerum, prout pensatis ipsius monasterii facultatibus melius viderit expedire. (n° 468 A, fol. 110.)

« .. *Decano ecclesie sancti Gengulphi Tullensis.* Inter sollictudines alias quibus assidue premimur, hoc precipuum cogitamus, quod ecclesie ac loca religiosa in statu tranquillo et prospero conserventur.

Presentata siquidem nobis dilecti filii .. abbatis monasterii sancti Mansueti Tullensis, ordinis sancti Benedicti, petitio continebat quod ad tranquillum et prosperum statum ipsius monasterii multipliciter cederet, si in eo esset certus monachorum numerus. Quare idem abbas nobis humiliter supplicavit, ut in eodem monasterio statuere hujusmodi numerum auctoritate apostolica dignaremur.

Nos itaque, qui salutem querimus singulorum, ipsius abbatis supplicationibus inclinati, taxandi vel statuendi in prelibato monasterio, de consilio et assensu totius conventus vel majoris et sanioris partis ipsius, certum numerum monachorum, prout pensatis ipsius monasterii facultatibus diligenter secundum Deum melius expedire videris, ac decernendi quod extunc nullus recipiatur in monachum monasterii prelibati, nisi aliquis monachorum deesset de prefato numero, absque licentia Sedis Apostolice speciali, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, auctoritate presentium liberam concedimus potestatem. Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

555 Au Latran, 23 janvier 1304.

Abbatem monasterii s. Mansueti Tullensis rogat et hortatur, ut Trecensi episcopo efficaciter assistens, eundem a vexantibus sollicite tueatur. (n° 468 B, fol. 110 v°.)

« .. *Abbati monasterii sancti Mansueti Tullensis.* Presumentium ministros — Dat. Laterani, x kalendas februarii, anno primo. »

556 Au Latran, 24 janvier 1304.

Monasteria s. Pontiani, s. Bartholomæi, s. Fridiani et s. Georgii civitatis Lucanæ liberat totaliter et absolvit a solutione cujusdam pensionis, quam ex dispositione Bonifatii VIII Hugolino Rustichelli de Massa Pisana, domicello et familiari dicti pontificis, annuatim exhibere tenebantur. (n° 469, fol. 110 v°.)

« .. *Abbati sancti Pontiani et .. sancti Bartholomei extra muros ac .. sancti Fridiani prioribus et .. preposito sancti Georgii monasteriorum Lucanorum, sancti Benedicti et sancti Augustini ordinum.* Sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, olim Bo[nifatius] papa VIII^us, predecessor noster, vobis per suas sub certa forma districte dedit litteras in preceptis, ut Hugolino Rustichelli de Massa Pisana, domicello et familiari suo, quoad viveret, vestrum quilibet pensionem annuam viginti florenorum auri de redditibus et proventibus monasteriorum vestrorum concederet, in festo beati Martini ei vel procuratori suo pro ipso annis singulis persolvendam, injuncto per alias suas certi tenoris litteras venerabili fratri nostro .. episcopo Lucano et dilectis filiis .. priori secularis sancti Petri majoris Lucani et magistro Petro de Eug[ubio], tunc clerico camere apostolice, canonico Asisinatis ecclesiarum, ut si vos hujusmodi ejusdem predecessoris non adimpleretis preceptum, ipsi vel duo aut unus ipsorum per se vel per alium seu alios vos ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coartarent.

Unde predictus Petrus vos et vestrum quemlibet monuit, ut dicto Hugolino juxta predictarum litterarum tenorem pensionem prefatam curaretis liberaliter exhibere; alioquin vobis et vestrum cuilibet ingressum interdicebat ecclesie vosque a divinis etiam suspendebat, et si per octo dies interdictum et suspensionem sustineretis hujusmodi, in vos excommunicationis sententiam promulgabat et predicta monasteria interdicto ecclesiastico supponebat. Sicque vos oportuit extunc per plures annos jam elapsos memorato Hugolino prefatam solvere pensionem. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum ut, cum vos et prefata monasteria tum ex solutione dictorum florenorum, tum ex diversis exactionibus et pressuris quibus vos comune Lucane civitatis affligunt, onera fere importabilia noscamini sustinere, providere vobis in hac parte de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, volentes vos ab hujusmodi pensionis onere relevare, a solutione pensionis prefate pro tempore futuro vos et dicta monasteria vestra apostolica auctoritate absolvimus et totaliter liberamus, premissos et quoslibet alios processus et sen-

tentias propter hoc contra vos et monasteria ipsa per dictos executores vel eorum aliquem seu ipsorum commissarios habitos et prolatos ac easdem litteras omnino carere viribus decernentes. Nulli ergo, etc., nostre absolutionis, liberationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno primo. »

557 Au Latran, 21 mars 1304.

Gaspar de Montasia Campaniæ et Maritimæ rectorem in spiritualibus instituit. (n° 470, fol. 110 v°.)

« *Dilecto filio Gaspar de Montasia, canonico Cumano, Campanie Maritimeque in spiritualibus rectori.* Licet de singulis — Dat. Laterani, XII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. episcopis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus, ceterisque personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis, ac Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus universis, per Campaniam et Maritimam constitutis.

558 Au Latran, 11 mars 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum de Cherio, Taurinensis diocesis, indulget ut de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri valeant recipere. (n° 471, fol. 110 v°.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum de Cherio, Taurinensis diocesis.* Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, V idus martii, anno primo. »

559 Au Latran, 1er février 1304.

Personis infranominatis mandat ut, si Johannem de Organis monachum electum in abbatem monasterii ss. Gorgonii et Viti, ordinis s. Benedicti, Pisanæ civitatis, idoneum invenerint ad ejusdem cœnobii regimen exercendum, ipsius electionem confirment : alioquin dicto monasterio personam aliam præficiant, cui per aliquem catholicum episcopum faciant munus benedictionis impendi. (n° 472, fol. 110 v°.)

« .. *Abbati monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisano et .. priori Predicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Pisanis.* Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias quibus assidue premimur ad ecclesias et monasteria solertiam adhibentes, ipsorum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis monasteriis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter ac temporaliter auctore Domino continuum suscipiant incrementum.

Ex parte siquidem dilectorum filiorum .. prioris et conventus monasterii sanctorum Gorgonii et Viti Pisani ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, fuit propositum coram nobis, quod eodem monasterio per mortem quondam Marci, abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii pro futuri abbatis electione celebranda, die ad hoc prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, prout moris est convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Johannem de Organis, dicti monasterii monachum, virum ut asserunt providum et discretum, vite laudabilis et conversationis honeste, in abbatem ejusdem monasterii concorditer elegerunt.

Et postmodum dicti prior et conventus, cum predictus electus propter infirmitatem proprii corporis qua gravabatur pro hujusmodi prosequenda electione venire ad Sedem Apostolicam personaliter non valeret, per duos ex monachis prefati monasterii, suos ad hoc procuratores et nuntios constitutos, ad eandem Sedem infra tempus legitimum specialiter destinatos, facientes felicis recordationis Bo[nifatio] pape [VIII], predecessori nostro, decretum electionis hujusmodi presentari, ab eodem predecessore humiliter petierunt ut dictam electionem auctoritate apostolica confirmaret. Idem vero predecessor post propositum electionis predicte negotium in Consistorio coram eo, illud per annum et amplius detinuit in suspenso, predictis procuratoribus propter hoc apud dictam Sedem manentibus non sine magnis laboribus et expensis. Et demum dictus predecessor memoratam electionem cassavit, sicque monasterium ipsum vacationis incomoda jam per duos annos et amplius noscitur deplorasse. Quare iidem prior et conventus nobis humiliter supplicarunt ut providere in hac parte dicto monasterio, ne prolixioris vacationis dispendiis subjaceret, paterna diligentia dignaremur.

Nos igitur de ipsius ordinatione monasterii sollicite cogitantes, ac cupientes ei per nostre providentie studium salubriter provideri, gerentes quoque de vestra circumspectione fiduciam in Deo pleniorem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus auctoritate nostra prelibatum Johannem, si ad hoc sufficientem et ydoneum esse reppereritis, vel aliam personam ydoneam, per quam idem monasterium utiliter in spiritualibus et temporalibus gubernari valeat, preficiatis ipsi

monasterio in abbatem, facientes sibi per aliquem catholicum episcopum, gratiam et comunionem Apostolice Sedis habentem, munus benedictionis impendi, ac recipiatis ab illo, de quo eidem monasterio duxeritis providendum, nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solitum juramentum, juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, eique faciatis a dictis priore et conventu ac aliis dicti monasterii subditis obediri humiliter ac intendi et de abbatie ipsius monasterii fructibus, redditibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores, etc.; non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi aut interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem; seu indulgentiis quibus, filii prior et guardiane, ordinibus vestris ab Apostolica Sede dicitur esse concessum, etc., usque : mentio habeatur. Formam autem juramenti quod ipse prestabit de verbo ad verbum nobis per ejus patentes litteras, suo sigillo signatas, per proprium nuntium quam totius destinare curetis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

560 Au Latran, 5 mars 1304.

Consideratione et obtentu fratris Martini ordinis Minorum, capellani Portuensis episcopi, reservatur Bartholomæo, nato Jacobi de Cazago, clerico Brixiensis diocesis, beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in eadem civitate vel diocesi. (nº 473, fol. 111.)

« *Bartholomeo, nato Jacobi de Cazago, clerico Brixiensis diocesis.* Laudabilia merita probitatis — Dat. Laterani, III nonas martii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Asisinati et .. abbati monasterii sancti Faustini et .. preposito ecclesie sancti Johannis de Foris Brixiensis.

561 Au Latran, 8 mars 1304.

Decano et capitulo Morinensibus facultatem concedit convertendi in reparationem ecclesiæ cathedralis per manum sacrilegam incendio perpessæ duo millia librarum Parisiensium, quæ eis bonæ memoriæ Henricus, Morinensis episcopus, in sua ultima voluntate reliquerat, ut de ipsis præbenda una fieret in ecclesia prælibata. (nº 474, fol. 111.)

« .. *Decano et capitulo Morinensibus.* Apostolice Sedis circumspecta benignitas lesis et afflictis ecclesiis sic affectum intime compassionis extendit, quod tanquam in operibus pietatis vehementer exultans, in earum reparandis lesuris et pressuris etiam relevandis ope utili subvenit ac remedium tribuit oportunum.

Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis quod bone memorie Henricus, episcopus Morinensis, habens dum viveret ad cultum divini nominis augmentandum in dicta ecclesia specialis considerationis affectum, apud vos duo milia librarum Parisiensium relinquens, statuit in sua ultima voluntate, ut de ipsis prebenda una fieret in ecclesia prelibata, cujus redditus et proventus valoris annui ejusdem ecclesie prebendis aliis equarentur.

Cum autem dicta ecclesia, imminentibus dudum in illis partibus hostilis persecutionis angustiis, per manum sacrilegam gravis admodum dissipationis jactura ignis incendio sit perpessa, vosque prefatam ecclesiam nequeatis sicut decet et cupitis absque magnis sumptibus reparare, nec de hujusmodi quantitate pecunie prebenda fieri valeat equalis, ut premittitur, in redditibus valoris annui aliis prebendis ecclesie memorate, nobis humiliter supplicastis ut convertendi predicta duo milia librarum in hujusmodi reparationem ipsius ecclesie vobis licentiam concedere dignaremur.

Nos igitur ad statum ecclesie prefate paterne compassionis habentes affectum, vestris supplicationibus inclinati, premissis veris existentibus, convertendi predicta duo milia librarum in reparationem prelibate ecclesie vobis liberam auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso quod hujusmodi pecunia in alios usus quam in reparationem ipsius ecclesie nullatenus convertatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII idus martii, anno primo. »

562 Au Latran, 29 février 1304.

Deodatum, priorem prioratus s. Genii juxta muros Lectorenses, thesaurarium et capellanum suum, monasterio s. Petri de Latigniaco, ordinis s. Benedicti, Parisiensis diocesis, in abbatem præficit. (nº 475, fol. 111 vº.)

« *Deodato, abbati monasterii sancti Petri de Latignaco, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.* Dum sollicite considerationis indagine perscrutamur quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis ecclesiarum et monasteriorum vacatio diuturna, multipliciter nec immerito reddimur attentione solliciti ac operose vigilantie studium adhibemus, ut ecclesiis et monasteriis pastorum solatio destitutis, nubilo viduitatis excluso et vacationis tenebris profugatis, celeris provisionis et utilis votiva celebritas

Dudum siquidem monasterio sancti Petri de Latigniaco, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, per obitum quondam Reginaldi, olim abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, due electiones, una videlicet de fratre Thoma de Vernone, sancti Theobaldi, et altera de fratre Petro de Californo, de Varenis prioratuum prioribus, Parisiensis et Meldensis diocesium, ejusdem monasterii monachis, fuerunt a conventu ipsius monasterii in discordia celebrate.

Hujusmodi autem electionum negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, dicti Thomas et Petrus pro ipsarum electionum prosecutione infra tempus legitimum ad Sedem eandem personaliter accesserunt, sicque negotio ipso coram felicis recordationis Bo[nifatio] papa VIII, predecessore nostro, exposito et apud Sedem ipsam aliquandiu ventilato, demum predicti Thomas et Petrus provide attendentes, quod monasteriis rectorum presidiis destitutis ex litigiorum anfractibus solent dispendia iminere, ac volentes monasterium ipsum a detrimentis que hujusmodi occasione negotii incurrere poterat preservare, omne jus, si quod eorum alterutri ex prefatis electionibus competebat, in manibus ejusdem predecessoris sponte ac libere resignarunt.

Idemque predecessor hujusmodi resignationibus receptis, volens predicto monasterio de persona utili providere, de dilecto filio fratre Egidio, priore majore monasterii sancti Dyonisii in Francia, predicti ordinis, predicte Parisiensis diocesis, dicto monasterio sancti Petri providit. Dictus vero frater Egidius nolens provisioni hujusmodi consentire, se super hoc per suas patentes litteras excusavit.

Nos autem de ipsius monasterii sancti Petri ordinatione celeri, ne diu viduitatis subjaceret incomodis, cogitantes ac cupientes eidem monasterio sancti Petri talem personam preficere in pastorem, per quam possit utiliter in spiritualibus et temporalibus gubernari, ad te tunc priorem prioratus sancti Genii juxta muros Lectorenses, Cluniacensis ordinis, thesaurarium et capellanum nostrum, virum utique litterarum scientia preditum, religione conspicuum, morum honestate decorum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, sicut familiaris experientia probata nos docuit, convertimus oculos nostre mentis, te[que] de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem monasterio sancti Petri in abbatem preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Petri tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma concepta fiducia quod dirigente Domino actus tuos prefatum monasterium sancti Petri per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur et salubria dante Domino suscipiet incrementa.

Jugum itaque Domini reverentia prompta suscipias et suavi ejus oneri colla summitte, prefati monasterii sancti Petri sollicitam curam gerens, gregem dominicum in eo tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tue diligentie studium monasterium ipsum sancti Petri votivis proficere comodis et obtatis consurgere valeat incrementis. Dat. Laterani, II kalendas martii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Petri de Latigniaco.

In e. m. universis vassallis monasterii sancti Petri de Latigniaco.

In e. m. .. episcopo Parisiensi.

563 Au Latran, 17 janvier 1304.

Cum in civitate et diocesi Tarviensi quædam vigeat prava consuetudo, cujus occasione clerici et religiosæ personæ illarum partium a dominis temporalibus eorumque officialibus contra justitiam sæpius molestantur, Benedictus mandat Olorensi episcopo ut præfatam consuetudinem denuntiet circa clericos et personas ecclesiasticas fore nullatenus observandam. (n° 476, fol. 111 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Olorensi.* Petitio venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum cleri civitatis et diocesis Tarviensis nobis exhibita continebat, quod quedam prava consuetudo, que dicenda est potius corruptela, in eisdem civitate et diocesi inolevit, videlicet quod quandocumque aliquis in dictis civitate et diocesi per alium vulneratur, si vulneratus domino temporali, in cujus districtu vulnus hujusmodi est illatum, vel quibuscumque personis aliis nominet illum qui eum vulneravit vel aliquem de astantibus in loco ubi vulneratus extitit, etiam non culpabilem, ad solam nominationem ipsius, nulla super hoc sic nominati defensione admissa, reus dicti vulneris reputatur et compellitur propterea per dominum temporalem ad solvendum tam vulnerato quam eidem domino temporali certas pecunie quantitates, que *lex* in illis partibus vulgariter appellantur [1], et si plura vulnera sibi illata fuerint etiam ab eodem, tot potest de astantibus licet non culpabiles nominare personas, quot vulnera sibi illata fuerunt, qui per temporalem dominum simili modo plectuntur. Quod si vulneratus ipse ex vulneribus sibi illatis vel aliquo eorumdem mori contingat, habetur nominatus quamvis innocens dicti homicidii perpetrator; et si taliter vulneratus ad requisitionem temporalis do-

1. Ms : « appellatur. »

mini vulnerantem cum secundum dictam consuetudinem renuat nominare, vulneratus ipse compellitur solvere temporali domino illam pecunie quantitatem, quam per eum nominatus fuisset pro illato sibi vulnere soluturus.

Ad hec domini temporales eorumque senescalli, bajuli, balivi, officiales et justitiarii dictarum civitatis et diocesis non attendentes, quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla est attributa potestas, clericos tam religiosos quam seculares et personas ecclesiasticas, cum se ad invicem aut laicos vulnerant seu vulnerantur ab eis, aut cum a clericis vel laicis patratoribus vulnerum juxta modum dicte consuetudinis nominantur, etiam si inde homicidium subsequatur, propria temeritate compellunt per captionem personarum et occupationem bonorum ad servandam consuetudinem predictam et solvendum dictas pecunie quantitates, etiam si proponatur ex parte episcopi et clericorum ipsorum coram eis quod de foro ipsorum iidem clerici non existunt, ac idem episcopus se paratum offerat de ipsis clericis justitiam exhibere. Quare iidem episcopus et clerus nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, si tibi constiterit ita esse, prefatam consuetudinem auctoritate nostra denunties circa clericos et personas ecclesiasticas non esse aliquatenus observandam, dictosque temporales dominos, senescallos, bajulos, ballivos, officiales et justitiarios, quod eosdem clericos et personas ecclesiasticas occasione dicte consuetudinis in aliquo non molestent, mo[nitione] pre[missa] per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, pre[via] ra[tione] compellas. Dat. Laterani, XVI kalendas februarii, anno primo. »

564 Au Latran, 18 février 1304.

Inhibet ne quis audeat prætextu cujusdam exactionis vel statuti impedire colonos, massarios vel nuntios hospitalis de Brolio Mediolanensis, quominus ad dictum hospitale redditus et proventus possessionum ipsius deferre possint. (n° 477, fol. 112.)

« .. *Magistro et fratribus hospitalis de Brolio Mediolanensis.* Hospitalitatis opera, que circa Christi pauperes et infirmos in hospitali vestro laudabiliter exercetis, exposcunt ut Apostolica Sedes vos et hospitale predictum gratiis condignis attollat ac prosequatur favoribus oportunis.

Sane licet ad hoc vestra ferventer desudet intentio, ut bona vobis undecumque provenientia in continue hospitalitatis usum ac pium auxilium infirmorum et pauperum ad predictum hospitale confluentium convertatis, nonnulli tamen prout accepimus rectores civitatum, terrarum et locorum illarum partium non attendentes quod ecclesie, hospitalia et ecclesiastice persone ac res ipsorum non solum humano sed etiam divino jure a secularium personarum exactionibus et constitutionibus sint immunes, colonos, massarios et nuntios dicti hospitalis quominus redditus et proventus terrarum et possessionum hospitalis ejusdem, quas in diversis partibus obtinet, ad dictum hospitale pro dictorum infirmorum et pauperum sustentatione portare libere valeant, pretextu quorumdam statutorum suorum, contra justitiam impedire presumunt.

Ne igitur tali pretextu dictis pauperibus et infirmis oportuna subventio subtrahatur, auctoritate apostolica districtius inhibemus ne dicti rectores seu quivis alii eosdem colonos, massarios et nuntios in portando dictos redditus et proventus ad hospitale prefatum, pretextu statutorum hujusmodi seu cujuscumque consuetudinis, de cetero impedire presumant. Nos enim exnunc decernimus irritum et inane, si quod contra inhibitionem hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, XII kalendas martii, anno primo. »

565 Au Latran, 8 février 1304.

Ut præter ecclesiam s. Andreæ in Bruneswith, Hildesemensis diocesis, cujus plebanus existit, possit Jordanus infradictus ecclesiam in Dore, Verdensis diocesis, quam sine dispensatione recepit, licite de cætero retinere. (n° 478, fol. 112.)

« *Jordano, plebano ecclesie sancti Andree in Bruneswith, Hildesemensis diocesis.* Benigno tibi sunt — Dat. Laterani, VI idus februarii, anno primo. »

566 Au Latran, 21 mars 1304.

Electo Strigoniensi pallium concedit. (n° 479, fol. 112.)

« *Michaeli, episcopo quondam Zagabriensi in archiepiscopum Strigoniensem electo.* Cum nos pridem te de Zagrabiensi (*sic*) ecclesia, cujus regimini presidebas, ad ecclesiam Strigoniensem de fratrum nostrorum consilio duximus transferendum, et nuper ex parte tua palleum, quod est insigne pontificalis officii, a nobis cum ea qua decet instantia fuerit postulatum, nos tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectum filium Teofilum dictum Puc-

rum, prepositum ecclesie sancti Georgii in ecclesia Strigoniensi, venerabili fratri nostro .. episcopo Vesprimiensi, assignandum tibi per ipsum episcopum, duximus destinandum ut illud tibi assignet juxta formam quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et Ecclesie Romane nomine sub ea forma, quam tibi sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiat juramentum. Tu vero illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur.

Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius illud serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, etc., usque : mandantes quatinus humilitatem et justitiam, dante Domino qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Strigoniensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore Deo spiritualiter et temporaliter augmentare. Dat. Laterani, XII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Vesprimiensi.

567 Au Latran, 23 mars 1304.

Cum apud civitatem Perusinam in proximo cupiat æstivare, rectori Patrimonii b. Petri in Tuscia mandat, ut, ad evitandum inibi nimiam victualium caristiam, facultatem concedat nuntiis communis Perusii emendi libere in terris et locis dicti Patrimonii granum, vinum et alia quæcumque victualia, nec non faciendi ea deferre ad civitatem supradictam sine pedagio vel gabella seu qualibet exactione. Moneat quoque rectores civitatum aliorumque locorum per Patrimonium constitutos, ne super hoc impedimentum inferre eisdem nuntiis vel quibusvis personis quoquo modo præsumant. — Eadem epistola scribitur rectori Marchiæ Anconitanæ et rectori ducatus Spoletani. — Simile mandatum mittitur potestatibus, capitaneis, etc., per Patrimonium, Marchiam Anconitanam et ducatum Spoletanum constitutis. (n° 480, fol. 112 v° ; THEINER, *Codex dipl. dom. temp. S. Sedis*, n° DLXXXI [1].)

« *Nobili viro Jacobo Quirini de Venetiis, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori.* Imminente nobis gregis cura dominici, sic illum spiritualiter et temporaliter dirigere cupimus et fovere, quod auctore Domino prospere in utrisque ipsi gregi succedat; sed inter alia que ad ejus conservationem attendimus, illud desideramus potissimum evitari ne immoderata caristia victualium, que animarum et corporum fore noscitur desolatrix, illius viscera conterat, salutem deprimat et importabili onere [2] colla flectat. Verum etsi super hoc libenter pro fidelibus populis vigilemus, circa id tamen pro curia nostra et sequentibus eam tanto solertius et efficatius curam cupimus apostolice provisionis apponere, quanto potius agi res nostra in hac parte conspicitur, et propter multitudinem gentium ad curiam ipsam de universis mundi partibus confluentium universale comodum procuratur.

Cum igitur apud civitatem Perusinam cum dicta curia in proximo deliberaverimus estivare, ac ad hoc ibi mandaverimus preparari, [intendimus] et volumus, ut ad evitandum caristiam et fertilitatis comoda obtinenda illuc victualium copia deferatur, [et] dilectos filios universos potestates, capitaneos ceterosque rectores et eorum vicarios, consilia, communitates et universitates civitatum, castrorum aliorum[que] locorum per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutos per alias nostras litteras monemus et hortamur attente, per apostolica eis scripta sub spiritualibus et temporalibus penis juxta nostrum arbitrium inferendis districte precipiendo mandantes, ut nuntiis comunis predicte Perusine civitatis emendi granum, vinum, ordeum, speltam et alia quæcumque victualia in terris et locis suis, et ea extrahendi de ipsis ac de toto Patrimonio sine pedagio vel gabella seu alia exactione simili, et ad civitatem deferendi predictam, nec non hominibus de ipsis terris et locis suis vendendi eis predicta liberam licentiam concedant, nullum eis vel quibuslibet aliis tam de Patrimonio memorato quam etiam aliunde ad prefatam civitatem quecumque victualia mittere vel deferre volentibus impedimentum vel molestiam, quin hoc libere facere valeant, quomodolibet illaturi.

Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus nuntiis predicte Perusine civitatis et aliis hujusmodi victualia emere, vendere, extrahere ac asportare volentibus, ut prefertur, per te ipsum prefatam licentiam libenter conferas, et nichilominus potestates, capitaneos, rectores, vicarios, consilia, communitates et universitates predicta, ut quod eis super hoc injungimus efficaciter impleant, qua convenit cohertione compellas, sic te in hiis promptum, efficacem et vigilem habiturus, quod diligentiam tuam exinde commendare merito valeamus. Presentibus post quinque menses minime valituris. Dat. Laterani, X kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. universis potestatibus, capitaneis ceterisque rectoribus et eorum vicariis, consiliis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.

In e. m. Rembaldo de Tervisio comiti, Marchie Anconitane rectori.

In e. m. universis potestatibus, capitaneis, ceterisque

1. Voy. col. 88, note.
2. Ms : « onera. »

rectoribus, etc., per Anconitanam Marchiam constitutis.

In e. m. Aldegerio de Loglano, ducatus Spoletani rectori.

In e. m. universis potestatibus, capitaneis ceterisque rectoribus per ducatum Spoletanum constitutis.

568 Au Latran, 23 mars 1304.

Valeat Milevitanus electus recipere munus consecrationis. (nº 481, fol. 112 vº.)

« *Nicolao, electo Milevitano.* Tue devotionis sinceritas — Dat. ut supra. »

569 Au Latran, 19 mars 1304.

Georgio de Salutiis canonicatus confertur et præbenda reservatur in ecclesia Eboracensi. (nº 482, fol. 112 vº.)

« *Georgio de Salutiis, canonico Eboracensi.* Generis et morum nobilitas — Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Messenden., Lincolniensis diocesis, et .. preposito Yporiensis ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum.

570 Au Latran, 19 mars 1304.

Bonifatio de Salutiis, archidiacono Bochimkamiæ in ecclesia Lincolniensi, concedit ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam visitari faciat. (nº 483, fol. 113.)

« *Bonifatio de Salutiis, archidiacono Bochimkamie in ecclesia Lincolniensi.* Devotionis tue sinceritas — Dat. ut supra. »

In e. m. .. preposito Yporiensis ac .. priori de Spalding, Lincolniensis diocesis, et magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum.

571 Au Latran, 30 janvier 1304.

Archiepiscopo Cassellensi potestatem elargitur conferendi personis idoneis, quas duxerit eligendas, beneficia ecclesiastica dudum in civitate et diocesi Cassellensi vacantia, quorum collatio est propter diuturnam hujusmodi vacationem, secundum Lateranensis statuta Concilii, ad Apostolicam Sedem devoluta. (nº 484 A, fol. 113.)

« *Venerabili fratri Mauritio, archiepiscopo Cassellensi* Personam tuam paterna — Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

572 Au Latran, 30 janvier 1304.

Eidem concedit ut possit duos instituere notarios. (nº 484 B, fol. 113.)

« *Eidem.* Ne contractuum memoria — Dat. ut supra. »

573 Au Latran, 27 janvier 1304.

Cum homines castri de Vineis, parochiani ecclesiæ de Arsaco, Lascurrensis diocesis, ecclesiam in dicto castro construere et dotare cupiant, mandat episcopo Lascurrensi ut, si hoc viderit expediens, prædictis hominibus licentiam largiatur istam ædificandi ecclesiam, et postquam constructa fuerit, in ea rectorem ea vice instituat. (nº 485, fol. 113 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Lascurrensi.* Ex parte dilectorum filiorum hominum habitatorum castri de Vineis, parrochianorum ecclesie de Arsaco, tue diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi adeo a dicta ecclesia sint remoti quod eis nimis difficile ac dispendiosum existit pro percipiendis penitentie, baptismatis parvulorum, benedictionibus nubentium et aliis ecclesiasticis sacramentis, presertim yemali tempore propter inundationes aquarum et guerrarum discrimina in illis partibus ingruentium, ex quibus diversa personarum et rerum pericula provenerunt, accedere ad eandem, construendi de novo ecclesiam in dicto castro eis, qui parati sunt ei de bonis propriis redditus sufficientes ad sustentationem rectoris in ea instituendi, computatis illis que dicte parrochiali ecclesie a memorato castro jure parrochiali proveniunt, assignare, cum dicta parrochialis ecclesia alios redditus habeat competentes, licentiam concedere ac in eadem ecclesia rectorem [1], qui eorumdem parrochianorum et ecclesie curam gerat, institui facere dignaremur.

Nos igitur de circumspectione tua plenam in Deo fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si tibi [constiterit] dictam concedas licentiam et in ecclesia ipsa, postquam constructa fuerit, rectorem ea vice dumtaxat instituas eique prefatos redditus memorati castri concedas, contradictores, etc.; non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi per litteras apostolicas, non facientes plenam et expres-

1. Entre ce mot et le précédent le manuscrit porte *constituendi*, ce qui rend la phrase incompréhensible.

sam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

574 Au Latran, 6 février 1304.

Electo Spoletano committit ut ecclesias s. Angeli de Vico Montis Leonis, s. Christofori de Petrignano et s. Andreæ de Perzano, Spoletanæ diocesis, vacantes per obitum Gerardi rectoris ipsarum, quarum collatio Apostolicæ Sedi reservatur, personæ cuilibet conferre possit. (nº 486, fol. 113 vº.)

« *Dilecto filio J[ohanni], electo Spoletano, camerario nostro.* Cum sancti Angeli — Dat. Laterani, viii idus februarii, anno primo. »

575 Au Latran, 8 mars 1304.

Episcopo et capitulo Morinensibus indulget ut fructus et proventus primi anni beneficiorum, quæ in diocesi Morinensi vacare contigerit, usque ad quinquennium percipiant in reparationem Morinensis ecclesiæ incendio consumptæ convertendos. (nº 487, fol. 113 vº.)

« *Venerabili fratri .. [episcopo] et dilectis filiis .. decano et capitulo Morinensibus.* Cum Sedis Apostolice — Dat. Laterani, viii idus martii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii beate Marie de Bolonia supra Mare, diocesis Morinensis, ac .. Ambianensis et .. Atrebatensis ecclesiarum decanis.

576 Au Latran, 8 mars 1304.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit eis, qui ad reparationem Morinensis ecclesiæ manum porrexerint adjutricem. (nº 488, fol. 114.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis — Dat. ut supra. »

577 Au Latran, 17 février 1304.

Magistro Gerardo de Collaudinio, archidiacono Parisiensi, conceditur ut, cum sit negotiis ecclesiæ Parisiensis sæpius occupatus litterarumque studio cupiat insistere, archidiaconatum suum possit per aliquam personam idoneam facere visitari. — Dicto magistro eadem datur licentia super visitatione archidiaconatus quem obtinet in ecclesia Suessionensi. (nº 489, fol. 114.)

« *Magistro Gerardo de Collaudinio doctori decretorum, archidiacono Parisiensi.* Meritis tue devotionis — Dat. Laterani, xiii kalendas marcii, anno primo. »

« In e. m. pro eodem de archidiaconatu Suessionensi. »

« In e. m. .. abbati monasterii sancti Medardi Suessionensis et .. priori sancti Martini de Campis ac .. decani sancti Germani Autissiodorensis Parisiensis. »

« In e. m. eisdem executoribus pro eodem de archidiaconatu Suessionensi. »

578 Au Latran, 14 février 1304.

Jacobino Frederici de Vezano et Franceschinæ Bonacursi de Zamagallo, Lunensis diocesis, indulget ut matrimonium invicem contrahere valeant non obstantibus sponsalibus, quæ dicta Franceschina et quondam Symonellus, frater præfati Jacobini, olim insimul celebrarunt. (nº 490, fol. 114.)

« *Nobili viro Jacobino Frederici de Vezano et dilecte in Christo filie nobili mulieri Franceschine Bonacursi de Zamagallo, Lunensis diocesis.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Laterani, xvi kalendas martii, anno primo. »

579 Au Latran, 20 mars 1304.

Regi Datiæ indulget ut, cum eum ad loca ecclesiastico supposita interdicto pervenire contigerit, liceat ei per capellanum idoneum facere celebrari divina officia. (nº 491 A, fol. 114 vº; Potth., nº 25405.)

« *Carissimo in Christo filio Erico, regi Datie illustri.* Ut erga Sedem — Dat. Laterani, xiii kalendas aprilis, anno primo. »

580 Au Latran, 20 mars 1304.

Archiepiscopo Lundensi mandat ut tres clericos et familiares Erici regis Datiæ, unum videlicet in Roskildensi, alium in Ripensi, reliquum vero in Sclevicensi [1] ecclesiis recipi faciat in canonicos. (nº 491 B, fol. 114 vº; Potth., nº 25406.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Lundensi.* Eximie devotionis affectus — Dat. ut supra. »

581 Au Latran, 20 mars 1304.

Eidem archiepiscopo mandat ut, cum Burglanensis ecclesia per obitum Josep episcopi pastoris solatio destituta sit, Johannem præpositum, concorditer a capitulo electum, ecclesiæ ipsi præficiat in episcopum. (nº 492, fol. 114 vº; Potth., nº 25404.)

1. Ms : « Sceviclensi. » Potthast donne également cette forme et fait remarquer qu'elle est étrange. La correction est tout indiquée. Il s'agit certainement de l'évêché de Schleffwick (Saxe), suffragant de Lunden.

« *Venerabili fratri Isarno, archiepiscopo Lundensi.* Rationis oculis intuentes — Dat. ut supra. »

582 Au Latran, 13 janvier 1304.

Raymundo de Carcassona, cum quo fuit quondam dispensatum ut non obstante natalium defectu beneficium ecclesiasticum adipisci valeret, conceditur ut, si ecclesiam quam nunc obtinet in diocesi Ilerdensi forte dimiserit, loco ipsius aliud beneficium recipere ac retinere possit. (n° 493, fol. 114 v°.)

« *Raymundo de Carcassona, rectori ecclesie de Jusseu* [1], *Ilerdensis diocesis.* Digne illos prerogativa prosequimur favoris et gratie, qui fama laudabili, honestate morum et aliis probitatis meritis adjuvantur.

Cum itaque sicut asseris olim tecum auctoritate litterarum Sedis Apostolice extitit dispensatum ut, non obstante defectu natalium quem pateris de soluto genitus et soluta, posses ad omnes ordines promoveri et obtinere beneficium ecclesiasticum, etiam si curam animarum haberet, tuque postmodum ecclesiam de Jusseu animarum curam habentem fueris canonice assecutus, nos laudabile testimonium quod tibi de hujusmodi meritis perhibetur diligentius attendentes, tue devotionis precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus ut, si te predictam ecclesiam dimittere vel resignare forte contigerit, possis loco ejus aliud beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, si tibi canonice conferatur, licite recipere ac libere retinere, non obstante qualibet constitutione contraria super hoc edita. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

583 Au Latran, 13 janvier 1304.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum pro visitantibus Vivariensem ecclesiam in s. Vincentii atque Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis b. Mariæ Virginis festivitatibus. (n° 494 A, fol. 114 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is de cujus — Dat. ut supra. »

584 Au Latran, 25 janvier 1304.

Indulgentia quadraginta dierum pro devote visitantibus ecclesiam monasterii s. Memmii Cathalaunensis in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis b. Mariæ Virginis ac ss. Memmii, Donatiani et Domiciani festivitatibus atque in die dedicationis ejusdem ecclesiæ. (n° 494 B, fol. 114 v°.)

« *Eisdem.* Licet Is, etc.,— Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, anno primo. »

585 Au Latran, 28 février 1304.

Jacobo Mathæi de filiis Ursi, capellano suo, dat licentiam conferendi duabus personis tabellionatus officium. (n° 495, fol. 115.)

« *Jacobo Mathei de filiis Ursi, archidiacono Senonensi, capellano nostro.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, III kalendas martii, anno primo. »

586 Au Latran, 13 mars 1304.

Albertino quondam Thomæ marchionis de Ponzono et Isottæ, filiæ Thomæ comitis de Castino, Albensis diocesis, indulget ut matrimonium contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (n° 496 A, fol. 115.)

« *Nobili viro Albertino, nato quondam Thome marchionis de Ponzono, Albensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isotte, nate nobilis viri Thome marchionis de Castino, ejusdem diocesis.* Romani pontificis precellens — Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

587 Au Latran, 14 décembre 1303.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Bononiensibus confirmat omnia bona mobilia et immobilia, quæ eis in ultima voluntate legavit Salumbriensis episcopus. (n° 496 B, fol. 115.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Bononiensibus.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod bone memorie Franciscus, episcopus Salumbriensis, speciale gerens ad ordinem vestrum quem professus fuerat devotionis affectum, omnia bona sua mobilia et immobilia, que non pretextu ecclesie Salumbriensis sibi commisse, sed alias justis modis pervenerant ad eundem, vobis pia et provida liberalitate legavit atque concessit in ultima voluntate, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo in hac parte pie ac provide actum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica con-

1. Ms : « Juffen. » Plus loin, dans le texte de la bulle, on trouve *Jusseu*, qui est le vrai nom de cette localité.

firmamus, etc , usque : communimus, ea vobis eadem auctoritate de novo nichilominus concedendo. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVIIII kalendas januarii, anno primo. »

588 Au Latran, 2 mars 1304.

Indulgentiam centum dierum fidelibus elargitur, qui ecclesiam s. Philippi de Argirio, Cathaniensis diocesis, in festivitate ejusdem sancti devote visitarint. (nº 497 A, fol. 115.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Cum ad promerenda — Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

589 Au Latran, 2 mars 1304.

Eadem indulgentia conceditur visitantibus ecclesiam monasterii s. Mariæ de Latina in Jerusalem Messanensis in Natalis et Resurrectionis Domini nec non in b. Mariæ Virginis festivitatibus. (nº 497 B, fol. 115; POTTH., nº 26629 [1].)

« .. *Abbati et conventui monasterii sancte Marie de Latina in Jerusalem Messanensis, ordinis sancti Benedicti.* Gloriosus Deus in — Dat. ut supra. »

590 Au Latran, 28 février 1304.

Universas priorissas et sorores monasteriorum ordinis s. Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventes, a præstatione decimarum, et a pedagiis, teloneis aliisque quibuscumque exactionibus sæcularibus ac ecclesiasticis immunes reddit, et a jurisdictione ac potestate patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum diocesanorum aliorumque quorumcumque eximit. (nº 498, fol. 115; POTTH., nº 25379.)

« *Dilectis in Christo filiabus universis priorissis et sororibus monasteriorum ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus, tam presentibus quam futuris.* Sacra vestra religio — Dat. Laterani, III kalendas martii, anno primo. »

591 Au Latran, 3 mars 1304.

Johanni Baliani de Antiochia et Agneti Guillelmi Barlays, Nicosiensis diocesis, indulget ut, cum nobiles degentes in insula Cipri nequeant commode ibidem invenire sibi pares, quibus possint matrimonialiter copulari secundum exigentiam proprii status, matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (nº 499, fol. 115 vº.)

1. Potthast date cette pièce du 2 janvier.

« *Nobili viro Johanni Baliani de Antiochia et dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti Guillelmi Barlays militis, Nicosiensis diocesis.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Laterani, V nonas marcii, anno primo. »

592 Au Latran, 3 mars 1304.

Consilio et communi castri Matellicæ, Camerinensis diocesis, facultatem concedit eligendi libere annis singulis potestates et officiales alios, qui in territorio dicti castri de omnibus causis tam criminalibus quam civilibus cognoscere possint, quibusdam tamen exceptis. (nº 500, fol. 115 vº.)

« *Dilectis filiis consilio et comuni castri Matellice, Camerinensis diocesis.* Sincere devotionis affectus et constantia fidei inconcusse, quibus erga Romanam Ecclesiam matrem vestram hactenus claruisse noscimini quibusque clarere vos credimus in futurum, merito nos inducunt ut in hiis, que ad pacificum statum vestrum pertinent, vestris petitionibus favorabiliter annuentes, reddamur vobis quantum cum Deo possumus propitii et benigni.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, vobis et comuni vestro in fidelitate ejusdem Ecclesie persistentibus eligendi, assumendi et habendi annis singulis imperpetuum potestates et officiales alios quos volueritis de ipsius Ecclesie fidelibus, qui videlicet potestates et officiales libere in terra vestra et territorio de omnibus causis cognoscere plenamque possint justitiam facere, tam in criminalibus quam in civilibus, preterquam in criminibus lese majestatis ac heretice pravitatis, et in homicidio, adulterio, raptu virginum, incendio studiose facto, et in furto etiam manifesto, propter quod quidem furtum seu cujus occasione quis personam aut membrum deberet ammittere, nec non et latrocinio et derobatione seu fractione stratarum, plenam et liberam presentium auctoritate concedimus facultatem, non obstante promissione, obligatione vel renuntiatione contraria, etiam si fuerit juramento vallata, per vos aut syndicum vestrum facta quondam magistro Gifrido de Anagnia, tunc Marchie Anconitane rectori, vel alicui alii recipienti eandem nomine Romane Ecclesie prelibate. Per hoc autem rectori Marchie qui pro tempore fuerit nolumus aliquod prejudicium generari, quin homines comunis vestri seu terre vestre possint ad eum, cum sibi expedire putaverint, tam appellationis quam simplicis querimonie causa liberum habere recursum.

Ad hujusmodi autem concesse vobis indicium libertatis volumus quod, sicut per procuratorem vestrum, plenum ad hoc et sufficiens mandatum habentem, dilecto filio magistro Johanni, electo Spoletano, camerario nos-

tro, vos obligastis, qui obligationem hujusmodi nomine nostro et Ecclesie memorate recepit, prout in instrumento publico inde confecto, quod in ipsius archivio conservatur Ecclesie, plenius et seriosius continetur, centum libras Ravennatum infra quindenam a die Resurrectionis dominice numerandam camere ejusdem Ecclesie, ubicumque Romana curia in terra Ecclesie fuerit, annis singulis integre persolvatis. Si vero prefata curia extra terram resederit supradictam, volumus quod hujusmodi pecunia per vos vel per procuratorem vestrum thesaurario Anconitane Marchie per Ecclesiam ordinato, sine diminutione qualibet, persolvatur. Et si contigerit vos anno aliquo ab hujusmodi solutione cessare, sequenti anno predicte camere, preter hujusmodi centum libras Ravennatum, alias centum libras ejusdem monete nomine pene, quotiens a vobis ab ipsa solutione cessatum fuerit, persolvatis. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et voluntatis, etc. Dat. Laterani, v nonas marcii, anno primo. »

593 — Au Latran, 9 janvier 1304.

Consideratione et obtentu Eduensis episcopi nec non Jacobi de Normannis, apostolici notarii, confertur magistro Petro de Reate canonicatus in ecclesia Eduensi præbendaque ibidem reservatur. Dispensatur insuper cum eodem Petro, ut præter præbendam supradictam alia sua beneficia retinere valeat, duobus tamen dimissis. (n° 501, fol. 115 v°.)

« *Magistro Petro de Reate, capellano et camerario dilecti filii nostri Mathei sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, canonico Eduensi.* Dum conditiones et — Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Nepesino et .. abbati monasterii sancti Petri Autis[siodorensis] et .. priori secularis ecclesie Interamnensis.

594 — Au Latran, 21 mars 1304.

Olim cum Bonifatius VIII Isarnum et Johannem, tunc Rigensem ac Lundensem archiepiscopos, certis ex causis duxisset transferendos, Johannem scilicet ad Rigensem, Isarnum vero ad Lundensem ecclesias, Johannes tamen prædictus huic translationi de se factæ consentire noluit. Unde Benedictus cupiens ecclesiæ Rigensi sic vacanti de pastore idoneo providere, fratrem Fredericum ordinis Minorum, pœnitentiarium suum, dictæ ecclesiæ præfecit auctoritate apostolica in archiepiscopum, eique postmodum munus consecrationis manibus propriis impendit. Eum itaque hortatur ut ad ecclesiam suam accedens, ipsius curam gerat sollicitam. (n° 502, fol. 116.)

« *Frederico, archiepiscopo Rigensi.* Dum ad universas orbis — Dat. Laterani, XII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. preposito et capitulo ecclesie Rigensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Rigensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Rigensis. (POTTH., n° 25407.)

In e. m. universis vassallis ecclesie Rigensis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Rigensis.

595 — Au Latran, 16 mars 1304.

Guillelmum, monachum monasterii s. Winnoci Bergensis, Morinensis diocesis, quem prior et conventus dicti monasterii in abbatem postularunt, eidem monasterio præficit de apostolicæ plenitudine potestatis. (n° 503, fol. 116 v°.)

« *Guillelmo, abbati monasterii sancti Winnoci Bergensis, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis.* Ad exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, circa statum monasteriorum et aliorum religiosorum locorum vacantium aciem attente considerationis extendimus et de ipsorum profectibus sollicite cogitamus, opem solerter et operam, prout utilius fore perpendimus, impendentes ut, vitatis omnino dispendiis que illis vacationis prolixitas ingerit, eis accomode provisionis et celeris votiva celebritas illucescat.

Dudum siquidem monasterio sancti Winnoci Bergensis, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis, per obitum quondam Nicolai, ipsius monasterii abbatis, pastoris regimine destituto, dilecti filii .. prior et conventus ipsius monasterii sollicite attendentes, quod felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^us, predecessor noster, certis rationalibus causis inductus, omnes electiones et provisiones ecclesiarum cathedralium et regularium in regno Francie consistentium, in quo monasterium ipsum noscitur constitutum, dispositioni et ordini Sedis Apostolice duxit dum adhuc viveret reservandas, decernens extunc irritum et inane si quod contra hujusmodi reservationis tenorem, scienter vel ignoranter, a quoquam contingeret attemptari, ad electionem abbatis in eodem monasterio faciendam prout nec poterant minime processerunt, sed per eorum procuratores ad hoc specialiter constitutos et per suas etiam patentes litteras nobis humiliter supplicarunt, ut te tunc dicti monasterii monachum, quem ad ipsius regimen sufficientem et utilimum reputabant, eidem monasterio in abbatem preficere dignaremur.

Nos autem super hujusmodi provisionis faciende negotio cum fratribus nostris conferentes, curavimus diligenter, et tandem exacta deliberatione prehabita in hac

parte, considerantes attentius laudabile testimonium quod tibi a priore et conventu predictis sicut premittitur perhibetur, ac volentes obviare dispendiis que solent monasteriis ex vacatione diutina iminere, te predicto monasterio sancti Winnoci de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis in abbatem prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, tibique subsequenter benedictionis munus de nostris manibus duximus impendendum, firma concepta fiducia quod dirigente Domino actus tuos prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur sibique salubria provenient incrementa.

Supportans itaque reverenter impositum a Domino tibi onus, solicitam ipsius monasterii curam geras, gregem dominicum in illa tue discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod prefatum monasterium per tue vigilantie studium votivis proficere comodis et felicibus letari valeat [1] incrementis. Dat. Laterani, xvii kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. priori et conventui monasterii sancti Winnoci Bergensis, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii sancti Winnoci Bergensis.

In e. m. .. episcopo Morinensi.

596 Au Latran, 27 février 1304.

Statutum quod capitulum ecclesiæ Vicentinæ ediderat de denario canonicorum numero in dicta ecclesia servando confirmat. (n° 504, fol. 116 v°; Potth., n° 25377.)

« *Dilectis filiis capitulo ecclesie Vicentine.* Ut in ecclesiis — Dat. Laterani, iiii kalendas martii, anno primo. »

597 Au Latran, 19 mars 1304.

Jacobo Bartholomæi de Senis confertur archipresbyteratus plebis de Colle, Vulteranæ diocesis. (n° 505, fol. 117.)

« *Jacobo Bartholomei de Senis, archipresbytero plebis de Colle, Wlterane diocesis.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Laterani, xiiii kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Wlterano et magistro Bindo, notario nostro, canonico Laudunensi, ac .. plebano plebis sancti Johannis in Vescona, Aretine diocesis.

1. Ms : « valeant. »

598 Au Latran, 15 février 1304.

Geraldo Jaqueti presbytero, rectori ecclesiæ s. Petri de Corneliano, Carcassonensis diocesis, confertur beneficium ecclesiasticum sine cura, quod duxerit acceptandum in civitate Carcassonensi vel diocesi. (n° 506, fol. 117.)

« *Dilectis filiis .. abbati secularis sancti Pauli ac .. precentori et .. sacriste Narbonensis ecclesiarum.* Probitatis merita dilecti — Dat. Laterani, xv kalendas martii, anno primo. »

599 Au Latran, 29 février 1304.

Precibus Mathildis comitissæ Atrebatensis annuens, mandat executoribus infrascriptis ut duas personas idoneas, quas dicta comitissa duxerit nominandas, recipi faciant in canonicos unam videlicet in Atrebatensi, alteram vero in s. Audomari, Morinensis diocesis, ecclesiis, eisque de præbendis ibidem vacantibus vel quam primum vacaturis provideant. (n° 507, fol. 117.)

« .. *Priori de Dola, Bisuntine diocesis, et .. preposito ecclesie Yporiensis ac Bonojohanni de Casanova, canonico Vercellensi.* Specialis devotionis affectus — Dat. Laterani, ii kalendas martii, anno primo. »

600 Au Latran, 12 mars 1304.

Episcopo Constantiensi mandat ut, cum fratres ordinis Prædicatorum locum quem habebant et occupabant apud castrum de Zovingen, Constantiensis diocesis, relinquere sint coacti propter malitiam præpositi et capituli ecclesiæ ipsius castri, eos in possessionem dicti loci, prout justum fuerit, reducat et reductos etiam tueatur. (n° 508 a, fol. 117 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Constantiensi.* Querelam dilecti filii .. prioris provincialis fratrum Predicatorum de provincia Theotonie recepimus continentem, quod licet olim fratres dicti ordinis locum apud castrum Zovingen., Constantiensis diocesis, eis justo titulo acquisitum aliquandiu possederint et habitaverint in eodem, .. prepositus tamen et capitulum ecclesie Zovingen. de dicto castro pretendentes, quod ex eorum mora eis prejudicium imminebat, ipsos fratres inibi habitantes tandiu, in judicio et extra, diversis injuriis et gravaminibus vexaverunt ac deduxerunt eos per multa litigiorum discrimina et anfractus, quod fratres predicti, qui ut premittitur locum habebant eundem, dictorum prepositi et capituli molestiis resistere nequeuntes, exinde recedere sunt coacti et locum relinquere prelibatum.

Nos autem nolentes quod fratres ipsi, quos tenemur et volumus apostolicis presidiis confovere, talibus molestiis agitentur, fraternitati tue per apostolica scripta manda-

mus quatinus, si est ita, eosdem fratres in possessionem dicti loci a quo taliter sunt ejecti, prout justum fuerit, auctoritate nostra reducas et reductos etiam tuearis, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc., invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, IIII idus martii, anno primo. »

601 Au Latran, 16 mars 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Argentinensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam quingentarum marcharum argenti recipere valeant.— Concessio eadem pro fratribus dicti ordinis Spirensis, Treverensis et Coloniensis civitatum. (n° 508 B, fol. 117 v°.)

« .. *Priori et conventui ordinis Predicatorum Argentinensibus.* Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

« In e. m. .. priori et conventui ordinis Predicatorum Spirensibus. »

« In e. m. .. priori et conventui ordinis Predicatorum Treverensibus. »

« In e. m. .. priori et conventui ordinis Predicatorum Coloniensibus. »

602 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Cum Petro, quem Bonifatius papa VIII Signinæ ecclesiæ tunc vacanti præfecerat in episcopum, Benedictus munus consecrationis duxerit nuper propriis manibus impendendum, eundem hortatur ut ad Signinam ecclesiam accedens, ipsius curam et administrationem diligenter suscipiat. (n° 509 A, fol. 117 v°.)

« *Venerabili fratri Petro, episcopo Signino.* Cum dudum felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, Signine ecclesie tunc vacanti de persona tua duxerit providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, eodemque predecessore postmodum viam universe carnis ingresso, nos licet immeriti ad apicem summi apostolatus assumpti, nuper tibi consecrationis munus de nostris manibus dux[er]imus impendendum, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus ad eandem Signinam ecclesiam, sponsam tuam, cum nostre gratia benedictionis accedens, sic te exhibeas in hiis que Dei sunt et ad tuum ministerium pertinent studiosum, quod videaris cum gradu in virtutum exercitio excrevisse nosque letari possimus in Domino, cum a spe quam de tua probitate concepimus fuerimus non fraudati. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

603 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Valeat Dunelmensis episcopus usque ad summam quatuor millium florenorum auri mutuum contrahere pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Apostolicam Sedem expediendis. (n° 509 B, fol. 117 v°.)

« *Venerabili fratri Antonio, episcopo Dunelmensi.* Cum sicut in nostra — Dat. ut supra. »

604 Au Latran, 10 mars 1304.

Armanino quondam Huguitionis de Pomponesco, clerico Cremonensi, conferatur beneficium quoddam ecclesiasticum vacans ad præsens vel quam primum vacaturum in civitate Aquilegensi vel diocesi, cujus annui redditus valorem viginti marcharum argenti secundum æstimationem decimæ de illo hactenus persolutæ non excedant. (n° 510, fol. 118.)

« *Armanino, nato quondam Huguitionis de Pomponesco, clerico Cremonensi.* Laudabilia tue juventutis — Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

In. e. m. .. Paduano ac .. Tergestino episcopis ac .. preposito ecclesie de sancto Stephano, Aquilegensis diocesis.

605 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Dispensat cum Rogero de Waltham, rectore ecclesiæ de Langenenton, Dunelmensis diocesis, ut præter eandem ecclesiam nec non præbendam quam obtinet in ecclesia de Derlington, cujus existit canonicus, beneficium aliud insuper recipere ac retinere valeat. (n° 511, fol. 118.)

« *Rogero de Waltham, rectori ecclesie de Langenenton., Dunelmensis diocesis.* Licet propter ambitiones — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

606 Au Latran, 12 mars 1304.

Cum Altegradus, electus Vicentinus, olim archipresbyter ecclesiæ Paduanæ, omne jus quod sibi competebat in archipresbyteratu supradicto nuper resignaverit apud Apostolicam Sedem,

Benedictus XI mandat eidem Altegrado ac episcopo Paduano ut archipresbyteratum sic vacantem cuilibet personeæ idoneæ conferant. (nº 512, fol. 118.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Paduano et dilecto filio Altegrado, electo Vicentino, notario nostro.* Personas vestras speciali — Dat. Laterani, IIII idus martii, anno primo. »

607 Au Latran, 4 mars 1304.

Cuidam clerico regis Aragoniæ confertur una de duodecim præposituris in ecclesia Barchinonensi existentibus, quæ *mensatæ* vulgariter nuncupantur. (nº 513, fol. 118 vº.)

« *Johanni dicto Alegre, canonico Barchinonensi, clerico et familiari carissimi in Christo filii nostri Jacobi regis Aragon[ie] illustris.* Volentes personam tuam — Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Firmini de Montepessulano, Magalonensis diocesis, et .. preposito Aquensis ac .. archidiacono Majoricensis ecclesiarum.

608 Au Latran, 30 janvier 1304.

Petrum, Noviomensem episcopum, quem præpositus et capitulum ecclesiæ Arelatensis in archiepiscopum concorditer postularunt, ad ecclesiam Arelatensem transfert. (nº 514, fol. 118 vº.)

« *Venerabili fratri Petro, episcopo quondam Noviomensi in archiepiscopum Arelatensem electo.* In dispensatione ministeriorum Ecclesie Dei nobis credita potissime considerare nos expedit tempus, causam, personam et locum, secundum que pro emergentibus negotiis interdum nova sunt consilia capienda, et prout temporis necessitas vel cause deposcit utilitas, nunc per assumptionem, nunc per translationem providam a Sede Apostolica locorum sollicitudines sunt imponende personis et locis personarum ministeria committenda, ut ex personarum industria locorum crescat utilitas et ex oportunitate locorum fructificatio personarum.

Olim siquidem Arelatensi ecclesia per obitum bone memorie Rostagni, archiepiscopi Arelatensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii Bertrandus prepositus et capitulum ejusdem ecclesie Arelatensis, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum te episcopum tunc Noviomensem in Arelatensem archiepiscopum unanimiter et concorditer postularunt, et postmodum presentato nobis per predictum prepositum et alios certos procuratores et nuntios dictorum capituli hujusmodi postulationis decreto, iidem prepositus et procuratores a nobis infra tempus a jure statutum humiliter petierunt, ut hujusmodi postulationem admittere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur postulationem eandem, quia ipsam invenimus de te litterarum scientia predito, generis nobilitate preclaro, morum honestate decoro, discretionis et consilii maturitate conspicuo ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto concorditer celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine admittentes, teque a vinculo quo tenebaris Noviomensi ecclesie cui preeras absolventes, ad predictam Arelatensem ecclesiam te transferimus et concedimus te ipsi Arelatensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Arelatensem ecclesiam transeundi, curam et administrationem ejusdem Arelatensis ecclesie tibi spiritualiter et temporaliter committendo.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, impositum a Domino tibi onus suscipiens reverenter, sic curam et administrationem predictas diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. .. preposito et capitulo ecclesie Arelatensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Arelatensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Arelatensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Arelatensis.
In e. m. universis suffraganeis ecclesie Arelatensis.

609 Pérouse, 25 mai 1304.

Indulget eidem archiepiscopo, ut in sua Arelatensi et in aliis cathedralibus ac collegiatis ecclesiis provinciæ Arelatensis personas idoneas recipi faciat in canonicos, videlicet singulas in singulis, eisque provideat de præbendis. (nº 515 A, fol. 119.)

« *Venerabili fratri Petro, archiepiscopo Arelatensi.* Personam tuam paterna — Dat. Perusii, VIII kalendas junii, anno Iº [1]. »

1. Cette date a été substituée à une autre qu'on avait préalablement grattée.

610 Au Latran, 5 mars 1304.

Eidem, ut quatuor clerici, familiares et domestici ac commensales ejus, possint per quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum. (n° 515 B, fol. 119.)

« *Venerabili fratri Petro, episcopo quondam Noviomensi in archiepiscopum Arelatensem electo.* Ut dilectionis affectum — Dat. Laterani, III nonas martii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Forojuliensi et .. preposito Aquensis ac .. archidiacono Arelatensis ecclesiarum.

611 Au Latran, 5 mars 1304.

Eidem archiepiscopo pallium transmittit per archiepiscopum Neapolitanum. (n° 516 A, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Cum te nuper — Dat. ut supra. »

In e. m. .. archiepiscopo Neapolitano.

612 Au Latran, 5 mars 1304.

Ne quis in eundem archiepiscopum sententias excommunicationis vel interdicti aut suspensionis proferre possit auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, nisi litteræ ipsæ de hac indulgentia mentionem expressam fecerint. (n° 516 B, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Tue merita fraternitatis exposcunt ut nos personam tuam, quam paterna caritate complectimur, apostolicis muniamus presidiis ac prosequamur favoribus gratiosis.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica indulgemus, ut nullus a Sede Apostolica delegatus aut executor seu etiam conservator a Sede deputatus eadem vel subdelegatus ab eis possit in te excommunicationis, suspensionis vel interdicti proferre sententias per litteras dicte Sedis impetratas vel etiam impetrandas, nisi eedem littere plenam et expressam ac de verbo ad verbum fecerint de hac indulgentia mentionem. Dat. ut supra. »

613 Au Latran, 5 mars 1304.

Valeat idem archiepiscopus indulgentiam quadraginta dierum elargiri omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui prædicationibus ejus interfuerint. (n° 517 A, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Volentes [1] ut Christi fideles eo libentius ad predicationem tuam concurrant, quo magis illis ex concessione nostra spiritualia munera poteris elargiri, fraternitati tue quod omnibus vere penitentibus et confessis qui tue predicationi interfuerint, quotiens cum palleo postquam illud receperis te solenniter celebrare contingeret, indulgentiam XL[a] dierum auctoritate nostra concedere valeas, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

[1] Ms : « Nolentes. »

614 Au Latran, 5 mars 1304.

Valeat idem archiepiscopus duos instituere notarios. (n° 517 B, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Ne contractuum memoria — Dat. ut supra. »

615 Au Latran, 5 mars 1304.

Eidem liceat condere testamentum. (n° 518 A, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Quia presentis vite — Dat. ut supra. »

616 Au Latran, 5 mars 1304.

Eidem licentia conceditur disponendi libere de beneficiis ecclesiasticis in Arelatensi civitate vel diocesi vacantibus, quorum collatio juxta Lateranensis statuta Concilii est ad Sedem Apostolicam devoluta. (n° 518 B, fol. 119 v°.)

« *Eidem.* Personam tuam paterna — Dat. ut supra. »

617 Au Latran, 16 novembre 1303.

Ejectis e Luceria Sarracenis, rex Siciliæ cathedralem ecclesiam ejusdem urbis pia intentione ditavit, ut in ea divinus cultus de novo floreret : unde Benedictus cupiens dicto regi gratiam exhibere specialem, ei facultatem elargitur præsentandi episcopo prædictæ civitatis (quæ nomen Sanctæ Mariæ nuper accepit) personas idoneas ad decanatum, archidiaconatum e cantoriam, nec non conferendi vice apostolica medietatem præbendarum ipsius ecclesiæ. (n° 519 A, fol. 120; Potth., n° 25296.)

« *Carissimo in Christo filio C*[*arolo*], *regi Sicilie illustri.* Sinceram habens tanquam — Dat. Laterani, XVI kalendas decembris, anno primo. »

618 Isola Farnese, 9 avril 1304.

Ponzello quondam Ursi de filiis Ursi indulget ut habere possit altare portatile. (n° 519 B, fol. 120.)

« *Nobili viro Ponzello, nato quondam Ursi de filiis Ursi, civi Romano.* Pium arbitramur et congruum ut in hiis

prompti simus ad gratias, que salutem respiciunt animarum, presertim circa personas genere nobiles, que pura fide conspicue Deo et Sedi Apostolice sunt devote.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, habendi altare portatile in loco decenti cum debita reverentia et honore, ac faciendi tibi in eo per proprium vel alium ydoneum capellanum divina officia absque juris alieni prejudicio celebrari, auctoritate tibi presentium liberam concedimus facultatem. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. apud castrum Insule Pontis Veneni, v idus aprilis, anno primo. »

619 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Cum rectores et commune Lucanæ civitatis et quidam nobiles ac potestates earumdem partium nonnulla castra, terras et loca ad Lunensem episcopum et ecclesiam spectantia invadere atque retinere præsumpserint, jurisdictionem indebitam in eis usurpando ac ponendo ibidem vicarium aliosque officiales, Benedictus XI mandat episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis legato, moneat et inducat homines dicti communis nec non præfatos nobiles et potestates, ut infra unius mensis spatium eadem castra, loca et terras ipsis episcopo et ecclesiæ restituant ac de damnis aut injuriis eis illatis satisfaciant competenter. Quod si moniti parere contempserint, ad id per censuram ecclesiasticam districte compellantur. Si vero contenderent se aliquod jus in possessionibus supradictis habere, eis Ostiensis episcopus diem dicat ad comparendum coram Apostolica Sede de toto illo negotio causam acturis. (nº 520, fol. 120.)

« *Venerabili fratri N[icolao], episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato.* Injuncte nobis debitum servitutis exposcit ut de universis ecclesiis, quarum cura nobis iminet generalis, propensius cogitantes, providere indempnitatibus ac obviare dispendiis et lesionibus earumdem, quantum nobis ex alto permittitur, studeamus.

Pervenit siquidem ad audientiam nostram quod .. potestas, .. capitaneus, .. sindicus, antiani, priores, consilium et comune civitatis Lucane ad nonnulla castra, terras et loca, ad venerabilem fratrem nostrum A[ntonium] episcopum et ecclesiam Lunensem spectantia, et in quibus episcopus et ecclesia predicti jurisdictionem obtinent temporalem, cupiditatis oculos convertentes, illa occupare, invadere ac retinere abolim presumpserunt ac presumere non desistunt, sibi jurisdictionem in eis indebitam usurpando et ponendo ibidem vicarium, judices, notarios, rectores seu potestates et castellanos ad jurisdictionem pro eis hujusmodi exercendam; propter que in ipsos potestatem, capitaneum, syndicum, antianos, priores, consilium et comune auctoritate Sedis Apostolice diverse fuerunt excommunicationum et interdicti sententie promulgate. Licet iidem potestas, capitaneus, sindicus, antiani, priores, consilium et comune dudum de mandato facto ipsis auctoritate felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, castra, terras et loca predicta bone memorie H[enrico], episcopo Lunensi, restituerint ac auctoritate dicti predecessoris sub ea conditione fuerint ab eisdem sententiis absoluti, ut si quando similes occupationes et usurpationes de predictis vel aliis castris, terris et locis ejusdem ecclesie, per se vel per alios, publice vel occulte, facere attemptarent, in easdem reciderent sententias ipso facto, postmodum tamen ipsi potestas, capitaneus, syndicus, antiani, priores, consilium et comune castra, terras et loca predicta per se et concives eorum adhuc invadentes et occupantes, illa detinere ac in eis hujusmodi vicarium, judices, notarios, rectores seu potestates, castellanos et officiales alios ponere et tenere ac jurisdictionem in ipsis exercere presumunt; propter que in prefatas sententias reciderunt.

Plures insuper nobiles et potestates illarum partium nonnulla alia castra, terras, bona et jura ejusdem ecclesie occupata detinent minus juste, in suarum periculum animarum et ipsorum A[ntonii] episcopi et ecclesie detrimentum. Ipsi quoque potestas, capitaneus, syndicus, antiani, priores, consilium, comune, concives et nobiles, ut predicta omnia sub quesito colore possint liberius retinere, tam cum eodem A[ntonio] et pluribus predecessoribus ejus, Lunensibus episcopis qui fuerunt pro tempore, quam cum nonnullis vassallis et subditis ecclesie Lunensis, de ipsis castris, terris et locis sub certis conditionibus retinendis quedam pacta, conventiones, compromissa et obligationes, ipsis episcopo et ecclesie valde dampnosa, diversis vallata penis ac firmata juramentis hinc inde prestitis, iniisse dicuntur, ex quibus compromissis arbitria valde prejudicialia, si servarentur, ipsi ecclesie sunt secuta.

Nos itaque attendentes, quod hujusmodi pacta, conventiones, compromissa et obligationes, absque licentia Sedis Apostolice in ejusdem ecclesie prejudicium attemptata, carere debent robore firmitatis, ac volentes predictis episcopo et ecclesie super hiis de oportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi per indaginem non quidem judiciariam nec solennem sed summariam et planariam constiterit de premissis, per te vel alium seu alios potestatem, capitaneum, syndicum, antianos, priores, consilium, comune, concives et nobiles predictos ex parte nostra monere et efficaciter inducere procures, ut ipsi diligentius attendentes quam grave et pericolosum et animaversione dignum existit ecclesias et personas ecclesiasticas,

presertim pontificali preditas dignitate, opprimere, eorum occupare bona, usurpare jura et eis injurias irrogare, et recogitantes salubriter quod ipsi predicta castra, terras et loca nequaquam possunt absque Dei et Sedis predicte offensa, eorum fame dispendio et salutis interitu, retinere, quodque quanto diutius illa retinent tanto delinquunt gravius, majoremque Deo et Sedi predicte, qui in hoc debitam sollicitudinem adhibebit, ac eidem Lunensi ecclesie satisfactionem impendere tenebuntur, castra, terras, loca et jura predicta, amotis exinde omnino hujusmodi vicario, judicibus, notariis, potestatibus, rectoribus, castellanis et aliis officialibus quocumque nomine censeantur per eos inibi positis, infra unius mensis spatium post monitionem hujusmodi, restituant integre et dimittant libere ac pacifice pro divina, dicte Sedis et nostra reverentia dicto A[ntonio] episcopo et Lunensi ecclesie antedictis, ac de dampnis, injuriis et gravaminibus super hiis illatis eisdem satisfactionem ipsis exhibeant competentem, nullam de cetero dicto A[ntonio] episcopo vel ejus successoribus, episcopis Lunensibus qui pro tempore fuerint, aut ecclesie predicte super hiis per se vel alios quovismodo molestiam illaturi, mandans nichilominus vassallis et subditis ipsius ecclesie, ut predictis A[ntonio] episcopo et ejus successoribus pareant et intendant, et de juribus eis debitis respondeant ut tenentur.

Quod si forsan iidem potestas, capitaneus, syndicus, antiani, priores, consilium, comune, nobiles et vassalli hujusmodi monitioni vel mandato parere contempserint, tu eos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstantibus pactis, conventionibus, obligationibus, compromissis et arbitriis antedictis; aut si potestati, capitaneo, syndico, antianis, prioribus, consilio, comuni, concivibus, nobilibus et vassalis predictis aut quibusvis aliis ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Si vero dicti potestas, capitaneus, syndicus, antiani, priores, consilium, comune, concives et nobiles se in premissis contenderent aliquod jus habere, tu ipsos, facta tamen prius de castris, terris et locis predictis eisdem A[ntonio] episcopo et ecclesie Lunensi ut premittitur restitutione plenaria, dictisque vicario, judicibus, notariis, potestatibus, rectoribus, castellanis et aliis officialibus per eos ibi positis prorsus amotis, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra alterius mensis spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis ipsorum hujusmodi negotium contingentibus, compareant coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc., usque : studeas intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

620 Au Latran, 27 janvier 1304.

Monasterium monialium de Rosindal, Cisterciensis ordinis, Treverensis diocesis, submittit regimini ac curæ abbatis monasterii Claustri de Hymmeroch, prædictorum ordinis et diocesis. (nº 521, fol. 120 vº; POTTH., nº 25347.)

« .. *Abbati monasterii Claustri de Hymmeroch, Cisterciensis ordinis, Treverensis diocesis.* Inter cetera que — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

621 Au Latran, 11 mars 1304.

Tiberio quondam Gufredi de Laturre, Mediolanensi presbytero, confertur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in Aquilegensi civitate vel diocesi, cujus vero annui redditus valorem viginti marcharum argenti non excedant. (nº 522, fol. 121.)

« *Tiberio, nato quondam Gufredi de Laturre, presbytero Mediolanensi.* Sedis Apostolice circumspecta — Dat. Laterani, V idus martii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Paduano et .. archidiacono Mediolanensi ac Castono de Laturre, canonico Aquilegensi.

622 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Patriarchæ et episcopis infranominatis mandat ut Johanni, electo Tharsensi, pallium transmissum assignent. (nº 523 A, fol. 121.)

« *Venerabilibus fratribus .. patriarche Jerosolimitano ac .. Nimociensi et .. Famagustano episcopis.* Pro parte dilecti — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

623 Au Latran, 19 février 1304.

Beatricem de Sabaudia, dominam de Fulcigniaco, sub sua et Apostolicæ Sedis protectione suscipit. (nº 523 B, fol. 121 vº.)

« *Nobili mulieri Beatrici de Sabaudia, domine de Fulcigniaco, Grationopolitane diocesis.* Eo amplius te paterna caritate complectimur, quo majoris erga nos et Apostolicam Sedem devotionis et fidei puritatem gerere comprobaris, teque libenter propterea gratiis condignis attollimus ac munimus favoribus oportunis.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, personam tuam cum terra de Fulcigniaco aliisque terris in bonis tuis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc., usque : communimus, districtius inhibentes ne quis te in predicta terra et bonis predictis quomodolibet perturbare vel molestare presumat. Nulli ergo, etc., nostre protectionis et inhibitionis, etc. Dat. Laterani, XI kalendas martii, anno primo. »

624 Au Latran, 19 février 1304.

Valeant Ugo Umberti Dalfini et Ysabella Johannis de Cabilione matrimonium invicem contrahere, non obstante quarto gradu consanguinitatis. — Eadem dispensatio pro Ugone Johannis de Cabilione et Beatrice Umberti Dalfini similiter conjunctis. (n° 524, fol. 121 v°.)

« *Nobili viro Ugoni Umberti Dalfini et dilecte in Christo filie nobili mulieri Ysabelle Johannis de Cabilione natis.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Laterani, XI kalendas martii, anno primo. »

In e. m. Ugoni Johannis de Cabilione et Beatrici Umberti Dalfini natis. (POTTH., n° 25447.)

625 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Confirmat compositionem initam inter episcopum capitulumque Majoricenses et fratres ordinis Prædicatorum ejusdem civitatis super jure sepeliendi corpora decedentium in cœmeterio monasterii dictorum fratrum. (n° 525, fol. 121 v°; POTTH., n° 25413.

« .. *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Majoricensibus.* Meritis sacre vestre — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

626 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Cancellario ecclesiæ Parisiensis mandat ut duobus fratribus ordinis [Prædicatorum?], qui sibi fuerint juxta modum in eodem ordine observatum præsentati et alias idonei, licentiam largiatur regendi ac docendi in theologica facultate, non obstante prohibitione a Bonifatio papa VIII edita. (n° 526, fol. 122.)

« .. *Cancellario ecclesie Parisiensis.* Sacra theologie scientia, que inter alias specialiter ad robur orthodoxe fidei a Domino dinoscitur processisse, a cunctis catholicis notitiam litterarum habentibus, presertim insistentibus divinis laudibus, est totis desideriis affectanda, cum eadem scientia eruditis per eam divinorum cognitio manifestius innotescat et alii eorum doctrina ad observationem legis Domini fortius animentur.

Nos igitur cupientes predicte scientie studium per dignorum doctorum augmentum atque ministerium ampliari, ut sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili talium bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus duobus ex fratribus ejusdem ordinis [1] in theologica facultate provectis et alias ydoneis, qui tibi fuerint juxta modum observatum in eodem ordine presentati, in eadem facultate infra festum beati Remigii proximo venturum regendi ac docendi liberam licentiam largiaris, prout hec consueverunt hactenus observari;

Non obstante quod felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIIIus, predecessor noster, certis ex causis omnes de regno Francie potestatem habentes dandi licentiam regendi seu docendi ac approbandi volentes in dicta facultate licentiam hujusmodi obtinere ab ipsa potestate apostolica auctoritate suspendit, eis districtius inhibens ne aliquibus dictam licentiam concedere presumerent quoquomodo, ac decernens extunc irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari. Dat. ut supra. »

627 Au Latran, 19 février 1304.

Vacante nuper ecclesia Novariensi per translationem Bartholomæi episcopi ad sedem Tridentinam, ac provisione ipsius ecclesiæ dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, Huguitio, Leodiensis canonicus, domini papæ subdiaconus et capellanus nec non litterarum contradictarum auditor, dictæ Novariensi ecclesiæ præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem. (n° 527 A, fol. 122.)

« *Dilecto filio Huguitioni, electo Novariensi.* Ad universas orbis ecclesias, juxta pastoralis officii debitum, apostolice considerationis intuitum extendentes, de illis attentius non immerito cogitamus, que propriis destitute pastoribus vacationis incomodis exponuntur.

Vacante siquidem nuper ecclesia Novariensi per translationem venerabilis fratris nostri Bartholomei Tridentini, tunc Novariensis episcopi, factam per nos ad ecclesiam Tridentinam, nos provisionem dicte ecclesie ea vice dispositioni Sedis Apostolice duximus reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari;

1. De quel ordre s'agit-il ? Est-ce de l'ordre des frères Prêcheurs, dont il est question dans la pièce précédente ? Cela est peu vraisemblable, car les deux documents n'ont entre eux aucun rapport. — Il est probable que le rédacteur du registre aura sauté une phrase entre *fortius animentur* et *Nos igitur cupientes*.

et demum de ipsius ecclesie Novariensis provisione, ne prolixe vacationis subiret dispendia, solicite cogitantes, ac cupientes illi preficere virum secundum cor nostrum ydoneum, qui sciret et posset ei preesse salubriter et prodesse, post deliberationem quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum quibus personam tuam illarum Dominus multipliciter illustravit, ad te canonicum Leodiensem, subdiaconum et capellanum nostrum ac litterarum nostrarum contradictarum auditori, cui litterarum scientia, morum elegantia, vite honestas, providentia spiritualium et circumspectio temporalium aliaque dona virtutum, prout ex experientia placide familiaritatis tue didicimus, suffragantur, convertimus oculos nostre mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dicte Novariensi ecclesie providemus, teque illi de fratrum eorumdem consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Novariensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, salubriter et prospere dirigetur.

Jugum itaque Domini prompta devotione suscipias et suavi ejus oneri humiliter colla flectas, ipsius ecclesie Novariensis commissum tibi regimen sic exercens solicite, fideliter et prudenter quod ipsa jugiter felicibus gratuletur successibus, tuque proinde premium retributionis eterne nostramque ac Apostolice Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Dat. Laterani, XI kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. capitulo ecclesie Novariensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Novariensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Novariensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Novariensis.

628 Au Latran, 7 mars 1304.

Licentia conceditur patriarchæ Jerosolimitano instituendi duos notarios. (nº 527 B, fol. 122 vº.)

« *Radulfo, patriarche Jerosolimitano.* Habet in nobis — Dat. Laterani, nonis martii, anno primo. »

629 Au Latran, 20 mars 1304.

Priori de Roda, Ilerdensis diocesis, mandat ut juxta tenorem cujusdam processus nuper facti contra priorissam et sorores monasterii de Zizena, prædictæ diocesis, faciat magistro et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Aragonia ab eisdem monialibus obedientiam debitam et reverentiam exhiberi. (nº 527 c, fol. 122 vº.)

« .. *Priori de Roda, Ilerdensis diocesis.* Significarunt nobis dilecti filii .. magister et fratres hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani in Aragonia quod, cum ipsi .. priorissam et conventum monasterii de Zizena per priorissam soliti gubernari, Ilerdensis diocesis, eidem hospitali subjecti, super eo quod eedem priorissa et conventus a subjectione ipsius hospitalis se temere subtraxerant, obedientiam et reverentiam eidem magistro debitam denegando, coram Bernardo de Aristot, canonico Urgellensi, cui venerabilis frater noster .. episcopus Urgellensis, judex in hac parte a Sede Apostolica delegatus, commiserat super hoc vices suas diffinitiva sibi sententia reservata, traxissent in causam, idem canonicus, quia dicte priorissa et conventus citate legitime comparere coram eo in prefixo sibi termino peremptorio competenti comparere contumaciter non curarunt, monasterium ipsum supposuit ecclesiastico interdicto. Et tandem cum eedem priorissa et conventus in hujusmodi contumacia pertinaciter persisterent, eosdem magistrum et fratres in possessionem vel quasi hujusmodi juris, quod in monasterio predicto petebant, causa rei servande decrevit et mandavit induci; sed dicti magister et fratres hujusmodi possessionem nancisci non potuerunt, propter malitiam et potentiam partis adverse, per annum et amplius in sua contumatia perdurantis.

Ne igitur contumaces melioris conditionis quam obedientes existere videantur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, dictos magistrum et fratres in possessionem vel quasi hujusmodi juris inducas et sicut justum fuerit tuearis inductos, contradictores, etc., invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Testes autem, etc. Dat. Laterani, XIII kalendas aprilis, anno primo. »

630 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Ut possit Noviomensis electus recipere munus consecrationis. (nº 528 A, fol. 122 vº.)

« *Andree, electo Noviomensi.* Tue devotionis sinceritas — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

631 Au Latran, 2 mars 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Papiensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis recipere pos-

sint usque ad summam mille librarum Papiensium. (n° 528 B, fol. 122 v°.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Papiensibus.* Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

632 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Valeant fratres ordinis Prædicatorum Nivernenses quandam compositionem inire cum comite Nivernensi super eorum loco a jurisdictione temporali dicti comitis eximendo. (n° 529 A, fol. 122 v°.)

« .. *Priori* [1] *et fratribus ordinis Predicatorum Nivernensibus.* Religionis vestre meretur honestas ut vos condignis favoribus foveamus.

Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod locus vester civitatis Nivernensis, in quo ad presens degitis, temporali jurisdictioni nobilis viri .. Nivernensis comitis est subjectus, a qua quidem jurisdictione locum ipsum vos eximi affectatis. Verum idem comes predictum locum a jurisdictione prefata eximere seu liberare, quod *amortizare* in illis partibus vulgariter nuncupatur, denegat, nisi tali conditione apposita videlicet quod, si de dicto loco recesseritis, locus ipse ad eundem comitem, interveniente etiam in hoc concessione Sedis Apostolice, revertatur. Quare a nobis suppliciter petiistis ut, ne occasione dicte jurisdictionis possitis aliquibus subjectionis incomodis aggravari, providere in hac parte vobis paterna diligentia dignaremur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, volumus et tenore presentium concedimus, quod, prelibato comite prefatum locum ut premittitur eximente, si locum ipsum deseri a vobis vel successoribus vestris contigerit, idem locus predicte jurisdictioni ejusdem comitis subjectus remaneat sicut prius. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

633 Au Latran, 3 mars 1304.

Quandam locorum permutationem de consensu Papiensis episcopi factam inter priorem ac fratres ordinis Prædicatorum Papienses et abbatissam ac conventum monasterii s. Thomæ, civitatis ejusdem, ordinis s. Benedicti, confirmat et communit. (n° 529 B, fol. 122 v°.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Papiensibus.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

1. Ms : « Rectori. »

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim vos et dilecte in Christo filie .. abbatissa et conventus monasterii sancti Thome Papiensis, ordinis sancti Benedicti, provide attendentes quod locus, in quo vos nunc degitis et tunc eedem abbatissa et conventus manebant, habitationi vestre, et locus cum ecclesia sancti Andree ubi ad presens dicte abbatissa et conventus morantur, tunc ad vos justo titulo pertinens, eisdem abbatisse et conventui magis accomodus existebat, de consensu bone memorie Guidonis, episcopi Papiensis, loca ipsa ad invicem permutastis, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in permutatione hujusmodi extitit, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et supletionis infringere, etc. Dat. Laterani, V nonas marcii, anno primo. »

634 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Episcopo Dunelmensi indulget ut, cum Bibliensis episcopus ecclesia sua fuerit expulsus a Sarracenis et rebus suis ac redditibus spoliatus, eidem episcopo ad ipsius inopiam relevandam concedere possit prioratum de Goldingham, Sancti Andreæ diocesis. (n° 530, fol. 123.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Dunelmensi.* Exhibita nobis tua — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

635 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Rectori parochialis ecclesiæ de Mansaco, Tholosanæ diocesis, licentiam elargitur studendi in jure per quinquennium et percipiendi per ipsum tempus proventus et fructus ecclesiæ supradictæ. (n° 531, fol. 123.)

« *Dilecto filio Petro Rigardi de Chambariaco, rectori parrochialis ecclesie de Mansaco* [1], *Tholosane diocesis.* Tue probitatis exposcunt — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

636 Au Latran, 28 février 1304.

Olim cum Leonardus, Cathaniensis electus, canonicus ecclesiæ Cameracensis, fuisset propter quasdam inimicitias capi-

1. Ms : « Mansato. »

tales a civitate Cameracensi recedere coactus, canonici ejusdem ecclesiæ asserentes quod in ea residere non curabat, fructus præbendæ sacerdotalis, quam dictus Leonardus obtinet ibidem, ei contra justitiam subtraxerunt et eos adhuc percipiunt, fere quatuor annis jam elapsis. Benedictus itaque mandat certis executoribus ut eidem Leonardo, malitia præfati capituli non obstante, fructus ac proventus ipsius præbendæ faciant integraliter exhiberi. (nº 532, fol. 123.)

« *Dilectis filiis .. archidiacono Parmensis et .. thesaurario Baiocensis ac magistro Armanno Mantello*[1], *capellano nostro, canonico Silvanectensis ecclesiarum.* Cum dilectus filius — Dat. Laterani, III kalendas marcii, anno primo. »

637 Au Latran, 29 février 1304.

Matildi comitissæ Atrebatensi indulget, ut tres clerici ejus possint per triennium percipere fructus beneficiorum suorum. (nº 533, fol. 123 vº.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Matildi comitisse Atrebatensi, relicte quondam Octonis comitis Palatini Burgundie.* Personam tuam devotione — Dat. Laterani, II kalendas marcii, anno primo. »

638 Au Latran, 29 février 1304.

Certis executoribus mandat ut, ad preces Matildis comitissæ Atrebatensis, decanatum et duodecim canonias in ecclesia s. Mariæ de Dola de novo creent. (nº 534, fol. 123 vº; Potth., nº 25380.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Cabilonensi et dilectis filiis .. de Caro Loco*[2] *et .. de Besua monasteriorum abbatibus, Bisuntine et Lingonensis diocesium.* Laudabilia vota fidelium — Dat. Laterani, II kalendas marcii, anno primo. »

639 Au Latran, 29 février 1304.

Bonifacio Antonini de Nigro et Annæ Ansaldi de Mari, civibus Januensibus, indulget ut, ad sedandas discordias inter eorum progenitores et consanguineos exortas, matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quod Anna prædicta olim fuit uxor quondam Nicolai Lercarii, civis Januensis, qui dum viveret conjunctus erat quarto consanguinitatis gradu Bonifacio supradicto. (nº 535, fol. 124.)

« *Dilecto filio nobili viro Bonifacio, nato nobilis viri Antonini de Nigro, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Anne, nate nobilis viri Ansaldi de Mari, civibus Januensibus.* Etsi conjunctio copule — Dat. Laterani, II kalendas marcii, anno primo. »

640 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Deputantur executores super negotio mutui mille marcharum argenti, quod Roskildensis episcopus ex licentia Sedis Apostolicæ nuper contraxit pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Romanam curiam expediendis. (nº 536, fol. 124.)

« *Dilectis filiis .. decano sancti Severini Burdegalensis et .. Tiburtine ac .. Tridentine archidiaconis ecclesiarum.* Cum sicut venerabilis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

641 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Mandat ut Aynulfo, nato Robacastelli de Robiate laici Mediolanensis diocesis, conferatur vel reservetur unum ex illis officiis, quæ in diversis provinciæ Mediolanensis ecclesiis ad collationem archiepiscopi spectant et in eisdem partibus *superstantiæ* vulgariter nuncupantur. (nº 537, fol. 124 vº.)

« *Dilectis filiis .. sancti Stephani de Vicomercato et . sancti Victoris de Massalia ecclesiarum prepositis, Mediolanensis diocesis, ac .. archidiacono Mediolanensi.* Probitatis merita dilecti — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

642 Au Latran, 4 mars 1304.

Precibus capituli ecclesiæ Lateranensis annuens, statuit ut de cætero in eadem ecclesia sit certus canonicorum, beneficiatorum et acolythorum numerus. (nº 538, fol. 124 vº; Potth., nº 25383.)

« *Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis.* In eminenti Sedis Apostolice specula disponente Domino constituti, grandi desiderio ducimur ut creditam nobis dominici gregis custodiam utiliter exercentes, ecclesiis et personis ecclesiasticis statum quietis, honoris et comodi ubilibet procuremus. Sed licet ad id universaliter sollicitudinis nostre studium distrahatur, tamen circa vos et ecclesiam vestram, quam construxit Constantinus piissimus imperator et beatus Silvester ad honorem Salvatoris domini nostri Jhesu-Christi noscitur dedicasse, tanto potiori diligentia excitamur, quanto veneratione majori est dignitatibus ac prerogativis pluribus decorata.

Volentes igitur ut in eadem ecclesia sit juxta ejus con_

1. Ms : « Maucello. » Le vrai nom de ce personnage est *Mantellus*. Voy. col. 50 et 203.
2. Ms : « Caroloto. »

decentiam determinatus numerus ministrorum, per quos suscipiat laudabiliter dante Deo divini cultus augmentum, vestris justis postulationibus inclinati, decem et octo canonicorum et viginti duorum beneficiatorum seu stipendiariorum nec non quaternarium acolitorum numeros, qui videlicet stipendiarii et acoliti illam partem reddituum et proventuum ecclesie predicte percipiant, quam hactenus consueverunt percipere et habere, in ecclesia ipsa taxamus, statuentes ut de cetero eisdem numeris eadem ecclesia sit contenta, nisi adeo ipsius excreverint facultates quod merito illos exigant augmentari, et quod nullus recipiatur ibidem ultra numeros supradictos quousque aliquis defuerit de eisdem, mandato Sedis Apostolice semper salvo, et quod nulli auctoritate apostolica recipiendo exnunc in canonicum in dicta ecclesia, ultra predictum numerum ipsorum canonicorum, teneamini de quibuscumque proventibus ipsius ecclesie vel cotidianis distributionibus providere, aut stallum in choro et locum in capitulo, quandiu ultra predictum numerum fuerit, assignare, neque ad hoc compelli per litteras apostolicas aliquatenus valeatis, nisi eedem littere de hac indulgentia et statuto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem.

Decernimus autem nullius esse momenti si secus actum fuerit per quemcumque, nec non interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos communiter et divisim aut prenominatam ecclesiam contra hujusmodi indulgentie nostre tenorem contigerit promulgari.

Illos autem ex canonicis et beneficiatis seu stipendiariis ejusdem ecclesie, qui violationi presentis indulgentie consensum prebuerint, absque Sedis predicte licentia speciali, suspensionis ab officio et beneficio et excommunicationis sententias incurrere decernimus ipso facto, eadem indulgentia nichilominus in suo robore duratura. Nulli ergo, etc., nostre taxationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas marcii, anno primo. »

643 Au Latran, 25 mars 1304.

Magistro Bernardo Royardi, capellano suo, archidiacono Xanctonensi, concedit ut per quinquennium possit archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari. (n° 539 A, fol. 125.)

« *Dilecto filio magistro Bernardo Royardi*[1], *archidiacono Xanctonensi, capellano nostro*. Devotionis tue sinceritas — Dat. Laterani, VIII kalendas aprilis, anno primo. »

1. Ms : « Rayardi. » Le vrai nom est *Royardi* ou *Roiardi*. Voy. col. 36, ainsi que les numéros du ms. 593 (lettres communes), 21 et 22 (lettres curiales.)

In e. m. .. abbati monasterii de Petrosa et .. sancti Frontonis ac .. Albaterrensis ecclesiarum cantoribus, Petragoricensis diocesis.

644 Au Latran, 4 mars 1304.

Consideratione Tani de Loglano, familiaris domini papæ, pro Zoemio quondam Facioli de Loglano nepote suo in hac parte supplicantis, dicto Zoemio confertur beneficium quoddam sine cura quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Veronensi. (n° 539 B, fol. 125.)

« *Dilecto filio Zoemio, nato quondam Facioli de Loglano, canonico ecclesie sancti Petri de Barbatolo, Bononiensis diocesis*. Grata et fidelia — Dat. Laterani, IIII nonas marcii, anno primo. »

In e. m. .. archipresbytero et Azoni de Loglano Veronensis ac Busolo de Parma, Tornacensis canonicis ecclesiarum.

645 Au Latran, 9 mars 1304.

Magistro Neapoleoni de filiis Ursi, archidiacono de Maiorica Legionensi, indulget ut archidiaconatum suum faciat per vicarium idoneum visitari. — Indulgentia similis eidem magistro conceditur pro archidiaconatu suo Stadiensi in ecclesia Cathalaunensi. (n° 539 c, fol. 125 v°.)

« *Dilecto filio magistro Neapoleoni de filiis Ursi, archidiacono de Maiorica Legionensi, notario nostro*. Personam tuam tuis — Dat. Laterani, VII idus marcii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Marcelli Legionensis et .. sancti Salvatoris de Scantrilia, Sabinensis diocesis, monasteriorum abbatibus et Bernardo Johannis, canonico Legionensi.

« In e. m. eidem magistro Neapoleoni de filiis Ursi, archidiacono Stadiensi in ecclesia Cathalaunensi. Personam tuam — Dat. ut supra. »

In e. m. .. sancti Memmii Cathalaunensis et .. sancti Salvatoris de Scandrilia, Sabinensis diocesis, monasteriorum abbatibus et magistro Petro Saxonis, canonico Cathalaunensi.

646 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Vacante ecclesia Ferrariensi per resignationem Ottoboni de Carreto, ipsius ecclesiæ electi, frater Guido, prior provinciæ

Lombardiæ Inferioris ordinis Prædicatorum, eidem præficitur in episcopum et pastorem. (n° 540, fol. 125 v°; * Potth., n° 25419 [1].)

« *Dilecto filio fratri Guidoni, electo Ferrariensi.* Dum attente considerationis indagine perscrutamur quot et quantis sit onusta dispendiis, quot et quanta pericula secum trahat ecclesiarum vacatio diuturna, quantum nobis ex alto permittitur diligentiam libenter impendimus, ut ecclesiis deplorantibus vacationis incomoda de celeris et salubris provisionis remedio succurratur : sed illis que nobis immediate subsistunt eo accuratius providere curamus, quo de ipsis cogitare specialius nos oportet.

Vacante siquidem dudum ecclesia Ferrariensi, nobis immediate subjecta, per obitum quondam Frederici, episcopi Ferrariensis, licet felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, eidem ecclesie de dilecto filio Ottobono de Carreto, tunc archidiacono Leodiensi, duxerit providendum, quia tamen idem Octobonus postmodum omne jus, quod sibi ex provisione hujusmodi fuerat acquisitum, in nostris manibus sponte ac libere resignavit, nos hujusmodi resignatione recepta, de ipsius ecclesie provisione sollicite cogitantes, ac cupientes eidem ecclesie de ydonea providere persona, que sciret et posset illi preesse salubriter et prodesse, post deliberationem super hoc habitam cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum quibus illarum Dominus [te] multipliciter illustravit, ad te ordinem fratrum Predicatorum professum ac priorem dicti ordinis provincie Lombardie Inferioris, cui vite munditia, morum gravitas, litterarum scientia, providentia spiritualium et circumspectio temporalium, sicut nos placide tue familiaritatis conversatio docuit, suffragantur, direximus aciem nostre mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dicte ecclesie providemus teque de fratrum eorumdem consilio preficimus in episcopum et pastorem, in Illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod ecclesia ipsa per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam prospere dirigetur et salubria dante Domino suscipiet incrementa.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam et administrationem ipsius sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Ferrariensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Ferrariensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Ferrariensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Ferrariensis.
In e. m. Azoni marchioni Estensi.

1. Potthast date cette bulle du 5 avril.

647 Au Latran, 14 février 1304.

Indulgentias, quas ipse tunc episcopus Ostiensis ac alii episcopi, archiepiscopus et patriarchæ infradicti visitantibus ecclesiam fratrum Prædicatorum civitatis Paduæ concesserant tempore consecrationis ipsius ecclesiæ, confirmat atque ampliat. (n° 541 a, fol. 126; Potth., n° 25366.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis, etc., usque : collaudetur.

Cum itaque accedentibus ad ecclesiam dilectorum filiorum .. prioris et fratrum ordinis Predicatorum Paduanorum certis anni diebus, tam per nos tunc episcopum Ostiensem ex potestate super hoc nobis ab Apostolica Sede concessa, qui eam consecravimus, quam per venerabiles fratres nostros Leonardum Constantinopolitanum et Egidium Gradensem patriarchas, Petrum archiepiscopum Duracensem, Paganum Paduanum, Guillelmum Equilinum, Franciscum Cenetensem, Augustinum Civitatis Nove, Johannem Caprulanum, Nicolaum Vallonensem, Gratiadeum Salviensem episcopos, tempore consecrationis ejusdem ecclesie cui interfuerunt, quedam peccatorum indulgentie concesse fuerint, nos ad eandem ecclesiam specialem affectionem habentes, et cupientes quod ipsa congruis honoribus frequentetur, omnes hujusmodi indulgentiarum concessiones, a nobis et eisdem patriarchis, archiepiscopo et episcopis ut premittitur factas, ratas et gratas habentes eas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Et ut Christi fideles eo concurrant devotius ad eandem, quo se magis ibidem spiritualia munera spectaverint adipisci, ultra indulgentias predictas omnibus vere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim in die dedicationis ipsius, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et concessionis, etc., Dat. Laterani, XVI kalendas martii, anno primo. »

648 Au Latran, 15 mars 1304.

Considerationе Henrici Scrovegni civis Paduani, familiaris sui, concedit Raynaldo quondam Manfredi Serovegni, clerico Paduano, cujus idem Henricus patruus existit, ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere. (n° 541 B, fol. 126.)

« *Dilecto filio Raynaldo, nato quondam Manfredi Scrovegni* [1], *clerico Paduano.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, idibus marcii, anno primo. »

649 Au Latran, 4 mars 1304.

Episcopo Tusculano, cui Bonifatius VIII concesserat medietates castrorum Scandriliæ, Castellucii et Roccæ Soldanæ per se nec non per hæredes suos jure feudi perpetuo retinendas, dictam concessionem Benedictus confirmat. (n° 542, fol. 126.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Tusculano.* In apostolice sollicitudinis partem assumptus, incumbentia nobis onera universalis Ecclesie operosa nobiscum sedulitate partiris, nosque dignum et congruum reputamus ut Apostolica Sedes, cujus nobile membrum existis quamque tuorum honoras excellentia meritorum, te condignis attollat honoribus et gratiosis favoribus prosequatur.

Sane dilectus filius Jocerandus, abbas monasterii Farfensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, olim diligenter advertens quod Petrus Scandrilie et Gregorius Tosettus de Urbe seu eorum filii, dudum feudatarii seu emphiteote monasterii supradicti, dampna gravia, injurias et jacturas multiplices, per incendia, fellonias, insidias et rapinas ac alia contra fidelitatis juramentum ab eis predicto monasterio prestitum temere venientes, prefato monasterio et personis ipsius ausibus inferre nephariis non sinebant, inquisitione super hoc prehabita diligenti, Petrum et Gregorium supradictos, seu heredes ejusdem Gregorii, castri Scandrilie et Castellucii ac Rocce Soldane medietatibus cum omnibus eorum tenimentis, pertinentiis et districtibus ac juribus et territoriis, ad medietates pro diviso vel indiviso spectantibus memoratas, quas ipsi ab eodem monasterio tenebant in feudum seu locationem perpetuam vel ad tertiam generationem seu quovis alio modo, omnique jure, quod in eis vel aliqua eorum parte pretendere poterant seu habere, sententialiter justitia exigente privavit, predicta omnia et singula nichilominus ad prefatum monasterium revocando, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius et seriosius asseritur contineri, ac deinde felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, quod per eundem abbatem factum fuerat in hac parte ratum habens et gratum, illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavit, supplens omnem defectum si quis ex quacumque causa in solennitate vel ordine processus ipsius extiterat de apostolice plenitudine potestatis.

Idemque predecessor debita meditatione recogitans, quod tu per tue provide circumspectionis industriam eidem monasterio esse poteras multipliciter utilis et quam plurimum fructuosus, volens quoque personam tuam ob tuorum excellentiam meritorum prerogotiva favoris et gratie prosequi specialis, tibi castri Scandrilie, Castellucii et Rocce predictorum medietates easdem cum tenimentis, pertinentiis, districtibus, vassallis et vassallorum juribus, roccis, fortellitiis, juribus et territoriis supradictis, nec non jurisdictione, mero et mixto imperio, auctoritate predicta et de plenitudine potestatis ejusdem, etiam si alias quocumque modo vel causa predicta bona ad prefatum monasterium pervenissent, de gratia contulit speciali, a te quoad vixeris retinenda, nichilominus tibi nanciscendi et apprehendendi per te vel alium seu alios corporalem possessionem predictorum omnium tibi sicut premittitur concessorum potestatem plenariam et liberam, invocato ad hoc si opus esset brachii secularis auxilio, concedendo, non obstante si de predictis omnibus vel aliqua eorum parte per abbatem et conventum ipsius monasterii fuisset aliud ordinatum ; quod extunc idem predecessor decrevit irritum et inane.

Et ut non solum ad te, sed etiam ad heredem vel heredes tuos dictus predecessor Apostolice Sedis munificam liberalitatem extenderet, statuit, ordinavit et voluit quod post obitum tuum iidem heres vel heredes ac ejus vel eorum posteri legitimi tibi absque aliqua contradictione succederent, quibus quidem heredibus omnia et singula supradicta in feudum perpetuo auctoritate ac potestate predictis concessit ab eodem monasterio retinenda, ita quod omnia et singula que tibi concessit, prout superius est expressum, in hujusmodi feudo intelligerentur includi ac omnimode comprehendi. Statuit insuper predecessor prefatus et etiam ordinavit, quod hujusmodi heres vel heredes tui, semel in eorum vita dumtaxat, prefato monasterio infra annum post hujusmodi feudi hereditatem adeptam, et postquam etiam quartum decimum etatis sue annum exegerint, fidelitatis prestent et exhibeant juramentum, certis tibi super hoc executoribus deputatis.

In cujus executione negotii dilectus filius Gerardus, prior plebis Fenonice, Fulginatis diocesis, unus ex executoribus supradictis, nonnullis processibus habitis et mandatis factis per eum, quasdam excommunicationum sententias tulit generaliter in rebelles, eorum aliquibus nominatis specialiter in eisdem : a quibus quidem sen-

1. Ms : « Scronegii. » Rubrique volante : *Scrovegni*. Dans le texte de la pièce on trouve *Scrovegni* et *Scrovengni*.

tentiis pro parte abbatis et conventus predictorum ad Sedem Apostolicam extitit appellatum. Cumque prefatus abbas pro parte sua et conventus ejusdem monasterii super concessione hujusmodi tibi factam et processibus memoratis querelam proponeret coram nobis, nos dilecto filio nostro Johanni, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, commisimus oraculo vive vocis, ut ipse receptis, visis, auditis et intellectis juribus, instrumentis, litteris, munimentis et allegationibus tuis et abbatis et conventus predictorum, nobis quod in hac parte per eum inveniri contingeret referre fideliter procuraret; qui juxta hujusmodi commissionis nostre tenorem duxit in predicto negotio sollicite procedendum. Et demum facta nobis ab eodem cardinali super premissis relatione plenaria et fideli, ac super illis a nobis deliberatione prehabita diligenti, nos paterne considerationis indagine perscrutantes probitatis tue merita grandia et virtutum dona multiplicum, quibus personam tuam bonorum Dator Altissimus decoravit, et recogitantes attentius tui providi et discreti maturitatem consilii quod in multis et arduis jugiter experimur, quodque innumera gravia negotia, que mundi cursus ingerere non desistit, attenta nobiscum sedulitate comportas, et propterea digne volentes predecessoris ejusdem in hac parte vestigiis inherere teque favoris et gratie dono prosequi specialis, confirmationem, concessionem, constitutionem, statutum et ordinationem hujusmodi dicti predecessoris, prout in suis super hiis confectis litteris plenius et seriosius continentur, rata habemus et grata ipsaque auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus, dictasque medietates castrorum Scandrilie, Castellucii, et Rocce Soldane predictorum, cum mero et mixto imperio, vassallis, fidelitatibus et aliis vassallorum juribus et cum omnibus eorum tenimentis, pertinentiis, districtibus ac juribus et territoriis, ad medietates easdem pro diviso vel indiviso spectantibus, ad te et heredes predictos decernimus, declaramus et volumus jure feudi perpetuo pertinere. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, constitutionis et declarationis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

In e. m. Johanni, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, et .. abbati monasterii sancti Sabe de Urbe ac .. priori plebis Fenonice, Fulginatis diocesis.

650 Pérouse, 19 mai 1304.

Mercio quondam Raynaldi de Bosculis et Johannæ quondam Raynerii de Pazzis Vallis Arni, civibus Aretinis, indulget ut ad sedandas graves inimicitias inter eorum progenitores exortas, ex quibus multa jam provenerunt et de cætero provenire possent pericula et scandala, valeant non obstante tertio gradu consanguinitatis matrimonium invicem contrahere. (n° 543, fol. 127.)

« *Dilecto filio nobili viro Mercio quondam Raynaldi de Bosculis et dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne quondam Raynerii de Pazzis Vallis Arni, civibus Aretinis.* Sedis Apostolice providentia circumspecta rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat juris severitas de gratia benignitatis indulget, prout personarum et temporum conditione pensata id in Deo conspicit salubriter expedire.

Porrecta siquidem nobis ex parte dilectorum filiorum .. potestatis, XXIIII^or^, consilii et comunis civitatis Aretine petitio continebat quod vos, qui tertio estis consanguinitatis gradu conjuncti, pro sedandis gravibus inimicitiis et guerrarum discriminibus dudum inter progenitores vestros exortis, ex quibus illa patria in conturbatione longis temporibus extitit, multaque provenerunt et provenire verisimiliter formidantur pericula non solum corporum sed etiam animarum, cupitis invicem matrimonialiter copulari. Quare ex parte ipsorum potestatis, XXIIII^or^, consilii et comunis per ambassatores et nuntios, quos propter hoc ad nostram presentiam destinarunt, nobis extitit supplicatum ut, cum ex hujusmodi matrimonio vestro speretur quod guerre et inimicitie supradicte sedentur ac status dictarum civitatis et patrie reformetur, providere super hoc vobis de oportune dispensationis gratia dignaremur.

Nos igitur, qui salutem et pacem cunctorum fidelium intimis desideriis affectamus, inimicitias predictas sedari dictisque discriminibus et periculis occurrere cupientes, dictorum potestatis, XXIIII^or^, consilii et comunis supplicationibus inclinati, vobiscum ut, impedimento quod ex dicta consanguinitate provenit non obstante, matrimonium invicem licite contrahere valeatis pro hujusmodi bono pacis auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

651 Au Latran, 2 mars 1304.

Obtentu Wernhardi, Pataviensis episcopi, conceditur Eberhardo Henrici de Alecho, acolytho Pataviensis diocesis, ut non obstante natalium defectu possit in minoribus ordinibus quos jam suscepit ministrare, nec non ad superiores promoveri et beneficium ecclesiasticum cum animarum cura obtinere. — Concessio eadem pro alio acolytho ejusdem diocesis. (n° 544, fol. 127.)

« *Dilecto filio Ebcrhardo* [1] *Henrici de Alecho, acolito Pataviensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VI nonas marcii, anno primo. »

« In e. m. dilecto filio Pertramo Pertrami de Herzemburch, acolito Pataviensis diocesis. Illegitime genitos — Dat. ut supra. »

652 Au Latran, 6 mars 1304.

Dispensat cum Francisco, monacho monasterii Mosacensis, Aquilegensis diocesis, ut ad omnes ordinis s. Benedicti administrationes promoveri valeat, defectu natalium non obstante. (n° 545 A, fol. 127.)

« *Dilecto filio Francisco, monacho monasterii Mosacensis, ordinis sancti Benedicti, Aquilegensis diocesis.* Testimonio suffragante tibi — Dat. Laterani, II nonas marcii, anno primo. »

653 Au Latran, 7 mars 1304.

Indulget Austriæ duci ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto liceat ei divina officia facere celebrari. (n° 545 B, fol. 127.)

« *Dileeto filio nobili viro Rudolfo, duci Austric.* Ingens et sincera — Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

654 Au Latran, 16 mars 1304.

Johanni episcopo, quem nuper ecclesiæ Pactensi tunc vacanti præfecit in pastorem, mandat ut ad ipsam ecclesiam accedens, eam sollicite ac diligenter gubernare procuret. (n° 546 A, fol. 127.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Pactensi* [2]. Pridem Pactensi ecclesie tue [3] solatio destitute pastoris te, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique tandem consecrationis munus de nostris manibus duximus impendendum.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus sic dictam ecclesiam spiritualiter et temporaliter gubernare procures, ut ipsa optatis proficiat comodis et salubria dante Domino suscipiat incrementa, nosque tue sollicitudinis studium condignis exinde laudibus attollamus. Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

1. Ms : « Ebehardo. »
2. Ms : « Paccensi. »
3. Il faut sans doute corriger *tunc*.

655 Au Latran, 20 février 1304.

Priori fratrum ordinis Prædicatorum Coloniensi committit facultatem dispensandi cum Johanne de Reiganeri, subdiacono Coloniensis diocesis, super irregularitate quam contraxit pro eo quod acolythatus et diaconatus ordines eodem die recepit ac postea ministravit in illis, licentia Sedis Apostolicæ non obtenta. Valeat insuper dictus prior præfato Johanni concedere ut ad superiores ordines promoveri possit. (n° 546 B, fol. 127 v°.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum Predicatorum Coloniensi.* Constitutus in presentia — Dat. Laterani, X kalendas marcii, anno primo. »

656 Au Latran, 8 mars 1304.

Rectori provinciæ Romanniolæ indulget ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia audire possit. (n° 547 A, fol. 127 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Theobaldo de Bruxatis, provincie Romanniole rectori.* Meritis tue devotionis — Dat. Laterani, VIII idus marcii, anno primo. »

657 Au Latran, 30 janvier 1304.

Archiepiscopo Cassellensi concedit ut personis provinciæ suæ, quæ propter ecclesiarum incendia vel pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas sunt excommunicationum sententiis innodatæ, beneficium absolutionis impendere valeat. (n° 547 B, fol. 127 v°.)

« *Venerabili fratri Mauricio, archiepiscopo Cassellensi.* Tua nobis fraternitas intimavit quod in tua civitate et diocesi et provincia, occasione guerrarum que hactenus in illis partibus viguerunt, nonnulli propter incendia ecclesiarum et alii pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas sunt excommunicationum sententiis innodati, de quorum tu salute sollicitus nobis humiliter supplicasti ut, cum eis propter viarum pericula et alias plures causas valde grave et periculosum existat Apostolicam Sedem adire pro absolutionis munere obtinendo, illorum providere in hac parte saluti misericorditer dignaremur.

Nos itaque gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue absolvendi hac vice juxta formam Ecclesie illos, qui jam in dictas [1] sententias inciderunt, cum super hoc ab eis cum humilitate fueris requisitus, ab eisdem sententiis vice nostra, injuncta eis pro modo culpe penitentia salutari et quod alias de jure fuerit injungendum, nisi forsan eorum adeo

1. Il faut probablement corriger *in jamdictas*.

gravis et enormis foret excessus, quod super hoc esset Sedes Apostolica merito consulenda, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Laterani, III kalendas februarii, anno primo. »

658 Au Latran, 24 novembre 1303.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit eis, qui ecclesiam monasterii s. Petri martyris de Bononia in ipsius sancti festivitate devote visitarint. (nº 548 A, fol. 127 vº.)

« *Dilectis in Christo filiabus .. priorisse et conventui monasterii sancti Petri martiris de Bononia, secundum instituta, etc., per priorissam, etc.* Licet Is de cujus — Dat. Laterani, VIII kalendas decembris, anno primo. »

659 Au Latran, 28 janvier 1304.

Cum locus fratrum ordinis Prædicatorum de Clugia constructus fuerit de pecunia, quam pro constructione hujusmodi in testamento legaverat Dianus quidam, cujus postmodum inquisitores hæreticæ pravitatis memoriam damnarunt bonaque confiscarunt, iidem fratres a præfatis inquisitoribus super possessione dicti loci sunt multipliciter molestati. Eis autem Benedictus prædictum locum confirmat. (nº 548 B, fol. 127 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum de Clugia.* Vota vestra favore benivolo prosequentes, illam vobis gratiam libenter impendimus, per quam turbationis et scandali tollatur materia et status vestri tranquillitas procuretur.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod, pro eo quod locus vester de Clugia constructus extitit de quadam pecunie summa, quam olim Dianus natione Veronensis, habitator terre Venetiarum, Castellane diocesis, pro alicujus constructione loci ordinis vestri predicti legasse dicitur in sua ultima voluntate, inquisitor seu inquisitores heretice pravitatis de ordine fratrum Minorum, in dictis terris Venetiarum et Clugie ac illis partibus auctoritate apostolica deputati, asserentes post obitum Dyani prefati fuisse sibi suggestum Dyanum ipsum fuisse dum viveret pravitatis ejusdem labe respersum, ac super hoc inquirentes, postquam Dianum prefatum sub pretextu pravitatis heretice condempnarunt bona ejus omnia confiscando, vos super eodem loco vestro pro sua voluntate multipliciter molestarunt, licet postmodum a molestie processu destiterint, pro eo quod hujusmodi inquisitionis officium fuit tunc in partibus illis fratribus dicti ordinis Minorum certis ex causis per Sedem Apostolicam interdictum.

Nos igitur incongruum reputantes quod locus predictus, in quo vestris laudabilibus studiis divinus cultus viget et ubi pro divini nominis gloria ad salutem proficitis animarum, occasione hujusmodi, etiam si processus inquisitoris vel inquisitorum predictorum alias fuissent legitimi, destruatur vel detrimentum in aliquo patiatur, ac volentes imposterum vobis super hoc paterna providentia providere, vestris supplicationibus inclinati, prefatum locum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, quibuscumque processibus aut sententiis inquisitoris seu inquisitorum predictorum vel alterius cujuscumque, preteritis seu futuris, predicta occasione habitis seu latis nequaquam obstantibus, vobis vestrisque successoribus auctoritate apostolica concedimus et imperpetuum confirmamus, districtius inhibentes ne aliquis inquisitor pravitatis ejusdem deputatus vel etiam deputandus a Sede predicta, aut etiam aliquis loci ordinarius, vos vel successores vestros occasione hujusmodi inquietare de cetero vel molestare presumat. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane quicquid contra inhibitionem nostram hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, confirmationis, inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, v kalendas februarii, anno primo. »

660 Au Latran, 15 février 1304.

Omnes indulgentias a nonnullis prælatis concessas eis qui visitarint ecclesiam fratrum Prædicatorum civitatis Esculanæ, in qua una de spinis coronæ Jhesu Christi dicitur esse servata, confirmat: indulgentiam autem unius anni et quadraginta dierum elargitur eis, qui dictam ecclesiam in festo Coronæ Domini et per octavas illius devote visitarint. (nº 548 C, fol. 128.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis, etc., usque : collaudetur.

Cum itaque accedentibus ad ecclesiam dilectorum filiorum .. prioris et fratrum Predicatorum Esculanorum in festo Corone domini nostri Jhesu Christi, quod in eadem ecclesia, in qua una de spinis dicte corone dicitur esse recondita, solenniter celebratur, per nonnullos prelatos plures peccatorum indulgentie sint concesse, nos cupientes quod eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, omnes hujusmodi indulgentiarum concessiones auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Et ut Christi fideles eo concurrant devotius ad eandem, quo potius ibi spiritualia munera se spectaverint adipisci, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim in eodem festo et per octavas ipsius, unum annum et XL dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, XV kalendas marcii, anno primo. »

661 Au Latran, 18 décembre 1303.

Episcopo Albanensi mandat ut Bertrandum Maustini, canonicum monasterii b. Mariæ prope muros civitatis Carpentoratensis, de quo fuit olim prioratui s. Mariæ de Paternis, ejusdem ordinis et diocesis, tunc priore carenti, provisum, in priorem dicti prioratus confirmet, non obstantibus infradictis. (nº 549, fol. 128.)

« *Venerabili fratri Leonardo, episcopo Albanensi.* Exposita nobis dilecti filii Beltrandi Maustini, canonici monasterii beate Marie prope muros civitatis Carpentoratensis, ordinis sancti Augustini, petitio continebat quod, dudum dicto monasterio, per priorem solito gubernari, per amotionem quondam Raymundi, prioris ejusdem monasterii, et prioratu sancte Marie de Paternis, ejusdem ordinis, Carpentoratensis diocesis, ad ipsum monasterium spectante et gubernari per ipsius monasterii canonicos consueto, per liberam resignationem Bertrandi dicti Malisanguinis, canonici dicti monasterii olim ejusdem prioratus prioris, factam in manibus dilectorum filiorum .. prepositi ecclesie Carpentoratensis et .. guardiani fratrum ordinis Minorum de Monaliis, dicte diocesis, et ab ipsis receptam de speciali mandato dictorum conventus et venerabilis fratris nostri .. episcopi Carpentoratensis, ad quem institutio prioris ejusdem prioratus noscitur pertinere, vacantibus, conventus dicti monasterii, ad quos electio prioris monasterii prefati et ordinatio dicti prioratus tunc temporis pertinebant, ad providendum de prioribus prefatis monasterio et prioratui insimul convenerunt, et tandem predictis preposito et guardiano providendi ea vice de prioribus monasterio et prioratui supradictis plenam potestatem et liberam unanimiter concesserunt, promittentes quod illos in priores reciperent et haberent, de quibus prepositus et guardianus predicti eisdem monasterio et prioratui concorditer providerent. Dictique prepositus et guardianus, memorate potestatis taliter ipsis commisse pretextu, de Alfanto dicto Malisanguinis monasterio primo, et subsequenter de prefato Bertrando Maustini prioratui de Paternis predictis concorditer providerunt, ac hujusmodi provisio dicti prioratus de Paternis ab Alfanto et conventu predictis extitit approbata, et demum per venerabilem fratrem nostrum B[erengarium], Carpentoratensem episcopum, auctoritate ordinaria, prout ad eum spectare dinoscitur, confirmata. Dictusque Bertrandus Maustini per plures annos prioratum de Paternis pacifice tenuit supradictum, percipiens fructus, proventus et redditus ex eodem.

Verum prefatus Bertrandus Maustini ex eo se asserens conscientiam remortere, quod guardianus predictus potestatem hujusmodi de sui superioris licentia non receperat, quodque tempore, quo dicta potestas fuit prefatis preposito et guardiano concessa, dictum monasterium priore vacabat, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi tam super hoc, quam super perceptione fructuum, reddituum et proventuum predictorum, de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Nos itaque paterna consideratione pensantes laudabile testimonium, quod eidem Bertrando Maustini de litterarum scientia, honestate morum et aliis probitatis meritis perhibetur, et propterea digne volentes ipsum favore prosequi gratioso, gerentes quoque de tue circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus, ut libera predicti prioratus de Paternis ab eodem Bertrando Maustini resignatione recepta, prioratum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Bertrando Maustini auctoritate predicta de novo conferas et assignes, ipsumque vel procuratorem suum ejus nomine per te vel alium seu alios in corporalem possessionem prefati prioratus de Paternis, jurium et pertinentiarum ipsius inducas et tuearis inductum, faciens sibi de ipsius prioratus de Paternis fructibus, redditibus, proventibus et juribus universis integre responderi, contradictores per censuram, etc., ac nichilominus fructus, redditus et proventus, quos ipse ut premittitur de prefato prioratu de Paternis percepit, premissa sibi auctoritate remittas, omnem infamiam sive notam, si quam idem ex receptione ac retentione prioratus ejusdem seu perceptione fructuum, reddituum et proventuum predictorum incurrisse dinoscitur, penitus abolendo. Dat. Laterani, xv kalendas januarii, pontificatus nostri anno primo. »

662 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Præposito Brugensis ecclesiæ, Tornacensis diocesis, concedit ut quinque canonicatus vacantes ad præsens in eadem ecclesia quinque clericis idoneis possit conferre, eisdem providendo de totidem præbendis. (nº 550, fol. 128 vº.)

« *Dilecto filio Octobono de Carreto, preposito ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis.* Ex parte tua fuit — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

663 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Indulget archidiacono Leodiensi ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam visitari faciat. (nº 551, fol. 128 vº.)

« *Dilecto filio Percivallo de Carreto, archidiacono Leodiensi.* Meritis tue devotionis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Lucano et .. decano Rothomagensis ac .. thesaurario Baiocensis ecclesiarum.

664 Viterbe, 16 avril 1304.

Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis legato, mandat moneat iterum et inducat rectores civitatis Pistoriensis, ut a processibus, quos contra Baldum de Floraventis mercatorem apostolicum nec non contra consanguineos ejus facere moliuntur, omnino desistant, etiam post elapsum terminum, quem dicto Baldo nuper præfixerunt ad comparendum coram ipsis. Faciat insuper dictus legatus teneri et custodiri domos ac turres prædictorum Baldi et consanguineorum ejus, ne rectores præfati eas audeant diruere. (n° 552, fol. 128 v°.)

« *Venerabili fratri N[icolao], episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato.* Pridem ad audientiam nostram deducto quod..potestas,..capitaneus, antiani, ..vexillifer justitie, consilium et comune civitatis Pistoriensis dilectum filium Baldum de Floraventis, civem Pistoriensem, mercatorem camere nostre, compellere nitebantur ut de curia Romana recederet, diversos contra ipsum propter hoc faciendo processus ac turrium et domorum suarum et consanguineorum ipsius dirutionem etiam comminando, nos attendentes quod idem Baldus nostris et Ecclesie Romane servitiis insistebat, et erat nobis et eidem Ecclesie in magnis pecuniarum quantitatibus obligatus, ac de multis etiam nobis et eidem Ecclesie tenebatur reddere rationem, propter que omnia, etiam si vellet, non poterat Baldus predictus a predicta se curia absentare, immo nos turres, domos, et alia bona ipsius pro premissis nobis et eidem Ecclesie obligata intendebamus, sicut adhuc intendimus, si expediens fuerit, ipsi Ecclesie confiscare, tibi nostris injunximus litteris, ut potestatem, capitaneum, antianos, vexilliferum, consilium et comune predictos ex parte nostra per te vel alium aut alios monere et inducere procurares, ut ab hujusmodi processibus, contra Baldum et consanguineos suos predictos aut in turribus, domibus et aliis bonis ipsorum occasione hujusmodi faciendis, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia abstinerent, revocando que per ipsos contra eum vel predictos consanguineos acta extitissent forsitan in hac parte, ac alias dictum Baldum studerent prosequi favoribus oportunis.

Cumque tu potestatem, capitaneum, antianos, vexilliferum, consilium et comune predictos per litteras tuas eis directas et nuntium, quem propter hoc ad eos specialiter destinasti, super hiis omnibus juxta formam tibi traditam monuisses, ipsi potestas, capitaneus, antiani, vexillifer, consilium et comune, quamvis plura tibi contra Baldum scripserint memoratum, eidem tamen Baldo ob nostram reverentiam concesserunt, quod usque ad kalendas maii proxime venturas possit in dicta curia commorari, prout hec omnia transmisse nobis tue fraternitatis littere plenius exprimebant.

Cum igitur eundem Baldum oporteat ex causis predictis in dicta curia commorari, a qua cum, etiam si vellet, permittere hoc tempore non intendimus absentare, et si ad dirutionem domorum et turrium predictarum procedi contingeret, id in ejusdem Ecclesie, cui sunt ut premittitur obligate, vergeret detrimentum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eosdem potestatem, capitaneum, antianos, vexilliferum, consilium et comune per te vel alium seu alios monere ac inducere studeas iterato, ut ipsi ab hujusmodi processibus contra Baldum et consanguineos suos predictos habendis, etiam post lapsum dicti temporis, ob nostram saltem reverentiam debeant abstinere, revocando si qua contra ipsos forsitan acta essent, ac alias eos juxta priorum monita sic favorabiliter prosequendo, quod ipsorum devotionem possimus exinde merito commendare, ac nichilominus turres et domos predictas per aliquem vel aliquos de familia tua vel alios, de quibus tibi videbitur, teneri et custodiri facias pro nobis et Ecclesia supradicta, usque ad nostre ac dicte Sedis beneplacitum voluntatis, ne fiat aliqua novitas in eisdem, contradictores, etc. Quod autem contingет fieri in premissis nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas intimare. Dat. Viterbii, XVI kalendas maii, anno primo. »

665 Au Latran, 18 janvier 1304.

Civibus Beneventanis, quos Martinus papa IV privaverat jure eligendi consules et alios officiales, Benedictus eosdem consules et officiales restituit, habendos et creandos juxta morem antiquum, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum voluntatis. Eis insuper facultatem elargitur condendi statuta quibus regantur, ac percipiendi sub certo annuo censu omnes redditus, quas Ecclesia Romana in civitate et districtu Beneventanis habere dinoscitur. (n° 553, fol. 129.)

« *Dilectis filiis civibus Beneventanis.* Capit pro liberis patria potestas consilium, de subditorum quiete cogitat princeps, et super gregem suum ad ejus custodiam observat vigilias bonus pastor. Vos vero, filii, in potestate subjecti ac nobis estis dominicus grex commissi, ideoque pro vobis consilium sumere, procurare pacem, et ut illesi sitis debemus accuratius vigilare.

Olim sane, sicut vestra petitio continebat, qui eligebantur a vobis consules et officiales alios habuistis ; sed postmodum tempore felicis recordationis Martini pape IIII[ti], predecessoris nostri, et extunc usque ad presens tempus, quasi possessione juris eosdem eligendi consules et alios

officiales habendi fuistis penitus destituti, propter quod aliqui rectores vestri, arbitrio proprio derelicti, excecati cupidine et dominandi nimio ardore succensi, adeo fas miscuerunt et nefas, extorsiones fecerunt varias, et exactiones multiplices cumularunt, quod, eis nunc uni nunc alteri parti faventibus, civitas vestra in eorum predam quodammodo data, in se gladios vertit, suorum civium deplorat cedes, et eorum vulnera miserabiliter lamentatur; ex quibus nonnulli, quibus bona propria avare ab ipsis concupita rectoribus mortis fuerunt occasio, injustis eorum securibus summiserunt capita, et indignationis aculeos immerito subierunt. Quare nobis humiliter supplicastis, ut ejusdem civitatis pacifico statui misericorditer providentes, eosdem consules juxta morem eligendos a vobis ac officiales predictos restituere, et facultatem secundum justitiam condendi statuta quibus regamini universitati vestre tribuere dignaremur. Per hoc enim rectorum eorumdem cohercerctur audatia, moderatio debita ipsorum imponeretur regimini, et cupiditati effreni aliquod salubre remedium pararetur.

Nos itaque, qui vos ut filios sincere diligimus, ut subjectos fovemus, et ut gregem Domini nobis commissum custodimus libenter, in suspitionem adducti ne non sine causa vobis iidem consules et officiales subtracti fuerint, ac nichilominus super vobis [1] et miserabili statu vestro misericordia moti, utrumque timemus extremum, negare videlicet simpliciter officiales et consules, et facultatem ut premittitur statuta condendi, aut concedere sine prefinitione temporis ipsa vobis, quia per concessionem eorum non minus dampnosa civitati vestre quam rectorum rapacitas, delictorum impunitas, et per denegationem propter aliquorum rectorum nequitiam potest civitatis ejusdem depopulatio formidari. Quapropter pro vobis capientes consilium, et ut experiamur qualiter ambuletis quidve magis expediat, mediam amplectentes viam, nec consules et officiales alios et facultatem justa condendi statuta vobis denegamus omnino, nec permittimus absolute; sed tam ipsos consules per vos sicut consuevistis eligendos et officiales pretactos, prout illos preteritis habuistis temporibus, habituros potestatem et officium que hactenus habuerunt, quam facultatem predictam usque ad beneplacitum Apostolice Sedis de fratrum nostrorum consilio vobis concedimus de gratia speciali, ita quod si beneplacitum hujusmodi aliquando finiri contingat, statuta queque per vos interim licite edita vim, nisi quatinus per ipsam Sedem approbata fuerint, non obtineant in futurum.

Sic ergo modeste incedite, sic corrigite mores, sic curite sapienter, sic equitati consona condatis statuta, sic a vobis creandi consules aliique officiales juste agant, quod apud nos et eandem Sedem majora mereri possitis, et comprehendere gratiam ampliorem. Donec autem dictum beneplacitum finiatur, volumus quod Beneventanus rector, qui modo est et qui pro tempore fuerit, civitatem vestram regat, judicet, et procedat [1] secundum justa que condetis statuta et de consilio etiam consulum et officialium predictorum, velud dudum cum habebatis eos fieri consuevit. Ceterum, ut supplicastis nobis, volumus quod fructus, redditus et proventus, quos Romana Ecclesia in civitate vestra ejusque districtu obtinere dinoscitur, usque ad idem beneplacitum possitis percipere et habere, ipsosque vestris comodis applicare. Pro eis tamen nobis et eidem Ecclesie, ubicumque nos vel successores nostri Romani pontifices fuerimus, annis singulis, quousque Apostolica Sedes in premissis omnibus suam non mutaverit voluntatem beneplacitumque servaverit, mense junii in festo beati Petri quatuor milia florenorum auri, alioquin presens gratia totaliter sit inanis et irrita, persolvetis, ac rectori, qui ad regimen sepedicte civitatis vestre per nos vel eosdem successores nostros mittetur, de salario pro se, familia, et officialibus suis juxta mandatum nostrum et Sedis ejusdem curabitis providere. Dat. Laterani, xv kalendas februarii, anno primo. »

1. Ms : « vos. »

666 Au Latran, 9 mars 1304.

Cum dudum, imminentibus in Aquensi provincia guerrarum discriminibus, duces exercitus regis Franciæ monasterium fratrum Minorum prope muros Aquenses destrui fecerint, iidem fratres, cujusdam prohibitionis a Bonifatio VIII editæ prorsus ignari, infra civitatem eandem monasterium aliud ædificari procurarunt; super quo ab episcopo Aquensi multipliciter fuerunt molestati. Benedictus autem mandat conservatoribus infradictis, ut compellant episcopum præfatum ad imponendum finem molestiis hujusmodi. (n° 554, fol. 129 v°; Potth., n° 25390) [2].

« *Venerabilibus fratribus .. Lascurensi* [3], *.. Ruthenensi et .. Assisinati episcopis.* Oblata nobis dilectorum filiorum .. guardiani et conventus ordinis fratrum Minorum Aquensium petitio continebat, quod dudum inter magnificos principes .. Francorum et .. Anglie reges illustres, guerrarum discriminibus peccatis exigentibus in partibus Vasconie suscitatis, duces exercitus et officiales prefati regis Francie in predicta provincia asserentes, quod per

1. Ms : « regant, judicent et procedant. »
2. Potthast donne la date du 10 mars.
3. Ms : « Laserensi. »

locum dictorum guardiani et conventus constitutum extra muros civitatis Aquensis, provincie supradicte, gravia poterant eidem civitati pericula provenire, locum ipsum destrui fecerunt pro eorum libito voluntatis, in eorumdem guardiani et conventus grave dispendium et jacturam.

Demum vero, quia memorati duces et officiales reparare vel rehedificare dictos guardianum et conventum prefatum locum nullatenus sustinebant, iidem guardianus et conventus adhuc constitutionis felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, que prohibet ne aliqui de ordine memorato in civitate, castro, villa, seu loco quocumque locum seu domos de novo recipere seu hactenus recepta mutare presumant absque Sedis Apostolice licentia speciali, certam notitiam non habentes, quadam necessitate compulsi infra muros civitatis ejusdem emerunt domos et plateas in quibus habitationem eis necessariam et oratorium construxerunt. Cumque postmodum prefata constitutio ad venerabilis fratris nostri .. episcopi Aquensis notitiam pervenisset, ipse prefatum oratorium ecclesiastico interdicto subjecit, et in omnes officia audientes divina vel sepulturam eligentes ibidem excommunicationis sententiam promulgavit. Quare pro parte predictorum guardiani et conventus fuit nobis humiliter supplicatum ut eis, quod in predictis habitatione et oratorio, ut predicitur, infra muros civitatis prefate libere remanere valerent, concedere dignaremur.

Nos igitur eorumdem guardiani et conventus supplicationibus inclinati, ipsis quod in sepedictis habitatione et oratorio, constitutione prefata aliquatenus non obstante, licite remanere possint auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eundem episcopum ad revocandum predictas excommunicationis et interdicti sententias auctoritate nostra, prout justum fuerit, compellentes, predictos guardianum et fratres, quin in predicto loco libere et in pace remaneant ab aliquibus impediri vel molestari nullatenus permittatis, contradictores, etc. Dat. Laterani, VII idus marcii, anno primo. »

667 Au Latran, 8 mars 1304.

Guillelmo de Sancta Cruce et Guillelmæ de Monte Rivello, uxori ejus, Bisuntinæ diocesis, indulget ut in matrimonio dudum contracto remanere possint, non obstantibus quarto consanguinitatis gradu nec non processibus factis occasione ejusdem matrimonii, tam coram officiali archiepiscopi Bisuntini, quam Eduensi episcopo, judice super hoc ab Apostolica Sede deputato. (nº 555, fol. 129 vº.)

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Sancta Cruce, domino de Longa Petra, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Guillelme de Monte Rivello, uxori ejus, Bisuntine diocesis.* Sedis Apostolice circumspecta benignitas concessa sibi desuper utitur potestate, prout emergentium negotiorum qualitate pensata id in Deo conspicit salubriter expedire.

Porrecta siquidem nobis vestra petitio continebat, quod vos olim matrimonium invicem, bannis juxta illius patrie consuetudinem primo propositis nulloque apparente contradictore, in faciem Ecclesie publice contraxistis, ignorantes quod inter vos foret aliqua consanguinitas, que posset hujusmodi matrimonium impedire ; cumque permansissetis insimul per quadriennium et amplius in matrimonio sic contracto, carnali inter vos copula subsecuta, demum Johanne Marinerii, presbytero dicte diocesis, proponente coram officiali venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Bisuntini, quod vos eratis quarto consanguinitatis gradu conjuncti, dictumque coram ipso matrimonium accusante, dictus officialis in hujusmodi causa procedens, diffinitivam inter vos divortii sententiam promulgavit, a qua vos ad Sedem Apostolicam appellantes, causam appellationis hujusmodi venerabili fratri nostro .. episcopo Eduensi obtinuistis ab eadem Sede committi; coram quo eadem causa remanet indecisa. Licet autem de hujusmodi consanguinitate vobis objecta nondum certam scire potueritis veritatem, quia tamen dubius est eventus litis, et si contra vos in ejusdem appellationis causa sententiam ferri seu alias vos contigerit separari, gravia inter utriusque vestrum consanguineos timeantur scandala suboriri, nobis humiliter supplicastis ut, si in eodem consanguinitatis gradu vos invicem attingatis, providere super hoc vobis per dispensationis gratiam [1] dignaremur.

Nos igitur, qui libenter fidelibus quietis comoda procuramus, volentes vobis in hac parte salubriter providere ac obviare scandalis antedictis, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum quod in eodem matrimonio remanere licite valeatis, etiam si conjuncti sitis in gradu predicto, impedimento quod [ex] eadem consanguinitate provenit non obstante, auctoritate apostolica dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nuntiando. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis et nuntiationis, etc. Dat. Laterani, VIII idus martii, anno primo. »

1. Ms : « gratia. »

668 Au Latran, 28 février 1304.

Ordini Cartusiensi concedit ecclesiam s. Ciriaci in Termis de Urbe, quæ titulus cardinalatus existit; statuit ut eadem de cætero spiritualiter et temporaliter proprium membrum prædicti ordinis censeatur, salvo tamen jure cardinalis, qui eam intitulatam pro tempore habebit. (n° 556, fol. 129 v°.)

« *Dilectis filiis .. priori Cartusiensi ceterisque prioribus et fratribus Cartusiensis ordinis.* Inter cetera beneficia que nobis licet indignis misericordia contulit Redemptoris, hoc quasi potissimum reputamus, si temporibus nostris ad divini nominis gloriam et augmentum humane salutis religiones laudabiles salubre suscipiant incrementum.

Attendentes igitur quod ordo vester inter alias sacras religiones artiori quadam regula limitatur, quodque in eo, sicut testimonio fidedignorum accepimus, laudabiliter viget observantia regularis, et quod ad eundem ordinem et personas degentes in ipso, ut pote bone conversationis, honeste vite ac fame laudabilis, que sibi per vite meritum et aliis proficiunt per exemplum, multorum devotio fervet, reverentia crescit et pius dilatatur affectus, dignum duximus ut illa vos et ipsum gratia foveamus, per quam vobis honor et comodum et fidelibus salutis augmentum dante Domine procuretur.

Hinc est quod nos, vestris per dilectum filium fratrem Michaelem, priorem monasterii sancti Bartholomei de Trifulto, vestri ordinis, Alatrine diocesis, ejusdem ordinis procuratorem, porrectis nobis devotis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio ecclesiam sancti Ciriaci in Termis de Urbe, que titulus cardinalatus existit, cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis ubilibet constitutis, eisdem tamen bonis, juribus et pertinentiis in ipsius ecclesie proprietate manentibus, vobis et eidem ordini concedimus et subicimus de gratia speciali, ita quod ipsa ecclesia de cetero spiritualiter et temporaliter sit proprium membrum vestri ordinis memorati, statuentes ut perpetuo in eadem ecclesia sub observantia predicti vestri ordinis serviatur per priorem et competentem monachorum et conversorum ipsius vestri ordinis numerum, qui nunc et quotiens oportunum fuerit secundum predicti ordinis instituta instituantur et destituantur ibidem, et quod iidem prior, monachi et conversi ipsius ecclesie ac eadem ecclesia et ipsius bona, jura et pertinentie sub vestri capituli generalis obedientia maneant secundum instituta predicta, sicut et cetera prioratus, membra, persone ac bona ordinis memorati.

Nichilominus autem ipsi prior, monachi, conversi et persone ejusdem ecclesie sancti Ciriaci subsint Romane Ecclesie cardinalibus, qui eandem ecclesiam intitulatam pro tempore vel recommendatam habebunt a Romana Ecclesia prelibata, sicut alii religiosi exempti ecclesiarum Urbis ejusdem, titulum cardinalatus habentium, subsunt aliis ipsius Ecclesie Romane cardinalibus, qui eas intitulatas vel recommendatas obtinere noscuntur, salvis etiam ac libere reservatis eisdem Romane Ecclesie cardinalibus, qui ut predicitur predictam ecclesiam intitulatam pro tempore vel recommendatam habebunt, quibuscumque redditibus, proventibus, obventionibus et juribus, que habere solent et percipere ipsius Romane Ecclesie cardinales, qui eandem ecclesiam intitulatam vel recommendatam hactenus tenuerunt. Clerici quoque, si qui nunc sunt in ipsa ecclesia canonice instituti, debita et consueta beneficia obtineant in eadem, donec de ipsis per Sedem Apostolicam aliter extiterit ordinatum, non obstantibus quibuscumque litteris Apostolice Sedis super quorumcumque provisionibus impetratis vel etiam impetrandis, seu reservationibus vel inhibitionibus earum auctoritate factis vel etiam faciendis, quibus quo ad assecutionem aliarum ecclesiarum seu beneficiorum nullum per hoc volumus prejudicium generari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, subjectionis, constitutionis, etc. Dat. Laterani, III kalendas marcii, anno primo. »

In e. m. .. Alatrino et .. Sutrino episcopis ac .. archipresbytero ecclesie sancte Susanne de Urbe [1].

669 A Saint Pierre, 4 avril 1304.

Roberto, nato Rambaldi de Tervisio, familiari suo, ac Aliotæ Guidonis indulget ut matrimonium valeant contrahere non obstante quarto gradu consanguinitatis. (n° 557, fol. 130.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto, nato nobilis viri Rambaldi de Tervisio comitis, familiari nostro, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Aliote, nate nobilis viri Guidonis advocati Tervisini.* Attenta Sedis Apostolice — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

670 Viterbe, 14 avril 1304.

Conservatoribus infradictis mandat, ut monasterium s. Andreæ Vercellensis sub sua protectione suscipiant atque contra molestatores strenue tueantur. (n° 558A, fol. 130.)

« *Venerabilibus fratribus .. Astensi et .. Yporiensi episcopis ac dilecto filio .. preposito ecclesie de Brimate, Mediolanensis diocesis.* Obviare malitiis perversorum — Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

1. *In e. m.* ajouté en marge du ms. postérieurement.

671 Viterbe, 14 avril 1304.

Caveat Dunelmensis episcopus ne fructus, redditus ac proventus ecclesiæ s. Andreæ de Cestratona, Elyensis diocesis, multo plus quam valeant occasione solutionis decimæ taxentur. (nº 558 B, fol. 130.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Dunelmensi.* Petitio dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii sancti Andree Vercellensis, ordinis sancti Augustini, nobis exhibita continebat quod fructus, redditus et proventus ecclesie sancti Andree de Cestratona, Elyensis diocesis, quam ipsi in proprios usus obtinent, multo plus quam valeant sunt taxati, sicque iidem abbas et conventus occasione hujusmodi gravamen hactenus in solutione decime sunt perpessi, et exinde jactura ipsis poterat imminere. Quare nobis humiliter supplicarunt ut providere ipsis in hac parte de benignitate apostolica mandaremus.

Nos itaque dictorum abbatis et conventus supplicationibus inclinati, [fraternitati tue] mandamus quatinus, si est ita, fructus redditus et proventus predictos secundum verum et rationabilem valorem auctoritate nostra taxare procures, contradictores, etc. Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

672 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Præposito Brugensis ecclesiæ, Tornacensis diocesis, indulget ut duo clerici, ejus obsequiis insistentes, fructus beneficiorum suorum possint percipere usque ad triennium. (nº 559 A, fol. 130 vº.)

« *Dilecto filio Octobono de Carreto, preposito ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis.* Volentes tuam in — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Lucano et .. decano ac .. preposito ecclesie Leodiensis.

673 Viterbe, 14 avril 1304.

Baldoyno, nato Leonis de Mirvaldo Cevæ, et Verdinæ, filiæ Antonii de Carreto, indulget ut ad sedandas inimicitias inter patres eorum exortas matrimonium contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (nº 559 B, fol. 130 vº.)

« Benedictus, etc., dilecto filio nobili viro Baldoyno, nato dilecti filii nobilis viri Leonis de Mirvaldo Ceve, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Verdine, filie nobilis viri Antonii de Carreto marchionum, Albensis diocesis, etc. Sedis Apostolice circumspecta — Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

674 Viterbe, 14 avril 1304.

Abbati monasterii de Capite Montis, Januensis diocesis, committit potestatem absolvendi Petrum Malocelli, civem Januensem, ab excommunicationis sententia, nec non mitigandi pœnas et mulctas, quas dictus Petrus incurrerat pro eo quod indebite communicaverat cum Sarracenis. (nº 560, fol. 130 vº.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii de Capite Montis, Januensis diocesis.* Quieti et saluti filiorum providere benignius affectantes, delinquentibus, quos ad misericordiam matris Ecclesie devota penitudo reducit, sinum benignitatis et mansuetudinis non negamus, sed libenter veniam impertimur.

Nuper siquidem ex parte dilecti filii Petri Malocelli, civis Januensis, fuit expositum coram nobis quod ipse olim contra constitutiones, prohibitiones et processus Apostolice Sedis, spirituales et temporales sententias, penas continentes et mulctas, in Alexandriam nonnulla mercimonia destinavit. Quare fuit nobis ex parte dicti Petri humiliter supplicatum, ut providere sibi super excommunicationum et aliis spiritualibus et temporalibus sententiis, penis, et mulctis latis seu statutis contra tales, quas idem Petrus propter hoc incurrit, de absolutionis, relaxationis, remissionis et restitutionis beneficio misericorditer dignaremur.

Nos itaque de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipsius Petri supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus ut, recepto ab eodem Petro nomine nostro et Ecclesie Romane corporaliter juramento de parendo super hiis nostris et Ecclesie predicte mandatis, hac vice ipsum Petrum ab hujusmodi excommunicationibus juxta Ecclesie formam absolvere, et quaslibet alias sententias spirituales et temporales et penas ac multas, latas seu statutas ut predicitur contra tales per Sedem prefatam, seu ejus auctoritate per alios, seu qualitercumque ab homine vel a jure, quas propter hoc ipsum incurrisse constiterit, circa eum mitigare, sibique super hiis de absolutionis, relaxationis, remissionis et restitutionis beneficio providere, prout anime sue saluti videris expedire, valeas, injuncta sibi nichilominus super premissis pro culpe modo penitentia salutari [1]. Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

675 Viterbe, 16 avril 1304.

Eracleo de s. Nercereo provideatur de quodam personatu,

1. Le scribe a ajouté ici par inadvertance : « concedimus plenam et liberam auctoritate presentium facultatem. » Ces mots sont de trop, puisque la phrase est construite avec *mandamus ut*.

officio vel dignitate in ecclesia Brivatensi, Claromontensis diocesis, cujus canonicus existit. (nº 561, fol. 131.)

« *Dilecto filio Eracleo de sancto Nerccreo, canonico ecclesie Brivatensis, Claromontensis diocesis.* Nobilitas generis — Dat. Viterbii, xvi kalendas maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Tornacensi et .. preposito Claromontensis ac Sicardo de Vauro, capellano nostro, thesaurario Albiensis ecclesiarum.

676 A Saint-Pierre, 8 avril 1304.

Consideratione regis Francorum, mandat ut Phylippo de Mornayo provideatur de quodam personatu vel dignitate in ecclesia Baiocensi, cujus idem Phylippus canonicus existit. (nº 562, fol. 131.)

« *Dilecto filio magistro Phylippo de Mornayo, clerico et familiari carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, canonico Baiocensi.* Litterarum scientia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, vi idus aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati sancti Laurentii de Albatia, Autissiodorensis diocesis et .. cantori Aurelianensis ac magistro Petro de Bellapertica, canonico Carnotensis ecclesiarum.

677 Au Latran, 30 janvier 1304.

Jacobo Parisii de Bononia, civi Viterbiensi, conceditur sub certo annuo censu feudum quoddam ad Ecclesiam Romanam pertinens, situm in territorio castri Orclæ, Viterbiensis diocesis. (nº 563, fol. 131 vº.)

« *Dilecto filio Johanni, electo Spoletano, camerario nostro.* Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius magister Jacobus Parisii de Bononia, civis Viterbiensis, ad nos et Romanam Ecclesiam habere dinoscitur, promeretur ut ipsum condignis gratiis et favoribus prosequamur.

Volentes itaque sibi suis exigentibus meritis gratiam facere specialem, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, presentium auctoritate committimus, quatinus eidem magistro Jacobo feudum, quod quondam Constantius de Fulgineo, civis Viterbiensis, in territorio castri Orcle, Viterbiensis diocesis, ab Ecclesia Romana tenuit dum vivebat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, si tibi videbitur expedire, sub certo annuo censu auctoritate nostra concedas ab eo quoad vixerit retinendum, inducens eum per te vel per alium in illius corporalem possessionem et defendens inductum, contradictores per censuram, etc.

Et ut in predictis circa possessionem et proprietatem Ecclesie prefate in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra octabam Nativitatis Domini pro dicto feudo, cum ostentione litterarum concessionis faciende per te Jacobo supradicto, prefatum censum idem Jacobus vel ejus procurator camere nostre persolvat. Quod si forte facere contempserit, omne jus sibi ex tua concessione quesitum extunc ad predictam Ecclesiam devolvatur. Dat. Laterani, iii kalendas februarii, anno primo. »

678 Viterbe, 17 avril 1304.

Priori monasterii s. Andreæ Taurinensis mandat, ut compescat illos qui priorissæ ac conventui monasterii s. Mariæ de Revello, ordinis s. Augustini, Taurinensis diocesis, molestias inferre præsumpserint. (nº 564, fol. 131 vº.)

« *Dilecto filio .. priori sancti Andree Taurinensis.* Sub religionis habitu — Dat. Viterbii, xv kalendas maii, anno primo. »

679 Au Latran, 11 février 1304.

Christi fideles per Tervisinam, Feltrensem et Tridentinam dioceses constitutos monet et hortatur, ut hospitali s. Martini de Castrosa, Feltrensis diocesis, eleemosynas erogent; eis autem indulgentiam centum dierum promittit. (nº 565, fol. 131 vº.)

« *Universis Christi fidelibus per Tervisinam, Feltrensem et Tridentinam civitates et dioceses constitutis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, iii idus februarii, anno primo. »

680 Au Latran, 11 février 1304.

Magistro scholarum ecclesiæ Tervisinæ mandat ut hospitale supradictum a molestatoribus quibuscumque sollicite tueatur. (nº 566, fol. 132.)

« *Dilecto filio .. magistro scolarum ecclesie Tervisine.* Pium esse dinoscitur — Dat. Laterani, iii idus februarii, anno primo. »

681 Viterbe, 14 avril 1304.

Quondam Innocentio papa iv vivente, omnes de domibus et generibus Bordorinorum et Guidalardorum Vercellensis diocesis, pro eo quod Frederico imperatori adhæserant, privati fuerunt honoribus, officiis et dignitatibus suis ac inhabiles declarati ad eadem ulterius assumenda; alias quoque sententias et

pœnas in eos tulit dictus Innocentius. Sed postmodum fuerunt auctoritate apostolica ad statum pristinum restituti. Cum autem litteræ super hoc confectæ nequeant reperiri, cumque quidam laici et clerici de domibus supradictis restitutionem eandem per alia legitima documenta se sperent posse probare, Benedictus XI committit personis infranominatis curam recipiendi probationes illas easque publicandi in locis in quibus viderint expedire. (nº 567, fol. 132.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Nazarii, Vercellensis diocesis, et .. priori fratrum Predicatorum ac Guillelmo de Ripis, canonico Vercellensibus.* Petitio dilectorum filiorum .. abbatis monasterii sancti Andree, Guillelmi canonici majoris ecclesie Vercellensis, Uberti de Alice, Bonifatii de Guidalardis et aliorum clericorum et laicorum de domibus et generibus Bordorinorum et Guidalardorum civitatis et diocesis Vercellensis nobis exhibita continebat, quod olim felicis recordationis Innocentius papa IIII us, predecessor noster, pro eo quod Bordorini et Guidalardi, progenitores eorum, Ecclesiam Romanam offenderant adherendo quondam Frederico, dudum Romano imperatori, tunc ipsius Ecclesie rebelli, ac impugnando nobiles viros advocatos Vercellenses, statuit ut nullus eorum usque in quartam generationem posset ad ordines promoveri vel aliquod ecclesiasticum beneficium obtinere, omnes illos, qui eorum alicui aliquo juramento vel fidelitate tenerentur vel ex contractu quolibet seu obligatione in pecunia vel aliis [fuerint] obligati, a juramento, fidelitate, contractu et obligatione hujusmodi prorsus absolvens ; quod si aliquis eorum jus advocatie vel patronatus in aliqua ecclesia obtineret, hujusmodi jure privavit eundem ; advocatos quoque, judices, tabelliones, qui remanentes in Vercellensi civitate vel diocesi dicto Frederico vel fautoribus ejus adheserant, vel eis in aliquo fuerant, advocationis, judicatus et tabellionatus privavit officiis, inhibendo ne quisquam ex Bordorinis [1], Guidalardis et aliis supradictis ad potestarie regimen vel alicujus publici vel privati honoris assumeretur officium, ac decernendo tam sic electum vel assumptum, quam eligentes et assumentes predictos, ipso facto, excommunicationis sententie, ac terram, ad cujus regimen vel officium electus existeret vel assumptus, interdicto ecclesiastico subjacere, prout in litteris dicti predecessoris hujusmodi plenius continetur.

Verum licet predicti progenitores postmodum ad ipsius mandata Ecclesie redeuntes, a premissis omnibus auctoritate apostolica fuerint absoluti et ad statum pristinum restituti, quia tamen littere super hujusmodi absolucione confecte nequeunt reperiri, abbas, canonicus et alii clerici et laici supradicti nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi hujusmodi absolutionem et restitutionem auctoritate dicti predecessoris fuisse factas se sperent posse probare per alia legitima documenta, providere [1] ipsis in hac parte de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios probationes recipientes legitimas, quas iidem super hoc duxerint producendas, et si per ipsas probationes vobis de absolutione et restitutione predictis constiterit, eas in locis in quibus expedire videritis auctoritate nostra publicare curetis, contradictores per censuram, [etc.], non obstante indulgentia qua, fili prior, etc. Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

1. Ms : « Bordoinis. »

1. Ms : « provenire. »

682 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Confertur Petro dicto Nannetis canonicatus cum prebenda in ecclesia Nannetensi. (nº 568, fol. 132.)

« *Dilecto filio Petro dicto Nannetis, canonico Nannetensi.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

In e. m. magistro Benedicto de Aquino, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi, notario nostro, et .. decano ac .. thesaurario ecclesie Briocensis.

683 Viterbe, 17 avril 1304.

Pandulfo de Sabello, notario suo, licentiam concedit percipiendi insimul fructus præpositurae de Chableis, quam in s. Martini Turonensis, nec non præbendarum, quas in eadem s. Martini, et Parisiensi, Carnotensi, Senonensi, Cameracensi, Baiocensi, Cathalaunensi, Eboracensi, Lincolniensi ac Sarisbiriensi obtinet ecclesiis. (nº 569, fol. 132 vº.)

« *Dilecto filio Pandulfo de Sabello, preposito de Chableis in ecclesia sancti Martini Turonensis, notario nostro.* Affectu benivolentie — Dat. Viterbii, XV kalendas maii, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Consano et .. sancti Pauli de Urbe ac .. sancti Germani Autissiodorensis monasteriorum abbatibus.

684 Au Latran, 12 mars 1304.

Priorissam et sorores monasterii s. Mariæ Magdalenæ extra muros Spirenses, ordinis s. Augustini, magistro ordinis Prædi-

catorum et priori provinciali provinciæ Theotoniæ ipsius ordinis committit. Easdem a cujuscumque potestate ac jurisdictione prorsus eximit, ipsis etiam indulgendo ut ad contribuendum in talliis, decimis aut exactionibus quibuslibet minime teneantur. (nº 570, fol. 133; Potth., nº 25397.)

« .. *Priorisse et sororibus monasterii sancte Marie Magdalene extra muros Spirenses, per priorissam soliti gubernari.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Laterani, IIII idus martii, anno primo. »

In e. m. .. magistro et .. priori provintiali provincie Theotonie ordinis fratrum Predicatorum.

685 Au Latran, 15 mars 1304.

Concessio eadem pro priorissa et sororibus monasterii b. Mariæ de Pruliano, Apamiarum diocesis, ordinis s. Augustini, quas in ordinem fratrum Prædicatorum cooptatas similiter declarat, ipsas committendo magistro et priori provinciali provinciæ Tholosanæ ordinis ejusdem. (nº 571, fol. 133.)

« .. *Priorisse et sororibus monasterii beate Marie de Pruliano, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Predicatorum viventibus, Appamiarum diocesis.* Apostolice Sedis benignitas, etc. ut supra, usque : in castris claustralibus mente tamen libera devote Domino famulantes, .. magistro ordinis fratrum Predicatorum et .. priori provinciali provincie Tholosane ipsius ordinis atque eidem ordini affectetis committi, nos pium vestrum propositum in Domino commendantes, etc., ut supra capitulo CXXXV, usque : illis gaudeatis privilegiis et gratiis et indulgentiis, que dicto ordini a Sede Apostolica sunt concessa, etc., ut in eodem usque : viderint indigere, ac nichilominus instituant et destituant, etc., usque : Vobis preterea ut ad prestandum decimas de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, que impresentiarum habetis et justis modis prestante Domino acquisiveritis in futurum, vel subventionem quamcumque, aut ad contribuendum, etc., ut in eodem usque : Ipsum quoque monasterium et vos cum omnibus juribus et pertinentiis vestris a venerabilis fratris nostri .. episcopi Appamiarum et cujuscumque alterius jurisdictione ac potestate prorsus eximinus de gratia speciali, decernentes irritas et inanes interdicti, suspentionis, excommunicationis sententias, si quas in vos vel aliquam vestrum aut monasterium ipsum seu quoscumque alios occasione vestri, premissorum pretextu, contra hujusmodi commissionis, statuti, licentie, indulgentie, concessionis et exemptionis nostre tenorem per quemcumque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo, etc., nostre commissionis, statuti, licentie, indulgentie, concessionis et exemptionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, idibus martii, anno primo. »

In e. m... magistro et .. priori provinciali provincie Tholosane ordinis fratrum Predicatorum.

686 Au Latran, 15 mars 1304.

Priorissæ et sororibus monasterii supradicti confirmat ecclesias parochiales de Lunoso, de Fano Jovis, de Bram, de Villafrancha, de Fontanellis et de Forcia, quas dudum obtinuerunt et adhuc possident. (nº 572 A, fol. 133.)

« .. *Priorisse et conventui monasterii sancte Marie de Pruliano, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus, Appamiarum diocesis.* Solet annuere Sedes — Dat. ut supra. »

687 Au Latran, 15 mars 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Caturcensibus indulget, ut de usuris, rapinis aliisque male acquisitis valeant recipere usque ad summam mille florenorum auri. (nº 572 B, fol. 133.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Caturcensibus.* Ut [1] circa ea que — Dat. ut supra. »

688 Au Latran, 15 mars 1304.

Indulgentia eadem pro fratribus ordinis Prædicatorum Tholosanis. (*Ibid.*, Potth., nº 25399.)

« In e. m. dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Predicatorum Tholosanis [2]. »

689 Au Latran, 15 mars 1304.

Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Apamiarum confirmat locum, libertates ac immunitates, quæ ipsis fratribus abbas et conventus monasterii s. Antonini civitatis ejusdem olim concesserunt. (nº 573 A, fol. 133 vº.)

« .. *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum*

1. Le scribe chargé de rubriquer les majuscules initiales a remplacé la lettre U par un N.
2. La pièce n'est pas datée. Probablement le copiste a oublié d'écrire les mots *Dat. ut supra*, qui se trouvent au bas des deux bulles précédentes et des trois suivantes.

Appamiarum. Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster B[ernardus], episcopus Appamiarum, tunc abbas, et conventus monasterii sancti Antonini Appamiarum, quod nunc existit ecclesia cathedralis, provide attendentes quod in ordine vestro, quasi solis radius, habitantibus in hac lacrimarum valle lux eruditionis illucet, dum ipsius ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam confitentium fragiles, in tenebris erroris inimici hominis suggestione illapsas, lumine veritatis illustrant et spinas punctionis letifere in orto subcrescente dominico novacula labiorum succidunt, in quibus eterne sapientie gratia est diffusa, quare et per hoc volentes ordinem ipsum ut decebat suis muneribus honorare, ut exinde per hoc a Deo suorum consequi possint veniam peccatorum, vobis locum in civitate Appamiarum, in quo ecclesiam seu oratorium, cimiterium, et alias officinas vobis construere possetis, donaverunt, ac nonnullas alias libertates et immunitates concesserunt intuitu pietatis, prout in patentibus litteris inde confectis, ipsius episcopi tunc abbatis et dictorum conventus sigillis quibus tunc temporibus utebantur munitis, plenius continetur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, donationem et concessionem hujusmodi ratas et gratas habentes, eas ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque : communimus, omnem defectum, si quis in eis extitit, supplentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. ut supra.

690 Au Latran, 15 mars 1304.

Abbati monasterii Electensis, Narbonensis diocesis, mandat ut illos, qui monasterio s. Mariæ de Pruliano vel personis ejusdem injurias aut molestias inferre præsumpserint, efficaciter compescat. (n° 573 B, fol. 133 v°.)

« .. *Abbati monasterii Electensis, Narbonensis diocesis.* Sub religionis habitu — Dat. ut supra. »

691 Au Latran, 15 mars 1304.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur eis, qui pro refectione ecclesiæ fratrum Prædicatorum civitatis Caturcensis pia subsidia erogarint. (n° 574 A, fol. 133 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. ut supra. »

692 Au Latran, 11 mars 1304.

Priorissæ et conventui monasterii Vallis s. Mariæ, ordinis s. Augustini, Treverensis diocesis, confirmat parochialem ecclesiam de Schuffelingen, quam ipsis provide concesserunt Boemundus et Dytherus, Treverenses archiepiscopi. (n° 574 B, fol. 133 v°; POTTH., n° 25394.)

« .. *Priorisse et conventui monasterii Vallis sancte Marie, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Treverensis diocesis, secundum instituta et sub cura ordinis fratrum Predicatorum viventibus.* Meritis vestre religionis — Dat. Laterani, v idus martii, anno primo. »

693 Au Latran, 12 mars 1304.

Priori provinciali et fratribus ordinis Prædicatorum in Theotonia concedit facultatem recipiendi fratres de Pœnitentia Jhesu-Christi de Bruxella, Cameracensis diocesis, qui ad ordinem prædictum cum ipsorum loco desiderant se transferre. (n° 574 C, fol. 133 v°.)

« .. *Priori provinciali et fratribus ordinis Predicatorum in Theotonia.* Ex parte vestra fuit expositum coram nobis, quod fratres olim de Penitentia Jhesu-Christi de Bruxella, Cameracensis diocesis, cum loco ipsorum quem ibi obtinent, ad ordinem vestrum desiderant se transferre.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, dictos fratres de Penitentia Jhesu-Christi et locum hujusmodi pro usibus et vestris necessitatibus recipiendi vobis liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Laterani, IIII idus martii, anno primo. »

694 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Regem Franciæ monet et hortatur ut Robertum, Cabilonensem episcopum, ac ejus ecclesiam propensius commendatos habeat, eisque bona temporalia et jura ipsorum, quæ nomine dicti regis detineri dicuntur, prompta liberalitate restitui faciat. (n° 575, fol. 133 v°.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri.* Circa ea, per que divine majestati complaceas, te libenter paternis exhortationibus excitamus ut inde tibi, in quo affectamus salutem hominis utriusque, apud Deum bonorum comparetur cumulus [1] meritorum et apud homines clare fame titulus augeatur.

Cum igitur venerabilis frater noster Robertus, episcopus Cabilonensis, dudum per Apostolicam Sedem ad Cabilonensem ecclesiam, tunc pastore carentem, promotus

1. Ms : « cumulis. »

fuisse noscatur, nec pro ipso tibi fuerint hujusmodi promotionis sue tempore, ut asseritur, littere apostolice destinate, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente quatinus, prudenter attendens quod divine gratia majestatis acquiritur, si ecclesiis et personis ecclesiasticis et presertim pontificali dignitate preditis condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur, eidem episcopo pro divina et prefate Sedis reverentia reddas te affectu benivolum et opere gratiosum, et habens ipsum et predictam Cabilonensem ecclesiam more devoti principis commendatos, ejusdem ecclesie jura, quantum in te fuerit, favorabiliter protegas et defendas, faciendo ipsis episcopo et ecclesie temporalia bona et jura ipsorum, que tuo nomine detineri dicuntur, prompta liberalitate restitui cum effectu, ita quod iidem episcopus et ecclesia, quorum oculi ad te prospiciunt, in règia propitiatione congaudeant tuque per hoc preter divine retributionis premium, quod inde tibi proveniet, humane laudis preconium exinde consequi merearis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

695 A Saint-Pierre, 26 mars 1304.

Vacantibus canonicatu et præbenda in ecclesia s. Mariæ in Pesolis Narniensis, priori ipsius ecclesiæ conceditur licentia conferendi personæ cuilibet idoneæ canonicatum supradictum, de præfata præbenda eidem personæ providendo, ita ut in dicta ecclesia servetur septenarius canonicorum numerus. (n° 576, fol. 134).

« *Johanni, priori ecclesie sancte Marie in Pesolis Narniensis.* Exposuisti nobis quod — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII kalendas aprilis, anno primo. »

696 Au Latran, 11 mars 1304.

Regem Romanorum, qui Maguntinum archiepiscopum ac ejus ecclesiam diversis pressuris et contumeliis oppressit eorumque bona temere occupavit, rogat et hortatur ut per se ipsum corrigat et emendet quidquid erga dictos archiepiscopum et ecclesiam minus provide extitit attentatum. (n° 577, fol. 134; POTTH., n° 25391.)

« *Carissimo in Christo filio A[lberto], regi Romanorum illustri.* Gratie tibi divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si tu tanquam princeps catholicus gerens ad Deum et Sedem Apostolicam reverentiam filialem, ecclesias et ecclesiarum prelatos, pontificali presertim preditos dignitate, benigno favore confoveas, ab ipsorum injuriis et gravaminibus abstinendo, illos in suis juribus manuteneas et conserves, ac oportunis presidiis prosequaris.

Dudum siquidem ad nostrum pervenit auditum, quod tu venerabilem fratrem nostrum G[erardum] archiepiscopum et ecclesiam Maguntinos diversis pressuris et contumeliis oppressisti, idemque archiepiscopus ob timorem tuum quasdam dampnosas pactiones et ordinationes tecum inire in enorme suum et ecclesie predicte prejudicium est coactus : quorum pretextu tu nonnulla castra, munitiones, redditus, privilegia, jura et jurisdictiones et alia plurima bona ad ecclesiam ipsam spectantia abstulisti, occupasti et occupata detines pro tue voluntatis libito minus juste. Et licet felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^{us}, predecessor noster, suis litteris munificentiam tuam rogaverit et fuerit exhortatus, ut bona stabilia dicte ecclesie distracta vel non distracta, detenta per te vel alios tibi subditos, liberaliter sibi absque obstaculo dilationis et difficultatis restitueres et faceres restitui cum effectu, ac super dampnis et injuriis sibi illatis componeres benigne, mansuete et curialiter cum eodem, tu tamen exhortationes et preces dicti predecessoris obaudiens, premissa facere non curasti; ex quo tanto nobis majoris admirationis causa suboritur, quanto in te tanquam catholico principe et filio predilecto speramus majoris devotionis promptitudinem invenire.

Quocirca celsitudinem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus debita meditatione recogitans quantum honori tuo detrahitur et saluti, si tu qui teneris alios in suo jure defendere jura ecclesiarum usurpes et bona occupes earumdem, per te ipsum provide corrigas et emendes quicquid erga dictos archiepiscopum et ecclesiam minus provide per te extitit attemptatum, restituendo ipsis et faciendo restitui, pactionibus et ordinationibus antedictis nequaquam obstantibus, bona et jura ipsorum, que per te et subditos tuos ablata occupata fuerunt vel detenta, ac de dampnis et injuriis eis illatis adeo congruam satisfactionem exhibeas, quod idem archiepiscopus super hiis nostra precamina sibi sentiat profuisse, tuque nos et Sedem eandem, qui tibi favorabiliter in cunctis oportunitatibus assistere cupimus, invenias ad ea que tibi sint placita favorabiles et benignos. Dat. Laterani, V idus martii, anno primo. »

697 Pérouse, 9 mai 1304.

Roberto duci Calabriæ, primogenito Siciliæ regis, ac Sanciæ filiæ regis Majoricarum indulget, ut matrimonium invicem licite ac libere contrahere valeant, non obstantibus secundo affinitatis et quarto consanguinitatis gradibus. (n° 578, fol. 134.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto duci Calabrie, primogenito Caroli Sicilie, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Sancie, Jacobi Majoricarum carissimorum in Christo filiorum nostrorum illustrium regum natis.* Licet sacrorum canonum instituta inter illos, qui sunt consanguinitatis vel affinitatis nexu conjuncti, matrimonialem copulam interdicant, tamen summus pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet sed a Deo, personarum et temporum qualitate pensata, utiliora prospiciens, nonnunquam rigorem juris, maxime circa personas sublimes Apostolice Sedi devotas, pro pace et quiete regnantium et regnorum, mansuetudine temperat, et quod negat arta juris severitas benignitate provide dispensationis indulget.

Sane petitio vestra nuper nobis exhibita continebat quod, cum olim inter .. Sicilie et .. Aragonie reges et sequaces ipsorum gravis admodum diutina et dissidiosa contentio, que mundo attulit calamitates et bella, pretextu seu causa insule Sicilie fuisse noscatur, quamvis postmodum super hiis sit pax et concordia reformata, tamen ad sedandum plenius et extirpandum rancores et odia que possent ex eis pro tempore pullulare, et ad corroborandum et nutriendum efficatius vere pacis et dilectionis comoda hinc et inde, quod facilius et comodius provenire poterit si vos conjungi contingat nexu copule conjugalis, pro eo quod carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, pater tuus filia Sancia, carissimi in Christo filii nostri Jacobi illustris regis Aragonie patruus esse dinoscitur, ac ex aliis rationabilibus causis que id fieri suadent, desideratis ad invicem matrimonialiter copulari; sed quia secundo affinitatis pro eo quod quondam Yolenda, nata quondam Petri olim regis Aragonie, uxor tua fili dux, tibi Sancie secundo consanguinitatis gradu olim dum viveret attinebat, nec non quarto consanguinitatis gradibus vos contingitis, id non potest duci legitime ad effectum, Apostolice Sedis licentiam super hoc humiliter implorastis.

Nos igitur in predictis regnis et ubique locorum Deo et Romane Ecclesie devotorum pacem et concordiam augeri feliciter affectantes, et intendentes ad id studia que possumus adhibere, ac sperantes quod ex hujusmodi matrimonio, si fiat, tam in memoratis regnis quam alibi prosperitatum quamplurium, dante Domino, provenient incrementa, vestris supplicationibus annuentes, vobiscum ut, impedimento hujusmodi secundi affinitatis et quarto consanguinitatis graduum non obstante, matrimonium invicem contrahere licite ac libere valeatis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Perusii, VII idus maii, anno primo. »

698 Pérouse, 12 mai 1304.

Tagino de Boncosis, civi Mantuano, confirmat tres partes decimarum, ad ecclesiam Veronensem in loco de Benesisis spectantium, quæ quidem tres partes nuper eidem in feudum perpetuum sunt concessæ, quarum vero investituram dictus Taginus adhuc recipere non valuit. (nº 579, fol. 134 vº.)

« *Nobili viro Tagino de Boncosis, civi Mantuano.* Devotionis tue sinceritas promeretur, ut Apostolicam Sedem tibi reperias favorabiliter gratiosam.

Porrecte siquidem nobis ex parte tua petitionis series continebat, quod Bartholomeus frater quondam Nicolai de Bovis, Francischinus ejusdem Nicolai filius et Bonifatius de Bovis, cives Veronenses, volentes quod tres partes decimarum seu proventuum, quos ecclesia Veronensis in loco de Benesisis, Veronensis diocesis, habet, quas quidem tres partes iidem cives ab ecclesia Veronensi tenebant in feudum, ad te tuosque heredes ex concessione venerabilis fratris nostri .. Veronensis episcopi devenirent, renuntiaverunt sponte, libere et expresse omni juri sibi competenti quomodolibet in eisdem, tibi nichilominus promittendo se facturos et curaturos, quod idem episcopus dictas tres partes earumdem decimarum seu proventuum in feudum tibi et heredibus tuis concederet, teque de feudo hujusmodi investiret sub eisdem conditionibus, sub quibus ipsi eas ab eadem ecclesia retinebant.

Verum quia propter inimicitias, quas in civitate Veronensi postmodum incurristi, non potes investituram hujusmodi comode ab episcopo recipere supradicto, nos super hoc tibi et heredibus tuis providere ac specialem gratiam facere intendentes, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi resignationem et promissionem dictorum civium ratas habentes et gratas, predictas tres partes earumdem decimarum seu proventuum, prout eas dicti cives tempore resignationis hujusmodi retinebant ab ecclesia memorata, tibi et heredibus tuis in feudum apostolica auctoritate concedimus per te et eosdem heredes sub illis conditionibus, sub quibus ipsi cives eas ante resignationem hujusmodi obtinebant, perpetuis temporibus retinendas, jure cujuscumque alterius semper salvo, ita videlicet quod tu et heredes predicti, postquam hujusmodi feudi possessionem fueritis assecuti, memorato episcopo teneamini prestare fidelitatis debite juramentum, ac de juribus et redditibus exinde sibi debitis, quemadmodum dicti cives dicto episcopo respondebant antea, respondere. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

699 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Duabus personis infradictis indulget, ut in contracto matrimonio remanere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu. (nº 580, fol. 134 vº.)

« *Nobili viro Alaono, nato quondam Carmeyni de Nigro, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Catarine, nate dilecti filii nobilis viri Symonis de Carmeyno civis Januensis, uxori ejus.* Cum summus pontifex — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

700 Au Latran, 20 mars 1304.

Dispensatio eadem aliis concessa. (nº 581, fol. 134 vº.)

« *Guillelmo Thome Pagani et dilecte in Christo filie Johanne Maximi de Piperno militis, Terracinensis diocesis.* Etsi conjunctio copule — Dat. Laterani, XIII kalendas aprilis, anno primo. »

701 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Dispensat cum Jacobino dicto Ricio, clerico Reginensis diocesis illegitime nato, ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit, defectu natalium non obstante. (nº 582 A, fol. 134 vº.)

« *Jacobino dicto Ricio, nato quondam Guidonis Gay de Robertis, clerico* [1] *Reginensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

702 Au Latran, 4 février 1304.

Henrico de Dasle, acolytho Hildesemensis diocesis, indulget ut non obstante illegitimitatis macula subdiaconatus et diaconatus ordines recipere valeat ac obtinere beneficium ecclesiasticum sine cura. (nº 582 B, fol. 135.)

« *Henrico de Dasle, acolito Hildesemensis diocesis.* Apostolice Sedis gratiosa — Dat. Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

703 Au Latran, 29 février 1304.

Dispensatur similiter cum Ghino Palliarini Primioli, scholari Aretino. — Alia dispensatio similis pro Nicolao Jannini Paloscellæ, scholari Parmensi. (*Ibid.*)

1. Le ms. porte « clerici. » Mais le texte de la pièce exige que l'on corrige *clerico*. Cf. du reste la rubrique des deux bulles suivantes.

« In e. m. pro Ghino Palliarini Primioli militis, scolari Aretino. Illegitime, etc., usque : aboletur.

Cum itaque tu, qui ascribi desideras militie clericali, sicut fidedignorum testimonio recipimus, defectu natalium quem pateris de soluto genitus et soluta, etc., usque in finem. Sub dat. Laterani, II kalendas martii, anno primo. »

« In e. m. pro Nicolao Jannini Paloscelle, scolari Parmensi. Dat. ut supra. »

704 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Dispensatio similis pro Fabiano Symonis de Lavazola, clerico Cenetensis diocesis. (*Ibid.*)

« In e. m. pro Fabiano, nato Symonis de Lavazola notarii, clerico Cenetensis diocesis. Illegitime, etc. Sub dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo [1]. »

705 Au Latran, 2 mars 1304.

Monasterium s. Mariæ Monacharum Aquinatis a præstatione cujuslibet decimæ per Sedem Apostolicam impositæ in subsidium negotii regni Siciliæ prorsus eximit. (nº 582 c, fol. 135.)

« .. *Abbatisse et conventui monasterii sancte Marie Monacharum Aquinatis, ordinis sancti Benedicti.* Pietatis opera, quibus vos pro Christi gloria deputastis, adeo [2] vobis Apostolice Sedis gratiam promerentur ut ea, que cum Deo et honestate possumus, vobis favore benivolo concedamus.

Volentes itaque favore vos prosequi gratie specialis, vestris supplicationibus inclinati, vos et monasterium vestrum a prestatione cujuslibet decime in subsidium negotii regni Sicilie per Sedem Apostolicam deputate auctoritate apostolica prorsus eximimus, vobis nichilominus indulgentes ut ad solutionem ipsius decime minime teneamini, neque ad id compelli a quoquam aliquatenus valeatis. Sententias quoque suspensionis, interdicti et excommunicationis, si que propter hoc contra hujusmodi exemptionis et indulti nostri tenorem in vos et predictum monasterium hactenus forsitan sunt prolate, quasque ferri contigerit, irritas decernimus et inanes. Nulli ergo, etc., nostre exemptionis, indulti et constitutionis, etc. Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

1. Cet *In e. m.* et les deux précédents ont été ajoutés plus tard sur la marge inférieure du manuscrit.
2. Ms : «ideo. »

706 Au Latran, 2 novembre 1303.

Priori sancti Eutropii Xanctonensis mandat, ut statutum quoddam editum a certis personis et canonicis Xanctonensis ecclesiæ super possessionibus ac bonis et redditibus ipsius ecclesiæ inter ipsos dividendis, inquisitione præhabita, prout viderit justum et expediens, auctoritate apostolica revocare procuret, statuatque ut prædicta bona ac possessiones et redditus inter eosdem canonicos et personas, sicut antea solitum fuerat, dividantur. (n° 583, fol. 135.)

« .. *Priori sancti Eutropii Xanctonensis*. Ex parte dilecti filii B[erengarii] decani et quorumdam aliorum personarum et canonicorum ecclesie Xanctonensis nobis extitit intimatum, quod dudum decem septem ex personis et canonicis ipsius ecclesie tunc in ea presentes, et in qua, licet sit certus videlicet tricenarius canonicorum numerus, non tamen est distinctio prebendarum, non absque aliorum jactura comodis propriis inhiantes, per quoddam statutum ab eis editum in capitulo generali, terras, possessiones et alia bona immobilia dicte ecclesie per portiones, que in illis partibus *bailie* seu *accensamenta* vulgariter appellantur, retinendas ab eis quoad vixerint sub annuis [1] censibus seu pensionibus solvendis capitulo ejusdem ecclesie, longe minoribus quam proventus exigant earumdem, inter se dividere presumpserunt, ac statuerunt ut hii, qui *bailias* et *accensamenta* eadem obtinerent, possint se ab eadem ecclesia singulis annis per duorum mensium spatium absentare, suosque nichilominus proventus ejusdem ecclesie cum ea integritate percipere, cum qua illos perciperent si in dicta ecclesia personaliter residerent, ac liceret eisdem prebendas suas seu portiones eos contingentes de omnibus proventibus dicte ecclesie deducere, de censibus seu pensionibus antedictis ac de nemoribus in eorum *bailiis* seu *accensamentis* positis, quibusdam ex eis exceptis, extirpare et alias eis uti pro sue libito voluntatis, *bailias* insuper et *accensamenta* predicta invicem permutare et in alios eorum concanonicos imperpetuum vel ad tempus, assensu dictorum capituli primitus requisito, transferre, quodque ipsi capitulum confirmare permutationes et translationes hujusmodi teneantur. Plura quoque pacta et conditiones statutis hujusmodi, addiderunt; de quibus omnibus observandis et de non veniendo quomodolibet contra ea, quibusdam factis renuntiationibus, prestiterunt corporaliter juramenta. Ex quibus siquidem divisionibus et statutis evenit quod illi, qui *bailias* et *accensamenta* predicta non obtinent, de bonis dicte ecclesie recipiunt longe minus et solutionem prebendarum suarum seu portionum eos contingentium de dictis comunibus proventibus tardius quam hii, qui *bailias* et *accensamenta* obtinent sic divisa. Aliqui enim ex eisdem obtinentibus hujusmodi *bailias* et *accensamenta*, ultra predictos census seu pensiones, ducentas et aliqui trecentas libras Turonensium et aliqui amplius de *bailiis* et *accensamentis* eisdem percipiunt, quod esset inter personas et canonicos dicte ecclesie communiter dividendum; et sic illis habundantibus, alii *bailias* et *accensamenta* hujusmodi non habentes in paupertatem vivere compelluntur, nec est aliquod residuum in bonis dictorum capituli unde possint jura ecclesie predicte defendere et alia eis incumbentia onera supportare; propter que in eadem ecclesia cultus divinus minuitur, multa ibi siscitantur contentiones et scandala, rancores et odia nutriuntur, ac inter canonicos et personas dicte ecclesie sunt collusiones multiplices pro *bailiis* seu *accensamentis* hujusmodi obtinendis, graveque proinde dicte ecclesie iminet detrimentum. Quare fuit nobis ex parte decani, personarum et canonicorum predictorum humiliter supplicatum ut, cum eorum aliqui per se ipsos et alii per procuratores suos in eorum receptione de predictis et aliis statutis ejusdem ecclesie observandis prestiterint corporaliter juramenta, providere super hoc ipsis et eidem ecclesie, ne ex talibus divisionibus et statutis gravem sustineant lesionem, paterna sollicitudine dignaremur.

Nos autem in eadem ecclesia hujusmodi contentiones, scandala, rancores, et odia summovere pacemque inibi ac equalitatem et tranquillitatem apponere cupientes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, inquisita super hiis summarie de plano sine strepitu et figura judicii diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, divisiones et statuta predicta cum eisdem pactis et conditionibus auctoritate nostra revocare procures, et denuntians personas et canonicos dicte ecclesie ad eorum observantiam ulterius non teneri, ac juramenta predicta super observatione ipsorum prestita relaxans, *bailias* et *accensamenta* prefata per eos, qui illa obtinent, capitulo predictis facias omnino dimitti, ut omnia veniant in comuni et eorum proventus inter eosdem personas et canonicos dicte ecclesie per portiones equales, sicut antea solitum fuerat, dividantur;

Non obstantibus si aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; seu quibuslibet litteris et indulgentiis dicte Sedis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris specialis mentio sit habenda, et per quas tue jurisdictionis explicatio possit quomodolibet impediri, con tradictores, etc. Dat. Laterani, IIII nonas novembris, anno primo. »

1. Ms : « annis. »

707 Au Latran, 27 février 1304.

Bernardo de Strelis et Adelheidi, natæ Bodonis de Ileburg, Misnensis diocesis, indulget ut contractum inter se per verba de præsenti matrimonium consummare possint, quarto consanguinitatis gradu non obstante. (nº 584, fol. 135.)

« *Nobili viro Bernardo de Strelis militi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Adelheidi, nate nobilis viri Bodonis de Ileburg, Misnensis diocesis.* Intenta salutis operibus Apostolice Sedis circumspecta benignitas indulta desuper plenitudine potestatis utitur, sicut in Deo expedire conspicit secundum diversitatem negotiorum concurrentium et exigentiam personarum.

Sane lecta coram nobis vestra et venerabilium fratrum nostrorum Buccardi Madeburgensis archiepiscopi, Alberti Misnensis, Herrici Merseburgensis, et Bruni Neuwenburgensis episcoporum petitio continebat, quod vos dudum ignorantes quod aliqua esset consanguinitas inter vos, ad sedandum rancores, odia et inimicitias atque guerras que inter consanguineos et amicos vestros insurrexisse et contigisse instigante pacis emulo noscebantur, matrimonium per verba de presenti contraxistis ad invicem, illumque proprio juramento firmavistis, sed comperto postmodum quod vos quarto consanguinitatis gradu contingitis, carnali nondum inter vos copula subsecuta, ad consummationem hujusmodi matrimonii minime processistis. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur, maxime cum sicut asseritur possit verisimiliter dubitari, ne ex hujusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia prioribus pericula suscitentur, et si contingat vos in eodem matrimonio remanere, speretur quod magna pax et utilitas in tota terra Lusatie, de qua fore noscimini, et circumvicinis terris et locis valeat provenire.

Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, cupientes hujusmodi periculis obviare ac adhibere studia ut sperata pax et utilitas ex dicto matrimonio subsequatur, vestris et predictorum archiepiscopi et episcoporum supplicationibus inclinati, vobiscum ut, impedimento hujusmodi quarti gradus consanguinitatis nequaquam obstante, matrimonium hujusmodi consummare ac in eo remanere licite et libere valeatis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, IIII kalendas martii, anno primo. »

708 Pérouse, 15 mai 1304.

Executoribus infradictis mandat ut ad restitutionem quatuor millium florenorum auri, quos Dunelmensis episcopus mutuo recepit a quodam mercatore Florentino, certis loco et tempore dicto mercatori faciendam diligenter intendant. (nº 585, fol. 135 vº.)

« .. *Abbati monasterii sancte Trinitatis Florentini, .. cantori Morinensis et magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum.* Cum, sicut venerabilis frater noster Antonius, episcopus Dunelmensis, in nostra proposuit presentia constitutus, tam pro suis necessariis, quam pro ecclesie sue Dunelmensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter eum subire oporteret magna onera expensarum, nobis humiliter supplicavit, ut usque ad summam quatuor milium florenorum auri mutuum contrahendi sub modis infrascriptis, sine quibus creditores se putabat invenire non posse, eidem licentiam largiremur.

Nos itaque de ipsius episcopi, etc., ut in forma usque : et exceptionibus eisdem a dilecto filio Advocato quondam Nerii de Advocatis, cive et mercatore Florentino, pro necessariis et negotiis eisdem mutuo receperit hujusmodi summam quatuor milium florenorum, certis eidem mercatori vel heredibus suis loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, nos de expresso consensu dicti episcopi, eorumdem mercatoris et heredum indempnitatibus precavere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in infrascriptis, quando et quotiens expedire [videritis], procedentes, predictum episcopum moneatis ut eisdem mercatori vel heredibus aut ipsorum procuratori, eorum nomine, in statutis et conventis loco et tempore, de dicta quantitate pecunie plenam satisfactionem impendat. Alioquin suspensionis, etc., ut in forma usque in finem. Dat. Perusii, idibus maii, anno primo. »

709 Au Latran, 13 mars 1304.

Episcopo Nucerino confirmat ecclesiam s. Savini in Airone, quam Neapoleo, s. Adriani diaconus cardinalis nec non Apostolicæ Sedis legatus, mensæ dicti episcopi concesserat. (nº 586, fol. 135 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Nucerino.* Sincere devotionis affectus — Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

710 Au Latran, 18 mars 1304.

Monasterio de Bello Loco, ordinis s. Augustini, Macloviensis diocesis, tunc pastore carenti, Robertus, canonicus dicti monasterii, præficitur in abbatem. (nº 587, fol. 135 vº.)

« *Roberto, abbati monasterii de Bello Loco, ordinis sancti Augustini, Macloviensis diocesis.* Olim monasterio de Bello Loco, ordinis sancti Augustini, Macloviensis diocesis, per obitum quondam Guillelmi, abbatis ejusdem monasterii, pastoris regimine destituto, dilecti filii .. prior et conventus ejusdem monasterii, cujus tunc canonicus existebas, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum ac deliberantes super hoc per viam procedere compromissi, dilectis filiis Johanni de Porta, priori prioratus de Veteri Turre ad dictum monasterium immediate spectantis, et Petro dicto Magistro, canonicis dicti monasterii, providendi ea vice dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem : qui hujusmodi potestate recepta fratrem Petrum de Porta, canonicum dicti monasterii, in abbatem ejusdem monasterii elegerunt, idemque frater Petrus de Porta hujusmodi electioni de se facte consensit.

Cumque dictus frater Petrus de Porta electionem hujusmodi petiisset a venerabile fratre nostro .. Macloviensi episcopo, loci diocesano, auctoritate ordinaria confirmari, ac idem episcopus examinationem ejusdem electionis et persone dicti fratris Petri de Porta ac etiam confirmationem ipsius electionis, si eam inveniret canonicam, .. officiali Macloviensi specialiter auctoritate commisisset eadem, tu et duo alii ex canonicis dicti monasterii in hac parte tibi adherentes, tam contra personam dicti fratris Petri, quam contra formam electionis ejusdem quedam objecistis crimina et defectus, ex quibus petiistis electionem irritari predictam; et cum fuisset super hiis coram officiali predicto diutius litigatum, tandem idem frater Petrus ex quibusdam gravaminibus, que ab eodem officiali sibi illata fuisse dicebat, ad Turonensem curiam loci metropoliticam et ad Sedem Apostolicam appellavit; tuque nomine tuo et adherentium predictorum infra tempus a jure statutum ad Sedem predictam accedens, te propter hoc felicis recordationis B[onifatio] pape [VIII], predecessori nostro, presentasti ac eundem fratrem Petrum, quantum de jure extitit, expectasti, qui nec ad prefatam Sedem, ut tenebatur, accessit, nec pro se aliquem destinavit.

Exposito itaque dicto predecessori per te hujusmodi electionis et appellationis negotio, et processibus super eo in illis partibus habitis seriosius enarratis, idem predecessor dilecto filio Roberto, tituli sancte Pudentiane presbytero cardinali, injunxit oraculo vive vocis ut, citato prius in audientia publica fratre Petro predicto, ea que tu dare et producere velles in hujusmodi negotio coram eodem cardinali reciperet, et eidem predecessori super ipsis faceret relationem fidelem. Dictusque cardinalis, forma commissionis hujusmodi exacta diligentia observata, predictum fratrem Petrum citari fecit in audientia supradicta, et eo in assignato sibi termino competenti minime comparente, acta prioris judicii et quedam instrumenta publica nec non et quosdam testes per te coram cardinali prefato productos, in contumacia dicti fratris Petri, recepit et examinavit diligenter, et dicta eorumdem testium publicavit.

Eodem fratre Petro citato legitime ad actus singulos in eadem audientia, ut est moris, et in sua contumacia nichilominus persistente, ac deinde visis et diligenter inspectis omnibus que coram cardinali ipso habita fuerant et producta, ac interim predicto predecessore viam universe carnis ingresso, idem cardinalis nobis postmodum ad apicem summi Apostolatus assumptis relationem fecit de premissis omnibus diligentem; et demum de nostro speciali mandato sibi facto oraculo vive vocis, dicto fratre Petro citato peremptorie ad diffinitivam sententiam audiendam, et in assignato sibi termino ad hoc per se vel per alium minime comparente, teque coram ipso cardinali nomine tuo et dictorum adherentium in eodem termino comparente et ipsius contumaciam accusante, idem cardinalis prefatum fratrem Petrum reputavit exigente justitia contumacem; ac deinde comunicato super hiis peritorum consilio ac secum deliberatione prehabita diligenti, te presente et super hoc ferri sententiam cum instantia supplicante, pronuntiavit sententialiter et decrevit prefatum fratrem Petrum cecidisse ab omni jure, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat; nosque postmodum eidem cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut eidem monasterio de persona juxta suum cor idonea provideret.

Unde idem cardinalis, post vigilem quam ad preficiendum eidem monasterio personam idoneam apposuit diligentiam, te sicut accepimus virum providum, morum honestate decorum, religionis observantia et aliis virtutum meritis insignitum, ac in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, intuitum sue considerationis convertit teque auctoritate hujusmodi commissionis a nobis, ut premittitur, sibi facte prefecit eidem monasterio in abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii tibi spiritualiter et temporaliter committendo.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, que super hiis ab eodem cardinali facta sunt rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

« In e. m. .. priori et conventui monasterii de Bello

Loco, ordinis sancti Augustini, Macloviensis diocesis. Olim, etc., ut supra, v[erbis] com[petentibus] m[utatis], usque : ex certa scientia duximus confirmandum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem abbati tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, et exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiatis devote ac efficaciter adimplere curetis, ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos per consequens in eo patrem invenisse benivolum gaudeatis. Alioquin sententiam, etc. Dat. ut supra. »

711 Au Latran, 5 février 1304.

Olim Gerlaeus de Wetslaria, dum Parisiis insistebat studio litterarum, quendam soeium suum casualiter vulneravit, qui ex suseepto vulnere hujusmodi alterius oeulorum lumen amisit. Postmodum autem dietus Gerlacus exinde irregularis existens, dispensatione super hoe non obtenta, plura tamen benefieia eeclesiastiea recepit, ex aliquibus corumdem pereepit fruetus, et nihilominus ad saeerdotium se facere promoveri non euravit. Super quibus omnibus Benedietus XI eum eo miserieorditer dispensat. (n° 588, fol. 136.)

« *Gerlaco de Wetslaria, preposito ecclesie in Volkenmarche, Salzeburgensis diocesis.* Consuevit Apostolica Sedes suis devotis, ejus gratiam oportuno tempore implorantibus, se benignam et propitiam exhibere, illos amplioribus prosequendo favoribus, quibus novit potiora merita suffragari.

Sane porrecta nobis tua petitio continebat quod olim tu, qui tunc eras circa etatis tue annum octavum decimum constitutus et insistebas Parisius studio litterarum, quodam sero cameram cujusdam tui socii, tecum in uno hospitio habitantis, more familiaris societatis intrasti, sed eodem socio non reperto ibidem, quendam tuum gladium, quem in tua camera semper habere consueveras, invenisti, quo per te accepto et evaginato, dum illum ad lucem ostii dicte camere ipsius socii, que erat aliquantulum tenebrosa, sic evaginatum extenderes seu teneres, et iterum prefatus tuus socius ad predictam cameram suam rediret, diligentia per te non adhibita que potuit et debuit adhiberi, preter tuum propositum in cuspidem seu acumen gladii ejusdem impegit, et ex suscepto in pupilla alterius oculorum suorum vulnere ipsius oculi lumen ammisit. Tuque postmodum prepposituram ecclesie [in] Volkenmarche, Salzburgensis diocesis, ac de Rastat et sancti Floriani nec non de Molenheym ecclesias curam animarum habentes, dicte Salzburgensis et Laventine ac Treverensis diocesium, et canonicatum ac prebendam ecclesie in Brizina, scolastriam quoque, que dignitas existit, cum canonicatu et prebenda in ecclesia sancti Victoris extra muros Maguntinos ab illis, ad quorum hujusmodi beneficiorum spectabat dispositio, successive post Lugdunense Concilium celebratum novissime recepisti, ac eos per plurimos annos retinens et fructus percipiens ex aliquibus eorumdem, non te fecisti ad sacros ordines promoveri, dispensatione super hiis a Sede Apostolica non obtenta. Quare cupiens conscientie statuique tuis consulere, a nobis humiliter postulasti, ut providere in hac parte tibi salubriter dignaremur.

Nos igitur attendentes laudabile testimonium, quod tibi de litterarum scientia, honestate morum et vite ac aliis probitatis meritis perhibetur, ac volentes personam tuam prosequi gratiose, te restituimus integre ad plenum statum generaliter, in quo eras antequam prefatus socius fuisset, ut premittitur, casualiter in oculo vulneratus, et specialiter quod possis ad omnes ordines promoveri beneficiaque ecclesiastica cum cura et sine cura recipere, et ad quamlibet aliam dignitatem ecclesiasticam citra tamen pontificalem assumi, ac si casus hujusmodi nullatenus accidisset, omnem maculam sive notam ex casu predicto ac receptione et retentione prepositure, scolastrie, ecclesiarum parrochialium, canonicatuum et prebendarum nec non et perceptione fructuum predictorum, quos tibi de speciali gratia remittimus et donamus, obortam de apostolice potestatis plenitudine abolentes, ita quod nichil tibi propterea possit obici nullumque obstaculum interponi; et nichilominus tecum auctoritate apostolica dispensamus ut, premissis et constitutione generalis Concilii super hoc edita et qualibet alia nequaquam obstantibus, prepositurам et unam dictarum ecclesiarum parrochialium quam malueris ac canonicatus et prebendas predictos valeas insimul, dimissis aliis memoratis, licite retinere, proviso quod prepositura, ecclesia parrochialis et prebende predicte debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa iminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre restitutionis, remissionis, donationis, abolitionis et dispensationis, etc. Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

712 Pérouse, 10 mai 1304.

Bononienses monet et hortatur, ut quædam statuta ab ipsis edita contra episeopum et elerum eivitatis ejusdem nec non eontra libertatem eeelesiastieam provide revoeent. (n° 589, fol. 136; Theiner, *Codex diplom. dom. temp. S. Sedis*, t. I, n° DLXXXIII.)

« *Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, antianis, consilio et comuni Bononiensibus.* Sub timore Dei et vehiculo di-

recte justitie solent ordinata recte principia prosperis clarere successibus et exitus sortiri felices, ac ubi firmamentum virtutis omittitur, a via virtutis deviatur, labores efficiuntur inutiles et securitatis fiducia non habetur. Presidentibus quidem regimini provinciarum et urbium hoc potissime convenit, ut sensus ab intimis ad gerenda negotia prebeant, conjecturent ex minimis quid fieri deceat in arduitate majorum, et quid ex presentibus ulteriora promittant, sicque suorum processuum virtutibus initia muniant, quod reddatur eorum prosecutio laudabilis ad futura. Profecto etsi de ejus pia populorum discretione bonum argumentose presumitur, de vestra tamen virtuositate tanto prudentiora sperantur, quanto Bononiensis civitas potioribus noscitur virtutum titulis decorata. Ipsa enim civitas veluti fertilitatis ager fructus uberes proferens, in quo grana scientie colliguntur, producit viros virtutum varietate fecundos, quorum generosa fecunditas in alios affluenter effunditur et per ampla terrarum spatia dilatatur; valde igitur mirandum occurrit, dum notabiliter vestrum cernitur errare judicium, et tales a vobis noscuntur emanare processus, quibus vestri et ejusdem civitatis clara fama nominis denigratur.

Sane nuper non sine gravi admiratione ad nostrum pervenit auditum, quod vos ad consilium forsitan aliquorum, qui quandoque conditiones rerum, ut decet ac expedit, non advertunt, ad Deum et Ecclesiam matrem vestram ac libertatem ecclesiasticam respectum debitum non habentes, nonnulla quin imo quamplura in grave prejudicium et lesionem enormem venerabilis fratris nostri .. episcopi Bononiensis et ecclesiarum ac ecclesiasticarum personarum Bononiensis civitatis et diocesis, quorum quietem debetis reverenter appetere ac indesinentibus studiis procurare, generalia et specialia duxistis edenda statuta, ex quibus ipse Deus offenditur, et iidem episcopus, ecclesie, persone ac libertas ecclesiastica conculcantur.

Cum igitur prefata mater Ecclesia, sponso suo qui Christus est ineffabilis amoris dulcedine copulata, susceperit ab ipso dotes amplissimas, gratiarum ubertate fecundas, et specialiter inter eas beneficium libertatis, eamque voluerit inter fideles populos velut in filios more matris liberum habere dominium, et ut cuncti eam cum filiali reverentia tanquam universalem matrem et dominam honorarent, non avertatis, o filii, a verbo patris auditum, quoniam sponsus in sponse contumelia offenditur et mater in filiorum injuriis provocatur, sed devoto, quesumus, intellectu suscipite que scribuntur, nam ex eis spiritualis et temporalis commodi vobis incrementa provenient, si ea prudenter ad debitum perducetis effectum.

Universitatem itaque vestram monemus, rogamus, et hortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus premissa et quod vos ac civitatem eandem brachiis paterne dilectionis amplectimur et caros quin immo carissimos in nostra memoria retinemus, ac felices in vobis cupimus vigere successus, devotorum filiorum more pensantes, et considerantes attentius quod talia in exempli pernitiem deducuntur, et propterea nec presumi debent nec presumpta possunt equanimiter tollerari, statuta hujusmodi, sub quocumque verborum vocabulo sive forma sunt edita, in quantum contra libertatem Ecclesie ac personarum et rerum ecclesiasticarum de facto procedere dinoscuntur, et quicquid improvide secutum est ex eis illico et effectualiter revocetis, illa de libris seu capitulariis vel cartulariis vestris totaliter abolentes, ea non resumpturi de cetero neque similia presumpturi, ita quod super hiis, que non possemus sicut non deberemus conniventibus oculis preterire, non oporteat aliud remedium adhiberi : quin immo prefatum episcopum, qui suis exigentibus meritis carus nobis et fratribus nostris existit, et ecclesiam suam ac eorum negotia et alias ecclesias et personas ecclesiasticas supradictas, quorum nos tangit pungitive turbatio et quies reficit cumulo gaudiorum, habeatis propensius commendatos, jura, libertates et honores ipsorum manutenendo et defendendo favoribus et auxiliis oportunis.

Ex hoc enim fama vestra crescet in gentibus, divine majestati placebitis, gratum exhibebitis nobis et Apostolice Sedi servitium, et quod est potissimum, divine retributionis premium exinde vestra devotio consequetur, ac iidem episcopus, ecclesie et persone vobis et vestris efficientur beneplacitis debitores. Dat. Perusii, vi idus maii, anno primo. »

713 Au Latran, 16 mars 1304.

Archiepiscopo Bituricensi committit, ut monasterio b. Mariæ Exoldunensis providere possit de abbate, eidem præficiendo virum quemlibet idoneum, seu etiam Petrum de Campo Lumbini, quem monachi dicti monasterii, ignari ut asserunt cujusdam reservationis et inhibitionis Bonifatii viii, de facto, cum de jure nequiverint, in abbatem elegerunt. (n° 590 a, fol. 136 v°.)

« *Venerabili fratri E*[*gidio*], *archiepiscopo Bituricensi*. Debitum officii nostri requirit ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, ad ecclesias et monasteria solertiam adhibentes, ipsorum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis ecclesiis et monasteriis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre providentie studio provideatur substitutione pastorum,

per quos spiritualiter et temporaliter auctore Domino suscipiant incrementum.

Nuper siquidem in nostra proposuisti presentia constitutus quod, cum olim felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII^{us}, predecessor noster, ex certis causis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium et regularium regni Francie dispositioni sue et Sedis Apostolice reservasset, districtius inhibens omnibus et singulis, ad quos in dictis ecclesiis prelatorum electiones vel ipsarum electionum confirmationes aut quecumque dispositiones pertinerent earumdem, ne contra reservationem hujusmodi quemquam eligere seu electionem aliquam confirmare aut alias de ipsis disponere presumerent quoquomodo, ac decernens irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari, postmodum monasterio beate Marie Exoldunensis, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus ipsius monasterii Petrum de Campo Lumbini, monachum et camerarium monasterii sancti Gengulphi Bituricensis, ejusdem ordinis, in eorum et dicti monasterii beate Marie abbatem de facto, cum de jure nequiverint, elegerunt, ac presentato tibi hujusmodi electionis decreto, petierunt a te electionem eandem auctoritate ordinaria confirmari. Tu tamen attendens quod eadem electio nulla esset, ut pote que post hujusmodi suspensionem, reservationem, et inhibitionem factas per prefatum predecessorem fuerat attemptata, illam nolens prout nec debebas etiam confirmare, nobis humiliter supplicasti ut providere dicto monasterio in hac parte de oportuno remedio dignaremur.

Nos itaque volentes eidem monasterio sancte Marie, ne diu prolixioris vacationis patiatur incomoda, per nostre operationis studium salubriter provideri, gerentes quoque de tua circumspectione fiduciam in Deo pleniorem, fraternitati tue providendi hac vice dicto monasterio sancte Marie sive de prefato camerario, si tibi constiterit quod eo et dictis electoribus ignorantibus suspensionem, reservationem, et inhibitionem prefatas ad predictam ejus electionem fuisset processum, et alias ipsum ydoneum ad hoc esse reperis, sive de alio viro religioso, quem ad id virtutum merita reddant dignum, prout tibi videbitur expedire, preficiendo eum ipsi monasterio in abbatem, ac faciendo ei a dictis conventu et aliis ipsius monasterii subditis obediri humiliter ac intendi, eique de abbatie ipsius monasterii fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, nec non et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam compescendi plenam et liberam auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

714 Au Latran, 16 mars 1304.

Valeat similiter idem archiepiscopus providere de abbate monasterio Fontis Gobaudi, prædictæ diocesis. (n° 590 B, fol. 137.)

« *Eidem.* Rationis oculis intuentes comoda, que vacantibus ecclesiis et monasteriis de salubribus provisionibus pastorum proveniunt, reddimur corde solliciti ut circa provisiones hujusmodi faciendas fructuose attentionis studium habeatur.

Nuper siquidem, etc., ut in proxima superiori usque : postmodum monasterio Fontis Gobaudi, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, pastoris regimine destituto, dilecti filii conventus ipsius monasterii dilectum filium Guillelmum de Novanto, priore prioratus de Muneto, ejusdem ordinis, predicte diocesis, in eorum et dicti monasterii abbatem de facto, cum de jure nequiverint, elegerunt, etc., mutatis mutandis, usque in finem. Dat, ut supra. »

715 Au Latran, 5 février 1304.

Indulget episcopo Corosopitensi, ut personam quamlibet, ad hoc alias idoneam, in canonicum et fratrem recipi faciat in ecclesia Corosopitensi. (n° 591, fol. 137.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Corosopitensi.* Agere credimus non — Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

716 Viterbe, 15 avril 1304.

Guillelmo Oberti Fulgosii canonicatus confertur præbendaque reservatur in ecclesia Burgensi. (n° 592, fol. 137.)

« *Guillelmo, nato dilecti filii Oberti Fulgosii civis Placentini, canonico Burgensi.* Inducimur tam tue — Dat. Viterbii, XVII kalendas maii, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono Alavensi Calaguritane et .. preposito sancti Prosperi Regini ac .. thesaurario Baiocensis ecclesiarum.

717 Au Latran, 19 mars 1304.

Bernardo Roiardi, capellano suo, licentiam concedit percipiendi fructus et redditus præbendarum, quas in Xanctonensi, Caturcensi ac Petragoricensi obtinet ecclesiis, quarum canonicus existit, quandiu apud Apostolicam Sedem morabitur, vel scholasticis insistet disciplinis, aut in aliqua prædictarum ecclesiarum residentiam faciet personalem. (n° 593, fol. 137 v°.)

« *Magistro Bernardo Roiardi, archidiacono Xanctonensi, capellano nostro.* Clara probitatis tue — Dat. Laterani, xiiii kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Petrosa, Petragoricensis diocesis, .. decano Meldensis et .. cantori sancti Frontonis Petragoricensis ecclesiarum.

718 Au Latran, 28 février 1304.

Obtentu capituli ecclesiæ Pictavensis, conceditur magistro Stephano Rebuffe personatus vel dignitas in eadem ecclesia, decanatu tamen dumtaxat excepto. (n° 594, fol. 137 v°.)

« *Magistro Stephano Rebuffe, canonico Pictavensi.* Dum ad personam — Dat. Laterani, iii kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. priori beate Radegundis Pictavensis et .. archidiacono Xanctonensis ac .. decano Lemovicensis ecclesiarum.

719 Pérouse, 9 mai 1304.

Consideratione electi Vicentini, Lazaræ Hengulfi de Comitibus de Padua, moniali illegitime natæ, indulget ut ad omnes prælaturas ordinis s. Benedicti promoveri possit, defectu natalium non obstante. (n° 595, fol. 138.)

« *Lazare, nate nobilis viri Hengulfi de Comitibus de Padua, moniali monasterii sancti Francisci Paduani, ordinis sancti Benedicti.* Testimonium tibi laudabile — Dat. Perusii, vii idus maii, anno primo. »

720 Pérouse, 11 mai 1304.

Pontio de Castillione, canonico ecclesiæ Carcassonensis, conceditur ecclesia quædam cum cura vel sine cura, ad collationem Carcassonensis episcopi spectans, quam primum in civitate vel diocesi Carcassonensi vacatura. (n° 596, fol. 138.)

« *Pontio de Castillione, canonico ecclesie Carcassonensis, ordinis sancti Augustini.* Generis et morum — Dat. Perusii, v idus maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Agathensi et .. abbati secularis ecclesie sancti Pauli Narbonensis ac Petro de Narbona, canonico Narbonensi.

721 Au Latran, 13 mars 1304.

Petro dicto Mostalst, clerico Lemovicensis diocesis, tabellionatus officium confertur. — Eadem concessio pro Johanne Deodati de Olonzaco, clerico Narbonensis diocesis. (n° 597 A, fol. 138.)

« *Petro dicto Mostalst, clerico in minoribus ordinibus constituto Lemovicensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, iii idus martii, anno primo. »

In e. m. Johanni Deodati de Olonzaco, clerico in minoribus ordinibus constituto Narbonensis diocesis.

722 Au Latran, 4 mars 1304.

Idem officium conceditur Johanni dicto de Arboreto, clerico Claromontensis diocesis. — Conceditur quoque Johanni dicto Relenghes, clerico Tornacensi. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Johanni dicto de Arboreto, clerico in minoribus ordinibus constituto Claromontensis diocesis, etc. — Dat. Laterani, iiii nonas martii, anno primo. »

In e. m. Johanni dicto Relenghes, clerico Tornacensi in minoribus ordinibus constituto.

723 Au Latran, 20 mars 1304.

Alia concessio similis facta Petro quondam Odorisii Thomasii, clerico Civitatis Papalis. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Petro nato quondam Odorisii Thomasii, clerico Civitatis Papalis in minoribus ordinibus constituto. Ne contractuum — Dat. Laterani, xiii kalendas aprilis, anno primo. »

724 Au Latran, 2 mars 1304.

Petrus Guillelmi de Furno clericus creatur quoque notarius. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Petro nato Guillelmi de Furno, clerico in minoribus ordinibus constituto. Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, vi nonas martii, anno primo. »

725 Au Latran, 19 mars 1304.

Petrus Johannis Capulupi de Pontecurvo clericus notarius instituitur. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio Petro Johannis Capulupi de Pontecurvo, clerico in minoribus ordinibus constituto.

Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo [1]. »

726 Viterbe, 14 avril 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Andreæ Vercellensis ecclesiam castri s. Germani, diocesis Vercellensis, in proprios usus concedit sub certis conditionibus et censu diocesano episcopo annuatim solvendo. (n° 597 B, fol. 138 v°.)

« .. *Abbati et conventui monasterii sancti Andree Vercellensis, ordinis sancti Augustini.* Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos quoddam castrum in Vercellensi diocesi, quod sancti Germani vulgariter nuncupatur, obtinetis, ubi quedam consistit ecclesia, ejusdem sancti vocabulo insignita [2], in ruinam minans, ita quod per aliqua lignamina sustinetur, que alias in spiritualibus et temporalibus est collapsa, clericis ipsius ecclesie in ea ut tenentur non curantibus deservire, licet interdum iidem clerici per unum conductitium presbyterum ibidem faciant missarum solennia celebrari.

Cum autem vos, sicut asseritis, reparare intendatis ecclesiam supradictam ibique facere congrue deserviri, nos volentes in hac parte vobis gratiam facere specialem, predictam ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis vobis in proprios usus auctoritate apostolica duximus concedendam, ita quod, cedentibus vel decedentibus clericis supradictis, ejusdem ecclesie possessionem apprehendere libere valeatis eamque in prefatos usus in perpetuum retinere, reservatis de ipsius ecclesie proventibus annuo censu XL solidorum Papiensium diocesano episcopo, in recompensationem [3] jurium episcopalium que in ecclesia predicta sibi debentur, nec non et congrua portione vicario perpetuo in eadem ecclesia servituro, ex qua comode valeat sustentari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Nazarii et .. preposito ecclesie sancti Bartholomei, Vercellensis diocesis, ac .. priori sancti Bartholomei Vercellensis.

727 Au Latran, 29 février 1304.

Obtentu magistri Arnoldi, medici et familiaris domini papæ, Uberto de Canturio reservatur beneficium ecclesiasticum, etiam si personatus aut dignitas existat, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Salzburgensi. (n° 598, fol. 138 v°.)

« *Uberto de Canturio, plebano plebis de Tricesimo, Aquilegensis diocesis.* Probitatis tue laudabilia — Dat. Laterani, II kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. Paduano et .. Bambergensi episcopis ac Altegrado, electo Vicentino, notario nostro.

728 Pérouse, 14 mai 1304.

Magistro Bernardo, præposito Suessionensis ecclesiæ, indulget ut omnium beneficiorum suorum fructus ac proventus percipiat, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ obsequiis duxerit insistendum. (n° 599, fol. 138 v°.)

« *Magistro Bernardo, preposito ecclesie Suessionensis, clerico et familiari nostro.* Provenit ex familiari — Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

In e. m. .. priori de Brana, Suessionensis diocesis, et .. cantori Bituricensis et .. capicerio sancti Medardi Parisiensis ecclesiarum.

729 Au Latran, 3 mars 1304.

Waltero de Radragia, qui dudum ecclesias de Bradefeld et de Raundes, Lincolniensis diocesis, de facto obtinet nec se fecit, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari, concedit ut prædictas ecclesias de cætero valeat retinere. Dispensat insuper cum eodem super irregularitate exinde contracta. (n° 600, fol. 139.)

« *Waltero de Radragia, rectori ecclesie de Raundes, Lincolniensis diocesis.* Pie matris Ecclesie — Dat. Laterani, V nonas martii, anno primo. »

730 Viterbe, 16 avril 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Antonii, Viennensis diocesis, indulget ut ipse abbas et quilibet antistes catholicus, quem super hoc requirendum duxerint, reconciliare possint ecclesias et cœmeteria ad dictum monasterium spectantia, nec non ordinare canonicos ipsius monasterii. Habeant quoque campanas in capellis et ecclesiis suis. (n° 601, fol. 139.)

« .. *Abbati et conventui monasterii sancti Antonii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis.* Monasterium vestrum sincera diligentes in Deo caritate, illa vobis animo libenti concedimus, que vobis fore noscimus oportuna.

1. Tous ces *In eundem modum* ont été ajoutés sur la marge inférieure du fol. 138.

2. Le ms. porte : « quod vos quoddam castrum in Vercellensi diocesi, ubi quedam consistit ecclesia, obtinetis, quod sancti Germani vulgariter, ejusdem sancti vocabuli (*sic*) insignitum, nuncupatur, in ruinam minans... » Le changement que nous avons fait dans la construction de cette phrase semble nécessaire.

3. Ms : « recopensationem. »

Sane, sicut nobis significare curastis, sepe contingit ecclesias et cimiteria vestra, que in diversis civitatibus et diocesibus obtinetis, propter multitudinem peregrinorum illuc confluentium effusione sanguinis vel seminis violari, ac locorum diocesani, vestris libertatibus invidentes, se reddunt difficiles in reconciliandis ecclesiis et cimiteriis supradictis, ac etiam in ordinandis canonicis prefati monasterii, qui fuerint pro tempore ad ordines promovendi. Quare a nobis suppliciter petiistis ut providere super hiis de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur vestris supplicationibus favorabiliter annuentes, ut quilibet catholicus antistes gratiam et communionem Apostolice Sedis habens, quem super hoc duxeritis requirendum, et etiam tu, fili abbas, aqua per episcopum benedicta, reconciliare possitis juxta morem ecclesias et cimiteria supradicta, et a tali antistite ordinationes dictorum canonicorum suscipere, quotiens fuerit oportunum, ac in ecclesiis et capellis vestris jam constructis et etiam construendis campanas habere libere valeatis, vobis auctoritate presentium duximus concedendum. Dat. Viterbii, XVI kalendas maii, anno primo. »

731 Au Latran, 17 février 1304.

Regi Siciliæ facultatem concedit ponendi et instituendi fratres ordinis Prædicatorum in loco, quem apud civitatem Tholonensem in comitatu Provinciæ fratres de Pœnitentia Jhesu-Christi olim obtinuerunt; qui quidem locus est ab eisdem fratribus totaliter derelictus. — Indulgentia similis eidem regi super loco dictorum fratrum de Pœnitentia Jhesu-Christi in castro Dreguiniani, Forojuliensis diocesis, prædictis fratribus ordinis Prædicatorum concedendo. (n° 602 A, fol. 139.)

« *Carissimo in Christo filio Carolo regi Sicilie illustri, provincie Forchalquerii comiti.* Affluentis devotionis affectus, quo erga Romanam Ecclesiam matrem tuam pollere dinosceris, promeretur ut nos personam tuam, multis utique titulis virtutum insignitam, favoribus prosequentes uberibus, votis tuis in hiis potissime libenter annuamus, per que divine majestatis conspectui reddaris acceptior et gratiosior habearis, ac ubique preter laudis humane preconium tibi salutis cumulus producatur.

Habet siquidem exposite nobis tue petitionis assertio, quod inter cetera desideria mentis tue illud pregrande fore conspicitur, ut sacer fratrum Predicatorum ordo, in orto plantatus Ecclesie ad laudem et gloriam summi Regis, per tue sollicitudinis studium tuique ministerii solertiam curiosam prosperis successibus gaudeat, letis secundetur eventibus et votivis proficiat incrementis. Quare supplici postulabas instantia, ut tibi quod in loco, quem olim fratres de Penitentia Jhesu-Christi obtinuerunt in civitate Tholonensi, in comitatu tuo Provincie existente, qui est ab ipsis fratribus totaliter derelictus, ita quod non remansit ibidem aliquis ex eisdem, fratres ordinis Predicatorum ponere ac instituere libere valeas, ut in illo ipsi ac illi qui in ipso loco eis successerint perpetuis futuris temporibus permaneant, benignam licentiam concedere dignaremur.

Nos itaque hujusmodi tuum laudabile desiderium salubreque propositum dignis in Deo laudibus attollentes, et volentes patris more benivoli, ut illud de Apostolice Sedis liberalitate munifica efficaciter impleatur, gerentes quoque circa prefatum Predicatorum ordinem specialis devotionis affectum, tibi prefatum locum de Penitentia Jhesu-Christi cum domibus, officinis, et omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica de gratia speciali concedimus et donamus, tibique ponendi ac instituendi libere in eodem fratres ordinis Predicatorum, ut per eos nec non et illos qui ipsis in eodem loco successerint ibidem perpetuo sub ipsius ordinis observantia virtutum Domino serviatur, plenam et liberam auctoritate predicta licentiam elargimur, aliqua constitutione contraria non obstante. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et donationis, etc. Dat. Laterani, XIII kalendas martii, anno primo. »

« In e. m. eidem regi, ut supra usque : obtinuerunt in castro Dreguiniani, Forojuliensis diocesis, infra comitatum tuum Provincie existente, etc., usque in finem. Dat. ut supra. »

732 Au Latran, 4 février 1304.

Cum abbas, monachi et conversi monasterii de Lura in comitatu Forkalkerii, ordinis de Callesio, ad professionem et observantiam ordinis fratrum Prædicatorum admitti desiderent, nec non ad monasterium s. Mariæ Aquensis, ordinis ejusdem, cupiant se transferre, Benedictus XI, tam ipsorum quam comitis Provinciæ precibus inclinatus, committit episcopo Sistariensi ut translationem hujusmodi vice apostolica valeat permittere. (n° 602 B, fol. 139 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Sistaricensi.* Ex parte dilectorum — Dat Laterani, II nonas februarii, anno primo. »

733 A Saint-Pierre, 29 mars 1304.

Episcopo Baiocensi licentia conceditur conferendi personis quibuslibet idoneis quatuor beneficia ecclesiastica, quæ vacant ad præsens in diocesi Baiocensi. (n° 603 A, fol. 139 v°.)

« *Petro, episcopo Baiocensi.* Volentes tuam honorare —

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas aprilis, anno primo. »

734 A Saint-Pierre, 29 mars 1304.

Eidem episcopo conceditur ut beneficia ecclesiastica quatuor clericorum suorum, cum eos cedere vel decedere contigerit, personis quibuslibet idoneis conferre possit. (n° 603 B, fol. 139 v°.)

« *Eidem.* Tue fraternitatis devotio — Dat. ut supra. »

735 Pérouse, 11 mai 1304.

Archidiacono Bononiensi indulget, ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam usque ad triennium visitari faciat. (n° 604 A, fol. 139 v°; THOMAS, *Mélanges d'archéologie et d'histoire publiés par l'Ecole Française de Rome*, 1882, p. 441.)

« *Magistro Guidoni, archidiacono Bononiensi, litterarum nostrarum contradictarum auditori.* Personam tuam tue — Dat. Perusii, V idus maii, anno primo. »

In e. m. .. abbati sancti Proculi Bononiensis et .. archipresbytero Mutinensis ac magistro Armanno Mantello, canonico Parmensis ecclesiarum.

736 Pérouse, 11 mai 1304.

Valeat idem magister percipere fructus, redditus ac proventus beneficiorum suorum, quandiu Sedis Apostolicæ insistet obsequiis. (n° 604 B, fol. 139 v°; THOMAS, *Ibid.*, p. 441.)

« *Eidem magistro Guidoni.* Grandia tue merita — Dat. ut supra. »

In e. m. eisdem executoribus ut in proxima precedenti.

737 Au Latran, 17 mars 1304.

Episcopo Roskildensi facultatem concedit disponendi libere de dignitatibus, personatibus, præbendis aliisque beneficiis ecclesiasticis dudum vacantibus in civitate vel diocesi Roskildensi, quorum collatio, propter diuturnam hujusmodi vacationem, est ad Sedem Apostolicam devoluta. (n° 605, fol. 140.)

« *Venerabili fratri Olavo, episcopo Roskildensi.* Tuam volentes honorare — Dat. Laterani, XVI kalendas aprilis, anno primo. »

738 Au Latran, 10 mars 1304.

Eidem episcopo committit ut duos notarios creare valeat. (n° 606, fol. 140.)

« *Eidem.* Ex parte tua fuit — Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

739 Au Latran, 10 mars 1304.

Idem episcopus absolvitur a juramento, quod præstitit, tempore quo Roskildensi ecclesiæ præfectus est in pastorem, de visitando per se vel alium singulis trienniis Apostolorum limina. (n° 607 A, fol. 140.)

« *Eidem.* Fraternitatis tue devotio promeretur ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod pridem, tempore quo te prefecimus Roskildensi ecclesie in episcopum et pastorem, post consecrationis munus quod apud Sedem Apostolicam recepisti, de visitando per te vel alium singulis trienniis Apostolorum limina prestitisti, prout moris est fieri, corporaliter juramentum, quamvis ecclesia ipsa privilegium exemptionis non habeat, sed venerabilis fratris nostri .. Lundensis archiepiscopi, loci metropolitani, sit jurisdictioni subjecta.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, volentes te ac eandem ecclesiam ab hujusmodi visitationis onere relevare, te auctoritate apostolica ab ipso juramento quo ad eandem dumtaxat visitationem absolvimus, volentes in ceteris aliis juramentum predictum inviolabiliter observari. Dat. ut supra. »

740 Au Latran, 10 mars 1304.

Valeat idem episcopus ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminive violata fuerint, reconciliari facere per aliquam personam idoneam. (n° 607 B, fol. 140.)

« *Eidem.* Sicut ex parte tua — Dat. ut supra. »

741 Au Latran, 17 mars 1304.

Eidem facultatem testandi concedit. (n° 608 A, fol. 140; POTTH., n° 25401.)

« *Eidem.* Quia presentis vite — Dat. Laterani, XVI kalendas aprilis, anno primo. »

742 Au Latran, 17 mars 1304.

Eidem episcopo committit potestatem absolvendi omnes clericos suæ diocesis, qui olim, dum gravis discordia vertebatur inter Daciæ regem et Lundensem archiepiscopum, mandatis Bonifatii papæ VIII parere contemnentes, sententias excommunicationis incurrerunt. Valeat quoque supradictus episcopus dispensare cum illis ex eisdem clericis, qui postmodum irregularitatis maculam contraxerunt. (n° 608 B, fol. 140.)

« *Eidem.* Volentes circumspectioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, aliqua concedere per que saluti consulere valeas animarum, fraternitati tue absolvendi hac vice omnes clericos tuarum civitatis et diocesis, qui ob transgressionem constitutionis a felicis recordationis B[onifatio] papa VIII, predecessore nostro, edite, que prohibet clericos laicis exactiones indebitas exhibere, et etiam pro eo quod ad mandatum auctoritate dicti predecessoris sibi factum non denuntiaverint excommunicatos magnificum principem .. regem Dacie illustrem ejusque fratrem et alios, qui violenter ceperint et carceri manciparint venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum, tunc Lundensem archiepiscopum, et in hiis culpabiles extiterint, excommunicationis sententiis sunt astricti, ab hujusmodi excommunicationis sententiis juxta formam Ecclesie vice nostra, et dispensandi cum dictis clericis, qui eisdem ligati sententiis divina officia non tamen in contemptum clavium celebrarunt, seu se ipsis officiis immiscuerunt, super irregularitatibus inde contractis, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Dat. ut supra. »

743 Au Latran, 18 mars 1304.

Consideratione Roskildensis episcopi, conceditur clerico infranominato, ut ad omnes ordines et ad quæcumque beneficia promoveri valeat, illegitimitatis macula non obstante. (n° 609 A, fol. 140 v°.)

« *Olavo dicto Kock, clerico Roskildensi.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, XV kalendas aprilis, anno primo. »

744 Au Latran, 10 mars 1304.

Eadem indulgentia similiter conceditur, obtentu Roskildensis episcopi, cuidam clerico Trajectensis diocesis. (n° 609 B, fol. 140 v°.)

« *Nicolao Alberti de Hardewick, clerico Trajectensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

745 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Parentino et Veglensi episcopis mandat, ut Candium et Odericum diaconos, canonicos ecclesiæ Polensis, qui diversas offensas et injurias episcopo Polensi inferre præsumpserunt et alia enormia commiserunt, citent ad comparendum coram Apostolica Sede pro meritis recepturos. (n° 610, fol. 140 v°; POTTH., n° 25417.)

« *Venerabilibus fratribus .. Parentino et .. Veglensi episcopis.* Moleste ferimus quorumlibet insolentias clericorum, scilicet cum in prelatorum suorum, eorum maxime qui pontificali preminent dignitate, contumeliam clerici graviter delinquere non verentur, eo nimirum gravius provocamur, reputantes nobis inferri molestias quas prelatis inferunt, quo potius offense hujusmodi in Apostolice Sedis contemptum cedere dinoscuntur.

Sane querelam venerabilis fratris nostri Oddonis, episcopi Polensis, in nostra presentia constituti, nuper accepimus continentem, quod cum ipse dudum officii sui debitum diligenter prosequens, in Candium et Odericum diaconos, canonicos ecclesie Polensis, propter manifestas offensas et contumacias eorumdem, solempniter et in scriptis excommunicationis sententiam auctoritate ordinaria protulisset, deinde quoque Candium privatum denuntiasset scolastria dicte Polensis ecclesie, pro eo quod postquam ipse Candius plebanatum de Glemona, Aquilegensis diocesis, curam animarum habentem, extitit assecutus, scolastriam ipsam, que est dignitas in ecclesia supradicta, quam prius adeptus fuerat, una cum predicto plebanatu sine dispensatione Sedis Apostolice retinere, ac fructus ex eis percipere in anime sue periculum presumebat, predicti Candius et Odericus, ex hiis contra eundem episcopum sumpto rancore, diabolico spiritu concitati, in festo Omnium Sanctorum proxime preterito, dum dictus episcopus, presente cleri et populi multitudine, in dicta Polensi ecclesia missarum solennia celebraret, evangelio jam cantato, associatis sibi multis aliis in hac parte complicibus, armata manu ecclesiam intraverunt eandem, et pulpitum ipsius ascendentes ecclesie, adversus prefatum episcopum quam plurima injuriosa et contumeliosa verba dicere presumpserunt, et dum dictus episcopus, celebrationi ejusdem misse insistens, per proprium nuntium et etiam vive vocis oraculo eisdem Candio et Oderico hujusmodi excommunicatione ligatis mandasset, ut de predicta exirent ecclesia, ne divinum officium impedirent, iidem excommunicati parere mandato hujusmodi contempserunt, quin imo minas et terrores intulerunt eidem, impediendo ipsum quominus posset missam hujusmodi complere; sicque prefatus episcopus videns se non posse prefatos excommunicatos

ab hujusmodi temeritate compescere, eorum presentiam ac minas eorum merito perhorrescens, pontificali quo indutus erat deposito apparatu, predictam exivit ecclesiam, prefatis excommunicatis remanentibus in eadem, qui in altum pulpitum ipsius ecclesie conscendentes, iterato contra eundem episcopum in verba insania et injuriosa nequiter proruperunt; dictusque Candius episcopum ipsum nulla excommunicatione ligatum, et in quem nullam jurisdictionem habebat nedum ordinariam sed nec etiam delegatam, in ejus gravem injuriam, infamiam, et contemptum, pulsatis campanis, excommunicatum publice nuntiavit; et nichilominus idem Candius calicem in predicta missa super altare paratum ac vestes sacras et alia ornamenta ipsius ecclesie, cum predictis ejus sequacibus, de altari et manibus cujusdam sacerdotis qui custodiebat ea rapuit violenter, et clausit ejusdem ecclesie sacristiam, ita quod, post recessum eorum de dicta ecclesia, episcopus ipse rediens ad eandem ex defectu paramentorum et calicis nequivit missam perficere inchoatam. Quendam etiam nepotem episcopi prelibati jamdicti Candius et Odericus per consanguineos et satellites suos per lutum trahi fecerunt et acriter verberari. Cumque post hec predictus episcopus ad Sedem Apostolicam accessisset pro hiis et aliis suis negotiis promovendis, dictus Candius domos episcopales Polenses intravit, portans ensem evaginatum in manu, et quendam equum ipsius episcopi, ejecto de ipso quodam clerico qui erat super eum, exinde violenter abduxit, et demum vicario ipsius episcopi se intervenienti opponens, eumque multipliciter et injuriose prosequens, ipsum nequiter impedit et impediebat, quominus possit impositum ei vicariatus officium exercere, et alia plura commisit que apostolicam et nostram correctionem exposcunt. Quare prefatus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur nolentes, sicuti nec debemus, tam gravia et enormia, si vera sint, conniventibus oculis pertransire, fraternitatibus vestris per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios predictos Candium et Odericum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi compareant personaliter coram nobis, recepturi pro meritis, nostrisque mandatis et beneplacitis parituri. Diem vero citationis et formam, et quicquid in hac parte feceritis, etc., usque : intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

746 Au Latran, 10 mars 1304.

Guillelmo Sicardi de Carcassona, inquisitori olim pravitatis hæreticæ, canonicatus confertur præbendaque reservatur in ecclesia Albiensi. (n° 611, fol. 140 v°.)

« *Guillelmo Sicardi de Carcassona, canonico Albiensi.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de sancto Ylario, Carcassonensis diocesis, et .. decano sancti Severini Burdegalensis ac .. archidiacono Carcassonensis ecclesiarum.

747 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Archiepiscopo Narbonensi concedit facultatem disponendi libere de beneficiis ecclesiasticis in diocesi Narbonensi vacantibus, quorum collatio juxta Lateranensis statuta Concilii devoluta est ad Apostolicam Sedem. (n° 612 A, fol. 141.)

« *Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Narbonensi.* Tuam volentes honorare — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

748 A Saint-Pierre, 30 mars 1304.

Eidem, ut possit hac vice ab excommunicationis sententia absolvere nonnullos suæ diocesis clericos, qui pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas sententiam hujusmodi incurrerunt, ac nihilominus officia celebrare, ordines recipere, vel in ipsis ministrare præsumpserunt; cum illis autem ex dictis clericis, qui facti immemores vel juris ignari talia commiserint, valeat etiam dispensare super irregularitate sic contracta. (n° 612 B, fol. 141.)

« *Eidem.* Personam tuam nobis et Apostolice Sedi devotam speciali benivolentia prosequentes, libenter illam, in quibus honeste possumus et presertim in hiis que animarum salutem respiciunt, honoramus.

Significasti siquidem nobis, quod nonnulli clerici tam religiosi quam seculares ac laici etiam tuarum civitatis et diocesis, tibi lege diocesana subjecti, propter violentam injectionem manuum in alios clericos et personas ecclesiasticas religiosas et seculares sunt excommunicationis sententia lata a canone innodati, quorum clericorum quidam divina celebrarunt officia vel immiscuerunt se ipsis et receperunt ordines ac ministrarunt in illis, etiam sic ligati. Quare super hiis eorum provideri saluti a nobis humiliter postulasti.

De tua itaque circumspectione plenam in Deo fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus ut

excommunicatos eosdem, dummodo excessus eorum ad mortem vel membri mutilationem aut cranei fractionem non processerit, postquam passis injuriam satisfecerint competenter, absolvas hac vice ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam Ecclesie vice nostra, injungens eis quod de jure fuerit injungendum. Cum illis autem ex predictis clericis, qui facti immemores vel juris ignari, non tamen in contemptum clavium, absolutionis beneficio non obtento, divina officia celebrarint vel immiscuerint se illis et receperint ordines sic ligati vel ministrarint in ipsis, super irregularitate quam exinde contraxerunt, et quod hii, qui taliter ordines receperunt, possint in eisdem ordinibus licite ministrare, injuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, liceat tibi de misericordia, que superexaltat judicium, prout eorum saluti expedire videris, hac vice tantummodo dispensare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kalendas aprilis, anno primo. »

749 A Saint-Pierre, 30 mars 1304.

Eidem archiepiscopo concedit ut, non obstante prohibitione super hoc edita a Bonifatio papa VIII, recipere possit homagium a vicecomite Narbonensi pro jurisdictione et omnibus aliis, quæ dictus vicecomes in media parte ac toto burgo civitatis Narbonensis in feudum obtinet ab ecclesja Narbonensi; addit quod archiepiscopus ad compositionem devenire valeat super prædictis cum eodem vicecomite de consensu capituli ecclesiæ memoratæ et duorum suffraganeorum suorum. (nº 613 A, fol. 141 vº.)

« *Eidem.* Sicut in ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum afflictionibus et persecutionibus, cum emergunt, sentimus afflictionis ex debito pastoralis officii punctiones, sic letamur ex animo et resumimus suavitatis odorem, cum super hiis ipsis ecclesiis et personis quietis et pacis remedia salutaria preferuntur.

Sane nuper nobis significare curasti, quod olim ad audientiam felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, querela perducta quod nobilis vir Almaricus, vicecomes Narbonensis, jurisdictionem et omnia, que media parte civitatis ac toto burgo Narbonensi et eorum pertinentiis habebat, possidebat vel quasi, et tenebat in feudum ab ecclesia Narbonensi, et que progenitores ipsius fere a centum annis ante ab archiepiscopis Narbonensibus, predecessoribus tuis qui pro tempore fuerant, se tenere in feudum recognovisse ab ipsa ecclesia noscebantur, que ipse idem Almaricus, procuratoris nomine quondam Aymerici patris sui, olim dum pater ipse vivebat, fuerat eodem modo se tenuisse confessus, contra hec omnia a paucis retro temporibus temere veniens, non solum in ejusdem Narbonensis, verum etiam in ceterarum totius povincie Narbonensis ecclesiarum grave prejudicium, carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, se ab eodem tenere[1] in feudum non solum recognovit, verum etiam juxta Gallicanum vocabulum *advoavit*, eaque a te ac predicta ecclesia Narbonensi se tenere *deadvoavit*, sed potius negavit expresse; ac ab eodem predecessore nostro pro tua parte petito, ut cum consensu tui capituli vel majoris partis ejusdem, aut si videretur suffraganeis tuis vel tribus ex eis deveniendum super hiis ad compositionem cum Almarico vicecomite supradicto, et communicandum prefatam temporalem jurisdictionem etiam cum eodem, [concedendi] ac dandi sibi et recipiendi ab eo compensationem pro ampliori valore rerum, bonorum, et jurium predictorum, nec non et, si contingeret super predictis intervenire concordiam inter partes, recognoscendi expresse predictum feudum regi prefato sub generali juramento fidelitatis, quod archiepiscopus Narbonensis in novitate sua prestare semper regi Francie consuevit, liberam tibi predecessor ipse licentiam largiretur, idem predecessor miratus quod tu talia fieri postulabas, ac deliberans super hujusmodi negotio ex officio suo procedere, tibi per suas litteras sub certa forma precepit, ac sub excommunicationis, depositionis ac privationis archiepiscopalis dignitatis penis, quas si secus faceres te voluit incurrere ipso facto, prohibuit ut super hiis, que hujusmodi per te petita licentia continebat, nullam comunicationem, compensationem, recognitionem, compositionem, transactionem, dimissionem vel distractionem seu quamvis noxiam novitatem quomodolibet facere vel attemptare presumeres, absque Sedis Apostolice licentia speciali per ipsius Sedis patentes litteras apparente. Quod si secus ageres illud extunc dictus predecessor decrevit irritum et inane, ac nullius existere firmitatis.

Verum cum sicut asseris prefatus rex ad sanam super hiis conscientiam revocatus, hujusmodi *advoationem* et recognitionem per prefatum Almaricum vicecomitem, ut predicitur, sibi factas revocandas duxerit ac etiam annullandas, tibique nomine ipsius Narbonensis ecclesie feudum restituerit supradictum, ac prelibatus Almaricus vicecomes, saniori ductus consilio, hujusmodi homagium debitum per eundem et recognitionem de dicto feudo tibi ejusdem ecclesie nomine facere sit paratus, nobis humiliter supplicasti, ut recipiendi ab eodem vicecomite homagium et recognitionem hujusmodi de dicto feudo, et faciendi de predictis cum ipso pactum et compositionem, que tu et capitulum prelibate Narbonensis ecclesie

1. Ms : « tenore. »

vel major pars ipsius et duo de suffraganeis tuis eidem ecclesie utilia esse videritis, liberam tibi largiri licentiam dignaremur.

Nos igitur de hujusmodi restitutione facta per dictum regem ac de predicti vicecomitis dispositione laudabili congaudentes, et desiderantes quod tu et prefata Narbonensis ecclesia super hiis cum predicto vicecomite ad quietis et pacis comoda redeatis, et tam de tua quam de predictorum capituli seu majoris partis et suffraganeorum circumspectione ac diligentia, circa ejusdem ecclesie comoda in hiis et aliis dirigenda, prospere ac feliciter promovenda, gerentes in Deo fiduciam pleniorem, fraternitati tue recipiendi nomine tuo et ejusdem ecclesie Narbonensis homagium pro feudo predicto et recognitionem de ipso debitam a vicecomite sepefato et cetera alia, in quibus idem vicecomes Narbonensi ecclesie tenetur astrictus, et si, pensatis diligenter conditionibus et circumstantiis universis, que in hac parte fuerint attendende, tibi et predicto capitulo vel majori parti ipsius et duobus de suffraganeis tuis pro utilitate ipsius ecclesie Narbonensis utile ac expediens videatur, quod cum eodem vicecomite ad compositionem devenias de predictis, faciendi cum ipso vicecomite super hiis compositionem, quam tu et predictum capitulum seu major pars ipsius ac hujusmodi duo suffraganei tui ecclesie Narbonensi prefate videritis expedire, ac roborandi, solidandi et vallandi que super hiis feceris cautionibus et firmitatibus oportunis et debitis, cum consilio et assensu predictorum capituli vel majoris partis ejusdem et tuorum suffraganeorum, super quibus tuam et eorum conscientias oneramus, non obstantibus hujusmodi prohibitione per eundem predecessorem super hiis olim ut premittitur tibi facta, et excommunicationis, depositionis et privationis ac aliis quibuscumque prohibitionibus, penis, et sententiis juris et canonis sive hominis, per quos effectus presentium posset impediri quomodolibet vel differri, concedimus plenam et liberam auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

750 A Saint-Pierre, 30 mars 1304.

Quasdam litteras prædecessoris sui confirmat, quibus Bonifatius VIII archiepiscopo Narbonensi concesserat sub certis conditionibus facultatem ordinandi et dotandi duas præbendas sacerdotales in ecclesia Narbonensi, ac instituendi in eisdem personas idoneas. Mandat igitur Benedictus XI præfato archiepiscopo, ut ad executionem prædictarum litterarum valeat procedere. (nº 613 B, fol. 141 vº.)

« *Eidem.* Nuper nobis exponere curavisti, quod olim pro parte tua exposito felicis recordationis Bo[nifatio] pape VIII, predecessori nostro, quod in tua Narbonensi ecclesia, in qua vicenarius vel circiter canonicorum numerus fore dinoscitur, prebende sacerdotales alique non existebant, licet in ea quatuor ebdomedarii non tamen ipsius canonici haberentur, propter quod divina officia decenter in ipsa celebrari non poterant ut debebant, idem predecessor ad tue supplicationis instantiam ordinandi et dotandi quoad grossos fructus in eadem ecclesia duas sacerdotales prebendas de redditibus et proventibus beneficiorum quorumlibet ad tuam collationem spectantium, ita tamen quod in beneficiis ipsis illam de predictis redditibus et proventibus quantitatem remanere contingeret, de quo persone in eisdem beneficiis serviture honorifice substentari valerent et onera eis incumbentia supportare, ac instituendi in predictis eisdem totidem personas ydoneas, que stallum in choro et vocem in capitulo haberent, et si non essent in sacerdotio constitute, illud infra annum recipere ac in prefata ecclesia continue ac personaliter residere et servire in ea, juramento super hoc ab eis prestito, tenerentur, concessit tibi per suas sub certa forma litteras potestatem.

Voluit insuper dictus predecessor et auctoritate apostolica ordinavit atque decrevit, ut supradictum capitulum prefatis personis hujusmodi residentibus et servitium impendentibus in ecclesia memorata cotidianas distributiones et alia, que ipsius ecclesie canonicis exhibentur, tanquam duobus ecclesie predicte canonicis tenerentur integre ministrare; quodque predicte persone una cum ebdomadariis prelibatis, tam circa cotidianum, quam beate Virginis Marie gloriose ac etiam defunctorum officia se gerere tenerentur, ad quod personas easdem similiter voluit juramento astringi, prout tu de capituli predicti consilio duceres ordinandum; quod etiam ea vice personarum institutio predictarum ad te dumtaxat, et deinceps ad te dictumque capitulum spectaret comuniter, prout predictarum collatio noscebatur in prelibata ecclesia pertinere.

Sed quia postmodum eodem predecessore viam universe carnis ingresso, nos ad apicem Apostolatus assumpti omnes collationes, provisiones, reservationes et concessiones super canonicatibus et prebendis et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis vacaturis, in quibus non esset jus quesitum in re licet ad rem quibuscumque personis, per predictum predecessorem seu ejus auctoritate vel commissione factas seu concessas, et ea, que ab ipso super hiis vel circa ea quomodolibet processerint, auctoritate apostolica omnino cassavimus, irritavimus et vacuavimus, cassa, irrita et vacua nuntiavimus et nullius fore decrevimus firmitatis, tu dubitans an ad concessionem tibi super hiis, ut premittitur, factam hujusmodi

nostra cassatio, irritatio et revocatio se extendant, ac propter hoc nolens quin ad nos primo recurreres ad executionem procedere premissorum, nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc tibi et eidem ecclesie, ut predicta liberius exequi valeas, paterna sollicitudine curaremus.

Nos autem volentes quod premissa omnia, que tibi in predictis ejusdem predecessoris committebantur litteris, valida sint et firma, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad executionem eorum procedas juxta licterarum continentiam earumdem. Dat. ut supra. »

751 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Indulget eidem archiepiscopo ut tres clerici, familiares ac domestici et commensales ejus, percipere possint fructus redditusque beneficiorum suorum, quandiu ejusdem archiepiscopi institerint obsequiis. (n° 614 A, fol. 142.)

« *Eidem.* Ut dilectionis affectum — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. monasterii sancti Illidii Claromontensis et .. secularis sancti Pauli Narbonensis abbatibus ac .. decano beate Marie de Portu Claromontensis ecclesiarum.

752 Au Latran, 4 mars 1304.

Tribus mulieribus infradictis, in domo de Bucinate prope civitatem Cumanam sub observantia regulæ b. Augustini viventibus, licentiam concedit transeundi cum bonis suis ad monasterium s. Claræ prope civitatem supradictam, ordinis ejusdem sanctæ. (n° 614 B, fol. 142.)

« *Dilectis in Christo filiabus Beltramme, Baldasare et Jacobe, mulieribus domus de Bucinate prope civitatem Cumanam, sub observantia regule beati Augustini viventibus.* Apostolice Sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam sponso ire, tanto propensiori debet prosequi studio caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur.

Significavit siquidem nobis venerabilis frater noster .. episcopus Cumanus quod vos, ad frugem melioris vite ardenti desiderio aspirantes, vos cum bonis vestris ad monasterium sancte Clare prope civitatem Cumanam, ordinis ejusdem sancte, impensure una cum .. abbatissa et sororibus ipsius monasterii sub ejusdem professionis voto debitum Altissimo famulatum, transferri desiderabiliter affectatis [1]. Quare pro parte dicti episcopi fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum prefate abbatissa et sorores propter honestatem vestre conversationis et vite erga vos affectu ferveant caritatis, vosque in predicto monasterio ad earum consortium libenter admittant, concedere translationem hujusmodi dignaremur.

Nos igitur vestrum in hac parte laudabile propositum multipliciter in Deo commendantes, transeundi cum bonis vestris ad predictum monasterium sancte Clare ac ibidem vivendi una cum dictis abbatissa et sororibus, secundum ejusdem ordinis instituta, dictisque abbatisse et sororibus vos in eodem monasterio recipiendi in monachas et sorores plenam concedimus presentium auctoritate licentiam et liberam facultatem, non obstantibus quibuslibet privilegiis eisdem ordinibus ab Apostolica Sede concessis, seu contrariis ipsorum ordinum consuetudinibus vel statutis, confirmatione Sedis ejusdem seu quacumque firmitate alia roboratis. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

1. Ms : « affectantes. »

753 Au Latran, 18 mars 1304.

Episcopus Vasionensis, qui tempore Bonifatii VIII a spiritualium et temporalium administratione ac pontificalium executione certis ex causis suspensus fuerat, ad administrationem et executionem prædictas restituitur de gratia speciali. (n° 615 A, fol. 142 v°.)

« *Raymondo, episcopo Vasionensi.* Dudum ad audientiam felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, deducto quod per te fuerint nonnulli perpetrati excessus, que in lesionem jurium Romane Ecclesie redundabant, predecessor ipse te occasione hujusmodi a spiritualium et temporalium administratione ac pontificalium executione suspendens, tibi sub pena privationis regiminis episcopatus Vasionensis injungi fecit, ut sic suspensus apostolico te conspectui personaliter presentares, ipsius predecessoris mandatis et beneplacitis pariturus.

Porro te coram predecessore comparente predicto, per ejusdem ecclesie ac dilecti filii nobilis viri B[ertrandi] principis Aurasice procuratores tibi fuit objectum, quod tu castrum de Merindolio, tue diocesis, quod idem princeps in feudum ab eadem Ecclesia coram rectore comitatus Veneysini recognoverat se tenere, quodque tu occasione cujusdam discordie, que inter dictum principem et nobilem virum Raymundum de Medullione super nonnullis ejusdem castri juribus vertebatur, sub certis pactis receperas custodiendum ac restituendum principi antedicto, eidem restituere principi, ab eo super hoc cum instantia requisitus ac etiam jussus ab eodem rectore,

pro tue voluntatis libito non curaras, quin potius castrum ipsum non sine tuis dolo et fraude ad Raymundum pervenerat memoratum, in Ecclesie ac principis predictorum non modicum prejudicium et gravamen.

Idem vero predecessor dilectis filiis nostris Johanni, tituli sanctorum Marcellini et Petri, et Roberto, tituli sancte Potentiane (*sic*) presbyteris cardinalibus, ac Johanni, camerario Sedis Apostolice et nunc electo Spoletano, commisit ut ipsi hujusmodi negotium audientes, quod super hiis invenirent sibi referre fideliter procurarent; coram quibus cum fuisset aliquandiu in negotio processum, eodem demum predecessore viam universe carnis ingresso nobisque ad apicem Apostolatus assumptis, ac dicto negotio per prefatum Johannem cardinalem in Consistorio relato, fuit nobis ex parte tua humiliter supplicatum ut, cum tu apud Sedem Apostolicam moras traxeris jam per triennium et amplius sic suspensus, ac propter expensarum defectum non solum negotium predictum indefensum deferre, sed et vite necessaria mendicare in dignitatis episcopalis opprobrium quodammodo compellaris, providere tibi de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, te ad administrationem temporalium et spiritualium episcopatus Vasionensis predicti ac executionem pontificalium apostolica auctoritate restituimus, suspensionem hujusmodi revocando, tibi tamen nichilominus districte precipiendo mandantes, quatinus de Romana curia non recedas absque dicte Sedis licentia speciali. Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

754 Au Latran, 7 mars 1304.

Mandat ut Johanni de Quilano, clerico Narbonensi, provideatur de quadam ecclesia, quam acceptandam duxerit in civitate vel diocesi Carcassonensi, cujus tamen proventus valorem annuum sexaginta librarum Turonensium parvorum non excedant. (nº 615 B, fol. 142 vº.)

« .. *Abbati monasterii de Fonte Frigido, diocesis Narbonensis, et .. archidiacono Fenoleti ac .. sacriste ecclesie Narbonensis.* Ad illorum provisionem — Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

755 Pérouse, 8 mai 1304.

Infradictis inquisitionem super statu monasterii s. Salvatoris Papiensis, ordinis s. Benedicti, ac reformationem ejusdem monasterii committit. (nº 616 A, fol. 142 vº.)

« *Dilectis filiis .. sancti Bartholomei in Strata et .. sancti Petri in Celo Aureo Papiensis monasteriorum abbatibus ac .. archidiacono ecclesie Terdonensis.* Gerentes in desideriis ut loca divino cultui deputata, que precipue religiosa existunt ac ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, successibus prosperis gratulentur, turbamur plurimum et dolemus cum statum eorum ex aliqua causa deformari sentimus, ac ad reformationem illorum libenter partes apostolice sollicitudinis adhibemus.

Nuper siquidem ad audientiam nostram pervenit, quod monasterium sancti Salvatoris Papiensis, ad dictam Ecclesiam nullo mediante pertinens, ordinis sancti Benedicti, propter malitiam et culpam quorumdam monachorum degentium in eodem ac gravia debitorum onera, quibus ipsum monasterium pregravatur, adeo in spiritualibus et temporalibus est collapsum quod, nisi ei per Apostolicam Sedem de celeri et salubri remedio succurratur, vix adiciet ut resurgat.

Nos igitur ad reformationem dicti monasterii paternis studiis intendentes, ac gerentes de circumspectione vestra fiduciam in Domino specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad dictum monasterium personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, inquiratis, corrigatis et reformetis ibidem tam in capite, quam in membris, quecumque inquisitionis, correctionis et reformationis officio videritis indigere, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulgentia hujusmodi mentionem. Dat. Perusii, VIII idus maii, anno primo. »

756 Au Latran, 18 mars 1304.

Liceat episcopo Tullensi ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminisve violata fuerint, per alium facere reconciliari. (nº 616 B, fol. 143.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Tullensi.* Sicut ex parte tua — Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

757 Au Latran, 18 mars 1304.

Indulget eidem episcopo ut personis idoneis, quas duxerit eligendas, de duobus beneficiis provideat in singulis ecclesiis majori Tullensi, s. Gengulphi ejusdem urbis, de s. Deodato ac de Dei Custodia. (nº 617 A, fol. 143.)

« *Eidem.* Personam tuam tuis — Dat. ut supra. »

758 Au Latran, 18 mars 1304.

Eidem episcopo, ut duo clerici familiares ejus possint usque ad quinquennium percipere fructus ac redditus beneficiorum suorum. (nº 617 B, fol. 143.)

« *Eidem.* Personam tuam nobis — Dat. ut supra. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Apri Tullensis et .. de Vosago et .. de Lincyo in ecclesia Tullensi archidiaconis.

759 Montefiascone, 21 avril 1304.

Cum locus et perpetuum beneficium, quæ magister Petrus Andreæ de Fontesio, olim clericus ecclesiæ s. Laurentii de Abano, Paduanæ diocesis, in eadem ecclesia obtinebat, per liberam resignationem ipsius nuper factam apud Apostolicam Sedem vacare noscantur, ea Benedictus XI confert Avezaco quondam Martii de Montemerlo. (nº 618, fol. 143.)

« *Avezaco quondam Martii de Montemerlo, clerico ecclesie sancti Laurentii de Abano, Paduane dioecesis.* Litterarum scientia — Dat. apud Montemflasconem, XI kalendas maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Paduano et .. priori sancti Benedicti ac .. archipresbytero majoris ecclesie Paduane.

760 Pérouse, 21 mai 1304.

Episcopo Nimociensi mandat, moneat et inducat Græcos civitatis Nimociensis, ut oratorium quoddam, ad ipsos pertinens, loco fratrum Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani contiguum, dictis fratribus concedant pro cambio competenti vel alio legitimo contractu. (nº 619, fol. 143 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Nimociensi.* Commendanda dilectorum filiorum .. magistri et fratrum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani religio, sub cujus observantia iidem magister et fratres, acceptabile Domino impendunt obsequium, promeretur ut eorum votis in hiis, que ipsis oportuna fore prospicimus, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus.

Ex parte siquidem dictorum magistri et fratrum fuit propositum coram nobis, quod ipsorum domus sita in civitate Nimociensi, insule Cypri, ubi conventus fratrum predictorum nunc resident, viis publicis, excepto quodam angulo ubi est quoddam oratorium seu capella Grecorum, undique circumcincta existit, quodque ipsis et eidem domui possint ex predicto angulo multa incomoda provenire, propter quod prefatum angulum eis esse dinoscitur plurimum oportunum. Quare iidem magister et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum predicti Greci prelibatum oratorium seu capellam nolint cum eis alicujus contractus genere permutare, apostolicum super hoc remedium adhibere, per quod ad eos predictus angulus licite pervenire valeat, de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque ipsorum magistri et fratrum supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus supradictos Grecos ex parte nostra per te vel per alium seu alios moneas et inducas, ut prelibatum oratorium sive capellam dictis magistro et fratribus pro cambio competenti aut alio legittimo et licito contractu concedant, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

761 A Saint-Pierre, 8 avril 1304.

Obtentu Mathæi, s. Mariæ in Porticu diaconi cardinalis, conferuntur Jacobo Mathæi Rubei de filiis Ursi, ipsius cardinalis consobrino, canonicatus, præbenda, præpositura nec non præstimonia, quæ vacant ad præsens in ecclesia Barchinonensi per promotionem Guillelmi, olim canonici et præpositi Barchinonensis, ad episcopatum Majoricensem. (nº 620 A, fol. 143 vº.)

« *Jacobo, nato quondam Mathei Rubei de filiis Ursi, canonico et preposito ecclesie Barchinonensis.* Clara tui nobilitas — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus aprilis, anno primo. »

In e. m. .. Valentino et .. Ortano episcopis ac .. preposito ecclesie Minatensi.

762 Pérouse, 14 mai 1304.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur eis, qui monasterio s. Claræ Yporiensis, ordinis ejusdem sanctæ, manum adjutricem porrexerint. (nº 620 B, fol. 144.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

763 Au Latran, 9 mars 1304.

Rectori ecclesiæ de Magres, Treverensis diocesis, remittit fructus indebite perceptos ex ecclesia de Hanliers, supradictæ diocesis, quam idem rector illicite recepit ac retinet una cum prædicta ecclesia de Magres quinque annis jam elapsis : omnem maculam in eo obortam occasione hujusmodi penitus abolet, cum eodem insuper dispensans ut dictas ecclesias insimul habere et tenere de cætero valeat. (nº 621 A, fol. 144.)

« *Nicolao, rectori ecclesie de Hanliers, Treverensis diocesis.* Libenter erga illos — Dat. Laterani, vii idus marcii, anno primo. »

764 Au Latran, 7 mars 1304.

Episcopo Grationopolitano indulget, ut clericus quidam unus ex domesticis et familiaribus ejus percipere possit usque ad quinquennium fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum. (n° 621 b, fol. 144.)

« *Guillelmo, episcopo Gratianopolitano.* Habet in nobis — Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

765 Au Latran, 12 mars 1304.

Episcopo Baiocensi concedit, ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum percipere valeant usque ad quinquennium. (n° 622, fol. 144 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Baiocensi.* Fraternitatis tue devotio — Dat. Laterani, iiii idus martii, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Vigoris juxta Baiocas, et .. decano ecclesie sancti Severini Burdegalensis, ac .. archidiacono Turonensi.

766 Pérouse, 18 juin 1304.

De executione superioris epistolæ. (*Ibid.*)

« In e. m. dilectis filiis .. priori sancti Laurentii et .. preposito ecclesie sancti Andree Grationopolitani ac Bonifatio de Verneto, canonico Ebredunensi. Habet in nobis — Dat. Perusii, xiiii kalendas julii, anno primo [1]. »

767 Au Latran, 5 février 1304.

Electo Virdunensi committit potestatem recipiendi et exigendi ab omnibus personis ecclesiasticis et secularibus suæ diocesis quæcumque Ecclesiæ Romanæ aut subsidio Terræ Sanctæ debentur de legatis, redemptionibus votorum, censibus, obventionibus et quibuscumque aliis. (n° 623 a, fol. 144 v°.)

« *Thome, electo Virdunensi.* Personam tuam paterna benivolentia prosequentes plenamque gerentes de tua circumspectione fiduciam, quod ea, que tibi committuntur a nobis, prudenter et fideliter exequaris, discretioni tue petendi, exigendi et recipiendi nostro et Ecclesie Romane nomine a quibuscumque personis ecclesiasticis et secularibus quecumque dicte Ecclesie aut subsidio Terre Sancte de legatis, redemptionibus votorum tam Jerosolimitanorum quam aliorum, censibus, obventionibus et quibuscumque aliis, quacumque ratione vel causa, quomodolibet debentur; inquirendi quoque super hiis ex officio tuo generaliter et specialiter, prout videris expedire; ac faciendi tibi predicta, que ipsi Ecclesie vel subsidio dicte Terre debentur, integraliter exhiberi ; illis etiam a quibus receperis aliqua de premissis quietationem de hiis que ab eis receperis, et omnia que circa hec fuerint oportuna nostro et dicte Ecclesie nomine faciendi; omnes insuper, qui occasione solutionis non facte per eos de hiis, que dicte Ecclesie vel subsidio dicte Terre debebantur ab ipsis, aliquas excommunicationum sententias incurrissent, ab eisdem sententiis juxta formam Ecclesie absolvendi ; ac dispensandi cum eis, qui talibus ligati sententiis divina officia celebrarint vel se illis immiscuerint, super irregularitate hujusmodi occasione contracta, imposita eis pro modo culpe penitentia salutari ac injuncto eis quod de jure fuerit injungendum; contradictores quoque per censuram, etc., usque : compescendi, non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, litteris et indulgentiis dicte Sedis, de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem, liberam concedimus tenore presentium facultatem.

Tu itaque in hujusmodi tibi commissis negotiis sic te habere procures sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde commendari merito valeas nostramque ac dicte Sedis benedictionem et gratiam uberius consequaris, significaturus nobis frequenter per tuas litteras quid, quantum, et a quibus personis et qua de causa per te vel alium seu alios de premissis duxeris colligendum. Dat. Laterani, nonis februarii, anno primo. »

768 Au Latran, 5 février 1304.

Eidem indulget, ut nonnullis clericis et laicis Virdunensis diocesis, qui pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas nec non pro fractionibus et incendiis ecclesiarum in excommunicationis laqueum inciderunt, beneficium absolutionis impendat. (n° 623 b, fol. 144 v°.)

« *Eidem.* Intimasti nobis quod — Dat. ut supra. »

1. Cet *In e. m.* a été ajouté postérieurement sur la marge du manuscrit.

769 A Saint-Pierre, 29 mars 1304.

Pœnitentiario suo mandat, ut Contardo Carolo de Venetiis, qui sententiam excommunicationis incurrerat pro eo quod commercium fecerat cum Sarracenis, absolutionis beneficium valeat impertiri. (n° 624, fol. 144 v°.)

« *Fratri Petro de Parma, ordinis fratrum Predicatorum, pœnitentiario nostro.* Quieti et saluti filiorum — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas aprilis, anno primo. »

770 Pérouse, 21 mai 1304.

Decano et capitulo ecclesiæ s. Mariæ Montis Brisonis, Lugdunensis diocesis, concedit ut in cœmeterio ipsius ecclesiæ habere valeant perpetuis temporibus liberam sepulturam. (n° 625, fol. 145.)

« .. *Decano et capitulo ecclesie sancte Marie Montis Brisonis, Lugdunensis diocesis.* Porrecta nobis ex parte dilecti filii nobilis viri Johannis comitis Forensis petitio continebat, quod quondam Guido progenitor suus ecclesiam vestram infra limites parrochie ecclesie de Madonio, Lugdunensis diocesis, spectantis ad prioratum de Saviniaco, Lugdunensis diocesis, subjectum monasterio Case Dei ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinenti, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, de licentia .. Lugdunensis archiepiscopi qui tunc erat, construxit de bonis propriis et dotavit; et postea bone memorie Romanus, sancti Angeli diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, de comuni consensu tam .. abbatis et conventus monasterii, quam .. prioris et monachorum prioratus et G[uidonis] comitis predictorum, sue legationis auctoritate, cimiterium ipsi ecclesie vestre sub ea conditione concessit, ut in eo corpora canonicorum et clericorum ipsius ecclesie eorumque familiarium, dummodo oriundi non essent de ipsius parrochia prioratus, possent cum decederent libere sepeliri. Demum quoque prefatus nobilis redditus ejusdem ecclesie vestre, vestigia dicti progenitoris pia devotione secutus, adeo de suis facultatibus ampliavit, quod in ea divinus cultus per Dei gratiam est adauctus.

Nos itaque predictam ecclesiam vestram, ob ipsius reverentiam Virginis, quam devotione precipua veneramur, et contemplatione dicti nobilis, quem sincere diligimus, amplius honorare volentes, ipsius nobilis supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate statuimus quod eadem ecclesia vestra exnunc, conditione hujusmodi non obstante, liberam habeat perpetuis temporibus sepulturam, salvis in omnibus jure parrochialis ecclesie supradicte et justitia ipsius et aliarum ecclesiarum de quarum parrochiis mortuorum corpora assumentur. Nulli ergo, etc., nostri statuti, etc. Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

771 Pérouse, 12 mai 1304.

Dispensat cum magistro Hugone Sampsonis super irregularitate et macula, quas contraxit retinendo sine licentia Sedis Apostolicæ quatuor ecclesias in Eboracensi, Norwicensi et Lincolniensi diocesibus. Fructus exinde perceptos ei remittit, ipsique concedit ut easdem ecclesias, una tamen dimissa, valeat insimul retinere. (n° 626, fol. 145.)

« *Magistro Hugoni Sampsonis, juris civilis professori, rectori ecclesie de Granfeld, Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

772 Pérouse, 11 mai 1304.

Comiti Sabaudiæ concedit ut quatuor clerici, qui ejus obsequiis insistunt, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum percipere possint usque ad quinquennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (n° 627 A, fol. 145.)

« *Nobili viro A[medeo], comiti Sabaudie.* Personam tuam tue — Dat. Perusii, v idus maii, anno primo. »

In e. m. .. Saresbiriensis et .. Maurianensis decanis ac .. archidiacono Tarentasiensis ecclesiarum.

773 Pérouse, 11 mai 1304.

Infrascriptis mandat moneant et inducant Lugdunensem et Viennensem archiepiscopos, Valentinum episcopum, nec non abbatem monasterii s. Eugendi Jurensis, ut ab auxilio, quod dalfino Viennensi præstant in guerra quam ille habet cum comite Sabaudiæ, prorsus abstineant. (n° 627 B, fol. 145 v°.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis .. archidiacono Tarentasiensibus ac Huberto de Cellanova, canonico Maurianensi.* Significavit nobis nobilis vir Amedeus, comes Sabaudie, quod in guerra, quam habet cum dilecto filio nobili viro Humberto, dalfino Viennensi, venerabiles fratres nostri .. Lugdunensis et .. Viennensis archiepiscopi ac .. episcopus Valentinus nec non dilectus filius .. abbas monasterii sancti Eugendi Jurensis, Lugdunensis diocesis, prestant ipsi dalfino favorem et auxilium contra eum, in ipsius comitis non modicum detrimentum.

Cum autem idem comes offerat se paratum archiepiscopis, episcopo et abbati predictis super omnibus, de quibus nomine suarum ecclesiarum voluerint agere contra ipsum, in nostra presentia de justitia respondere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos seu alium vel alios archiepiscopos, episcopum, abbatem prefatos ex parte nostra monere et inducere procuretis, ut ab hujusmodi auxilio et favore dicto dalfino contra comitem predictum prestando debeant abstinere. Quicquid autem fieri contigerit in premissis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. ut supra. »

774 Pérouse, 11 mai 1304.

Obtentu Ludovici domini Vaudi pro Petro de Sabaudia, fratre suo, in hac parte supplicantis, confertur eidem Petro dignitas cum cura vel sine cura in ecclesia Carnotensi. (nº 628, fol. 145 vº.)

« *Petro de Sabaudia, canonico Carnotensi.* Dexteram apostolice liberalitatis — Dat. ut supra. »

In e. m. .. cantori Meldensis et Salvio de Pelecano Lexoviensis ac Humberto Burdini, Baiocensis canonicis ecclesiarum.

775 Pérouse, 11 mai 1304.

Aymoni, filio comitis Sabaudiæ, archidiacono Eboracensis ecclesiæ, indulget ut, cum scholasticis insistens disciplinis nequeat visitare personaliter archidiaconatum supradictum, eundem per aliquam personam idoneam usque ad quinquennium possit facere visitari. (nº 629, fol. 145 vº.)

« *Aymoni, nato dilecti filii nobilis viri A*[*medei*], *comitis Sabaudie, archidiacono ecclesie Eboracensis.* Devotionis tue sinceritas — Dat. ut supra. »

In e. m. .. sancti Martini de London[ia] et .. Herfordensis decanis, ac magistro Girardo de Sisiriaco [canonico] Belnensis, Cabilonensis diocesis, ecclesiarum.

776 Au Latran, 19 mars 1304.

Episcopo Asisinati facultatem impertit faciendi recipi personam quamlibet idoneam in canonicum in ecclesia Asisinati ac providendi eidem de quadam præbenda. (nº 630, fol. 146.)

« *Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Asisinati.* Volentes tuam honorare — Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno Iº. »

777 Pérouse, 13 mai 1304.

Universis Christi fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ s. Stephani, ad ordinem fratrum Prædicatorum Pergamensium pertinentis, manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (nº 631, fol. 146.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis — Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

778 Pérouse, 13 mai 1304.

Priorissæ et conventui monasterii s. Mariæ Matris Domini Pergamensis confirmat domum monialium s. Petri de Brozate de Urgnano et ecclesiam s. Georgii de Inglascha, quas quondam Guiscardus, Pergamensis episcopus, dicto monasterio s. Mariæ univerat, statuitque ut dicta unio servetur, non obstante quod in eadem capituli ecclesiæ Pergamensis nullatenus intervenit assensus. (nº 632, fol. 146.)

« .. *Priorisse et conventui monasterii sancte Marie Matris Domini Pergamensis, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum statuta et sub cura ordinis fratrum Predicatorum viventibus.* Meritis vestre religionis inducimur ut votis vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim bone memorie Guiscardus, episcopus Pergamensis, monasterium monialium sancti Petri de Brozate de Urgnano, tunc ordinis sancti Benedicti, et ecclesiam sancti Georgii de Inglascha, sitam in campis de Fara Ripe Adue, Pergamensis diocesis, ordinarie ipsius episcopi jurisdictioni subjectam, que tunc in spiritualibus et temporalibus erant collapsa, monasterio vestro ordinaria auctoritate univit, et postmodum felicis recordationis Innocentius papa V^us, predecessor noster, unionem hujusmodi per suas litteras confirmavit, in quibus inter alia expressum extitit forsitan per errorem, quod dicta unio de consensu capituli Pergamensis ecclesie facta erat, cum tamen in eadem unione dictorum capituli nullatenus intervenisset assensus.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, volentes in hac parte vobis gratiam facere specialem, dictamque unionem gratam et ratam habentes, eam errore non obstante predicto auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, etc., usque : communimus, supplentes

nichilominus defectum, qui ex eo in eadem unione extitit quod in illa dictorum capituli, ut premissum est, non intervenerit assensus, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et suppletionis, etc. Dat. ut supra. »

779 Pérouse, 13 mai 1304.

Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Pergamensibus concedit licentiam disponendi libere de beneficiis vacaturis in ecclesia s. Stephani Pergamensis, quam obtinent, quodam contrario statuto super hoc edito nequaquam obstante. (n° 633, fol. 146; Potth., n° 25428.)

« .. *Priori et conventui ordinis Predicatorum Pergamensibus.* Ordinis vestri sacra religio digne meretur, ut ordinis ejusdem professoribus ea, que quietum ipsorum statum respiciunt, libenti animo concedamus.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod bone memorie Gofredus, tituli sancti Marci presbyter cardinalis, tunc in partibus Lombardie Apostolice Sedis legatus, volens utilitati ecclesie vestre, sancti Stephani vocabulo insignite, in qua ad presens degitis et tunc instituti erant clerici seculares, et que de novo concessa ordini vestro fuerat, providere, inter alia statuit quod iidem clerici contenti essent beneficiis, que in ipsa ecclesia obtinebant, et eis cedentibus vel decedentibus, alii non succederent ipsis in beneficiis supradictis, sed eadem beneficia secundum dispositionem episcopi Pergamensis, qui esset pro tempore, in fabricam ipsius ecclesie ac domorum ejus, nec non in ornamenta paramentorum et librorum ejusdem ecclesie, vel in usus pauperum libere converti deberent; et postmodum felicis recordationis Gregorius papa VIIII[us], predecessor noster, statutum hujusmodi auctoritate apostolica confirmavit. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum prefata dispositio, que per dictum episcopum est juxta statutum facienda, inter vos et ipsum episcopum posset materiam scandali generare, providere in hac parte vestre quieti, ac scandalo hujusmodi obviare paterna diligentia dignaremur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ut memoratam dispositionem vos exequi valeatis, vobis tenore presentium liberam concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

780 Au Latran, 9 mars 1304.

Dispensat cum clerico infradicto Constantiensis diocesis, ut non obstante defectu natalium omnes ordines recipere ac beneficium ecclesiasticum obtinere valeat. (n° 634 a, fol. 146 v°.)

« *Radulpho Johlario, clerico Constantiensis diocesis.* Debet illorum defectibus — Dat. Laterani, vii idus martii, anno primo. »

781 Au Latran, 31 janvier 1304.

Stephano de Malolacu, canonico ecclesiæ de Ankelande, Dunelmensis diocesis, confirmat ecclesiam de Halveton, diocesis ejusdem, quam ei Dunelmensis episcopus auctoritate ordinaria concesserat ad ipsius inopiam relevandam. (n° 634 b, fol. 146 v°.)

« *Stephano de Malolacu, canonico ecclesie de Ankelande, Dunelmensis diocesis.* Probitatis tue laudabilibus meritis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, inducimur ut votis tuis favorabiliter annuamus.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster .. episcopus Dunelmensis, attendens quod fructus et redditus prebende tue, quam in ecclesia de Ankelande obtines, erant adeo tenues et exiles quod canonicus, qui eandem prebendam habet pro tempore, ex illis non poterat comode substentari, ecclesiam de Halveton, Dunelmensis diocesis, curam animarum habentem, que tunc vacabat cujusque collatio ad eundem episcopum pertinere dinoscitur, eidem prebende, sui capituli assensu irrequisito, annexit, prout in litteris super hoc confectis, ejusdem episcopi sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut quod in predictis actum est faceremus robur firmitatis habere.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super premissis ab eodem episcopo factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque: communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, ii kalendas februarii, anno primo. »

782 Au Latran, 2 mars 1304.

Dispensat cum duabus personis diocesis Rothomagensis, ut, non obstante quadam consanguinitate, in matrimonio contracto remanere licite possint, prolem ex eis susceptam vel suscipiendam legitimam nuntiando. (n° 635, fol. 146 v°.)

« *Gaufrido dicto de Jolis et dilecte in Christo filie Juliane de Cathevilla, uxori ejus, Rothomagensis diocesis.* Licet conjunctio copule — Dat. Laterani, vi nonas martii, anno primo. »

783 Au Latran, 2 mars 1304.

Episcopo Pataviensi potestatem concedit dispensandi cum Friderico Henrici de Sytansteten, scholari diocesis ejusdem, super natalium defectu, ut ad omnes ordines se faciat promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit. (nº 636, fol. 146 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Pataviensi.* Accedens ad presentiam — Dat. ut supra. »

784 Viterbe, 16 avril 1304.

Prioratum s. Crucis de Quinto, ordinis s. Augustini, quem olim Diensis et Valentinus episcopus monasterio s. Antonii, Viennensis diocesis, auctoritate ordinaria concesserat, abbati et conventui dicti monasterii confirmat. (nº 637 A, fol. 146 vº.)

« .. *Abbati et conventui monasterii sancti Antonii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis.* Religionis vestre — Dat. Viterbii, XVI kalendas maii, anno primo. »

785 Viterbe, 16 avril 1304.

Eisdem indulget ut monasterio s. Antonii supradicto prioratum de s. Medardo, ordinis s. Augustini, Diensis diocesis, unire valeant. (nº 637 B, fol. 146 vº.)

« *Eisdem.* Monasterium vestrum in quo — Dat. Viterbii, XVI kalendas maii, anno primo. »

786 Viterbe, 16 avril 1304.

Omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus aliisque ecclesiarum prælatis mandat, ut quoscumque quæstuarios, qui ad eorum loca vel ecclesias nomine monasterii s. Antonii Viennensis accesserint pro eleemosynis ibidem colligendis, minime recipiant, nisi ab abbate et conventu dicti monasterii fuerint ad hoc specialiter destinati. (nº 638 A, fol. 147.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.* Religionis observantia — Dat. ut supra. »

787 Viterbe, 16 avril 1304.

Priori de s. Valerio, Viennensis diocesis, mandat ut abbatem et conventum supradicti monasterii s. Antonii a vexantibus sollicite strenueque tueatur. (nº 638 B, fol. 147.)

« .. *Priori de sancto Valerio, Viennensis diocesis.* Ad compescendos conatus — Dat. ut supra. »

788 Au Latran, 15 décembre 1303.

Obtentu Bartholomæi Vulcani de Neapoli militis pro Marino Carazulo de Neapoli, affine suo, in hac parte supplicantis, Benedictus mandat executoribus infradictis, ut dicto Marino conferant unum vel plura ecclesiastica beneficia in civitate vel diocesi Capuana, quorum valor annuus summam decem unciarum auri non excedat. (nº 639 A, fol. 147.)

« *Magistris Berardo de Boiano, archidiacono Troiano, et Ricardo de Tauro Neapolitano, ac Thomasio de Marcuta, Aversano canonicis.* Ad provisionem illorum — Dat. Laterani, XVIII kalendas januarii, anno primo. »

789 Au Latran, 15 décembre 1303.

Obtentu ejusdem militis simile mandatum mittitur supradictis executoribus, ut Johanni de Riso, clerico Neapolitano, provideant de beneficio vel beneficiis in Aversana civitate seu diocesi. (nº 639 B, fol. 147 vº.)

« *Eisdem.* Excitant nos — Dat. ut supra. »

790 Pérouse, 3 juin 1304.

Philippo, nato Caroli comitis Andegavensis, et Beatrici, natæ Roberti ducis Burgundiæ, indulget ut non obstante duplici consanguinitate matrimonialiter valeant invicem copulari. — Eadem gratia conceditur Hugolino, nato ejusdem Roberti ducis Burgundiæ, ac Caterinæ, natæ prædicti comitis Andegavensis. (nº 640, fol. 147 vº.)

« *Dilecto filio nobili viro Philippo, nato dilecti filii nobilis viri Caroli comitis Andegavensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Beatrici, nate dilecti filii nobilis viri Roberti ducis Burgundie.* Romani pontificis precellens auctoritas, fungens juxta conditionem personarum et temporum concessa sibi desuper potestate, rigorem nonnunquam mansuetudine temperat et quod negat juris severitas ex gratia benignitatis indulget, prout id in Deo conspicit salubriter expedire. Licet enim matrimonialis copula citra quartum consanguinitatis gradum sacris sit canonibus interdicta, quandoque tamen idem pontifex citra gradum eundem gratiose dispensat, presertim cum personis sublimibus, ex quarum conjunctione prosperitatis status et quietis comodum speratur eis et aliis provenire.

Porrecta siquidem nobis ex parte vestra petitio continebat quod, licet inter vos due consanguinitates existant,

in quarum una tu fili Philippe tertio, tu vero filia Beatrix secundo et in altera tu predicte Philippe quarto, tu vero predicta B[eatrix] tertio gradibus a stipite comuni distatis, pro statu tamen pacifico et tranquillo non solum progenitorum et propinquorum vestrorum sed et aliorum multorum, quibus ex conjunctione vestra magna tranquillitas, divina favente clementia, provenire speratur, affectatis invicem matrimonialiter copulari.

Nos igitur, qui inter cetera, que nostris desideriis ingeruntur, illud potissime affectamus ut inter Christi fideles, presertim principes et magnates, a quorum quiete dependet tranquillitas aliorum, vigeat unio caritatis, sperantes quod ex conjunctione predicta prefatis progenitoribus, qui eam desideranter affectant, comoda multa succedent tantoque sibi invicem favoribus mutuis efficatius respondebunt et exercere se poterunt in hiis, que ad laudem Dei et honorem Romane Ecclesie pertinebunt, quanto per hoc majoris roboris suscipient incrementum, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum ut, impedimentis hujusmodi nequaquam obstantibus, matrimonium invicem licite contrahere valeatis auctoritate apostolica dispensamus. Nulli, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Perusii, III nonas junii, anno primo. »

« In e. m. dilecto filio Hugolino, nato Roberti ducis Burgundie, et dilecte in Christo filie Caterine, nate Caroli comitis Andegavensis. Romani pontificis, etc., ut supra usque : in quarum una tertio et in altera quarto gradibus consanguinitatis estis conjuncti, pro statu tam pacifico et tranquillo, etc., ut supra usque in finem. »

791 Au Latran, 28 février 1304.

Valeant Johannes et Petrus de Sumena, rectores ecclesiarum s. Ypoliti de Rupeforcata et s. Martini de Crosis, Nemausensis et Biterrensis diocesium, ad invicem præfatas ecclesias permutare. (nº 641, fol. 147 vº.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi ac dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Guillelmi de Desertis, Lodovensis diocesis, et Olivario de Biterris, canonico Tholosano.* Cum sicut ex — Dat. Laterani, III kalendas marcii, anno primo. »

792 Au Latran, 16 mars 1304.

Archiepiscopo Cantuariensi conceditur ut, in vacantibus ecclesiis et vicariis dictæ diocesis, in quibus abbas et conventus monasterii s. Augustini Cantuariensis jus patronatus habent, ipse institutionem et provisionem clericorum ac rectorum, abbas vero et conventus memorati præsentationem eorumdem exercere valeant, juxta dispositionem cujusdam sententiæ Bonifatii papæ VIII, non obstantibus infradictis. (nº 642 A, fol. 148.)

« *Venerabili fratri Roberto, archiepiscopo Cantuariensi.* Nuper Apostolatui nostro tua fraternitas intimavit, quod olim motis et diutius agitatis coram felicis recordationis B[onifatio] papa VIII, predecessore nostro, litibus et querelis inter dilectos filios abbatem et conventum monasterii sancti Augustini Cantuariensis, ordinis sancti Benedicti, pretendentes se dictumque monasterium quoad suas exemptiones, libertates et jura per te fuisse gravatos, ex parte una, et te pro juribus ac libertatibus ecclesie tue Cantuariensis, ex altera, demum idem predecessor per viam provisionis et ordinationis quod super hiis fieri voluit et servari per sue diffinitionis sententiam declaravit : in qua inter cetera continentur, quod prefati abbas et conventus in ecclesiis Cantuariensis civitatis et diocesis, in quibus ipsi jus patronatus dumtaxat habebant et eos obtinere contingeret in futurum, haberent presentationem rectorum et clericorum et alia que jura continent patronatus, tu vero et successores tui Cantuarienses archiepiscopi, qui pro tempore forent, haberetis in eisdem ecclesiis institutionem et destitutionem, et tam in eis quam in rectoribus, clericis et parrochianis ipsarum etiam alia spiritualia, prout hinc et inde comunia jura permittunt.

Verum cum, sicut asseris, post prefatam exemptionem ejusdem predecessoris B[onifatii], ante hujusmodi tamen subsecutam declarationem, quedam beneficia ecclesiastica videlicet tam ecclesie quam vicarie predicte Cantuariensis diocesis, in quibus predicti abbas et conventus jus patronatus dumtaxat obtinent, vacaverint et a tempore vacationis ipsarum iidem abbas et conventus ad eas tibi loci diocesano, infra competens eis semestre tempus, rectores et vicarios omiserint [1] presentare, tuque ecclesias et vicarias ipsas sic vacantes, infra aliud semestre tempus tibi competens, hujusmodi diffinitionem et declarationem prefati predecessoris Sedi Apostolice deferens prestolando, conferre distuleris, sicque dubites utrum per lapsum temporis predictarum ecclesiarum et vicariarum sic vacantium collatio sit hac vice ad Sedem Apostolicam, secundum Lateranensis statuta Concilii, legitime devoluta, nobis humiliter supplicasti ut super hoc nostrum tibi beneplacitum mitteremus.

Nos itaque nolentes dubitationem hujusmodi discussioni juris exponere, sed volentes tecum et cum predictis abbate et conventu potius agere gratiose, per viam provisionis presentium auctoritate concedimus ut, hu-

1. Ms : « omiserunt. »

.jusmodi lapsu temporis et prefati Concilii seu qualibet alia constitutione contraria non obstantibus, in predictis ecclesiis et vicariis sic vacantibus memorati abbas et conventus presentationem tuque institutionem et provisionem exercere libere valeatis, prout de jure fuerit faciendum. Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

793 Au Latran, 16 mars 1304.

Priori ecclesiæ Cantuariensis mandat, ut dispenset cum clericis, vicariis, vel rectoribus diocesis Cantuariensis super irregularitate, quam contraxerunt pro eo quod, diversis excommunicationum ligati sententiis, divina officia etiam in locis interdictis celebrarunt. (nº 642 B, fol. 148.)

« .. *Priori ecclesie Cantuariensis.* Significavit nobis venerabilis frater noster Robertus, archiepiscopus Cantuariensis, quod olim motis, etc., ut supra in proxima, mutatis mutandis, usque : comunia jura permittunt.

Verum cum idem archiepiscopus, prout asserit, nonnullos ex rectoribus, vicariis et clericis supradictis, pro eo quod a predictis abbate et conventu ad ecclesias et vicarias predictas institutiones recipiebant hujusmodi, ac tam ipsos quam aliquos alios rectores, vicarios et clericos predictarum civitatis et diocesis Cantuariensis, quia prelibatis abbati et conventui alias in predictis in ipsius prejudicium parebant et assistebant seu parere et assistere dicebantur, diversis excommunicationum et suspensionum sententiis ante prefatam declarationem duxerit auctoritate ordinaria innodandos, quorum aliqui eisdem ligati sententiis divina officia, etiam in ecclesiis per eundem archiepiscopum auctoritate hujusmodi ex causa eadem ecclesiastico suppositis interdicto, scienter, non tamen in contemptum clavium sed per simplicitatem et juris ignorantiam, celebrarunt vel se immiscuerunt eisdem, propter quod irregularitatis maculam notorie contraxisse noscuntur, idem archiepiscopus de ipsorum salute sollicitus, nobis humiliter supplicavit ut providere ipsis super hoc de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Nos igitur ipsius archiepiscopi in hac parte devotis supplicationibus annuentes, presentium tibi auctoritate committimus, quatinus cum rectoribus, vicariis et clericis supradictis, qui irregularitatem taliter contraxerunt, postquam tibi constiterit quod rite fuerint ab hujusmodi sententiis absoluti, super irregularitate hujusmodi hac vice auctoritate nostra dispenses, injuncta eis pro modo culpe prout expedire videris penitentia salutari. Dat. ut supra. »

794 Au Latran, 2 mars 1304.

Executoribus infrascriptis mandat, ut Wulskero dicto Ssober de Hamburt scholari beneficium ecclesiasticum conferant, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Pataviensi. (nº 643, fol. 148.)

« *Altegrado, electo Vicentino, notario nostro, et .. abbati monasterii de Scotis ac .. plebano plebis de Holebzun* (sic), *Pataviensis diocesis.* Virtutum studia quibus — Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

795 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Electo Vicentino supplicante, confertur Gabrieli de Monte Silice, canonico Brixiensi, beneficium ecclesiasticum, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Paduana. (nº 644, fol. 148 vº.)

« *Gabrieli*[1], *nato quondam Francisci de Monte Silice, canonico Brixiensi.* Matris Ecclesie gratiosa — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. Altegrado, electo Vicentino, notario nostro, et .. priori sancti Benedicti ac .. archipresbytero ecclesie Paduane.

796 Au Latran, 9 mars 1304.

Valeat archiepiscopus Ebredunensis per vicarios idoneos provinciam suam facere visitari. (nº 645 A, fol. 148 vº.)

« *Venerabili fratri G[uillelmo], archiepiscopo Ebredunensi.* Personam tuam tuis — Dat. Laterani, VII idus martii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo et .. decano et .. preposito Vapincensibus.

797 Au Latran, 9 mars 1304.

Eidem facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in ecclesia sua Ebredunensi ac providendi eis de competentibus præbendis. (nº 645 B, fol. 148 vº.)

« *Eidem.* Cum nos personam — Dat. ut supra. »

798 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Cum prior et fratres ordinis Prædicatorum Cremonenses ad alium locum in eadem civitate cupiant se transferre, eis Benedictus concedit facultatem vendendi vel distrahendi locum

1. Ms : « Cabrieli. »

s. Guilielmi, quem olim ab episcopo Cremonensi obtinuerant tali conditione apposita ut, si forsan eum dimitterent, locus ipse deveniret ad episcopatum Cremonensem. (nº 646 A, fol. 149; POTTH., nº 25416.)

« .. *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Cremonensibus*. Meritis vestre religionis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

799 Viterbe, 15 avril 1304.

Cum duabus personis diocesis Elnensis dispensat, ut in matrimonio olim illicite contracto, quarto duplicis affinitatis gradu non obstante, libere remaneant. (nº 646 B, fol. 149.)

« *Bernardo Guillelmi de Tanteolio laico et dilecte in Christo filie Alamande, nate Guillelmi Benedicti de Aguillis, uxori ejus, Elnensis diocesis*. Intenta salutis operibus — Dat. Viterbii, XVII kalendas maii, anno primo. »

800 Pérouse, 30 mai 1304.

Episcopo Maurianensi mandat, ut nonnullis suæ diocesis, qui pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas in excommunicationis laqueum inciderint, beneficium absolutionis impendat. (nº 647 A, fol. 149.)

« *Venerabili fratri Amblardo, episcopo Maurianensi*. Intimasti nobis quod — Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

801 Au Latran, 17 mars 1304.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur illis, qui ecclesiam b. Mariæ Virginis in civitate Tarviensi extructam devote visitarint in singulis ipsius b. Mariæ festivitatibus. (nº 647 B, fol. 149.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis capitulo Tarviensibus*. Gloriosus Deus in — Dat. Laterani, XVI kalendas aprilis, anno primo. »

802 Au Latran, 14 mars 1304.

Eustachio de Ays, licentiato in artibus et in jure, qui canonicatum et præbendam assecutus est olim in ecclesia s. Petri Casletensis, Morinensis diocesis, dispensatione super natalium defectu quem patiebatur mediante, nunc insuper licentia conceditur obtinendi ac retinendi duo alia beneficia ecclesiastica tam in collegiatis quam in cathedralibus ecclesiis. (nº 648 A, fol. 149.)

« *Eustachio de Ays, canonico ecclesie sancti Petri Casletensis, Morinensis dioecesis*. Consuevit Apostolice Sedis — Dat. Laterani, II idus martii, anno primo. »

803 Pérouse, 7 juin 1304.

Fratri Jacobo, magistro domus Militiæ Templi Jerosolimitani licentiam concedit veniendi ad Apostolicam Sedem. (nº 648 B, fol. 149 vº.)

« *Fratri Jacobo, magistro domus Militie Templi Jerosolimitani*. Ex parte tua nobis extitit supplicatum ut, cum tu certis ex causis intendas ad Sedem Apostolicam te conferre, veniendi ad Sedem eandem tibi licentiam concedere dignaremur.

Nos autem id tue conscientie committentes, discretioni tue licentiam concedimus postulatam, si hujusmodi tuum adventum videris ordini tuo salubriter expedire. Dat. Perusii, VII idus junii, anno primo. »

804 Au Latran, 29 février 1304.

Johanni dicto Grame indulget ut insimul retinere valeat canonicatum et præbendam in ecclesia Goslariensi, Hildesemensis diocesis, nec non parochialem ecclesiam in Bokenem, dictæ diocesis, quam olim in decimo sexto ætatis suæ anno constitutus recepit et extunc retinuit licentia Sedis Apostolicæ non obtenta. (nº 649, fol. 149 vº.)

« *Johanni dicto Grame, rectori parrochialis ecclesie in Bokenem, Hildesemensis dioecsis*. Petitio tua nobis — Dat. Laterani, II kalendas martii, anno primo. »

805 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Jordano Merle canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Baiocensi. (nº 650 A, fol. 149 vº.)

« *Dilecto filio Jordano Merle, canonico Baiocensi*. Litterarum scientia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno Iº. »

In e. m. .. episcopo Tholosano et .. abbati monasterii Nobiliacensis, Pictaviensis diocesis, ac .. archidiacono Xanctonensi.

806 Au Latran, 13 mars 1304.

Dispensat cum quodam clerico Secoviensis diocesis, illegitime nato, super defectu natalium, ut ad omnes ordines et ad beneficia ecclesiastica promoveri possit. (nº 650 B, fol. 150.)

« *Hugoni de Alba Ecclesia, clerico Secoviensis dioecesis*. Illegitime genitos — Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

807 Pérouse, 19 mai 1304.

Plebano plebis s. Johannis de Castro Pennæ, Firmanæ diocesis, familiari suo, in subdiaconatus tantum ordine constituto, concedit ut, juxta quandam Bonifatii VIII gratiam olim eidem plebano concessam, nunc vero per obitum ipsius Bonifatii expiratam, ad suscipiendum ordines superiores, ratione plebatus ejusdem plebis vel alterius cujuscumque beneficii, usque ad biennium, quandiu Apostolicæ Sedis obsequiis institerit, minime teneatur. (n° 651 A, fol. 150.)

« *Andree Angeli de sancto Johanne, plebano plebis sancti Johannis de Castro Penne, Firmane diocesis, familiari nostro.* Laudabilia tue merita probitatis nec non grata obsequia, que nobis familiariter impendisse dinosceris et impendere non desistis, exposcunt ut personam tuam specialis prerogativa gratie prosequamur.

Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod olim felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, volens te favore prosequi gratioso, tibi duxit per suas sub certa forma litteras indulgendum, ut tu, qui tunc eras sicut et adhuc es in subdiaconatus tantum ordine constitutus, apud Sedem Apostolicam suis insistens obsequiis, inde ad certum tempus ad suscipiendum superiores ordines ratione plebatus tui plebis sancti Johannis de Castro Penne, Firmane diocesis, cui cura imminet animarum, minime tenereris. Licet autem hujusmodi tempus nondum effluxerit, quia tamen hujusmodi gratia dicti predecessoris per ejus obitum expiravit, nos super hoc tibi providere volentes teque speciali prosequi gratia et favore, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut apud dictam Sedem nostris insistens obsequiis, usque ad biennium ad suscipiendum prefatos superiores ordines ratione plebatus ejusdem vel cujuscumque alterius beneficii, si quod forsan interim assequi te contingat, etiam si dignitas vel personatus fuerit et similem curam habuerit, minime tenearis neque ad id a quoquam valeas cohartari, generalis Concilii et qualibet alia constitutione contraria non obstante, proviso quod interim plebatus ipse ac hujusmodi beneficium, si ut premittitur illud habueris, debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eodem plebatu ac dicto beneficio, si illi forsan immineat, ullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

808 A Saint-Pierre, 30 mars 1304.

Archidiacono s. Flori in ecclesia Claromontensi indulget ut, cum tam suis quam archiepiscopi Narbonensis multipliciter insistat negotiis, archidiaconatum eundem usque ad biennium per aliquam personam idoneam faciat visitari. (n° 651 B, fol. 150.)

« *Andree, archidiacono sancti Flori in ecclesia Claromontensi.* Laudabilia tue merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, digne nos excitant et inducunt ut in hiis, que tue mentis quietem respiciunt, votis tuis favorabiliter annuamus.

Cum itaque, sicut asseris, tam tuis quam venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Narbonensis, cujus familiaris et procurator existis, diversis negotiis occupatus, archidiaconatum tuum sancti Flori, quem obtines in ecclesia Claromontensi, personaliter nequeas prout ad tuum spectat officium comode visitare, nos volentes personam tuam speciali prosequi gratia et favore, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut archidiaconatum ipsum possis usque ad biennium per alium seu alios viros ydoneos, quos ad id deputaveris, visitare, ac procurationes, ratione visitationis hujusmodi tibi debitas a locis et personis ejusdem archidiaconatus visitatis, recipere moderatas in pecunia numerata, qualibet constitutione contraria super hoc edita non obstante. Nulli ergo, etc , nostre concessionis, etc. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. sacriste Narbonensis et magistro Petro Girardi Claromontensis ac Bertrando Mathei, Vivariensis canonicis ecclesiarum.

809 Au Latran, 7 février 1304.

Magistro Bernardo Andreæ, canonico Narbonensi, beneficium ecclesiasticum confert, quod duxerit acceptandum in ecclesia Narbonensi; dispensat insuper cum eodem super pluralitate beneficiorum. (n° 652 A, fol. 150.)

« *Magistro Bernardo Andree, canonico Narbonensi.* Cum tibi litterarum — Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Alexii de Urbe et .. Crassensis ac .. sancti Ylarii, Carcassonensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

810 Au Latran, 16 mars 1304.

Episcopo Bethleemitano indulget ut, quandocumque ad celebrandum solemniter missam in locis exemptis fuerit invitatus, ibidem pontificalibus uti, omnia divino cultui deputata benedicere, ac fidelibus prædicationi suæ intervenientibus indulgentias elargiri valeat. (n° 652 B, fol. 150 v°.)

« *Venerabili fratri Wlfrano, episcopo Bethleemitano.* Personam tuam speciali benivolentia prosequentes, libenter illam spiritualibus favoribus et gratiis honoramus.

Hinc est quod tuis supplicationibus inclinati, ut, quandocumque ad celebrandum solenniter missam in locis congruis et honestis fueris invitatus, missam in locis dumtaxat exemptis taliter celebrando pontificalibus uti, et cum tunc te predicare contigerit verbum Dei, omnibus vere penitentibus et confessis, qui predicationi hujusmodi interfuerint, XL dierum indulgentiam elargiri, pannos quoque ac pallas altaris, corporalia, vestes sacerdotales et alia cultui deputata divino benedicere possis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

811 Pérouse, 21 mai 1304.

Episcopo Bambergensi licentiam impertitur contrahendi mutuum usque ad summam ducentarum et quinquaginta marcharum argenti pro suis et Bambergensis ecclesiæ negotiis utiliter expediendis. (n° 653 A, fol. 150 v°.)

« *Venerabili fratri Wlvingo, episcopo Bambergensi.* Cum sicut in — Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

812 Pérouse, 9 juin 1304.

De executione superioris epistolæ. (n° 653 B, fol. 150 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Mantuano et dilectis filiis .. camerario nostro ac .. archidiacono Tiburtino.* Cum, sicut venerabilis frater noster Wlvingus, episcopus Bambergensis, in nostra proposuit presentia constitutus, tam pro suis necessariis, quam pro ecclesie sue Bambergensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter, cum subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicavit, ut usque ad summam ducentarum quinquaginta marcharum argenti mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores se putabat invenire non posse, eidem licentiam largiremur.

Nos itaque de ipsius episcopi, tam in hiis quam in aliis circa sua et ipsius ecclesie negotia utiliter promovenda et expedienda, circumspectione ac diligentia confidentes, et nolentes quod propter expensarum ipsarum defectum idem episcopus indigentiam pateretur, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingeret, ejus supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam ducentarum quinquaginta marcharum nomine suo et ipsius ecclesie, ac se ipsum et successores suos et ecclesiam Bambergensem predictam, etc., ut in forma usque : et exceptionibus eisdem, a dilecto filio Bonacorso Bonincu[n]tri [1], cive et mercatore Florentino de societate Circulorum de Florentia, mutuante nomine suo ac Olverii et Naddi quondam Gerardini de Circulis et aliorum mercatorum sociorum suorum de dicta societate, pro necessariis et negotiis eisdem mutuo receperit hujusmodi summam ducentarum et quinquaginta marcharum certis eisdem mercatoribus seu alteri eorum loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, nos de expresso consensu dicti episcopi eorumdem mercatorum indempnitatibus precavere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in infrascriptis, quando et quotiens expedire videritis, procedentes, predictum episcopum moneatis, ut eisdem mercatoribus aut uni eorum vel ipsorum procuratori, eorum nomine, in statutis et consuetis loco et tempore de dicta quantitate pecunie plenam satisfactionem impendat. Alioquin suspensionis ab administratione temporalium et spiritualium et executione pontificalium, etc., ut in forma usque [in finem]. Dat. Perusii, V idus junii anno primo. »

813 Pérouse, 4 juin 1304.

Reginus episcopus absolvitur a juramento, quod tempore consecrationis suæ præstitit de visitando singulis annis Apostolorum limina. (n° 653 c, fol. 150 v°.)

« *Venerabili fratri H[enrico], episcopo Regino.* Tue merita fraternitatis exposcunt, ut petitionibus tuis favorabiliter annuamus.

Nuper siquidem ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod tu tempore consecrationis tue, quam apud Sedem Apostolicam recepisti, de visitando Apostolorum limina singulis annis, prout moris est fieri, prestitisti inter alia corporaliter juramentum, quamvis Regina ecclesia privilegium exemptionis non habeat sed venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Ravennatis, loci metropolitani, sit jurisdictioni subjecta. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum hujusmodi visitatio tibi valde difficilis et eidem ecclesie tue dispendiosa existat, providere super hoc tam tibi quam eidem ecclesie tue de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, te ab hujus-

1. Cf. col. 146, 358, 535, 538 et 540.

modi juramento auctoritate apostolica, quo ad hujusmodi dumtaxat visitationem, absolvimus, volentes juramentum ipsum in ceteris inviolabiliter observari. Dat. Perusii, II nonas junii, anno primo. »

814 Au Latran, 18 mars 1304.

Rectori ecclesiæ de Hanuigdon, Saresbiriensis diocesis, qui dispensatione super defectu natalium mediante ecclesiam eandem olim assecutus est, indulget ut beneficium ecclesiasticum, si quod sibi canonice offeratur, insuper recipere ac retinere valeat. (n° 654 A, fol. 150 v°.)

« *Johanni, nato quondam Raginaldi Petri, presbytero, rectori ecclesie de Hanuigdon, Saresbiriensis diocesis.* Illos libenter apostolico — Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

815 Au Latran, 18 mars 1304.

Valeat Johannes de Trillowe, presbyter illegitime natus, qui ecclesias de Tywa et de Torteberi, Lincolniensis ac Wigorniensis diocesium, insimul recepit, dispensatione super hoc vel super defectu natalium nequaquam obtenta, easdem ecclesias de cætero licite retinere. (n° 654 B, fol. 151.)

« *Johanni de Trillowe presbytero, rectori ecclesie de Tywa, Lincolniensis diocesis.* Tue probitatis merita — Dat. ut supra. »

816 Au Latran, 14 mars 1304.

Hugoni de Hays, canonico ecclesiæ s. Salvatoris de s. Paulo, Morinensis diocesis, concedit ut præter canonicatum eundem duo alia beneficia, si forte sibi in collegiatis vel in cathedralibus ecclesiis offerantur, recipere possit, non obstante defectu natalium quem patitur de soluto genitus ac soluta. (n° 655 A, fol. 151.)

« *Hugoni de Hays, canonico ecclesie sancti Salvatoris de sancto Paulo, Morinensis diocesis.* Consuevit Apostolice Sedis — Dat. Laterani, II idus martii, anno primo. »

817 Au Latran, 10 février 1304.

Confirmat quædam pacta et conventiones olim inita inter præpositum ecclesiæ s. Juliani Mediolanensis et Guidonem de Porta Orientali, civem Mediolanensem, super constructione loci et ecclesiæ, quæ dictus Guido pro fratribus ordinis Humiliatorum in loco de Vicoboldono, Mediolanensis diocesis, ædificari fecit. (n° 655 B, fol. 151.)

« .. *Preposito et fratribus domus de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Cum a nobis petitur, etc., usque : effectum.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod, cum quondam Guido de Porta Orientali, civis Mediolanensis, pia ductus intentione, ecclesiam et locum pro fratribus vestri ordinis in loco de Vicoboldono, Mediolanensis diocesis, ubi nunc ecclesia vestra sancti Petri, ordinis predicti, consistit, infra parrochiam ecclesie sancti Juliani Mediolanensis edificare intenderet idque quondam Julianus, prepositus dicte ecclesie sancti Juliani, prohiberet, asserens hoc in ejusdem ecclesie sancti Juliani prejudicium redundare, demum inter dictum civem nomine vestri ordinis, vobis hoc volentibus et ratum habentibus, et prepositum predictum quedam pacta et conventiones inita extiterunt, que in instrumento publico inde confecto plenius exprimuntur, ex quibus indempnitati dicte ecclesie est provisum, queve in utilitatem tam vestram quam dicte ecclesie redundare noscuntur; bone quoque memorie Petrus, tituli sancte Cecilie presbyter cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, sue legationis auctoritate pacta et conventiones hujusmodi confirmavit. Eadem quoque pacta et conventiones tanto tempore fuerunt hactenus observata, quod jam super illis legitima estis prescriptione muniti.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, pacta et conventiones prefata, sicut provide rite ac sine pravitate facta sunt, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque : communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

818 Pérouse, 12 mai 1304.

Infrascriptis committit facultatem absolvendi communitatem civitatis Januensis nec non aliquos de civitate eadem ejusque districtu ab excommunicationum sententiis et pœnis temporalibus vel spiritualibus, quas olim incurrerunt, pro eo quod Siculis ac regi Frederico tunc in rebellione Romanæ Ecclesiæ persistentibus favorem et auxilium exhibebant. (n° 656 A, fol. 151.)

« .. *Priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum* [*Januensibus*]. Olim dum insula Sicilie et carissimus in Christo filius noster F[redericus], nunc rex Trinacrie illustris, in rebellione Romane Ecclesie persistebant, felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, contra comunitates, universitates et singulares personas, dantes ipsi F[rederico] et Siculis

directe vel indirecte, publice vel occulte, subsidium, consilium vel favorem, et contrahentes quomodolibet cum eisdem ac eis merces vel victualia deferentes, diversas excommunicationum tulit sententias et alias spirituales et temporales penas et mulctas inflixit, que in suis processibus super hoc habitis plenius continentur.

Cum autem comunitas Januensis et nonnulli de civitate predicta et ejus districtu, qui sententias, penas et mulctas predictas incurrisse noscuntur, sicut ex parte dictorum comunitatis per ambassiatores eorum ad nostram presentiam destinatos fuit expositum coram nobis, parati existant super hiis Ecclesie parere mandatis, nos eorum in hac parte saluti consulere cupientes, ac gerentes de circumspectione vestra fiduciam in Deo specialem, ipsorum comunitatis supplicationibus inclinati, vobis et utrilibet vestrum absolvendi tam comunitatem predictam quam singulares personas de ipsis civitate et districtu ab omnibus sententiis penis et mulctis predictis, quas occasione hujusmodi incurrerint, cum super hoc ab eis cum humilitate fueritis requisiti, juramentis prius de parendo mandatis Ecclesie ab ipsis receptis ac imposita eis pro modo culpe penitentia salutari, ipsisque injuncto quod de jure fuerit injungendum, plenam et liberam vobis et utrilibet vestrum concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

819 Pérouse, 12 mai 1304.

Eisdem concedit licentiam absolvendi ab excommunicationum sententiis cæterisque pœnis et mulctis, quas incurrerunt accedendo contra inhibitionem Sedis Apostolicæ ad Sarracenorum partes, omnes de civitate et districtu supradictis, qui propter paupertatem et alias causas Romanam curiam adire nequeunt pro absolutionis beneficio obtinendo, dummodo mercatores seu patroni navigabilium vasorum non fuerint nec ad easdem partes mercimonia vetita portaverint. (nº 656 B, fol. 151 vº.)

« *Eisdem*. Cum, sicut ex parte dilectorum filiorum .. potestatis, consilii et comunis Januensis per ambassiatores eorum ad nostram presentiam destinatos fuit expositum coram nobis, nonnulli de civitate Januensi et ejus districtu diversas excommunicationum sententias aliasque spirituales et temporales penas incurrerint, ex eo quod contra inhibitionem Sedis Apostolice accesserunt in Alexandriam, terram Egipti et alias regiones soldano subjectas, et illuc merces etiam prohibitas detulerunt seu deferri fecerunt, et contraxerunt cum Sarracenis partium predictarum, quorum pluribus propter paupertatem et alias causas esset difficile Sedem adire predictam pro absolutionis beneficio obtinendo, nos ipsorum statui et saluti consulere cupientes, dictorum potestatis, consilii et comunis supplicationibus inclinati, absolvendi juxta formam Ecclesie omnes marinarios et alios pauperes de civitate et districtu predictis, dummodo mercatores vel officiales aut comites seu patroni navigabilium vasorum non fuerint, nec portaverint seu portari fecerint illuc lignamina, ferrum, aut arma, ab excommunicationum sententiis et aliis penis et mulctis, quas propterea incurrerunt, postquam super hoc ab eis cum humilitate fueritis requisiti, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari, eisque injuncto quod de jure fuerit injungendum, plenam et liberam vobis et utrilibet vestrum concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

820 Pérouse, 12 mai 1304.

Civitatem Januensem et singulares personas civitatis ipsius ejusque districtus restituit ad gratias, privilegia et indulta eis ab Apostolica Sede concessa, quæ quidem certis ex causis a Bonifatio VIII fuerant revocata. (nº 656 C, fol. 151 vº.)

« *Dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni civitatis Januensis*. Ut vestre devotionis affectus eo amplius erga Romanam excrescat Ecclesiam, quo illam vobis magis senseritis gratiosam, votis vestris libenter annuimus vobisque libenter favorem apostolicum impertimur.

Cum itaque, sicut pro parte vestra fuit expositum coram nobis, felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, dudum certis ex causis gratias, privilegia, et indulta vobis et singularibus personis civitatis vestre et ejus districtus ab Apostolica Sede concessa duxerit revocanda, nos vestris supplicationibus inclinati, vos et personas predictas ad gratias, privilegia et indulta prefata apostolica auctoritate restituimus, volentes quod vos et persone eedem dictis gratiis privilegiis et indultis utamini et gaudeatis de cetero libere sicut prius. Nulli ergo, etc., nostre restitutionis et voluntatis, [etc]. Dat. ut supra. »

821 Pérouse, 30 mai 1304.

Executoribus infranominatis mandat, ut magistro Petro Bonegentis de Genazano, cameræ papalis clerico, fructus proventusque ac redditus præbendæ, quam obtinet in ecclesia Virdunensi, integraliter licet absenti ministrari faciant, juxta quarumdam Bonifatii VIII continentiam litterarum, quas decanus et capitulum ejusdem ecclesiæ ex frivolis causis omni robore destitutas reputabant. (nº 657 A, fol. 151 vº.)

« *Dilectis filiis .. decano sancte Marie Magdalene Virdu-*

nensis et .. thesaurario Cathalaunensis ac .. cantori Morinensis ecclesiarum. Significavit nobis dilectus filius magister Petrus Bonegentis de Genazano, camere nostre clericus, archidiaconus Tiburtinus, quod felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, volens ei gratiam facere specialem, ei per suas indulxit litteras ut, apud Sedem Apostolicam vel alibi ubicumque suis et dicte Sedis insistens obsequiis, in absentia sua fructus, redditus et proventus archidiaconatus sui ecclesie Tiburtine nec non prebendarum suarum, quas in eadem Tiburtina, Virdunensi, Meldensi et sancti Symphoriani Remensis ecclesiis, quarum existit canonicus, obtinet, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, etiam si dignitates vel personatus existerent, que eum in ipsis vel quibusvis aliis ecclesiis [1] interim obtinere contingeret, cum ea integritate libere valeret percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet, si in ipsis ecclesiis personaliter resideret, nec interim ad faciendum in eis personalem residentiam teneretur neque ad id a quoquam coartari posset invitus, vobis ei super hoc per alias certi tenoris litteras executoribus deputatis; qui dicto adhuc predecessore vivente super hoc procedere incepistis, et licet idem magister Petrus extunc dicte Sedis obsequiis institerit et insistat, eodem tamen predecessore viam universe carnis ingresso, decanus et capitulum dicte ecclesie Virdunensis pretendentes, quod idem magister Petrus tempore obitus predecessoris ejusdem nondum, secundum statuta et constitutiones dicte ecclesie, residentiam suam compleverat et post eundem obitum obsequiis non insistebat ipsius, fructus, redditus et proventus prebende sue, quam in eadem Virdunensi ecclesia obtinet, sibi occasione hujusmodi subtraxerunt. Quare idem magister Petrus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos autem objectionem hujusmodi frivolam reputantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, hoc non obstante, ad faciendum ministrari dicto magistro Petro fructus eosdem procedatis, juxta predictarum directarum vobis continentiam litterarum. Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

822 Pérouse, 30 mai 1304.

Petro supradicto conceditur licentia percipiendi fructus beneficiorum suorum, sicut plenius dicitur in littera superiore. (n° 657 B, fol. 151 v°.)

1. Après *ecclesiis* le manuscrit porte « ipsam ». C'est sans doute *ipsum* qu'il faut lire, auquel cas ce mot fait double emploi avec *eum*.

« *Dilecto filio magistro Petro Bonegentis de Genezano camere nostre clerico, archidiacono Tiburtino.* Laudabilia tue merita — Dat. ut supra. »

In e. m. .. decano sancte Marie Magdalene Virdunensis et .. thesaurario Cathalaunensis ac .. cantori Morinensis ecclesiarum.

823 Viterbe, 15 avril 1304.

Executoribus infradictis mandat ut magistro Petro Gymardi, juris civilis professori, dignitatem quandam vacantem vel quam primo vacaturam in ecclesia Ambianensi conferant. (n° 658 A, fol. 152.)

« .. *Abbati monasterii sancti Laurentii de Albatia, Autissiodorensis diocesis, ac.. Atrebatensis et .. Sigalonie Bituricensis archidiaconis ecclesiarum.* Volentes personam dilecti — Dat. Viterbii, XVII kalendas maii, anno primo. »

824 Au Latran, 2 mars 1304.

Abbati monasterii s. Victoris Massiliensis indulget, ut, propter onera expensarum ei incumbentium, valeat per biennium facere visitari loca dicto monasterio subjecta per aliquam personam idoneam. (n° 658 B, fol. 152.)

« *Guillelmo, abbati monasterii sancti Victoris Massiliensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Ex tue devotionis — Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

In e. m. Guillelmo Stasini Massiliensi et Petro Boni Tholonensi et Guillelmo Efforcini, Aquensi canonicis.

825 Pérouse, 31 mai 1304.

Renovat et confirmat quasdam suas litteras, quibus contulerat Petro de Narbona canonicatum et præbendam in ecclesia Carnotensi. (n° 659 A, fol. 152.)

« *Petro de Narbona, canonico Carnotensi.* Nobilitas generis — Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Tholosano et .. decano Parisiensis ac .. thesaurario Baiocensis ecclesiarum.

826 Pérouse, 28 mai 1304.

Archidiacono Remensi concedit, ut tres clerici, familiares ejus ac domestici, possint usque ad triennium fructus reddi-

tusque ac proventus beneficiorum suorum percipere. (nº 659 B, fol. 152 vº.)

« *Alberto, nato dilecti filii Nicolai de Flisco Palatini et Lavanie comitis, archidiacono Remensi, capellano nostro.* Ut dilectionis affectum — Dat. Perusii, v kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Lunensi et .. thesaurario Baiocensis et .. magistro scolarum Januensis ecclesiarum.

827 Au Latran, 7 mars 1304.

Patriarchæ Jerosolimitano indulget ut, ubicumque fuerit, pedagia seu plateatica pro animalibus, blado, vino, lana, lignis aliisque victualibus sibi necessariis nulli solvere teneatur. (nº 660 A, fol. 152 vº.)

« *Venerabili fratri R[adulfo], patriarche Jerosolimitano.* Meritis tue devotionis inducimur, ut in hiis que postulas nos tibi sentias favorabiles invenisse.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut, ubicumque fueris, de animalibus, blado, vino, lana, lignis et aliis victualibus, que aliquotiens pro tuis utilitatibus vendere aut emere ac transducere vel transduci seu asportari facere te contingit, nulli pedagia seu plateatica, que pro hiis a personis secularibus exiguntur, solvere tenearis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Si quis autem, etc. Dat. Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno primo. »

828 Au Latran, 15 mars 1304.

Vacanti ecclesiæ Majoricensi præficit in episcopum ac pastorem Guillelmum, Barchinonensem canonicum. (nº 660 B, fol. 153.)

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Majoricensi.* In suppreme dignitatis — Dat. Laterani, idibus martii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Majoricensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Majoricensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Majoricensis. (Potth., nº 25341.)

In e. m. Jacobo, regi Majoricarum illustri.

829 Au Latran, 20 janvier 1304.

Pridem Carolus, rex Siciliæ, specialem gerens b. Mariæ Magdalenæ devotionis affectum, Bonifatio papæ VIII supplicavit, ut ecclesiam s. Maximini, Aquensis diocesis, tunc ad monasterium s. Victoris Massiliensis pertinentem et in qua corpus ejusdem sanctæ noscitur esse reconditum, ipsius b. Mariæ Magdalenæ cultui specialiter deputare dignaretur. Cujus petitioni Bonifatius libenter annuens, mandavit ut in ecclesia supradicta prioratus ordinis fratrum Prædicatorum institueretur, ad cultum præfatæ Mariæ Magdalenæ augmentandum. Dictum quoque prioratum a jurisdictione abbatis monasterii s. Victoris Massiliensis nec non diocesani episcopi exemptum declaravit, insuper decernendo ut locus de Balma, ubi pœnitentiam egisse dicitur eadem sancta, dicto prioratui censeretur unitus et subjectus. Dispositionem et decretum hujusmodi Benedictus XI confirmat et communit. (nº 661, fol. 153; Potth., nº 25344.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus Predicatorum sancti Maximini et de Balma, Aquensis diocesis.* Que pro religionis — Dat. Laterani, XIII kalendas februarii, anno primo. »

830 Au Latran, 11 mars 1304.

Fructus redditusque et proventus, quos indebite perceperunt ex quibusdam beneficiis Johannes de Friburgo ejusque filius, laici Constantiensis diocesis, ipsis remittit et donat. (nº 662, fol. 153 vº.)

« *Dilectis filiis Johanni de Friburgo* [1] *et Johanni Johannis, filio ejus, laicis Constantiensis diocesis.* Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim tu, fili Johannes Johannis, tunc existens clericus ac patiens in ordinibus et etate defectum, duo beneficia ecclesiastica, curam animarum habentia, de facto ab illis tamen ad quos ipsorum spectabat collatio recepisti, et eorum fructus, redditus et proventus, dum illa taliter retinebas, per quam plures annos tu, fili Johannes de Friburgo, primo et postmodum tu, Johannes Johannis, cum ad etatem pervenisti legitimam, percepistis ; demum vero tu, predicte Johannes Johannis, te ad statum laicalem convertens prefatis beneficiis omnino dimissis publice uxorem duxisti. Quare a nobis suppliciter postulastis, ut super eo quod taliter percepistis dictorum beneficiorum fructus, redditus et proventus vestre providere saluti de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, volentes vobis ob devotionem sinceram, quam ad nos et Romanam Ecclesiam geritis, gratiam in hac parte facere specialem, prefatos fructus, redditus et proventus a vobis sic perceptos auctoritate apostolica remittimus et donamus. Nulli ergo, etc., nostre remissionis et donationis, etc. Dat. Laterani, v idus marcii, anno primo. »

831 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Priori et conventui fratrum Prædicatorum Duracensibus indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad

1. Ms : « Suburgo », mais voyez plus bas *Friburgo*.

summam centum librarum Venetorum grossorum recipere possint. (nº 663, fol. 154.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui ordinis fratrum Predicatorum Duracensibus.* Volentes necessitatibus vestris — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

832 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Priori provinciali ordinis fratrum Prædicatorum in Ungaria concedit facultatem dispensandi cum duobus fratribus sui ordinis, quos patres ipsorum ex matrimonio ab eis contracto ante susceptionem sacrorum ordinum secundum ritum Græcorum in sacerdotio genuerunt, ut ad administrationes, prælaturas et officia ejusdem ordinis assumi valeant. (nº 664, fol. 154; POTTH., nº 25409.)

« *Dilecto filio .. priori provinciali fratrum Predicatorum in Ungaria.* Cum, sicut nobis extitit intimatum, nonnulli fratres tui ordinis sint filii sacerdotum latinorum, quos patres ipsorum ex matrimonio ab eis contracto ante susceptionem sacrorum ordinum secundum ritum Grecorum in sacerdotio genuerunt, discretioni tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, dispensandi auctoritate nostra cum duobus ex eis defectum hujusmodi patientibus, quibus ad hoc propria merita repereris suffragari, quod eodem non obstante defectu ad administrationes, prelaturas et officia predicti dumtaxat ordinis, citra tamen officium provincialis prioris ejusdem ordinis, assumi licite valeant, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

833 Viterbe, 14 avril 1304.

Confirmat compositionem initam inter priorem conventumque fratrum ordinis Prædicatorum Barchinoniæ civitatis, ex parte una, et Petrum episcopum canonicosque Barchinonenses ac clerum parochialem ejusdem diocesis, ex altera, super jure sepeliendi in cœmeterio dictorum fratrum corpora illorum, qui apud eos eligunt sepulturam. (nº 665, fol. 154; POTTH., nº 25421.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Barchinonensibus.* Religionis vestre sub — Dat. Viterbii, XVIII kalendas maii, anno primo. »

834 Pérouse, 28 mai 1304.

Regem Trinacriæ rogat et hortatur, ut fratrem Thomam de Aversa, ordinis fratrum Prædicatorum, inquisitorem pravitatis hæreticæ in regno Trinacriæ, nec non inquisitores alios pravitatis ejusdem deputatos vel deputandos ibidem propensius commendatos habeat. (nº 666 A, fol. 154; POTTH., nº 25432 [1].)

« *Carissimo in Christo filio Friderico, regi Trinacrie illustri.* Quanto celsitudinem tuam uberiori affectione prosequimur, tanto illam libentius ad ea, que tue salutis et laudis incrementa respiciunt, apostolicis exhortationibus excitamus.

Sane inter alia, que Regem eternum offenderent tuamque salutem perimerent et famam plurimum obfuscarent, illud foret potissimum, videlicet si (quod absit!) in terris tue jurisdictioni subjectis pravitas heretica pullularet aut foveretur, vel impediretur inquisitorum officium pravitatis ipsius aliquatenus in eisdem. Ideoque regalem magnificentiam rogamus et hortamur attente, quatinus dilectum filium fratrem Thomam de Aversa, ordinis fratrum Predicatorum, inquisitorem dicte pravitatis in regno tuo, nec non ceteros inquisitores ibidem auctoritate apostolica deputatos et deputandos imposterum habens pro divina et nostra reverentia propensius commendatos, eis circa commissi executionem officii sic te favorabilem exhibeas et benignum, quod ipsi tuo favore suffulti, dictum officium omni difficultate cessante exequi libere valeant, tuque proinde apud Regem regum premium felicitatis eterne ac apud homines clare fame preconium consequaris, nosque devotionem tuam possimus in Domino commendare. Dat. Perusii, V kalendas junii, anno primo. »

835 Pérouse, 27 mai 1304.

Fratribus ordinis Prædicatorum, inquisitoribus hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ deputatis vel deputandis, mandat, ut commissum sibi inquisitionis officium in omnibus partibus dicti regni tam citra quam ultra Farum exequi valeant, non obstante quod insula Siciliæ nuper fuit concessa Friderico, regi Trinacriæ. (nº 666 B, fol. 154.)

« Benedictus, etc., dilectis filiis fratribus ordinis Predicatorum, inquisitoribus heretice pravitatis in regno Sicilie nec non civitate Beneventana et ejus districtu apostolica auctoritate deputatis et imposterum deputandis, etc. Quoniam in plerisque litteris, vobis super vestri executione officii ab Apostolica Sede directis, habetur, quod illud exequamini in omnibus partibus regni Sicilie subjectis carissimo in Christo filio nostro C[arolo], regi Sicilie illustri, nos attendentes quod insula Sicilie postmodum certis modo et forma concessa fuit carissimo in Christo filio nostro Friderico, regi Trinacrie illustri, nec volentes quod occasione hujusmodi dicti officii pro-

1. Potthast donne à cette pièce la date du 27 mai.

secutio valeat impediri, presentium vobis tenore concedimus quod, hoc non obstante, in dicta insula et in omnibus partibus dicti regni tam ultra quam citra Farum commissum vobis inquisitionis officium libere exequi valeatis, juxta directarum super hoc vobis continentiam litterarum. Dat. Perusii, vi kalendas junii, anno primo. »

836 Au Latran, 19 janvier 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Monopolitanis concedit, ut a quodam Maroldítio, cive Monopolitano, recipere valeant de usuris et aliis male ablatis usque ad summam quingintorum florenorum auri. (nº 667, fol. 154 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus Predicatorum Monopolitanis.* Ut circa ea — Dat. Laterani, xiiii kalendas februarii, anno primo. »

837 Au Latran, 19 janvier 1304.

Priorissam et conventum monasterii s. Mariæ de Nazareth Aquensis atque monasterium ipsum sub sua et b. Petri protectione suscipit. (nº 668, fol. 154 vº.)

« *Dilectis filiabus .. priorisse et conventui monasterii sancte Marie de Nazareth Aquensis, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Predicatorum viventibus.* Religionis vestre — Dat. Laterani, xiiii kalendas februarii, anno primo. »

838 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Fratribus ordinis Predicatorum Cremonensibus ecclesiam s. Martini Cremonensis, sitam prope locum eorum, quam eis Nicolaus iv concesserat, confirmat. (nº 669, fol. 154 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Cremonensibus.* Ordinis vestri sacra — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, ii nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Consano et .. Brixiensi et .. Pergamensi episcopis. (Potth., nº 25415.)

839 Au Latran, 17 février 1304.

Priori et conventui monasterii s. Mariæ de Bridelington, Eboracensis diocesis, ecclesiam de Coulla [1], diocesis Lincolniensis, in usus proprios concedit. (nº 670, fol. 155.)

1. Le manuscrit porte aussi « Goulla. »

« *Dilectis filiis .. priori et conventui monasterii sancte Marie de Bridelington, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Eboracensis diocesis.* Religionis vestre favor — Dat. Laterani, xiii kalendas martii, anno primo. »

840 Au Latran, 27 janvier 1304.

Episcopo Lascurrensi mandat ut dispenset cum Arnaldo, filio Odonis de Sedicato, et Claria, sorore Odonis domini de Miromonte, super matrimonio illicite contracto, eis misericorditer concedendo licentiam remanendi in prædicto matrimonio, non obstante quarto gradu consanguinitatis. (nº 671 a, fol. 155.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Lascurrensi.* Petitio dilecti filii — Dat. Laterani, vi kalendas februarii, anno primo. »

841 Au Latran, 4 mars 1304.

Hermanno marchioni Brandeburgensi indulget, ut, cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto ipsum contigerit declinare, ibidem possit sibi ac familiæ suæ per capellanum proprium divina officia facere celebrari. (nº 571 b, fol. 155; Potth., nº 25382.)

« *Dilecto filio nobili viro Hermanno, marchioni Brandeburgensi.* Ut erga Sedem — Dat. Laterani, iiii nonas marcii, anno primo. »

842 Au Latran, 10 février 1304.

Instrumentum præsentibus adnotatum confirmat, quo Rudolphus, Romanorum rex, præposito et fratribus domus s. Petri de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, concesserat ut pro utilitate molendinorum ad dictam domum pertinentium, vel pro pratis et terris ejusdem domus irrigandis, aqua fluminis Vitabiæ libere possint uti, sine contradictione aliqua vel qualibet pensione seu præstatione communi Mediolanensi solvenda. (nº 672, fol. 155.)

« *Dilectis filiis .. preposito et fratribus domus sancti Petri de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Meritis vestre religionis inducimur, ut votis vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod significantibus olim .. preposito et fratribus domus vestre qui tunc erant, clare memorie Radulfo (*sic*), regi Roma-

norum, quod, licet ipsi terras et prata eorum irrigare liberè consuevissent et quiete juxta eorum beneplacitum ex aqua fluminis Vitabie, ad Imperiale dominium sicut cetera flumina per Mediolanensem diocesim defluentia pertinentis, nulla propter hoc data vel soluta exactione seu prestatione comuni civitatis Mediolanensis sive alicui alii persone, collegio, vel universitati ecclesiastice vel etiam seculari, et tam ipsi quam predecessores eorum fuissent usque ad illud tempus et essent in possessione vel quasi juris hujusmodi a tempore cujus memoria non extabat, tamen prefati comune pretendentes, quod omnia flumina per diocesim predictam defluentia a Romano Imperio in feudum hactenus concessa erant eisdem, motu proprio ordinaverant seu ordinare pluries attemptaverant, ut ab omnibus clericis tam religiosis quam secularibus et laicis civitatis et diocesis Mediolanensis, terras et prata ex dicta aqua irrigare volentibus, certa pensio seu pecunie quantitas solveretur, dictique comune vel ab eis causam habentes, pretextu hujusmodi juris feudalis, a predictis preposito et fratribus multotiens exegerant et exigebant annuatim certam pecunie pensionem, occasione molendinorum que dicti prepositus et fratres ac dicta eorum domus habebant in predicto flumine, secundum quod ordinaverant exigendam a ceteris tam clericis et religiosis quam laicis, in supradictis fluminibus habentibus molendina; ac supplicantibus dicto regi, ut eis super hiis divine pietatis intuitu provideret, idem rex dictos prepositum et fratres ac eorum domum cum bonis, juribus, et rebus suis in suam et Imperii defensionem specialem recipiens, concessit eisdem regia potestate de gratia speciali, ut aquam dicti fluminis tam pro molendinorum utilitate, quam pro pratis et terris, que et quas tunc temporis possidebant vel in futurum adipisci valerent, ad ipsorum beneplacitum irrigandis, libere et absque ulla pensione seu prestatione propter hoc prefatis comuni vel alicui alii persone, collegio, vel universitati ecclesiastice vel seculari redenda vel solvenda, per terras et possessiones dicte domus deducere ac ea perpetuo uti possent, districtius inhibens ne aliqua comunitas, universitas, sive collegium, aut persona ecclesiastica vel secularis, cujuscumque conditionis, status et dignitatis existeret, alveum dicti fluminis mutare, vel ipsam aquam alicubi derivare valeret in prejudicium domus ejusdem, nec in aqua dicti fluminis, que tunc per terras et possessiones dicte domus deducebatur vel in futurum deduceretur, jus aliquod habere deberet piscandi vel alias dictam domum in aliquo molestandi, sed pro utilitate dicte domus aqua ipsa tam in ripis, quam in alveis, ab omni conditione et servitute libera et immunis perpetuo permaneret, predictorum comunis et aliorum omnium contradictione aliqua non obstante, prout in patentibus litteris inde confectis, predicti regis sigillo munitis plenius continetur.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eodem rege taliter factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem predictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Morat, 3 juin 1289.

« Rudolphus, dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis sacri Imperii Romani fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Justis devotorum nostrorum petitionibus condescendere cogimur, quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire quod juste petitur per injuriam videremur.

» Noverint igitur presentis etatis homines et future, quod honorabiles viri .. prepositus, fratres et conventus fratrum domus seu canonice sancti Petri de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, significaverunt nostre regie majestati, quod ipsi terras et prata sua irrigare consueverunt libere et pacifice juxta suum beneplacitum ex aqua fluminis Vitabie, ad Imperiale dominium sicut cetera flumina per eandem diocesim defluentia pertinentis, nulla propter hoc data vel soluta exactione seu prestatione comuni Mediolanensi sive alicui alii persone, collegio, vel universitati ecclesiastice vel seculari, et quod tam ipsi quam predecessores eorum nunc usque fuerunt et sunt in possessione vel quasi hujusmodi juris terras et prata ex aqua prefati fluminis irrigandi a tempore cujus memoria non existit.

» Verum comune civitatis Mediolanensis pretendentes, quod eis omnia flumina per eandem diocesim defluentia, in feudum a Romano Imperio hactenus sunt concessa, motu proprio jam ordinaverunt seu ordinare pluries attemptaverunt, ut ab omnibus clericis tam religiosis quam secularibus et laicis ejusdem civitatis et diocesis, terras et prata ex dicta aqua irrigare volentibus, certa pensio seu pecunie quantitas persolvatur. Preterea dictum comune vel ab eo causam habentes, sub predicto pretextu feudalis juris, a predicte domus preposito et conventu multotiens exegerunt et exigunt annuatim certam pecunie pensionem, occasione molendinorum que habent in predicto flumine predicte domus prepositus et conventus, secundum quod ordinaverunt exigendum a ceteris tam clericis et religiosis quam laicis, in suprascriptis fluminibus possidentibus molendina. Quare supplicaverunt Imperialis excellen-

» tie pietati suprascripti prepositus et fratres, quatinus » divini numinis intuitu et favoris que religio promeretur » eisdem dignaremur misericorditer providere.

» Nos itaque ex humanitatis nostre clementia religio- » sorum locorum et personarum indempnitatibus preca- » vere favorabiliter disponentes, eorumque jura prote- » gere et augere, ut Imperialis clippei munimine com- » muniti valeant in spiritualibus felicius militare et nos » proinde celestia mereamur, prepositum eundem et » conventum et locum cum bonis, juribus et rebus suis » in nostram et Imperii defensionem recipimus specialem, » dantes et concedentes eisdem preposito, conventui et » fratribus ipsius loci, ex innata nobis clementia et ex » nostra regia potestate, de gratia speciali, ut aquam » dicti fluminis tam pro molendinorum utilitate, quam » pro pratis et terris, que et quas in presenti possident » vel in futurum adipisci poterunt Domino concedente, » ad ipsorum beneplacitum irrigandis, libere et absque » ulla pensione seu prestatione propter hoc dicto co- » muni vel alicui alii persone, collegio, vel universitati » ecclesiastice vel seculari reddenda vel solvenda, per » terras et possessiones dicte domus deducere ac ea per- » petuo uti possint.

» Insuper mandamus ex nostro regali edicto distric- » tius inhibentes, quod nulla communitas, nulla univer- » sitas, nullum collegium, nullaque persona ecclesiastica » vel secularis, cujuscumque conditionis, status et digni- » tatis existat, alveum dicti fluminis mutare, nec ipsam » aquam alicubi derivare possit in prejudicium dicte do- » mus, nec in aqua dicti fluminis, que nunc per terras » et possessiones dicte domus deducitur vel in futurum » deducetur, jus aliquod habere debeat piscandi nec » etiam alias dictam domum in aliquo molestandi, sed » pro utilitatibus dicte domus aqua ipsa tam in ripis, » quam in alveis, ab omni conditione ac servitute libera » perpetuo permaneat et immunis, predictorum comunis » et aliorum omnium contradictione aliqua non obstante.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam » infringere, vel contra presentis privilegii nostri teno- » rem aliquid facere, nec in aliquo ausu temerario con- » traire. Quod si fecerit, gravem nostre majestatis offen- » sam se noverit incursurum et centum libras auri pro » pena componet, medietate scilicet camere nostre et » alia medietate passis injuriam applicanda.

» In cujus rei testimonium, presens privilegium exinde » conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus commu- » niri.

» ✠ Signum serenissimi domini R[udolphi], Romano- » rum regis invictissimi.

» Testes hujusmodi rei fuerunt : illustris Rudolfus, dux » Austrie et Stirie, princeps et filius noster carissimus ; » Petrus, Basiliensis episcopus, princeps noster dilec- » tus ; nobilis vir Johannes comes de Zalone ; strenuus » vir Artmannus de Baldecche ; et honorabilis vir ma- » gister Landulfus de Mediolano, prepositus Worma- » ciensis, physicus et capellanus noster dilectus, et alii » quamplures testes fidedigni. Dat. Moreti, III nonas ju- » nii, indictione II^a, M°CC° octuagesimo nono, regni » vero nostri anno XVI°. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

843 Au Latran, 10 mars 1304.

Episcopo Ariminensi mandat, ut abbati et conventui monasterii s. Juliani Ariminensis licentiam largiatur permutandi quasdam possessiones, quarum nequeunt facile percipere proventus, pro aliis possessionibus magis vicinis et accommodis monasterio antedicto, dummodo ex permutationibus hujusmodi contingat conditionem ipsius monasterii fieri meliorem. (n° 673, fol. 156.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ariminensi.* Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii sancti Juliani Ariminensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, fuit expositum coram nobis, quod monasterium ipsum quasdam possessiones in districtu castri Ronchifredi, tue diocesis, obtinet, quarum proventus propter loci distantiam dicti abbas et conventus non possunt percipere sine magnis laboribus et expensis. Quare ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi possessiones easdem pro aliis possessionibus monasterio predicto vicinis eisque magis accomodis, et ex quibus uberiores fructus provenirent monasterio antedicto, cupiant permutare, faciendi permutationes hujusmodi licentiam ipsis concedere dignaremur.

Quia vero tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus si premissis veritas suffragatur et ex talibus permutationibus contingat conditionem dicti monasterii fieri meliorem, forma juris tradita in talibus observata, dictis abbati et conventui faciendi eas cum personis, quarum dicte possessiones extiterint, licentiam auctoritate nostra concedas, non obstante juramento per eundem abbatem prestito de non alienandis bonis ipsius monasterii, Romano pontifice inconsulto. Dat. Laterani, VI idus marcii, anno primo. »

844 A Saint-Pierre, 1er avril 1304.

Pridem Pergamensis episcopus, a quadam excommunicationis sententia Ponrinum de Pirmardis, civem Cremonensem, absolvens, duxit tamen statuendum, ut idem Ponrinus ab honoribus et officiis tam publicis quam privatis exclusus remaneret, quousque foret ab Apostolica Sede aliter ordinatum. Nunc autem memorato episcopo Benedictus concedit ut, una cum duobus inquisitoribus pravitatis hæreticæ sibi assistentibus, præfatum Ponrinum restituere possit ad honores et officia supradicta. (no 674, fol. 156.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Pergamensi.* Sedis Apostolice circumspecta benignitas, more Patris Eterni, omnibus, qui contra Fidem Catholicam deliquerunt, ad eam redeuntibus veniam humiliter postulando consuevit sue misericordie gremium aperire, ut ipsi per hoc inter oves recolligantur dominicas et alii eorum exemplo imitentur et corroborentur ad Fidem orthodoxam totam affectibus observandam.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod dudum nobilis vir Ponrinus de Pirmardis, civis Cremonensis, tunc Pergamensis civitatis rector existens, in generali consilio civitatis ejusdem, in quo gentium magna convenerat multitudo, quedam contionando non sine suspicionis pravitatis heretice labe protulit, et quia ob hoc per te idem P[onrinus] in civitate predicta citatus legitime ad tuam presentiam, ut si posset de premissis se defenderet, coram te contempserat comparere, tu in eum, assistente tibi dilecto filio .. inquisitore pravitatis heretice predicte in Lombardia et Marchia Januensi per Sedem deputato jamdictam, dilectis filiis clero civitatis Pergamensis et multis aliis religiosis presentibus, de ipsorum consilio, excommunicationis sententiam exigente justitia promulgasti; et licet dictus P[onrinus] sententiam ipsam per annum et ultra animo indu[rato] presumpserit sustinere, quia tamen postmodum ad mandata Ecclesie atque tua rediit cum humilitate qua decuit suum recognoscens reatum, misericordiam implorando, tu, sufficienti super hiis prius ab eo cautione recepta, eum a predicta sententia juxta formam Ecclesie absolvisti, ac deinde ipsum exclusisti ab honoribus et officiis [1] publicis et privatis, donec super premissis per Sedem Apostolicam provideretur eidem.

Cum itaque dictus P[onrinus] singula supradicta devote servaverit, ac a te per nonnullos Lombardie nobiles fuerit postulatum instanter, ut pro predicto P[onrino] apostolicam gratiam implorares, nobis humiliter supplicasti, ut providere sibi super premissis per dispensationis beneficium de benignitate apostolica dignaremur.

1. Ms : « officii. »

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, tibi quod possis una cum duobus inquisitoribus pravitatis prefate predictum P[onrinum] ad officia restituere memorata et alias, prout secundum Deum tibi et dictis inquisitoribus expedire videbitur, dispensare, ipsisque inquisitoribus plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis aprilis, anno primo. »

845 A Saint-Pierre, 29 mars 1304.

Valeat archidiaconus de Citravada in ecclesia Baiocensi, quandiu scholasticis institerit disciplinis, archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari. (no 675, fol. 156.)

« *Dilecto filio Aymerico, archidiacono de Citravada* [1] *in ecclesia Baiocensi.* Cum sicut ex — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Vigoris prope Baiocas et .. decano ecclesie sancti Sepulchri de Cadomo, Baiocensis diocesis, ac Johanni de Fago, canonico Lexoviensi.

846 Pérouse, 14 mai 1304.

Petro, filio Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, clerico illegitime nato Urgellensis diocesis, indulget ut ad omnes ordines promoveri possit nec non ecclesiasticum beneficium obtinere. (no 676, fol. 156 vo.)

« *Dilecto filio Petro, nato dilecti filii nobilis viri Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, clerico Urgellensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

847 Au Latran, 19 février 1304.

Archiepiscopo Ebredunensi mandat, ut Beatricem de Sabaudia dominam terræ de Fulcigniaco, Grationopolitanæ diocesis, quæ sub b. Petri protectione suscepta est, contra molestatores quoscumque tueatur. (no 677, fol. 156 vo.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi.* Cum nos dilectam — Dat. Laterani, XI kalendas marcii, anno primo. »

848 Au Latran, 15 mars 1304.

Cum Guillelmus Alasaudi, canonicus Carpentoratensis ecclesiæ, in qua dudum expectat præbendam sibi auctoritate apostolica reservatam, asserat plures ibidem vacavisse præbendas,

1. Ms : « Citranoda. »

quæ ab aliis illicite fuerunt occupatæ in ipsius detrimentum, Benedictus XI mandat archiepiscopo Ebredunensi ut, vocatis Guillelmo et aliis supradictis, litterisque ac munimentis eorum diligenter inspectis, vice apostolica decernet quis illorum primam, quis secundam, et sic deinceps per ordinem qui præbendas alias debeant obtinere. (nº 678 A, fol. 156 vº.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi.* Significavit nobis dilectus filius Guilelmus Alasaudi, canonicus Carpentoratensis, quod, licet ipse in ecclesia Carpentoratensi auctoritate apostolica receptus fuerit in canonicum et in fratrem, ac post receptionem hujusmodi plures ibi prebende vacaverint, quarum aliqua sibi debetur de jure, nonnullis tamen aliis pretextu litterarum apostolicarum, quas super provisionibus sibi faciendis in eadem ecclesia se asserunt impetrasse, per eorum potentiam et inordinatos processus executorum, quos sibi super hoc dicuntur ab Apostolica Sede concessos, prebendas occupantibus supradictas, idem Guillelmus nondum in ea prebendam potuit obtinere. Quare idem Guillelmus ad nos in hac parte recurrens, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus.

Nos autem nolentes, quod idem Guillelmus tali occasione prebenda sibi debita defraudetur, aliique detineant prebendas eis non debitas in suarum periculum animarum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, eodem Guillelmo et predictis aliis ad tuam presentiam evocatis, in hujusmodi negotio de plano sine strepitu et figura judicii procedens, litteris et munimentis eorum, que super hoc coram te producere voluerint, diligenter inspectis, auctoritate nostra decernas quis eorum primam, quis secundam, et sic deinceps per ordinem qui alias de predictis prebendis debeant obtinere, et eorum cuilibet prebendam sibi debitam juxta hujusmodi tuum decretum facias assignari, super aliis prebendis eis silentium imponendo; non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de mandato hujusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, etc. Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

849 Au Latran, 19 février 1304.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam Omnium Sanctorum de Monteflorino juxta Grationopolim, a Beatrice de Sabaudia domina de Fulcigniaco extructam, devote visitaverint annuatim in b. Mariæ, s. Eustachii et Omnium Sanctorum festivitatibus. (nº 678 B, fol. 156 vº.)

« *Universis Christi fidelibus, etc.* Vite perennis, etc. — Dat. Laterani, XI kalendas marcii, anno primo. »

850 Pérouse, 19 mai 1304.

Priori et fratribus domus ordinis b. Mariæ de Monte Carmeli Messanensibus concedit licentiam transferendi se ad ecclesiam s. Cataldi de Saunnensibus, in contrata Ponteleonis Messanensi. (nº 679 A, fol. 157.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus domus ordinis beate Marie de Monte Carmeli Messanensibus.* Religionis vestre meretur honestas, ut in hiis, que vobis oportuna fore prospicimus, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod vos attendentes, quod locus vester Messanensis, in quo nunc degitis, situs est prope cathedralem ecclesiam Messanensem, et quod occasione hujusmodi inter vos et capitulum ejusdem ecclesie jam dudum extitit dissensionis materia suscitata, propter hoc ad ecclesiam sancti Cataldi de Saunnensibus, sitam in contrata Ponteleonis Messanensi, ad vos ex concessionibus tam patronorum ipsius ecclesie sancti Cataldi, quam dilectorum filiorum Guidocti electi et capituli Messanensium, pertinentem vobis factis de dicta ecclesia, cupitis vos transferre et inibi permanere. Quare nobis humiliter supplicastis, ut vobis id faciendi de benignitate apostolica licentiam concedere dignaremur.

Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate presentium, sine alieni juris prejudicio, licentiam concedimus postulatam, constitutione qualibet contraria non obstante. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

851 Au Latran, 7 février 1304.

Magistro Alano Venatoris, capellano domini papæ, canonicatus confertur in ecclesia Andegavensi et præbenda ibidem reservatur. (nº 679 B, fol. 157.)

« *Dilecto filio magistro Alano Venatoris, capellano nostro, canonico Andegavensi.* Personam tuam — Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. Dolensi et .. Venetensi episcopis ac magistro Bindo de Senis, canonico Laudunensi, notario nostro.

852 Au Latran, 21 mars 1304.

Abbati monasterii s. Petri de Latigniaco, Parisiensis diocesis, ordinis s. Benedicti, concedit ut prioratum s. Genii extra

muros Lectorenses, Cluniacensis ordinis, quem dictus abbas tempore translationis suæ ad monasterium de Latigniaco obtinebat, usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ retineat. (nº 680, fol. 157.)

« .. *Abbati monasterii sancti Petri de Latigniaco, Parisiensis diocesis.* Personam tuam precipua — Dat. Laterani, XII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Auxitano et .. episcopo Lectorensi et Arnaldo de Savardenos, canonico Auxitano.

853 Pérouse, 4 juin 1304.

Archiepiscopo Cantuariensi et Lincolniensi ac Wigorniensi episcopis mandat, ut de actis et regimine fratris Richardi de Hoton., qui se gerit pro priore prioratus ecclesiæ Dulielmensis, diligenter inquirant, et prioratum ipsum reforment tam in capite quam in membris. (nº 681, fol. 157 vº.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Cantuariensi et .. Lincolniensi ac .. Wigorniensi* [1] *episcopis.* Inter cetera que — Dat. Perusii, II nonas junii, anno primo. »

854 Au Latran, 19 février 1304.

Priori et conventui monasterii s. Petri de Rometa, ordinis s. Benedicti, Vapincensis diocesis, concedit ut in ecclesia s. Mariæ de Monasterio in Brienzonesio, Ebredunensis diocesis, cum rectorem ipsius ecclesiæ cedere vel decedere contigerit, prioratum prædicti ordinis, eidem monasterio s. Petri subjectum, instituant. (nº 682, fol. 157 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui monasterii sancti Petri de Rometa per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, Vapincensis diocesis.* Religionis vestre meretur — Dat. Laterani, XI kalendas marcii, anno primo. »

855 Montefiascone, 21 avril 1304.

Petro de Colingeburn., qui olim, cum subdiaconus tantum existeret, ecclesiam parochialem de Kemesene, Wigorniensis diocesis, obtinuit nec se fecit prout tenebatur in presbyterum ordinari, Benedictus remittit et donat fructus redditusque ac proventus indebite perceptos ex eadem ecclesia, decernens insuper ut ipsam ecclesiam præfatus Petrus de cætero retinere valeat. (nº 683, fol. 158.)

« *Dilecto filio Petro de Colingeburn., rectori ecclesie de Kemesene, Wigorniensis* [*diocesis*]. Devotionis tue sinceritas — Dat. apud Montem Flasconis, XI kalendas maii, anno primo. »

1. Ms : « Wigonnensi. »

856 Pérouse, 21 mai 1304.

Magistro Petro de Bellapertica, quem nuper nuntium ad dominum papam rex Francorum destinavit, Benedictus XI proprio motu, consideratione dicti regis, canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Parisiensi. Dispensat etiam cum eodem super pluralitate beneficiorum. (nº 684, fol. 158.)

« *Dilecto filio magistro Petro de Bellapertica, canonico Parisiensi.* Dum litterarum scientiam — Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. decano ecclesie Carnotensis, et .. Xanctonensi ac .. Messanensi archidiaconis.

857 Au Latran, 6 mars 1304.

Abbati majoris monasterii Turonensis mandat, ut in monasterio s. Florentini de Bonavalle, ordinis s. Benedicti, Carnotensis diocesis, certum monachorum numerum, prout expedire viderit, statuat et taxet. (nº 685, fol. 158 vº.)

« *Dilecto filio .. abbati majoris monasterii Turonensis.* Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii sancti Florentini de Bonavalle, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum in eodem monasterio, in quo non est certus monachorum numerus institutus, tanta ex nimia importunitate quorumdam monachorum excreverit multitudo, quod ipsius monasterii facultatum sufficientiam excedere dinoscuntur, ita quod iidem monachi de ipsis facultatibus comode substentari non possunt, certum in eodem monasterio monachorum ipsorum numerum, cum ad eum illos devenire contigerit, perpetuis temporibus observandum statuere curaremus.

Verum, licet et ecclesiarum utilitati et sacro divini nominis cultui expedire sciamus, ut pro facultatis modo personarum in eis numerum moderemus, quia tamen de predicti monasterii facultatum defectu et superfluitate monachorum nobis non constat, et tu de ipsis habere poteris notitiam pleniorem, discretioni tue in virtute obedientie per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsius monasterii facultatibus et expensis provida deliberatione pensatis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, certum prout expedire videris monachorum numerum auctoritate nostra statuas in eodem, quem sub incriminatione anathematis districtius inhi-

beas, cum ad illum deventum fuerit, non augeri, nisi adeo ipsius monasterii excrescerent facultates, quod prefatus numerus sit merito augmentandus, mandato Sedis Apostolice semper salvo. Dat. Laterani, II nonas marcii, anno primo. »

858 Pérouse, 30 mai 1304.

Indulget duabus personis Viennensis diocesis, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, ut matrimonium invicem contrahere valeant. (n° 686, fol. 158 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Ademario, domino de Bressiaco* [1], *et dilecte filie nobili mulieri Beatrici, nate dilecti filii nobilis viri Arcandi domini de Rossilione, Viennensis diocesis.* Intenta salutis operibus — Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

859 Au Latran, 6 mars 1304.

Confirmat compositionem per arbitrum quendam initam inter rectorem ecclesiæ s. Thomæ de Arena Paduani, et priorem conventumque monasterii de Porcilia extra muros Paduanos, super certis parochialibus juribus. (n° 687, fol. 158 v°.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui monasterii de Porcilia extra muros Paduanos, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti.* Ea, que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri.

Petitio quidem vestra nobis exhibita continebat quod, olim inter vos ex parte una, et .. rectorem ecclesie sancti Thome de Arena Paduani ex altera, super quibusdam juribus parrochialibus, in quibus idem rector sibi et eidem ecclesie vos teneri dicebat, questione suborta, fuit tandem super hiis in dilectum filium magistrum Albertum de Montesilice, clericum Paduane diocesis, tanquam in arbitrum arbitratorem et amicalem compositorem concorditer a partibus compromissum; qui hujusmodi compromisso recepto de consensu bone memorie Jacobi episcopi, tunc electi Paduani, diffiniendo pronuntiavit et sententialiter diffinivit, quod vos rectori et ecclesie predictis pensionem viginti solidorum Venetorum parvorum teneamini solvere annuatim, quodque rector, qui pro tempore fuerit dicte ecclesie, super aliquibus parrochialibus juribus vos non possit impetere, nec vos de illis teneamini ei aliquatenus respondere, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

1. Ms : « Bressirco. » La rubrique volante porte *Bressiaco*.

Cum autem, sicut asseritis, hujusmodi arbitrium ab utraque parte sponte acceptatum et pacifice hactenus observatum extiterit, nos vestris supplicationibus inclinati, arbitrium ipsum ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica, ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Dat. Laterani, II nonas marcii, anno primo. »

860 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Priori provinciali fratrum ordinis Prædicatorum in Ungaria mandat, ut aliquos fratres mittat in Albaniam, Cumaniam, Polacum et Duratium provincias, in quibus verbum Dei proponant. Eisdem fratribus, qui ad hujusmodi ministerium fuerint deputati, diversa jura concedit. (n° 688, fol. 159; Potth., n°s 25374 et 25410 [1].)

« *Dilecto filio .. priori provinciali fratrum Predicatorum in Ungaria.* Cum hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, et illud Apocalipsis elogium cito credatur cum matris Ecclesie consolatione complendum, videlicet oportere viros spirituales vite munditiam et intelligentie gratiam cum Johanne sortitos populis et gentibus, linguis regibusque multis denuo prophetare, quia non sequitur reliquiarum Israel per Esaiam prophetata salvatio, nisi juxta Paulum apostolum prius introeat gentium plenitudo, nos licet immeriti super Apostolice Sedis specula constituti fideliter ac prudenter dispensandis Dei ministeriis et operibus coadunandis intendimus, si vergente plenitudine temporis post pia priorum studia in vineam Domini Sabaoth novos et pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus.

Quia igitur quasdam amplas et populosas provincias, Albaniam, Cumaniam, et Polacum ac Duratium prope Ungariam sitas esse percepimus, in quibus aliqui episcopi ac plurimi sacerdotes et clerici sub Grecorum dominio constituti habitant, qui ritum sancte Romane Ecclesie sincera mente diligunt et pro viribus libenter observant, quas etiam tempore felicis recordationis Innocentii pape IIII[ti], predecessoris nostri, auctoritate ejusdem vestri fratres adierunt, et in verbo Dei efficaciter instruxerunt, nos pie memorie Alexandri pape IIII[ti], predecessoris nostri, vestigiis inherendo, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus aliquos ex fratribus tibi commissis, qui sunt probate conversationis et vite ac potentes in opere et sermone, mittas ad terras memoratas, in quibus verbum Dei proponant, quos tibi amovere liceat aliosque substituere, cum videris expe-

1. La bulle rapportée par Potthast sous le n° 25374 est datée du 20 février d'après Féjer (*Corpus dipl. Hung.*, VIII, VII, 30.)

dire, quibus vice nostra in peccatorum omnium remissionem injungas, ut seminaturi super aquas multas, in Illo tantum qui mundum dixit se vicisse confisi, ad illuminationem cece multitudinis et exterminium heretice falsitatis, ad confirmandum nutantium animos et fidelium confortandos in luce sermonis et certitudine operis, propositum sibi iter sine offensione percurrant.

Ut autem ministerium ipsorum honoretur plenius et honorabilius impleatur, eisdem fratribus, quos ad hoc miseris, presentium auctoritate concedimus, ut ipsi clericis et laicis de ipsis terris oriundis vel ibidem constitutis, qui virtutem et obedientiam Sedis Apostolice fideliter amplectentes sunt parati satisfacere de commissis, reconciliationis et, si aliqua excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesie largiantur, proviso ut si hujusmodi excommunicatio ab ordinariis locorum episcopis fuerit rationabiliter promulgata, juxta formam eandem cum eorum consilio relaxetur; et cum clericis ex predictis super eo quod excommunicati celebrarunt divina, nec non cum illis, qui ab episcopis Grecis aut juxta ritum Grecorum ordines infra etatem legitimam vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die vel superiores pretermissis inferioribus, aut etiam soluto aliquo pretio secundum ritum eundem recipere presumpserunt, valeant dispensare.

Sit etiam eisdem fratribus licitum omnium fidelium in terris predictis confessiones audire, ac ipsis injungere penitentias salutares, et excommunicatos a canone juxta formam Ecclesie absolvere, dummodo injuriam et dampna passis satisfaciant competenter.

Cum regularibus autem partium earumdem in casibus, quibus solent legati Sedis Apostolice dispensare, ac etiam cum clericis ipsarum partium defectum natalium [patientibus], dummodo non sint de adulterio vel incestu aut de regularibus procreati, sit fratribus predictis dispensandi facultas, quam circa illos similiter habeant, qui ab unitate Catholice Ecclesie seu religione vel clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint et digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi religiosi ad sua loca salva disciplina ordinis resumantur; et illos ex jamdictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, juxta premissam formam et predicte satisfactionis modum absolvere valeant, et cum regularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare.

De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam ipsorum deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem quod ad pacem et concordiam redeant, nec non quod inordinate viventes de suis excessibus sicut justum fuerit satisfactionem exhibeant compellendi per censuram ecclesiasticam, episcoporum suorum scandalo evitato, ipsis fratribus libera sit facultas.

Insuper in locis in quibus eos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem in quibus residentiam facient, missam et cetera divina celebrare officia, et constitutis ibidem, non obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis et cibo ac aliis secure communicare, et ipsos seu etiam alios converti ad unitatem Fidei Christiane cupientes recipere, baptizare, et aggregare Ecclesie filiis valeant, ac dare indulgentias, commutare vota, ultramarino et continentie votis dumtaxat exceptis, liberam licentiam et plenam habeant facultatem.

Ceterum fratribus prefatis concedimus, quod a catholicis patriarchis, archiepiscopis et episcopis possint ordines et alia ecclesiastica sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, altaris pallas, corporalia per eos, qui ex fratribus ipsis sunt presbyteri, cum necesse fuerit benedicere, ubi catholicorum episcoporum copia non habetur, et earumdem terrarum clericos per litteras suas licentiare ut a Latinis episcopis ordinentur.

Ad hec sit memoratis fratribus absolvendi facultas occisores clericorum et religiosarum personarum in predictis partibus constitutos.

Et quia ibi habetur prelatorum catholicorum defectus, pro eo quod ecclesie Latine a Grecis episcopis detinentur, et secundum eorum ritum rectores et clerici religiosi et seculares, quandoque mediante vitio symonie, quandoque per potentiam secularem instituuntur in eisdem, nos nolentes quod propter catholicorum episcoporum defectum talia inibi de cetero presumantur, predictis fratribus, qui ad hujusmodi ministerium fuerint deputati, super instituendis et destituendis rectoribus et clericis in Latinis ecclesiis tam regularibus quam secularibus, que ut premittitur a Grecis episcopis in eisdem provinciis detinentur, plenam concedimus facultatem.

Quod si forsan provinciam Ungarie in plures provincias dividi, prout de aliis aliquando factum extitit, contingat, volumus et presentium auctoritate statuimus, ut prior illius provincie, in qua civitas Duracensis existit, juxta presentium tenorem procedere valeat in premissis, illa juxta formam sibi traditam adimplendo. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, voluntatis et statuti, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

861 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Priori fratrum Prædicatorum Ragusino concedit facultatem absolvendi Marinum de Gote, Marinum de Grose et Junium de Wolcasco, cives Ragusinos, qui contra prohibitiones Sedis

Apostolicæ in Alexandriam accedendo, prohibitaque victualia Sarracenis illarum partium deferendo, sententiam excommunicationis et pœnas alias incurrerunt. (nº 689, fol. 159 vº; Potth., nº 25411 [1].)

« *Dilecto filio .. priori fratrum ordinis Predicatorum Ragusino.* De circumspectione tua — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

862 Au Latran, 4 mars 1304.

Abbati et conventui monasterii de Salopia, ordinis s. Benedicti, Conventrensis diocesis, confirmat ecclesiam de Scocoresden., Herefordensis diocesis, quam ex concessione diocesani episcopi dudum obtinent. (nº 690, fol. 159 vº.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii de Salopia, ordinis sancti Benedicti, Conventrensis diocesis.* Cum a nobis petitur — Dat. Laterani, IIII nonas marcii, anno primo. »

863 Pérouse, 20 mai 1304.

Vacante decanatu ecclesiæ Bisuntinæ per obitum quondam Theobaldi, super possessione ipsius decanatus inter Henricum, thesaurarium ecclesiæ supradictæ, et Johannem de Rubeomonte, archidiaconum de Faverneyo, Bisuntinæ diocesis, gravis exorta est discordia, quæ fuit postmodum per appellationem partium earumdem ad Apostolicam Sedem devoluta. Quæstione autem diligenter examinata, Benedictus mandat abbati monasterii de Balma, jamdictæ diocesis, ut, recepta prius ab Henrico memorato dictæ thesaurariæ et a Johanne præfato archidiaconatus supradicti resignatione, decanatum vacantem eidem Henrico, thesaurariam vero Johanni prædicto auctoritate apostolica conferat et assignet, inducens eos in possessionem officiorum eorumdem. (nº 691, fol. 159 vº.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii de Balma, Bisuntine diocesis.* Significarunt nobis — Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

864 Viterbe, 18 avril 1304.

Certis executoribus mandat, ut Raymundo de Botovilla, clerico Tholosanæ diocesis, beneficium ecclesiasticum conferant in ecclesia Tholosana, cujus annui redditus, si illi animarum cura imminet, centum librarum, si vero eadem cura ei non imminet, summam octoginta librarum Turonensium parvorum non excedant. (nº 692, fol. 160.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii Lesatensis, Appamiarum diocesis, et .. preposito ac .. thesaurario ecclesie Albiensis.* Cum dilectus filius — Dat. Viterbii, XIIII kalendas maii, anno primo. »

865 Pérouse, 5 juin 1304.

Executoribus infradictis mandat, moneant et inducant rectores Castellanæ civitatis ac nonnullos clericos et laicos ejusdem civitatis et diocesis, ut quædam bona ab ipsis illicite occupata episcopo Castellano dimittant, eique de injuriis, violentiis, vel damnis illatis eidem satisfaciant competenter. Quod si facere contempserint, ad id rectores præfati per censuram ecclesiasticam districte compellantur, clerici vero et laici supradicti citentur ad comparendum coram Apostolica Sede, pro meritis recepturi. (nº 693, fol. 160.)

« *Dilectis filiis .. abbati sancti Petri Perusini et .. priori sancti Johannis de Primeto, Perusine diocesis, ac Neapoleo[ni] de Bictonio, canonico Palentino.* Significavit nobis venerabilis frater noster H[ugolinus], episcopus Castellanus, quod pridem Zappellettus Guidonis, civis Castellanus, contra quondam Gualterottum, patrem dicti episcopi, invidie calore succensus ac diabolico spiritu concitatus, cum familia sua et aliis pluribus ad domos dicti Gualterotti armata manu furibundus accessit, ipsisque domibus cum quadam nepte dicti episcopi ac bonis mobilibus dicti Gualterotti inibi existentibus incendio concrematis, eundem Gualterottum immaniter interemit; ipse quoque Zappellettus nec non Paganus, archipresbyter sancti Savini, Carolus, prior hospitalis sancti Floridi, Jacobus sancti Quirici, Guadagnus de Userna et Andreas de Ponpegiano ecclesiarum rectores, Monaldus, monachus monasterii de Scalachio, Brancutius Bernarducii, Brunus et Giscus Maffucii civitatis et diocesis Castellane, nequiter concitantes, reliqua bona mobilia et immobilia, que fuerunt dicti patris ipsius, per officiales dicte civitatis dicto comuni confiscari falsis eorum suggestionibus procurarunt, ipsique episcopo alia dampna, injurias et offensas gravia multipliciter irrogarunt; super quibus omnibus dictus episcopus ad Apostolice Sedis recurrens providentiam, nobis humiliter supplicavit ut, cum dicta bona, que fuerunt ipsius Gualterotti, ad eundem episcopum saltem pro quinta parte hereditario jure pertinebant, ac idem Gualterottus de bonis eisdem usuras omnibus a quibus eas extorserat restitui mandaverit in ultima voluntate per manus dicti episcopi, quem sui executorem constituit testamenti, ipsique propterea epis-

1. Potthast mentionne cette bulle d'après Theiner (*Vet. mon. Slav. Mer.* I, 121, nº 172.) et la donne comme adressée au Provincial des Frères-Prêcheurs de Hongrie. C'est une erreur. Dans Theiner elle est adressée au prieur de Raguse.

copo bona predicta dimiserit obligata, providere sibi in hac parte de oportuno remedio dignaremur.

Nos autem super hiis eidem episcopo paterno compatientes affectu, eaque nolentes, prout etiam nec debemus, silentio preterire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios potestatem, priores, vexilliferum justitie, syndicum, consilium, et comune civitatis predicte, Zappellettum et alios laicos supradictos ex parte nostra efficaciter monere et inducere eisque districte mandare curetis, ut de bonis predictis et aliis ecclesie Castellane se nullatenus intromittant, de ipsis in ejus prejudicium aliquid disponendo, quin potius ea que in hac parte contra episcopum predictum attemptata sunt revocantes, de dampnis, injuriis, violentiis et offensis super hiis illatis eidem congruam ei et debitam satisfactionem impendant, ipsumque episcopum in civitatem predictam reducant et plena faciant securitate gaudere. Quod si ipsi potestas, priores, vexillifer, syndicus, consilium et comune monitis et mandatis vestris infra terminum, quem ad hoc ipsis duxeritis prefigendum, acquiescere forte noluerint, vos eosdem potestatem, priores, vexilliferum, syndicum, consilium et comune ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Laicos vero prefatos, si monitis et mandatis non acquieverint antedictis, nec non eosdem archipresbyterum, priorem et monachum, presbyteros et rectores ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra decem dierum spatium post citationem hujusmodi compareant personaliter coram nobis, recepturi pro meritis nostris[que] mandatis et beneplacitis in hac parte plenarie parituri. Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

866 — A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad consummationem ecclesiæ fratrum ordinis Prædicatorum Ragusinorum manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (nº 694 A, fol. 160 vº; POTTH., nº 25412.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis manum —Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

867 — A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Eadem gratia conceditur eis, qui ad consummationem ecclesiæ fratrum Prædicatorum Duracensium similiter manum porrexerint adjutricem. (nº 694 B, fol. 160 vº.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — ut in proxima superiori, usque in finem. »

868 — A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Cum archidiaconatus ecclesiæ Duracensis jam per viginti annos et amplius vacaverit ac ejus collatio propter hujusmodi vacationem diutinam sit ad Apostolicam Sedem devoluta, Benedictus XI mandat priori fratrum ordinis Prædicatorum Duracensi, ut archidiaconatum eundem vice apostolica cuilibet personæ idoneæ conferat. (nº 695 A, fol. 160 vº.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum Predicatorum Duracensi.* Cum sicut accepimus — Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

869 — Pérouse, 26 mai 1304.

Valeant fratres ordinis Prædicatorum Yporienses recipere de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri. (nº 695 B, fol. 160 vº.)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Yporiensibus.* Meritis vestre religionis — Dat. Perusii, VII kalendas junii, anno primo. »

870 — Au Latran, 18 mars 1304.

Johannis Symeonis, consiliarii et familiaris regis Portugaliæ, supplicationibus inclinatus, priori fratrum ordinis Prædicatorum Sanctaranensi, Ulixbonensis diocesis, committit potestatem absolvendi dictum Johannem a quibusdam sententiis canonum, quas incurrisse dubitat, etiam si super hoc esset Apostolica Sedes merito consulenda. (nº 696 A, fol. 161.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum ordinis Predicatorum Sanctaranensi, Ulixbonensis diocesis.* Ex parte dilecti filii Johannis Symeonis laici, consiliarii et familiaris carissimi in Christo filii nostri D[ionisii], regis Portugalie illustris, fuit propositum coram nobis, quod ipse gerens ad locum fratrum ordinis Predicatorum Sanctaranensium, Ulixbonensis diocesis, specialis devotionis affectum, locum ipsum, qui reparatione non modica indigere dinoscitur, intendit de bonis propriis facere reparari, quodque pro quorumdam suorum remissione peccaminum et absolutione sententiarum canonis, quas incurrisse dubitat, eum adire Sedem Apostolicam personaliter oporteret, sed implicitus arduis negotiis dicti regis, tum propter hoc, tum etiam propter viarum discrimina ad eandem Sedem nequid personaliter se conferre.

Ipsius itaque Johannis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut liceat tibi predictum Johannem, audita primitus confessione sua, auctoritate nostra hac vice a peccatis suis et a qualibet sententia canonum, si quam incurrit forsitan, satisfactione prius prestita, juxta Ecclesie formam absolvere et injungere sibi propterea penitentiam salutarem, etiam si hujusmodi commissa et ea pro quibus hujusmodi forte incurrit sententias talia fuerint, quod eum propterea venire ad eandem Sedem personaliter oporteret, et super quibus esset Sedes eadem merito consulenda. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xv kalendas aprilis, anno primo. »

871 Au Latran, 8 mars 1304.

Eidem mandat, ut supradicto Johanni Symeonis licentiam auctoritate apostolica largiatur construendi in fundo proprio, de bonis propriis, capellam et hospitale ad opus infirmorum ac pauperum, prout ipse Johannes affectat et proponit. (n° 696 B, fol. 161.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum ordinis Predicatorum Sanctaranensi, Ulixbonensis diocesis.* Ex parte dilecti filii Johannis Symeonis laici, Ulixbonensis diocesis, consiliarii et familiaris carissimi in Christo filii nostri Dionisii, regis Portugalie illustris, fuit propositum coram nobis, quod ipse divini amoris instinctu, pro remissione peccaminum dicti regis et suorum ac salute animarum fidelium defunctorum, in fundo proprio quandam capellam, in qua sex ydoneos presbyteros affectat institui perpetuo Domino servituros, ac unum hospitale ad opus infirmorum et pauperum edificare disponit, et ipsis sufficientes redditus de bonis propriis assignare. Quare pro parte dicti Johannis nobis extitit humiliter supplicatum, ut super hiis ei illius favoris presidium adhibere, per quod premissa libere juxta sue intentionis propositum effici valeant, dignaremur.

Nos igitur prefatum Johannem confovere in hujusmodi suo laudabili proposito intendentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Johanni, faciente quod offert, construendi ut premittitur capellam et hospitale predicta liberam auctoritate nostra concedas licentiam sine juris prejudicio alieni. Dat. Laterani, VIII idus marcii, anno primo. »

872 Au Latran, 31 janvier 1304.

Ordinationem factam ab abbate et conventu monasterii Molismensis, Lingonensis diocesis, approbat et communit, qua provide statuitur, ut abbates dicti monasterii et priores prioratuum ei subjectorum, cum administrationes sibi commissas duxerint libere resignandas, de bonis monasterii vel prioratuum prædictorum pensionem annuam competentem, dummodo eis propria demerita non obsistant, in memoriam pristinæ dignitatis recipiant pro suis necessitatibus commodius supportandis. (n° 697, fol. 161.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Molismensis* [1], *ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis.* Dignum et congruum arbitramur ut hiis, que pro ecclesiarum et monasteriorum utilitatibus provide statuuntur, adiciamus apostolici muniminis firmitatem, ut magis illibata persistant, cum nostro fuerint presidio communita.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos dudum deliberatione provida ordinastis, quod si abbates, qui essent pro tempore vestri monasterii, confracti senio vel alias infirmitate seu debilitate depressi aut ex alia justa causa pure ac libere regimen dicti monasterii resignarent, dummodo dilapidatores non fuerint aut alias eis eorum demerita non obsistant, in memoriam pristine dignitatis et ob honorem dicti monasterii, et ut alii ad bene administrandum forcius animentur, pro suis necessitatibus sibi extra dictum monasterium ministrandis ducentas libras Parisiensium annui redditus in de Polyneyo et de Selis ac de Urinis villis, ad dictum monasterium pertinentibus, percipiant, ac habeant pro eorum habitatione domos cum earum juribus et pertinentiis, quas idem monasterium in villis obtinet supradictis, quodque ipsi resignantes equos ad usum selle sue et medietatem aliorum bonorum mobilium, que tempore resignationis hujusmodi obtinerent, sibi retineant pro eorum necessitatibus commodius [2] supportandis, et quod prestare debeant juramentum quod nichil de bonis hujusmodi occultabunt : si aliqui quoque de prioribus prioratuum dicto monasterio subjectorum, ob causas similes, administrationes sibi commissorum prioratuum duxerint resignandas, de bonis dictorum prioratuum, juxta ipsorum merita et eorumdem prioratuum exigentiam facultatum, provideatur eisdem ad arbitrium quatuor monachorum deputandorum super hoc a conventu monasterii memorati, dummodo prioratus predicti propter malam administrationem eorumdem resignantium non fuerint pregravati nec alias eorum demerita obsint eis, ita tamen quod ipsis post talem provisionem factam, eis decedentibus vel alias proventus et bona, de quibus eis ut premittitur provisum fuerit, dimittentibus, proventus et bona predicta in statum pristinum reducantur. Venerabilis quoque frater noster J[ohannes], episcopus Lingonensis,

1. Ms : « Malismensis. »
2. Ms : « commodis. »

ordinationem hujusmodi auctoritate ordinaria approbavit, prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum episcopi, abbatis, et conventus sigillis munitis, plenius continetur.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ordinationem hujusmodi sicut provide facta est ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

873 Au Latran, 28 février 1304.

Concedit episcopo Tricastrino licentiam faciendi recipi in ecclesia sua duas personas idoneas in canonicos et in fratres, ac providendi eisdem de præbendis. (n° 698, fol. 161 v°.)

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Tricastrino.* Inter occupationes varias — Dat. Laterani, III kalendas marcii, anno primo. »

874 Au Latran, 9 mars 1304.

Ordinationem factam a magistro et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani confirmat, qua statuitur ut in quibuslibet ecclesiis vel oratoriis seu capellis Hospitalis supradicti, certis horis et diebus, in honorem b. Johannis Baptistæ novem lectiones legantur missaque conventualis et horæ canonicæ solemniter decantentur. (n° 699 A, fol. 161 v°.)

« *Dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Hiis, que augmentum cultus divini nominis respicere dinoscuntur, libenter adicimus apostolicis muniminis firmitatem, ut illibata persistant, cum nostro fuerint presidio communita.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod vos ordinatione pia et provida statuistis, ut in quibuslibet ecclesiis, oratoriis, et capellis vestris, una vice in qualibet septimana qua festum aliquod non occurrerit, in matutinis novem lectiones legantur et in die hore canonice et missa conventualis de beato Johanne Baptista, in cujus honore dictum Hospitale constructum existit, Adventus Domini et Quadragesime tempore dumtaxat excepto, ob ejusdem sancti reverentiam solenniter decantentur, prout in patentibus litteris inde confectis, vestri sigilli munimine roboratis, plenius continetur.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, hujusmodi ordinationem et statutum rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quis contra ordinationem et statutum eadem venire quoquomodo presumat. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et inhibitionis, etc. Dat. Laterani, VII idus marcii, anno primo. »

875 Au Latran, 13 janvier 1304.

Valeat Vivariensis episcopus per vicarium seu vicarios idoneos diocesim suam facere visitari. (n° 699 B, fol. 161 v°.)

« *Venerabili fratri Aldeberto*[1], *episcopo Vivariensi.* Tue fraternitatis sincera — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

876 Viterbe, 15 avril 1304.

Priori fratrum ordinis Prædicatorum Bituricensi committit potestatem dispensandi cum Symone Pelorde et Johannina, filia Martini Lepetit, Bituricensis civitatis, ut non obstante quarto consanguinitatis gradu in matrimonio dudum contracto valeant remanere. (n° 700, fol. 161 v°.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum Predicatorum Bituricensi.* Intenta salutis operibus — Dat. Viterbii, XVII kalendas maii, anno primo. »

877 Au Latran, 3 février 1304.

Rectori ecclesiæ in Scheslz, Bambergensis diocesis, qui ipsam ecclesiam contra constitutionem Concilii Lugdunensis illicite retinuit, Benedictus remittit et donat fructus indebite perceptos ex eadem; dispensat quoque cum eo super irregularitate exinde contracta, eidem concedendo ut dictam ecclesiam deinceps retinere valeat. (n° 701, fol. 161 v°.)

« *Dilecto filio Corrado, rectori ecclesie in Scheslz, Bambergensis diocesis.* Sedes Apostolica consuevit — Dat. Laterani, III nonas februarii, anno primo. »

878 Au Latran, 22 mars 1304.

Hugolino, nato Jacobi de Solerio, conferuntur canonicatus et præbenda, quæ nuper vacaverunt apud Apostolicam Sedem in ecclesia Yporiensi. Dispensatur etiam cum eo super defectu, quem patitur in ordinibus et ætate. (n° 702, fol. 162.)

« *Dilecto filio Hugolino, nato dilecti filii nobilis viri Jacobi de Solerio, canonico Yporiensi.* Apostolice provisionis manum — Dat. Laterani, XI kalendas aprilis, anno primo. »

1. Ms : « Alldeberto. » Rubrique volante : *Aldeberto.*

In c. m. .. sancti Stephani Yporiensis et .. sancti Benigni Fructuariensis, Yporiensis diocesis, monasteriorum abbatibus ac .. preposito ecclesie de Clevasio, ejusdem diocesis.

879 Pérouse, 23 mai 1304.

Civibus Suessanis infrascriptis concedit licentiam remanendi in contracto matrimonio, quodam impedimento non obstante. (n° 703 A, fol. 162 v°.)

« *Dilecto filio Johanni Thomasii et dilecte in Christo filie Angele, nate quondam Leonardi de Aspello, civibus Suessanis.* Romani pontificis precellens auctoritas nonnulla interdum, que alias forent illicita, certis personis Ecclesie devotis concedit, suo loco et tempore, de apostolice plenitudine potestatis.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod olim tu, filia Angela, infra nubilem etatem existens, de mandato quondam Leonardi, patris tui, cum Johanne de Encio, cive Suessano, per verba de presenti sponsalia contraxisti, que statim cum ad legitimam pervenisti etatem fuerunt judicio Ecclesie dissoluta; vosque postmodum matrimonium duxistis ad invicem contrahendum, et diu insimul habitantes duos filios procreastis. Cum autem sicut asseritis predictus Johannes de Encio tibi, fili Johannes, quarto gradu consanguinitatis attineat, quod tamen tu, predicta Angela, tempore contracti dicti matrimonii diceris ignorasse, et ex separatione, si eam fieri contingeret, grave in civitate Suessana scandalum oriretur, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis in hac parte per oportune dispensationis beneficium de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque vestris devotis supplicationibus favorabiliter annuentes, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus ut, impedimento publice honestatis justitie quod ex predictis sponsalibus provenit non obstante, possitis in eodem matrimonio licite remanere, prolem vestram susceptam et suscipiendam legitimam nuntiantes. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis et nuntiationis, etc. Dat. Perusii, x kalendas junii, anno primo. »

880 Au Latran, 6 mars 1304.

Priori et conventui monasterii de Porcilia extra muros Paduanos, ordinis s. Benedicti, indulget ut familiarium et servitorum suorum, qui in eodem monasterio commorantur, audiant confessionem et ministrent ipsis cætera ecclesiastica sacramenta. (n° 703 B, fol. 162 v°; Potth., n° 25385 [1].)

« *Dilectis filiis .. priori et conventui monasterii de Porcilia* [1] *extra muros Paduanos, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti.* Cum ad vos — Dat. Laterani, II nonas marcii, anno primo. »

1. D'après Potthast la pièce serait du 7 mars.

1. Ms : « Portilia. »

881 Pérouse, 13 mai 1304.

Consideratione Viscontæ Gatti militis conceditur Bellebono Henrici Belleboni, ipsius Viscontæ consanguineo, beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in ecclesia Viterbiensi. (n° 704, fol. 162 v°.)

« *Dilecto filio Bellebono, nato dilecti filii Henrici Belleboni, clerico Viterbiensi.* Laudabilia tue juventutis — Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

In c. m. .. episcopo Viterbiensi et .. sancti Stephani ac .. sancte Marie Nove Viterbiensis prioribus.

882 Au Latran, 10 mars 1304.

Cum mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, qui se dudum post lapsum societatis ipsius a Romana curia absentarunt, redire cupiant ad eandem dictamque societatem reformare ac satisfacere creditoribus suis, Benedictus XI hujusmodi proposito annuens mandat certis executoribus, ut debitores ipsorum mercatorum in Italia constitutos et quosdam alios infranominatos compellant ad exhibendum pecuniarum summas, in quibus eisdem mercatoribus tenentur : pecunia autem sic collecta mercatoribus societatum Circulorum de Florentia et Clarentum de Pistorio integraliter assignetur, ut exinde per ipsos satisfieri possit creditoribus dictæ societatis Amannatorum, prout Apostolica Sedes duxerit ordinandum. (n° 705, fol. 163.)

« *Dilectis filiis Riciardo, sancti Eustachii diacono cardinali, et .. camerario ac Jacobo, decano ecclesie sancti Saturnini Burdegalensis, capellano nostris.* Cum dilecti filii Lante Agolantis et ejus socii, mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, qui se dudum a Romana curia absentarunt, ad reformationem dicte societatis diligenter intendant velintque ad curiam redire predictam, satisfacturi omnibus creditoribus eorumdem, nos cupientes ut hujusmodi reformatio societatis ipsius, ex cujus lapsu gravia dampna et incommoditates plurimis incumbebant, optatum sortiatur effectum, ipsique mercatores eo plenius satisfacere creditoribus valeant antedictis, quo liberius ipsis ab eorum fuerit debitoribus satisfactum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel

per alium seu alios venerabiles fratres nostros .. Lugdunensem et .. Compostellanum archiepiscopos, .. episcopum et dilectos filios capitulum Cameracenses, nec non .. Massiliensium et .. Aquitaniensium monasteriorum abbates eorumque conventus, et Radulphum de Aricuria, canonicum Parisiensem, qui, prout dicti mercatores nobis exponere curaverunt, sunt mercatoribus ipsis in nonnullis pecuniarum quantitatibus et rebus aliis obligati, omnesque alios debitores eorum de Italia, sive clerici fuerint sive laici, cujuscumque dignitatis, ordinis, preeminentie fuerint aut status, etiam si pontificali preemineant dignitate, auctoritate nostra monere et inducere procuretis, ut prefatis mercatoribus de pecuniarum summis in quibus tenentur eisdem, ac dampnis et expensis ac interesse que propterea incurerunt, infra terminum competentem per vos eis prefigendum satisfaciant ut tenentur; alioquin ipsis mercatoribus faciatis super premissis sine strepitu et figura judicii justitie complementum [exhiberi], debitores predictos ad satisfaciendum mercatoribus antedictis de hujusmodi debitis, dampnis, interesse et expensis, usuris omnino cessantibus, per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellendo;

Non obstantibus si forsitan eorum aliquibus a Sede Apostolica foret indultum, quod non teneantur ad solutionem aliquorum debitorum aliquatenus vel usque ad certum tempus aliquibus faciendam; seu quod venerabilis frater noster .. episcopus Atrebatensis mandatum a Sede predicta dicitur recepisse, quod inter predictum episcopum Cameracensem et eosdem mercatores videret computum seu etiam rationem eorum, in quibus ipsi sibi invicem tenerentur, ipsumque episcopum Cameracensem non permitteret interim super hujusmodi debitis molestari; aut quibuscumque processibus habitis et sententiis promulgatis contra mercatores eosdem per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum; et constitutionibus tam de duabus dietis in Concilio generali, quam ab eodem predecessore de aliquo extra suam diocesim, nisi in certis casibus ibi expressis, per litteras apostolicas non trahendo, quam etiam de una dieta, et quibuscumque aliis constitutionibus in contrarium editis.

Volumus autem quod quicquid ab eisdem debitoribus exigetur assignari faciatis dilectis filiis Bonacurso Bonincuntri et Guidoni de Lantela aut eorum sociis de societate Circulorum de Florentia, Baldo Rayneri et Raynerio Fioravanti vel eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio vel alicui eorum seu ipsorum procuratori, camere nostre mercatoribus, ut exinde satisfieri possit creditoribus dictorum mercatorum de societate Amannatorum, prout nos duxerimus ordinandum. Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

883 Au Latran, 10 mars 1304.

Mandatum idem mittitur diversis executoribus, ut similiter procedere valeant contra debitores ejusdem societatis Amannatorum in regnis Castellæ, Angliæ, Portugaliæ et Franciæ constitutos. (nº 706, fol. 163.)

« *Dilectis filiis .. sancti Emiliani de Lara et .. de Fremenicea* (?) *in ecclesia Burgensi abbatibus ac .. archidiacono Burgensi.* Cum dilecti filii Lante Agolantis et ejus socii, mercatores de societate Amannatorum de Pistorio ad reformationem dicte societatis, ex cujus lapsu gravia dampna et incomoditates plurimis incumbebant, diligenter intendant, nos volentes ut eadem reformatio debitum consequatur effectum, iidemque mercatores creditoribus suis eo commodius satisfacere valeant, quo ipsis liberius ab eorum fuerit debitoribus satisfactum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios debitores ipsorum, in regno Castelle constitutos, quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si pontificali vel alia quavis preemineant dignitate, monere ac inducere procuretis, ut prefatis mercatoribus de pecuniarum summis in quibus tenentur eisdem, ac dampnis, interesse et expensis que propterea incurrerunt, etc., ut supra in proxima usque : vel usque ad certum tempus aliquibus faciendam; aut quibuscumque processibus habitis et sententiis promulgatis, etc., ut in eadem usque in finem. Dat. ut supra. »

« In e. m. dilecto filio Gerardo de Pecoraria, canonico Remensi, capellano nostro. Cum dilecti filii Lante Agolantis, etc., ut in proxima superiori usque : discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel per alium seu alios debitores ipsorum in regno Anglie constitutos, quicumque, etc., mutatis mutandis, usque in finem. Dat. ut supra. »

« In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo B[r]acharensi pro eisdem contra debitores ipsorum in regno Portugalie. »

« In e. m. dilecto filio .. officiali Nemausensi contra debitores ipsorum in regno Francie. »

884 Au Latran, 10 mars 1304.

Camerario suo committit, ut dictis mercatoribus satisfactionem faciat exhiberi competentem a debitoribus et detento-

ribus bonorum quondam Prezivalli de Lavania et quondam Brancaleonis de Flisco, qui olim dum viverent certas pecuniarum quantitates mutuo receperant a mercatoribus antedictis, nec eas ipsis restituere curaverant. (nº 707, fol. 163.)

« *Dilecto filio .. camerario nostro.* Significarunt nobis dilecti filii Lante Agolantis et ejus socii, mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, quod, licet ipsi quondam Prezivallo de Lavania, capellano, et quondam Brancaleoni de Flisco, notario Sedis Apostolice, quasdam pecuniarum mutuarint quantitates, ipsis tamen Prezivallo et notario viam universe carnis ingressis, nondum fuit mercatoribus ipsis de eisdem quantitatibus satisfactum. Quare dicti mercatores nobis humiliter supplicarunt ut, cum Prezivalli et Brancaleonis predictorum nulli in eorum bonis heredes appareant, a quibus mercatores prefati quantitates petere valeant antedictas, contra possessores bonorum et debitores dictorum Prezivalli et Brancaleonis exhiberi eis justitiam mandaremus.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, hujusmodi bonorum detentoribus ac eorum debitoribus quos ipsi mercatores duxerint nominandos ad tuam presentiam evocatis, audias hinc inde proposita et quod justum fuerit sine strepitu et figura judicii, usuris omnino cessantibus, appellatione postposita statuas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari; non obstantibus quibuscumque processibus habitis et sententiis promulgatis, etc., ut supra usque : Volumus autem quod quicquid ab eisdem debitoribus et bonorum possessoribus exigetur assignari facias, etc., usque in finem. Dat. ut supra. »

885 Au Latran, 10 mars 1304.

Eidem, ut nonnullas liberationes, absolutiones, quitationes, promissiones, obligationes aliosque contractus a quibusdam initos in grave dispendium mercatorum societatis supradictæ, prout justum fuerit, denuntiet omnino carere robore firmitatis. (nº 708 A, fol. 163.)

« *Eidem.* Significarunt nobis dilecti filii Lante Agolantis et ejus socii, mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, quod nonnulli cives olim in prelatorum, nobilium et potentum diversarum partium potestate detenti justoque metu coacti multas liberationes, absolutiones, quitationes nec non promissiones, obligationes, aliosque contractus plures diversorum generum cum hujusmodi detentoribus inierunt, qui in grave dispendium eorum et societatis predicte redundare noscuntur. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere in hac parte indempnitatibus eorumdem paterna sollicitudine curaremus.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi de hujusmodi metu constiterit, liberationes, absolutiones, quitationes, promissiones, obligationes et contractus predictos taliter cum eisdem detentoribus initos denunties, prout justum fuerit, carere robore firmitatis, non obstantibus quibuscumque processibus habitis et sententiis promulgatis contra mercatores eosdem, etc., ut in prima usque : quibuscumque aliis constitutionibus in contrarium editis, contradictores, etc. Dat. ut supra. »

886 Au Latran, 10 mars 1304.

Mercatoribus societatum Circulorum de Florentia et Clarentum de Pistorio significat de suprascriptis et mandata dat. Mercatoribus societatis Amannatorum plenam insuper securitatem exhibet in veniendo ad Sedem Apostolicam ibique morando et exinde etiam redeundo. (nº 708 B, fol. 163 vº.)

« Benedictus, etc., dilectis filiis Bonacurso Bonencontri et Raynerio Floraventis de Circulorum et de Clarentum societatibus et eorum sociis de dictis societatibus, camere nostre mercatoribus. Cum dilecti filii Lante Agolantis, etc., ut supra in prima usque : plurimis incumbebant, optatum consequatur effectum, iidemque mercatores creditoribus satisfaciant antedictis, discretioni vestre, de quorum [circumspectione] et legalitate fiduciam gerimus in Deo specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel unus vestrum, qui super hoc fuerit requisitus, omnia instrumenta, litteras, jura et munimenta, que ipsi mercatores contra debitores suos habere noscuntur, ac deinde omnia, que ex eisdem debitis exigi vel persolvi continget, ad manus vestras recipere et fideliter conservare curetis, satisfacturi postmodum de hiis que receperitis prefatis creditoribus ipsorum, prout nos duxerimus ordinandum.

Interim autem mercatoribus ipsis, in veniendo de Pistorio ad Sedem Apostolicam ibique morando et exinde etiam redeundo pro eorum negotiis exercendis, in personis et rebus eorum securitatem plenariam exhibemus, non obstantibus quibuscumque processibus habitis per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, contra mercatores eosdem ac sententiis censuram ecclesiasticam continentibus promulgatis. Dat. ut supra. »

887 Au Latran, 10 mars 1304.

Mercatoribus societatis Amannatorum asserentibus se quondam de licentia Sedis Apostolicæ mutuasse episcopo Cenoma-

nensi certam pecuniæ quantitatem et litteras apostolicas pro hujusmodi mutuo confectas amisisse, Benedictus XI mandat camerario suo, ut, inquisitione præhabita, si præmissis veritas suffragatur, faciat ab eodem episcopo pecuniam istam mercatoribus societatum Circulorum et Clarentum assignari, ut exinde per ipsos satisfieri possit creditoribus societatis Amannatorum. (nº 709, fol. 163 vº.)

« *Dilecto filio .. camerario nostro.* Significarunt nobis dilecti filii Lante Agolantis et ejus socii, mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, quod ipsi dudum venerabili fratri nostro .. episcopo Cenomanensi, cui contrahendi mutuum usque ad certam summam fuerat a felicis recordationis Celestino papa V°, predecessore nostro, per ipsius predecessoris litteras concessa facultas, quandam pro quibusdam suis et ecclesie Cenomanensis negotiis apud Apostolicam Sedem expediendis mutuarunt pecunie quantitatem, summam eandem nullatenus excedentem, ad cujus solutionem prefatis mercatoribus certis loco et termino faciendam dictus episcopus se ipsum et successores suos ac predictam ecclesiam obligavit sub certis modis et formis, que in instrumento publico inde confecto dicuntur plenius contineri. Et licet jamdiu hujusmodi solutionis terminus sit elapsus, nondum tamen est ipsis mercatoribus de eadem pecunia satisfactum, propter que mercatores predicti dampna gravia et expensas se asserunt incurrisse. Quare dicti mercatores nobis humiliter supplicarunt ut, cum tenor dictarum litterarum ejusdem predecessoris, quas ipsi mercatores se ammisisse proponunt, in instrumento predicto totaliter sit insertus, providere super hoc eis paterna sollicitudine dignaremur.

Cum autem prefati mercatores ad reformationem dicte societatis, ex cujus lapsu dampna gravia et dispendia plurimis incumbebant, diligenter intendant, nos volentes eis de suis debitoribus plenam justitiam fieri, ut et ipsi commodius satisfacere possint creditoribus eorumdem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, dictique mercatores de hujusmodi litteris dicti predecessoris fidem faciant aliquam etiam minus plenam, non obstante si originales ostendere forte nequiverint, prefatum episcopum ad satisfaciendum infrascriptis mercatoribus camere nostre de hujusmodi pecunia sibi credita ac de dampnis, expensis et interesse, usuris omnino cessantibus, mo[nitione] pre[missa], auctoritate nostra appellatione remota compellas; non obstantibus quibuscumque processibus habitis et sententiis promulgatis contra mercatores eosdem per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, etc., ut in prima usque : et quibuscumque aliis constitutionibus in contrarium promulgatis.

Volumus autem quod hujusmodi satisfactio de pecunia, dampnis, expensis et interesse predictis fiat dilectis filiis Bonacurso Bonincuntri et Guidoni de Lantela et eorum sociis de societate Circulorum de Florentia, Baldo Rayneri et Raynerio Fioravanti vel eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio, camere nostre mercatoribus, vel uni eorum seu ipsorum vel alicujus eorum procuratori, ut exinde satisfieri possit creditoribus dictorum mercatorum societatis Amannatorum, prout nos duxerimus ordinandum. Dat. ut supra. »

888 Au Latran, 22 février 1304.

Archiepiscopo Senonensi indulget ut, cum propter impedimentum proprii corporis ac Senonensis ecclesiæ negotiorum occupationes multiplices nequeat diocesim suam personaliter visitare, eam per vicarium seu vicarios idoneos visitari faciat. (nº 710, fol. 163 vº.)

« *Venerabili fratri S[tephano], archiepiscopo Senonensi.* Sincere devotionis affectus — Dat. Laterani, VIII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. sancti Petri Vivi et .. sancti Remigii Senonensis ac .. sancti Pauli de Vanna, Senonensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

889 Au Latran, 22 février 1304.

Eidem concedit ut in duabus cathedralibus et quatuor aliis collegiatis ecclesiis provinciæ suæ personas idoneas recipi faciat in canonicos, videlicet singulas in singulis, eisdem providendo de præbendis, dummodo ad id illorum, ad quos collatio præbendarum in eisdem ecclesiis pertinet, accedat assensus. (nº 711 A, fol. 164.)

« *Eidem.* Volentes tuam honorare — Dat. ut supra. »

890 Au Latran, 22 février 1304.

Eidem, ut ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminisve fuerint violata, per alium reconciliari facere possit. (nº 711 B, fol. 164.)

« *Eidem.* Exigentibus tue devotionis — Dat. ut supra. »

891 Au Latran, 22 février 1304.

Eidem, ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, per

triennium valeant percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum. (nº 712 A, fol. 164.)

« *Eidem.* Ut dilectionis affectum — Dat. ut supra. »

892 Au Latran, 22 février 1304.

Eidem, ut in ecclesia Senonensi duas personas idoneas recipi faciat in canonicos et in fratres, ipsisque provideat de præbendis. (nº 712 B, fol. 164.)

« *Eidem.* Personam tuam paterna — Dat. ut supra. »

893 Au Latran, 22 février 1304.

Archiepiscopo et capitulo Senonensibus facultatem tribuit percipiendi fructus redditusque ac proventus primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quæ usque ad biennium in Senonensi civitate vel diocesi vacare contigerit, in fabricam cathedralis ecclesiæ Senonensis quam reædificare incœperunt totaliter convertendos. (nº 713, fol. 164.)

« *Venerabili fratri S[tephano] archiepiscopo et dilectis filiis .. decano et capitulo Senonensibus.* Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos ecclesiam vestram Senonensem, que propter sui vetustatem reparatione plurimum indigebat, reedificare de novo inceperitis opere plurimum sumptuoso, ad cujus consumationem non suppetant ejusdem ecclesie facultates, nos volentes vobis ut opus ipsum feliciter consumari possit de alicujus subventionis remedio subvenire, vestris supplicationibus inclinati, percipiendi fructus, redditus et proventus primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam si personatus vel dignitates existant, que usque ad biennium in Senonensi civitate et diocesi vacare contigerit, in fabricam dicte ecclesie totaliter convertendos, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, plenam et liberam vobis concedimus tenore presentium facultatem, proviso quod hujusmodi fructus, redditus et proventus in alios usus minime convertantur, quodque beneficia ipsa debitis interim obsequiis non fraudentur et animarum cura, in eis quibus illa iminet, nullatenus negligatur. Nolumus autem ut hujusmodi gratia ad beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia se extendat. Nulli, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

In e. m. .. sancti Petri Vivi et .. sancti Remigii Senonensis ac .. sancti Pauli de Vanna, Senonensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

894 Au Latran, 22 février 1304.

Decernit ut collationem cujusdam præbendæ ecclesiæ Senonensis, factam magistro Guillelmo de Penulo per archiepiscopum Senonensem, plenam obtineat roboris firmitatem, non obstante reservatione super hoc edita a Bonifatio VIII. (nº 714 A, fol. 164 vº.)

« *Magistro Guillelmo de Penulo, canonico Senonensi.* Probitatis tue laudabilia merita, super quibus fidedignorum testimonia te commendant, ac venerabilis fratris nostri S[tephani], archiepiscopi Senonensis, pro te consanguineo suo humiliter supplicantis, consideratio nos inducunt, ut personam tuam prosequamur favore gratie specialis.

Porrecta siquidem nobis tua petitio continebat quod, licet felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us, predecessor noster, omnia beneficia ecclesiastica, que apud Sedem Apostolicam vacare contingeret, donationi apostolice reservarit, decernens extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, vacante tamen postmodum in ecclesia Senonensi quadam prebenda per obitum quondam Auberti de Normannis, canonici Senonensis, qui apud dictam Sedem diem clausit extremum, dictus archiepiscopus ad quem in eadem ecclesia prebendarum collatio pertinet, hujusmodi reservationis ignarus, prebendam eandem nulli alii de jure debitam, cum a die vacationis ipsius foret biennium jam elapsum, tibi auctoritate propria contulit tuque ad eam, similiter ignarus reservationis jamdicte, fuisti receptus a .. decano et capitulo dicte ecclesie in canonicum et in fratrem. Quare nobis ex parte dicti archiepiscopi et tua fuit humiliter supplicatum ut, cum tu et ipse, ut premittitur, reservationem predictam que tibi nuper innotuit nequaquam sciveritis, providere in hac parte tibi de benignitate apostolica dignaremur.

Nos autem hujusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate decernimus, ut premissis veris existentibus hujusmodi collatio facta tibi de eadem prebenda et receptio subsecuta, reservatione non obstante predicta, cujus obstaculum penitus amovemus, plenam obtineat roboris firmitatem. Dat. ut supra. »

895 Au Latran, 22 février 1304.

Cuidam canonico Senonensi indulget ut sibi possit eligere confessorem. (n° 714 B, fol. 164 v°.)

« *Magistro Giloni de Pruneriaco, canonico Senonensi.* Cum nos personam tuam — Dat. ut supra. »

896 Au Latran, 22 février 1304.

Archidiacono Vastinensi in ecclesia Senonensi licentiam elargitur faciendi visitari archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam, quandiu scholasticis insistet disciplinis. (n° 715, fol. 164 v°.)

« *Magistro Ade de Pruvino, archidiacono Vastinensi in ecclesia Senonensi.* Devotionis tue sinceritas — Dat. ut supra. »

In e. m. .. sancti Petri Vivi et .. sancti Remigii Senonensis ac .. sancti Pauli de Vanna, Senonensis diocesis, monasteriorum abbatibus [1].

897 Au Latran, 22 février 1304.

Abbati monasterii s. Pauli de Vanna, Senonensis diocesis, mandat ut capitulum Senonensis ecclesiæ contra molestatores sollicite protegat. (n° 716 A, fol. 164 v°.)

« .. *Abbati monasterii sancti Pauli de Vanna prope Senonis.* Quia nonnulli sic — Dat. ut supra. »

898 Au Latran, 22 février 1304.

Priori monasterii s. Eligii Parisiensis simile dat mandatum pro archiepiscopo Senonensi. (n° 716 B, fol. 165.)

« .. *Priori monasterii sancti Eligii Parisiensis per priorem soliti gubernari.* Presumentium Dei ministros — Dat. ut supra. »

899 Pérouse, 28 mai 1304.

Abbati monasterii de Firmitate, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis diocesis, indulget ut, quotiens eum contigerit in monasteriis et capellis seu ecclesiis sui ordinis proponere verbum Dei, omnibus vere pœnitentibus et confessis illuc accedentibus indulgentiam quadraginta dierum elargiri valeat. — Eadem gratia tribus aliis abbatibus conceditur. (n° 717, fol. 165.)

1. Cet *In e. m.* est inscrit sur la marge inférieure du manuscrit.

« *Petro, abbati monasterii de Firmitate, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis diocesis.* Geritur in affectu nostro precipuum, ut nostre cooperationis auxilio per divinam gratiam salus proveniat animarum.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, ut, quotiens te in monasteriis et capellis seu ecclesiis tui ordinis contigerit proponere verbum Dei, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hujusmodi verbum audiendum convenerint, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis relaxare misericorditer valeas, tibi auctoritate presentium indulgemus. Presentibus post quinquennium, etc. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, v kalendas junii, anno primo. »

« In e. m. pro .. abbate monasterii de Clarevalle. »
« In e. m. pro .. abbate monasterii de Pontiniaco. »
« In e. m. pro .. abbate monasterii de Morimundo. »

900 Au Latran, 13 mars 1304.

Vacante dudum monasterio s. Trinitatis de Monte Sacro, ordinis s. Benedicti, Sypontinæ diocesis, in abbatem ipsius Johannes infradictus per viam compromissi electus est. Ipsa autem electio auctoritate apostolica confirmatur. (n° 718, fol. 165.)

« *Johanni, abbati monasterii sancte Trinitatis de Monte Sacro ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Sypontine diocesis.* Licet ex debito — Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancte Trinitatis de Monte Sacro.

901 Pérouse, 12 juin 1304.

Quamquam nuper pro reformatione monetæ regni Franciæ Benedictus XI regi Phylippo concessit subventionis titulo licentiam percipiendi usque ad triennium fructus redditusque ac proventus primi anni beneficiorum in eodem regno vacantium, magistrum tamen, præceptores, priores, bailivos vel officiales quoscumque ordinis Militiæ Templi Jerosolimitani a prædicta perceptione exemptos fore declarat. (n° 719, fol. 165.)

« *Venerabilibus fratribus .. Biterrensi et .. Meldensi episcopis et dilecto filio .. thesaurario ecclesie Andegavensis.* Considerantes nuper quod ex diminutione monete maxime Turonensis et Parisiensis, quam cudi facit carissimus in Christo filius noster Phylippus, rex Francorum illustris, in regno suo, que quidem antiquo pondere et valore jam non modicum defraudatur, non solum ecclesiis, clericis, et ecclesiasticis personis aliisque incolis illarum

partium, sed et aliis plurimis multa proveniebant incomoditates et dampna, et propterea cupientes ut eadem moneta ad valorem et pondus pristinum reducatur, in quo fuerat tempore beati Ludovici avi, clare memorie Phylippi patris, et primis regni temporibus dicti regis, attendentes insuper quod id fieri non poterat absque magnis oneribus expensarum, ac volentes propterea dicto regi circa premissa, ut id impleri liberius posset, de alicujus subventionis remedio providere, vobis per nostras certi tenoris injunximus litteras, ut vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios omnes fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, que infra triennium a festo Nativitatis Domini proximo venturo in antea numerandum in eodem regno vacare contingeret, etiam si eadem beneficia, personatus vel dignitates existerent, diligenter colligere et conservare dictoque regi vel illis quos ipse ad hoc deputaret assignare fideliter curaretis.

Verum quia sic volumus in hac parte regi subvenire predicto, quod ex hujusmodi gratia sibi facta dilecti filii .. magister et fratres ordinis Militie Templi Jerosolimitani, quos eorum religionis obtentu speciali dilectione prosequimur, eorumque domus, quas in regno predicto obtinent, ultra debitum nullatenus pregraventur, aliqua in exigendis fructibus et proventibus antedictis dubia providimus declaranda.

Ut igitur nostra super hiis vobis intentio patefiat, volumus et auctoritate presentium declaramus, ut hujusmodi gratia regi facta predicto ad magistrum, preceptores, priores, bailivos vel officiales quocumque nomine censeantur dicti ordinis, qui per mortem vel alio quocumque modo ab officiis vel commissis eis administrationibus cessant vel ipsa deserunt aut dimittunt vel etiam amoventur ab eis, vel ad ecclesias, administrationes, bailivias, vel loca seu grangias eis commissas nullatenus [1] se extendat. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus circa exactionem fructuum et reddituum predictorum vobis commissam hujusmodi declarationes nostras sic diligenter observare curetis et faciatis per subdelegatos vestros etiam observari, quod dicti magister et fratres contra eas aliquatenus non graventur. Nos enim nichilominus exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari. Dat. Perusii, II idus junii, anno primo. »

902 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Constitutionem a Bonifatio VIII editam, quæ vulgariter *Mare Magnum* nuncupatur et in qua libertates, privilegia, juraque ordinis fratrum Prædicatorum confirmantur, de novo promulgat et communit. (n° 720 A, fol. 165 v°.)

« .. *Magistro, prioribus et fratribus universis ordinis Predicatorum.* Virtute conspicuos sacri vestri ordinis professores, qui contemplationi celestium ferventer invigilant et pie vite studio sine intermissione desudant, etc., ut in regesto secundi anni domini Bonifatii pape VIII, capitulo CCII°, de verbo ad verbum usque in finem [1]. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

903 Pérouse, 17 juin 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Benedicti in Petraficta, Perusinæ diocesis, ecclesiam et hospitale s. Thomæ, sita in suburbio Perusii in burgo s. Julianæ, ad ordinem Cruciferorum spectantia, in usus proprios concedit, congrua portione fratri Bartholomæo ejusdem ordinis Cruciferorum, ad custodiam hospitalis et ecclesiæ deputato, quoad vixerit reservata. (n° 720 B, fol. 165 v°.)

« .. *Abbati et conventui monasterii sancti Benedicti in Petraficta, ordinis ejusdem sancti, Perusine diocesis.* Injuncti nobis — Dat. Perusii, XV kalendas julii, anno primo. »

In e. m. Johanni, electo Spoletano, camerario nostro, et .. abbati monasterii sancti Petri Perusini ac .. priori sancti Johannis de Marsciano, Perusine diocesis.

904 A Saint-Pierre, 25 mars 1304.

Obtentu Riccardi, nati quondam Mathiæ de Anniballensibus militis, Romanorum proconsulis nec non Beneventani rectoris, archiepiscopo Neapolitano committit, ut Laurentio Giroldi, civi Beneventano, judicatus et tabellionatus officium conferat. (n° 721 A, fol. 165 v°.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Neapolitano.* Ex parte dilecti — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas aprilis, anno primo. »

905 Au Latran, 15 mars 1304.

Guioni, nato Dimitrii de Comitibus, clerico Paduano illegitime nato, indulget ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere valeat, defectu natalium non obstante. (n° 721 B, fol. 165 v°.)

1. Ms : « ullatenus. »

1. Arch. Vatic. *Regest.* 47, fol. 46. La pièce est publiée dans Ripoll, *Bullarium ordinis frat. Præd.* II, 48; Potthast, n° 24344, 19 mai 1296.

« *Guioni, nato dilecti filii nobilis viri Dimitrii de Comitibus, clerico Paduano.* Illegitime genitos quos — Dat. Laterani, idibus martii, anno primo. »

906 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Priori et fratribus ordinis Heremitarum s. Augustini civitatis Ortanæ licentiam impertitur vendendi vel permutandi aut alienandi locum, quem ad præsens oblinent juxta civitatem prædictam, ac transferendi se ad monasterium aliud, quod infra civitatem eandem ædificare intendunt. (n° 722, fol. 166.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini Ortanis.* Quanto laudabilius divinis vacatis obsequiis et edificare noscimini potioribus meritis ad salutem, quantoque ferventius vestre devotionis affectus erga nos et Romanam viget Ecclesiam, tanto nos, carius gerentes vos in visceribus caritatis, quietis vestre comoda paternis studiis promovemus.

Sane dilectus filius frater Jacobus de Orto vestri ordinis, doctor in theologica facultate, pro parte vestra nuper exposuit coram nobis quod, cum in loco vestro juxta civitatem Ortanam intemperies aeris adeo invaleret, quod propterea plurimum infirmitate gravati quasi semper eratis in periculo personarum, et alias locus ipse habitationi vestre foret ineptus, alium locum infra civitatem eandem pro habitatione vestra jam annis elapsis quindecim accepistis.

Verum cum super hujusmodi loco, infra civitatem predictam ut prefertur accepto, continue fueritis ac esse noscamini cum inquisitoribus heretice pravitatis in discordia et in litigio, et ex hoc sitis adeo fatigati laboribus et expensis, quod potius cupitis predictum locum sic acceptum dimittere, quam sub hujusmodi discordia et questione torqueri, nobis humiliter supplicavit ut providere vobis super hiis de oportuno remedio dignaremur.

Nos itaque, ipsius fratris Jacobi et vestris supplicationibus inclinati, accipiendi alium locum infra civitatem predictam pro habitatione vestra, dummodo sit religioni aptus et habitationi vestre conveniens et infra mensuram cannarum indultam fratribus Minorum et Predicatorum vestrique ordinum non existat, et construendi ac edificandi in eo domos, oratorium, ac cetera edificia et officinas habitationi vestre necessaria, vosque transferendi ad illa et inhabitandi ea, predictum quoque locum quem habetis extra civitatem prefatam vendendi, permutandi et alienandi et venditionis, permutationis et alienationis iniendi et perficiendi contractum, et cautionibus ac firmitatibus debitis roborandi, pretium insuper vel excambium quod idem vos habere contigerit in hujusmodi novi loci evidentem utilitatem convertendi, sine juris alieni prejudicio, constitutione felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, que per vos et alios religiosos mendicantes talia fieri prohibet sine Apostolice Sedis licentia speciali faciente plenam et expressam de constitutione hujusmodi mentionem, sive qualibet alia contraria non obstante, vobis plenam et liberam auctoritate presentium licentiam impertimur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

907 Pérouse, 30 mai 1304.

Magistro Bittino de Con[eglano], capellano suo, concedit ut, quandiu apud Romanam curiam vel alibi Sedis Apostolicæ institerit obsequiis, fructus, proventus ac redditus præbendarum et aliorum beneficiorum, quæ nunc obtinet in diversis ecclesiis, cum ea integritate percipiat, cum qua illos perciperet si personaliter in ipsis ecclesiis resideret. (n° 723, fol. 166.)

« *Magistro Bittino de Con[eglano]* [1], *archidiacono Neugraensi in ecclesia Strigoniensi, capellano nostro.* Devotionis tue merita — Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Martini Tervisini et .. decano Concordiensis ac Castellano de Salamone, capellano nostro, canonico Atrebatensis ecclesiarum.

908 Pérouse, 2 mai 1304.

Similis gratia conceditur magistro Beltramo de Mediolano, capellano apostolico. (*Ibid.*)

« In e. m. conceditur magistro Beltramo de Mediolano, archipresbytero canonice decumanorum Mediolanensis, capellano nostro. Sub dat. Perusii, VI nonas maii, anno primo. »

« In e. m. scribitur executoribus pro eodem magistro Beltramo, s[cilicet] dilectis filiis Altegrado, electo Vicentino, et Pandulfo de Sabello, preposito Chableyarum sancti Martini Turonensis, notariis nostris, et .. archidiacono Mediolanensis ecclesiarum, ut in proxima execut[oria] mutatis mutandis. »

909 Pérouse, 31 mai 1304.

Similis gratia pro magistro Castellano de Tervisio, capellano apostolico. (*Ibid.*)

1. Ms : « Cōn. » Cf. col. 215.

« In e. m. conceditur magistro Castellano de Tervisio, capellano nostro, canonico Atrebatensi. Devotionis, etc., usque : plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem, proviso quod personatus, dignitates, ecclesie, etc., usque in finem. Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo [1]. »

« In e. m. scribitur executoribus pro eodem magistro Castellano, s[cilicet] venerabili fratri .. episcopo Cameracensi et dilectis filiis Avantio, decano Aquilegensis, ac Bictino de Scottis, archidiacono Neugradiensi Strigoniensis ecclesiarum, mutatis mutandis. Dat. ut supra. »

910 Pérouse, 30 mai 1304.

Similis gratia pro magistro Sicardo de Vauro, capellano apostolico. (*Ibid.*)

« In e. m. magistro Sicardo de Vauro, thesaurario ecclesie Albiensis, capellano nostro. Meritis tue devotionis et obsequiorum gratitudine, que nobis et Apostolice Sedi jugiter impendis, inducimur ut in hiis, que digne postulas, tibi reddamur ad gratiam liberales.

Volentes itaque personam tuam horum consideratione prosequi gratiose, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, quandiu in Romana curia vel alibi obsequiis Apostolice Sedis de ipsius Sedis speciali mandato duxeris insistendum, fructus, redditus, et proventus prebendarum et aliorum beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, que nunc in quibusvis ecclesiis obtines et te obtinere contigerit in futurum, etc., ut supra in proxima usque : et consuetudinibus contrariis juramento, confirmatione Sedis predicte, etc., usque in finem. Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

« In e. m. scribitur executoribus pro eodem magistro Sicardo, s[cilicet] dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Pontii de Thomeriis, Narbonensis diocesis, et .. decano sancti Severini Burdegalensis ac magistro Arnaldo de Vilario, canonico Caturcensis ecclesiarum. Meritis, etc., ut supra, mutatis mutandis, in alia execut[oria] usque in finem. Dat. ut supra. »

911 Au Latran, 9 mars 1304.

Episcopo Agathensi committit, ut abbati et conventui monasterii de s. Tiberio, ordinis s. Benedicti, Agathensis diocesis, licentiam valeat elargiri locandi vel vendendi quasdam terras et possessiones incultas, ex quibus quasi nulla eidem monasterio provenit utilitas. (nº 724, fol. 166 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Agathensi.* Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii de sancto Tiberio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Agathensis diocesis, fuit expositum coram nobis, quod ipsi quasdam habent terras et possessiones incultas, ex quibus quasi nulla eis provenit utilitas a tempore cujus memoria non existit, propter quod ipsi abbas et conventus, ejusdem monasterii utilitate pensata, intendunt terras et possessiones easdem aliquibus locare imperpetuum vel ad certum tempus pro certo annuo reddita ipsi monasterio persolvendo, vel eas vendere pro pretio competenti.

Nos autem ipsorum abbatis et conventus supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si premissis veritas suffragatur, et ex locatione seu venditione hujusmodi quam facere intendunt conspexeris conditionem dicti monasterii fieri meliorem, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, ipsis abbati et conventui locationem seu venditionem hujusmodi faciendi, juramento per eundem abbatem prestito de non alienandis locis et possessionibus ejusdem monasterii seu infeudando de novo Romano pontifice inconsulto, et quibuscumque statutis contrariis ipsius monasterii, seu litteris et indulgentiis apostolicis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in presentibus [fieri] mentio specialis, nequaquam obstantibus, auctoritate nostra licentiam largiaris, proviso quod pretium earumdem terrarum et possessionum, si forte vendantur, in possessiones alias utiliores dicto monasterio vel aliud evidens comodum ejusdem monasterii totaliter convertatur. Dat. Laterani, VII idus martii, anno primo. »

912 Pérouse, 5 juin 1304.

Ecclesia Capuana per obitum quondam Johannis solatio pastoris destituta, Andreas, Brundusinus archiepiscopus, quem decanus et canonici Capuani in archiepiscopum postularunt, ad eandem ecclesiam transfertur. (nº 725, fol. 166 vº.)

« *Venerabili fratri Andree, archiepiscopo Brundusino in archiepiscopum Capuanum electo.* Romani pontificis qui — Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Capuane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Capuane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Capuane.

1. Cet *In e. m.* et les suivants ont été ajoutés postérieurement au bas du fol. 166.

In e. m. vassallis ecclesie Capuane.
In e. m. suffraganeis ecclesie Capuane.
In e. m. Carolo, regi Sicilie illustri.

913 Pérouse, 9 mars 1304.

Episcopo et capitulo Osloensibus indulget, ut beneficia ecclesiastica, quæ in civitate vel diocesi Osloensi dudum vacant quorumque propter hoc secundum Lateranensis statuta Concilii collatio devoluta est ad Apostolicam Sedem, personis idoneis possint conferre. (nº 726, fol. 167.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis capitulo Osloensibus.* Ne in civitate — Dat. Laterani, vii idus martii, anno primo. »

914 Pérouse, 27 mai 1304.

Obtentu regis Siciliæ, priori et conventui monasterii s. Petri martiris de Neapoli, ordinis Prædicatorum, concedit capellam s. Thomæ de Arena, eorum loco contiguam, in constructionem domorum seu officinarum dicti monasterii prout oportuerit convertendam. (nº 727, fol. 167.)

« .. *Priori et conventui sancti Petri martiris, ordinis Predicatorum, de Neapoli.* Laudabilis ordinis vestri religio, in agro dominico ex providentia Creatoris cunctorum bonorum plantati, virtutum fecunditate refecta et tota per bonorum operum studia Domino stabilita, ex sue institutionis exordio ad robur et munimentum erecta Fidei Orthodoxe, per insignium gratiam meritorum et sacre predicationis doctrinam uberes hactenus in universali Ecclesia honestatis fructus protulit ac jugiter proferre dinoscitur et salutis.

Unde carissimus in Christo filius noster Carolus, rex Sicilie illustris, hoc prudenter attendens gerensque ad eandem religionem tam presignem et ejus professores magne devotionis affectum, religionem ipsam in locis quampluribus salubriter propagare studuit et alias eam, tanquam precipuus honoris et prosperi status religionis ejusdem zelator, utiliter augmentare, necessaria pro hiis exequendis impendia de bonis propris regali munificentia largiendo.

Nuper siquidem dictus rex nobis per suas litteras intimavit quod, licet opus ecclesie vestre ad honorem beati Petri martiris, in loco ubi ad presens manetis a dicto rege pia vobis liberalitate concesso, sumptibus ejusdem regis de novo constructe, fere consumatum existat, restant tamen adhuc edificande domus et officine vestris usibus oportune, ac asserens quod capella sancti Thome de Arena eidem loco contigua, que parrochiam non habet nec aliquis in ea jus obtinet patronatus, vobis necessaria plurimum reputatur, nobis humiliter supplicavit ut eandem capellam concedere vobis dignaremur.

Nos igitur eximiam devotionem, quam idem rex ad prefatum ordinem et personas ipsius habere dinoscitur, dignis in Domino laudibus commendantes, ac volentes ejus intuitu vobis in hac parte gratiam facere specialem, predictam capellam cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica vobis concedimus, in constructionem dictarum domorum et officinarum prout oportuerit deputandam seu convertendam. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, vi kalendas junii, anno primo. »

915 Au Latran, 23 février 1304.

Priorissam et sorores monasterii s. Georgii Perusini, ordinis s. Augustini, in ordinem fratrum Prædicatorum et provinciam Romanam ipsius ordinis cooptatas declarat. — In eundem modum pro priorissa et sororibus monasterii s. Annæ de Nuceria Christianorum, quas committit magistro et priori provinciali regni Siciliæ. — In eundem modum pro priorissa et sororibus monasterii s. Mariæ Angelorum Lucanæ civitatis, quas similiter committit magistro et priori provinciali Romanæ provinciæ. (nº 728 a, fol. 167.)

« Benedictus, etc., dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii sancti Georgii Perusini, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus. Apostolice Sedis benignitas prudentes virgines, etc., ut supra capitulo DLXXº, etc., usque : Domino famulantes .. magistro ordinis fratrum Predicatorum et .. priori provinciali Romane provincie ipsius ordinis atque eidem ordini affectetis committi, nos pium vestrum propositum, etc., ut in eodem usque : Vobis preterea, ut ad prestandum decimas de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, que impresentiarum habetis et justis modis prestante Domino acquisiveritis in futurum, vel subventionem quamcumque, aut ad exhibendum annuum redditum sive quartam mortuariorum, aut ad contribuendum in exactionibus vel collectis, etc., usque : Ipsum quoque monasterium et sorores ejusdem cum omnibus juribus et pertinentiis suis a venerabilis fratris nostri .. episcopi Perusini et cujuscumque alterius jurisdictione ac potestate prorsus eximimus de gratia speciali, decernentes irritas et inanes, etc., usque : promulgari. Nulli ergo, etc., nostre commis-

sionis, statuti, licentie, concessionis, exemptionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, VII kalendas martii, anno primo. »

In e. m. .. priorisse et sororibus monasterii sancte Anne de Nuceria Christianorum. (POTTH., n° 25375.)

In e. m. pro .. priorissa et sororibus monasterii sancte Marie Angelorum Lucane [1].

916 Au Latran, 23 février 1304.

Magistris et prioribus provincialibus Romanæ ac regni Siciliæ provinciarum ordinis fratrum Prædicatorum de superioribus epistolis significat. (n° 728 B, fol. 167 v°.)

« .. *Magistro et .. priori provinciali Romane provincie ordinis fratrum Predicatorum*. Apostolice Sedis benignitas — Dat. ut supra. »

In e. m. .. magistro et .. priori provinciali regni Sicilie ordinis fratrum Predicatorum pro .. priorissa et sororibus monasterii sancte Anne de Nuceria Christianorum.

In e. m. eisdem .. magistro et .. priori provinciali Romane provincie ordinis fratrum Predicatorum pro .. priorissa et sororibus monasterii sancte Marie Angelorum Lucane.

917 Au Latran, 7 mars 1304.

Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Alexandrinis, Aquensis diocesis, concedit ut de usuris, rapinis et aliis male ablatis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant. (n° 729 A, fol. 167 v°.)

« .. *Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Alexandrinis, Aquensis diocesis*. Sedis Apostolice circumspecta — Dat. Laterani, nonis martii, anno primo. »

918 Au Latran, 10 mars 1304.

Eisdem indulget ut de censu, quem communitas Alexandriæ solvere tenetur Romanæ Ecclesiæ, usque ad summam centum florenorum auri petere et exigere possint ab eadem communitate. (n° 729 B, fol. 167 v°.)

« *Eisdem*. Meritis vestre religionis inducimur, ut vos prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore noscimus oportunam.

Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati, de censu, quem comunitas Alexandrie Romane tenetur [solvere] Ecclesie tam pro preterito tempore quam futuro, usque ad centum florenorum auri vobis tenore presentium apostolica auctoritate donamus, vobis nichilominus concedentes, ut eos a dicta comunitate petere, exigere et recipere ac in opus fabrice ecclesie vestre convertere libere valeatis. Nulli ergo, etc., nostre donationis et concessionis, etc. Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo. »

919 Au Latran, 6 février 1304.

Episcopo Nimociensi mandat, ut magistrum et fratres domus Militiæ Templi Jerosolimitani contra molestatores quoscumque tueatur ac defendat. — In eundem modum pro eisdem aliis conservatoribus. (n° 730 A, fol. 167 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Nimociensi*. Etsi cunctos sub — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Alcobatie, Ulixbonensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. thesaurario ecclesie Bracharensis. »

920 Pérouse, 5 juin 1304.

Mandatum simile pro eisdem episcopo Bononiensi. (*Ibid.*)

« In e. m. pro eisdem .. episcopo Bononiensi, sub dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

921 Pérouse, 20 juin 1304.

Mandatum simile pro eisdem aliis conservatoribus. (*Ibid.*)

« In e. m. pro eisdem venerabili fratri .. episcopo Sancte Marie, sub dat. Perusii, XII kalendas julii, anno primo. »

« In e. m. pro eisdem venerabili fratri .. episcopo Arianensi. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Aureliacensis, Claromontensis diocesis. »

922 Pérouse, 4 juin 1304.

Mandatum simile pro magistro et fratribus Hospitalis s. Mariæ Theotonicorum Jerosolimitani abbati monasterii s. Panta-

1. Cet *In e. m.* est inscrit en marge.

leonis Coloniensis. — In eundem modum pro eisdem aliis conservatoribus. (n° 730 B, fol. 168.)

« .. *Abbati monasterii sancti Pantaleonis Coloniensis.* Etsi cunctos sub — Dat. Perusii, II nonas junii, anno primo. »

« In e. m. pro eisdem .. cantori ecclesie Basiliensis. »

« In e. m. pro eisdem venerabili fratri .. archiepiscopo Panormitano. »

« In e. m. pro eisdem .. archiepiscopo Tranensi. »

« In e. m. pro eisdem .. episcopo Coronensi. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Georgii de Venetiis, Castellane diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Scotorum in Vienna, Pataviensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie sancti Symeonis Treverensis. »

« In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Neuemburgensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Bu[r]cardi prope muros Herbipolenses. »

« In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie sancti Rumboldi Maglinicnsis, Cameracensis diocesis. »

923 Pérouse, 13 juin 1304.

Mandatum simile pro ordine Cisterciensi abbati monasterii Gemblacensis, Leodiensis diocesis. — In eundem modum diversis aliis conservatoribus. (n° 731, fol. 168.)

« .. *Abbati monasterii Gemblacensis* [1], *Leodiensis diocesis.* Ad compescendos conatus — Dat. Perusii, idibus junii, anno primo. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Pirsoniensis, Neuemburgensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii de Rivopullo, Vicentine diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Victoris Massiliensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancte Catherine Rothomagensis. »

1. Ms : « Gomblacensis. »

« In e. m. pro eisdem .. priori sancti Martini de Campis Parisiensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Stephani de Divione, Lingonensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Clementis Metensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Auberti Cameracensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Petri in Erfordia, Maguntine diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Pauli Bisuntini. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii de Antealtaria, Compostellane diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii de Condomo, Agennensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati majoris monasterii Turonensis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Petri de Thomeriis, Narbonensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii de sancto Salvatore, Tudensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati de Wastimonasterio prope Londonias. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Dolensi, Bituricensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Pauli Bisuntini. [1] »

« In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Petri de Generesio, Tarviensis diocesis. »

« In e. m. pro eisdem .. priori ecclesie Dunelmensis. »

« In e. m. pro eisdem venerabili fratri .. episcopo Aptensi. »

924 Pérouse, 20 mai 1304.

Priori et fratribus ordinis Predicatorum Fanensibus elargitur licentiam recipiendi de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille librarum Ravennatum. (n° 732, fol. 168 v°.)

1. Répétition du 10e *in e. m.*, qui se trouve un peu plus haut.

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Fanensibus.* Ut circa [ea] que Dei — Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

925 Pérouse, 16 mai 1304.

Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Imolensibus concedit, ut usque ad summam quinquaginta librarum Venetorum grossorum similiter valeant recipere. (n° 733 A, fol. 168 v°.)

« .. *Priori et conventui fratrum Predicatorum Imolensibus.* Volentes necessitatibus vestris — Dat. Perusii, XVII kalendas junii, anno primo. »

926 Pérouse, 3 juin 1304.

Eisdem ecclesiam s. Nicolai Imolensis, eorum loco contiguam, pro ampliatione ipsius loci concedit. (n° 733 B, fol. 168 v°.)

« *Eisdem.* Ut circa divinum obsequium, cui estis totaliter mancipati, liberius intendere valeatis vobisque et aliis proficere ad salutem, nos votis vestris favorabiliter annuentes, vobis libenter impendimus gratiam, quam vestris fore conspicimus necessitatibus oportunam.

Ex tenore siquidem vestre petitionis accepimus, quod ecclesia sancti Nicolai Imolensis, loco vestro vicina, vobis pro ipsius loci ampliatione existit plurimum oportuna. Cum autem tam venerabilis frater noster M[attheus], episcopus Imolensis, quam dilectus filius Thomas, rector ipsius ecclesie, suum libenter assensum exhibeant quod vos ecclesiam habeatis pro hujusmodi vestris necessitatibus antedictam, prout uterque ipsorum suam super hoc voluntatem per suas nobis litteras intimavit, nos vestris supplicationibus inclinati, predictam ecclesiam cum juribus et pertinentiis suis pro ejusdem loci ampliatione apostolica vobis auctoritate concedimus de gratia speciali, ita tamen quod vos parrochianis dicte ecclesie per ydoneum presbyterum ministretis ecclesiastica sacramenta, dictusque rector fructus, redditus et proventus possessionum, agrorum et vinearum dicte ecclesie, tantum quoad vixerit, pro substentatione sua recipiat, et post ejus obitum ad vos dicte possessiones libere devolvantur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, III nonas junii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Foroliviensi et .. sancte Marie in Regula Imolensis ac .. sancti Petri de Laderolo, Imolensis diocesis, monasteriorum abbatibus.

927 Au Latran, 2 mars 1304.

Christi fidelibus, qui ad consummationem ædificii plebis de Amburgo, Pataviensis diocesis, manum adjutricem porrexerint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit. (n° 734 A, fol. 168 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, VI nonas martii, anno primo. »

928 Au Latran, 13 janvier 1304.

Eisdem, qui capellam hospitalis s. Mariæ Virginis de Alpibus Jovis, Florentinæ diocesis, in ipsius Virginis festivitatibus devote visitarint, indulgentiam elargitur. (n° 734 B, fol. 168 v°.)

« *Eisdem.* Vite perennis gloria — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

929 Au Latran, 4 mars 1304.

Fratri Johanni Oliverii de Parma, olim ordinis Minorum, indulget ut in quibuslibet monasteriis ordinis s. Benedicti, ad quem nuper convolavit, prælaturas, dignitates seu officia quæcumque assumi licite valeat, non obstante Nicolai papæ IIII constitutione. (n° 735 A, fol. 168 v°.)

« *Fratri Johanni Oliverii de Parma, monacho monasterii Leonensis, ordinis sancti Benedicti, Brixiensis diocesis.* Porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, quod tu dudum de ordine fratrum Minorum, quem professus fueras, ad ordinem sancti Benedicti de tui superioris licentia convolasti, ac in monasterio Leonensi, dicti ordinis sancti Benedicti, Brixiensis diocesis, receptus in monachum et in fratrem, ibi predictum sancti Benedicti ordinem es professus. Licet autem fratribus dicti ordinis Minorum a felicis recordationis Nicolao papa IIII[to], predecessore nostro, dicatur fuisse concessum ut professi dictum eorum ordinem nequeant in aliis ordinibus, ad quos convolaverint, prelaturas, dignitates et officia alia obtinere, nos tamen attendentes quod tu hactenus laborasti fideliter et adhuc te laborare oportet in Ecclesie Romane negotiis in partibus Anglicanis, teque propterea ac laudabilium tuorum meritorum obtentu, super quibus alias fidedignorum testimonio commendaris, volentes prosequi favore gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, tecum ut tam in predicto, quam aliis monasteriis dicti ordinis sancti Benedicti prelaturas, dignitates seu officia quecumque ejusdem sancti Benedicti dumtaxat ordinis assumi licite valeas, concessione hujusmodi

et quibuslibet contrariis constitutionibus nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo. »

930 Pérouse, 3 juin 1304.

Valeat Dunelmensis episcopus duos notarios instituere. (nº 735 B, fol. 169.)

« *Venerabili fratri Antonio, episcopo Dunelmensi.* Habet in nobis — Dat. Perusii, III nonas junii, anno primo. »

931 Pérouse, 4 juin 1304.

Ministro fratrum ordinis Minorum provinciæ Coloniensis mandat, ut monasterium, nuper in civitate Coloniensi constructum ad honorem s. Claræ, ordini ipsius sanctæ incorporet et tres vel quatuor de monialibus de Nussia, præfati ordinis, ad dictum cœnobium pro eodem informando et instruendo transferat. (nº 736, fol. 169; POTTH., nº 25439.)

« .. *Ministro fratrum ordinis Minorum provincie Coloniensis.* Petitio tua nobis — Dat. Perusii, II nonas junii, anno primo. »

932 A Saint-Pierre, 8 avril 1304.

Consideratione Tusculani episcopi pro Johanne Palmerii de Turre consanguineo suo supplicantis, eidem Johanni confertur præpositura ecclesiæ s. Bartholomæi Leodiensis, quæ vacat ad præsens per promotionem Johannis præpositi ad episcopatum Pactensem. (nº 737, fol. 169.)

« *Johanni, nato dilecti filii Palmerii de Turre civis Romani, preposito ecclesie sancti Bartholomei Leodiensis.* Apostolice Sedis consueta — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Sabe de Urbe et .. priori plebis Fenonice, Fulginatis diocesis, ac .. decano ecclesie sancti Pauli Leodiensis.

933 Pérouse, 2 juin 1304.

Bonifatio Hugolelli de Turilia, cui Bonifatius VIII canonicatum, contulerat præbendamque reservaverat in ecclesia Placentina. Benedictus XI providet de quadam præbenda ibidem vacante, sublata difficultate infradicta. (nº 738, fol. 169 vº.)

« *Bonifatio Hugolelli de Turilia, canonico Placentino.* Porrecte nobis ex parte tua petitionis series continebat, quod felicis recordationis B[onifatius] papa VIIIus, predecessor noster, volens tibi gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Placentine cum plenitudine juris canonici ac prebendam nulli alii de jure debitam, si qua tunc vacabat ibidem, auctoritate tibi apostolica contulit et providit de illis; si vero nulla talis prebenda tunc vacabat in ecclesia supradicta, prebendam inibi proximo vacaturam, que similiter de jure nulli alii deberetur, conferendam tibi cum vacaret donationi apostolice reservavit, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contingeret attemptari, tibi tribus super hoc executoribus deputatis; quorum duobus, antequam aliqua prebenda tibi de jure debita in ecclesia predicta vacasset, cum tempore hujusmodi gratie tibi facte nulla vacaret ibidem, viam universe carnis ingressis et tertio in remotis [partibus] agente, vacavit ibi quedam prebenda subdiaconalis per obitum quondam Johannis dicti Cardinalis, canonici Placentini, quam dilecti filii capitulum dicte ecclesie, ad quos in ea canonicorum receptio et prebendarum collatio pertinet, tibi motu proprio contulerunt, teque receperunt ad illam in canonicum et in fratrem, ac tu occasione dicte prebende te fecisti ad subdiaconatus ordinem, prout onus requirebat illius, statutis a jure temporibus promoveri.

Dicto vero predecessore viam universe carnis ingresso, nos ad apicem summi Apostolatus assumpti, revocavimus omnes gratias predecessoris ipsius factas aliquibus de beneficiis ecclesiasticis vacaturis, ex quibus non esset jus in re licet ad rem cuiquam acquisitum, et demum volentes dilectum filium Franciscum Raymundi de Vicedominis de Placentia, nepotem venerabilis fratris nostri U[berti], episcopi Bononiensis, favore prosequi gratioso, canonicatum dicte ecclesie cum plenitudine juris canonici ac prebendam nulli alii de jure debitam, si qua in dicta ecclesia tunc vacaret, cum suis juribus et pertinentiis ei duximus conferendos; quod si talis prebenda in dicta tunc ecclesia non vacaret, reservavimus ei prebendam similem inibi proximo vacaturam, decernendo extunc irritum et inane si secus contingeret [1] [attemptari], quibusdam sibi super hoc executoribus deputatis. Verum quia revocatur in dubium utrum dicta prebenda ad te pertineat vel dicto Francisco potius debeatur, diversis jurisperitis diversa sentientibus in hoc casu, nos volentes ut hujusmodi collatio facta tibi de eadem prebenda sortiatur effectum, illam auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque : communimus, supplentes defectum si quis occasione talis collationis, reservationis factarum et decreti interpositi sit forsitan in eadem, ita tamen quod per hoc eidem Francisco vel alicui alii in

1. Ms : « contigerit. »

assecutionibus aliarum prebendarum dicte ecclesie nullum prejudicium generetur. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis et suppletionis, etc. Dat. Perusii, IIII nonas junii, anno primo. »

934 Pérouse, 31 mai 1304.

Johanni Guillelmi Servat, clerico Londoniensi illegitime nato, indulget ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit. (n° 739 A, fol. 169 v°.)

« *Johanni Guillelmi Servat, clerico Londoniensi.* Illegitime genitos — Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

935 Au Latran, 7 mars 1304.

Patriarchæ Jerosolimitano facultatem elargitur condendi testamentum. (n° 739 B, fol. 169 v°.)

« *Venerabili fratri R*[*adulfo*], *patriarche Jerosolimitano.* Quia presentis vite conditio, etc., usque : pervenire.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, et que non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, vel que ordinis fratrum Predicatorum quem fuisti professus non existant, pro decentibus et honestis expensis tui funeris ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, juxta servitii meritum moderate tamen disponere ac erogare et alias, prius de ipsis earumdem ecclesiarum ere alieno deducto ut ipse ecclesie non remaneant debitis obligate, in pios usus convertere possis fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Volumus autem ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui, erga ecclesias a quibus eadem percepisti te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et saluti anime tue videris expedire. Dat. Laterani, nonis marcii, anno primo. »

936 Pérouse, 7 juin 1304.

Ut possit Eduensis episcopus concedere duabus personis tabellionatus officium. (n° 740 A, fol. 169 v°.)

« *Venerabili fratri B*[*artholomeo*], *episcopo Eduensi.* Ne contractuum memoria — Dat. Perusii, VII idus junii, anno primo. »

937 Pérouse, 7 juin 1304.

Eidem episcopo facultatem concedit faciendi recipi personas idoneas in canonicos in Eduensi, Belnensi, de Vergeyo et de Castrocensorio, Eduensis diocesis, ecclesiis, singulas videlicet in singulis, ac providendi eisdem de præbendis. (n° 740 B, fol. 170.)

« *Eidem.* Personam tuam paterna — Dat. ut supra. »

938 A Saint-Pierre, 8 avril 1304.

Benedicto Malocello et Catelinæ Oddoardi Spinolæ, civibus Januensibus, indulget ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, matrimonium invicem contrahere possint. (n° 741 A, fol. 170.)

« *Dilecto filio nobili viro Benedicto Malocello et dilecte in Christo filie nobili mulieri Cateline Oddoardi Spinole, civibus Januensibus.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus aprilis, anno primo. »

939 Pérouse, 20 mai 1304.

Henrico de Hertelyaigton., Eboracensis diocesis, licentiam concedit habendi altare portatile. — Eadem gratia pro Carolo, nato comitis Palatini et Lavaniæ. (n° 741 B, fol. 170.)

« *Nobili viro Henrico de Hertelyaigton., Eboracensis diocesis.* Devotionis tue precibus inclinati, habendi altare portatile cum debita reverentia et honore ac faciendi super illo missarum solennia celebrari auctoritate presentium tibi liberam concedimus facultatem, sine juris prejudicio alieni. Nulli, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno I°. »

In e. m. Carolo, nato nobilis viri Nicolai de Flisco, Palatini et Lavanie comitis.

940 Au Latran, 23 février 1304.

Episcopo Portuensi mandat, moneat et inducat vel etiam per censuram ecclesiasticam compellat rectores et congregationem fraternitatis s. Francisci de Urbeveteri, ut quandam domum cum horto, quam habent juxta locum fratrum ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem, ipsis fratribus vendant pro pretio competenti. (n° 742 A, fol. 170.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Portuensi.* Ex parte dilectorum filiorum .. prioris et conventus fratrum ordinis Predicatorum Urbevetanorum fuit expositum coram no-

bis, quod rectores et congregatio fraternitatis sancti Francisci de Urbeveteri quandam domum cum orto habent in civitate predicta, infirmarie ipsorum fratrum propinquam ipsisque priori et fratribus propter nimiam vicinitatem et alias plures causas plurimum tediosam, qui quidem domus et ortus fuerunt eidem congregationi sub ea conditione relicti ne cuiquam venderentur, ad hoc ut ad predictos priorem et fratres domus et ortus hujusmodi non possent quomodolibet devenire, in eorumdem prioris et conventus prejudicium et gravamen. Quare ex parte dictorum prioris et conventus fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi domum et ortum predictos parati sint emere pro pretio competenti, providere super hoc eis paterna sollicitudine curaremus.

Quocirca fraternitati tue, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus rectores et congregationem predictos per te vel alium seu alios ex parte nostra moneas et inducas, et si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, quod domum et ortum predictos pro hujusmodi pretio vendant priori et fratribus antedictis, conditione hujusmodi non obstante. Ex pretio vero predicto ematur domus alia loco ejus. Dat. Laterani, VII kalendas marcii, anno primo. »

941 Pérouse, 4 juin 1304.

Priorissæ et sororibus monasterii s. Petri Urbevetani, sub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventibus, indulget ut ad præstandum decimas vel ad exhibendum quascumque seculares exactiones minime teneantur. (n° 742 B, fol. 170.)

« .. *Priorisse et sororibus monasterii sancti Petri Urbevetani, ordinis sancti Augustini secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventibus, tam presentibus quam futuris.* Sacra vestra religio — Dat. Perusii, II nonas junii, anno primo. »

942 Viterbe, 13 avril 1304.

Pandulfo, nato Capotiæ quondam Pandulfi dicti de Cardinali, beneficium ecclesiasticum confert, quod duxerit acceptandum in Balneoregensi civitate vel diocesi. (n° 743, fol. 170 v°.)

« *Pandulfo, nato dilecti filii Capotie quondam Pandulfi dicti de Cardinali militis* [1], *canonico ecclesie sancti Mathei de Sonza Viterbiensis.* Laudabile testimonium — Dat. Viterbii, idibus aprilis, anno primo. »

1. Dans le texte de la pièce on trouve *militis Viterbiensis.*

In e. m. .. sancti Thome et .. sancti Martini ac .. sancte Marie in Palumba Viterbiensis secularium ecclesiarum prioribus.

943 Pérouse, 28 mai 1304.

Johanni de Kelles, nato Godefridi de Brabantia, clerico Leodiensis diocesis, indulget ut, non obstante illegitimitatis macula, omnes ordines recipere ac beneficium obtinere valeat. (n° 744, fol. 170 v°.)

« *Johanni de Kelles, nato nobilis viri Godefridi de Brabantia, clerico Leodiensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Perusii, V kalendas junii, anno primo. »

944 Pérouse, 5 juin 1304.

Cum Jerosolimitanus patriarcha, ab ecclesia sua dudum exulans bonisque propriis totaliter destitutus, nihil habeat unde possit juxta sui status decentiam substentari, ei Benedictus XI curam et administrationem vacantis ecclesiæ Brundusinæ committit ad ipsius inopiam relevandam. (n° 745, fol. 170 v°.)

« *Venerabili fratri Radulfo, patriarche Jerosolimitano.* Injunctum nobis a Domino apostolice servitutis officium exequi utiliter affectantes, circa diversa que agenda nostris incumbunt humeris continua excitamur instantia, sed precipue circa omnium ecclesiarum et ministrorum Dei statum vigilanter intendimus, ut iidem ecclesie ac ministri, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, superni favoris dextera suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Habet siquidem rei veritas nec orbis latet angulos, quod impia Sarracenorum feritas, statui Christiane Religionis infesta, totam fere Terram Sanctam et sitam in ea Jerosolimitanam ecclesiam prodholor! desolavit ac phedis tenet pedibus conculcatas (utinam miserabiliter non destructas!) sicque tu ecclesia eadem ac omnibus bonis ejus et tuis in ultramarinis partibus destitutus, ab ipsis diutius exulasti et exulas, mendicitatis tedia perferens nec habens unde possis juxta tui status decentiam comode substentari.

Sane nuper venerabilem fratrem nostrum A[ndream], archiepiscopum olim Brundusinum in archiepiscopum Capuanum electum, ad ecclesiam Capuanam tunc pastore carentem de Brundusina ecclesia, cujus regimini presidebat, duximus auctoritate apostolica transferendum, et per hujusmodi translationem ecclesia ipsa Brundusina vacante, provisionem et ordinationem ejusdem ecclesie Brundusine ea vice dispositioni nostre et Sedis Apostolice reservavimus, et decrevimus irritum et

inane si secus per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Considerantes igitur quod ipsius ecclesie Brundusine regimen per te salubriter exerceri poterit, et tibi exinde competens subsidium pro substentatione tua et tue familie provenire, donec dicta Sedes circa statum persone tue vel ipsius ecclesie duxerit aliter providendum, et intendentes in hac parte tam utilitati prefate Brundusine ecclesie providere, quam tuis oportunitatibus paterna diligentia subvenire, curam et administrationem plenam et liberam prefate ecclesie Brundusine ac ejus bonorum et jurium in spiritualibus et temporalibus fraternitati tue auctoritate predicta committimus a te usque ad dicte Sedis beneplacitum exercendas, tibique disponendi interim de bonis predictis prout ejusdem ecclesie ac tuis utilitatibus expedire videris, alienatione tamen bonorum immobilium dicte ecclesie tibi penitus interdicta, precipiendi insuper et ordinandi que ad statum salubrem dicte ecclesie noveris pertinere, ac faciendi quecumque circa premissa fuerint oportuna, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante si aliquibus a prefata Sede indultum existat quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam et liberam eadem auctoritate concedimus potestatem.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus curam et administrationem hujusmodi sic sollicite, sic prudenter et fideliter gerere studeas, quod exinde divine retributionis premium consequi merearis nosque devotionem tuam commendare propterea merito valeamus. Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

In e. m. capitulo ecclesie Brundusine.

In e. m. clero civitatis et diocesis Brundusine.

In e. m. populo civitatis et diocesis Brundusine.

In e. m. universis vassallis ecclesie Brundusine.

In e. m. .. episcopo Astrunensi, suffraganeo ecclesie Brundusine.

In e. m. C[arolo], regi Sicilie illustri.

945 — Pérouse, 11 mai 1304.

Cum ecclesia Paduana debitorum onere sit oppressa, Benedictus XI volens ei de alicujus subventionis remedio providere, monasterium de Pratalia, ordinis s. Benedicti, Paduanæ diocesis, episcopo Paduano usque ad duos annos commendat, ei largiendo licentiam disponendi libere de redditibus prædicti monasterii, ut exinde commodius valeat incumbentia sibi expensarum onera supportare. (nº 746, fol. 171.)

« *Venerabili fratri P[agano], episcopo Paduano.* Personam tuam tue fraternitatis exigentibus meritis sincera benivolentia prosequentes, gratiam tibi libenter impendimus, quam tuis et ecclesie tue fore conspicimus necessitatibus oportunam.

Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, monasterium de Pratalia, ordinis sancti Benedicti, Paduane diocesis, subjectum monasterio sancti Benedicti de Pollirono, ejusdem ordinis, Mantuane diocesis, quod quidem monasterium de Pollirono cum omnibus monasteriis et membris ei subjectis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, vacet ad presens, tuaque ecclesia Paduana debitorum onere sit oppressa, nos eidem monasterio ut gubernatoris et defensoris munimine fulciatur, tibique ut comodius possis hujusmodi debita solvere et incumbentia tibi expensarum onera supportare, de alicujus subventionis remedio providere volentes, monasterium ipsum fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Deo specialem, usque ad duos annos auctoritate apostolica commendamus, exercendi interim per te vel alium seu alios administrationem ipsius monasterii plenam et liberam in spiritualibus et temporalibus, ac dispensandi fructus, redditus et proventus ejusdem monasterii et disponendi de illis prout tuis et ipsius monasterii utilitatibus expedire videris, ita tamen quod de ipsis abbati qui pro tempore fuerit ac monachis et personis dicti monasterii pro congrua sustentatione ipsorum decens portio ministretur, nec non precipiendi, statuendi et ordinandi medio tempore que ad statum salubrem ipsius monasterii pertinere cognoveris, contradictores quoque, etc., usque : compescendi, non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, litteris et privilegiis dicte Sedis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, alienatione quorumcumque bonorum immobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta, plenam tibi concedentes auctoritate presentium facultatem. Dat. Perusii, v idus maii, anno primo. »

946 — Pérouse, 17 juin 1304.

Obtentu Sabinensis episcopi, conceditur Alvaro Nunii, scholari Burgensis diocesis, ut non obstante illegitimitatis macula omnes ordines recipere valeat ac beneficium ecclesiasticum assequi. (nº 747, fol. 171 vº.)

« *Alvaro Nunii, scolari Burgensis diocesis.* Probitatis studia quibus — Dat. Perusii, xv kalendas julii, anno primo. »

947 Au Latran, 9 mars 1304.

Cum in ecclesia Vivariensi sit canonicorum defectus, episcopo Vivariensi licentia tribuitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in eadem ecclesia, ac ipsis providendi ibidem de præbendis. (n° 748, fol. 171 v°.)

« *Venerabili fratri nostro A[ldeberto], episcopo Vivariensi.* Cum sicut tua — Dat. Laterani, vii idus martii, anno primo. »

948 Pérouse, 1er juin 1304.

Facino dicto Cardinali, canonico et magistro scholarum ecclesiæ Januensis, confertur præpositura ecclesiæ s. Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis. Dispensatur insuper cum eodem, ut præposituram, canonicatum et magisterium supradicta insimul retinere valeat. (n° 749, fol. 171 v°.)

« *Facino dicto Cardinali, preposito ecclesie sancti Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis.* Digne illi ad dignitates ecclesiasticas promoventur, ex quorum promotione non minus propter eorum merita providetur ecclesiis quam personis.

Vacante siquidem nuper prepositura ecclesie sancti Salvatoris de Lavania, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Januensis diocesis, per promotionem venerabilis fratris nostri Leonardi, episcopi Cathaniensis, factam ad ecclesiam Cathaniensem et consecrationem ipsius, nobiles viri Nicolaus, Andriolus, Guillelmus, Percivallus Opezinus, et alii de domo de Flisco, veri patroni dicte ecclesie sancti Salvatoris, ad quos ex privilegio super hoc patronis eisdem concesso a felicis recordationis Innocentio papa IIIIto, predecessore nostro, presentatio persone instituende in prepositum dicte ecclesie, cum eam vacare contingit, pertinet, considerantes tue merita probitatis ac sperantes quod per te ipsi ecclesie sancti Salvatoris, divina favente clementia, multa bona poterunt provenire, te nobis ad preposituram eandem per eorum patentes litteras presentarunt, nobis humiliter supplicando ut hujusmodi eorum presentationem admittere teque in prepositum dicte ecclesie instituere dignaremur.

Cum itaque tibi super multiplicis meritis probitatis tam dictorum patronorum, quam aliorum laudabile testimonium suffragetur, nos ipsorum patronorum votis favorabiliter annuentes, presentationem eandem apostolica auctoritate admittimus teque investimus in prepositum ecclesie prelibate, decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari, non obstante quod in ecclesia Januensi in canonicum sub expectatione prebende auctoritate apostolica es receptus ac magisterium scolarum ipsius Januensis ecclesie nosceris obtinere, tecum nichilominus dispensantes, ut preposituram predictam una cum magisterio scolarum nec non canonicatu et prebenda predictis, cum prebendam ipsam habueris, retinere licite valeas generalis Concilii et alia quavis constitutione contraria non obstante. Nulli ergo, etc., nostre admissionis, institutionis, constitutionis et dispensationis, etc. Dat. Perusii, kalendis junii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Stephani et .. preposito ecclesie sancti Donati Januensis ac Salvo de Pellacano, canonico Lexoviensi.

949 Pérouse, 14 mai 1304.

Bartholomæo, nato Giani de Circulis, clerico Florentino, confertur beneficium ecclesiasticum quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Aretina. (n° 750, fol. 171 v°.)

« *Bartholomeo, nato dilecti filii nobilis viri Giani de Circulis, clerico Florentino.* Ut tua et tuorum — Dat. Perusii, ii idus maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Aretino et Ugolino de Marciano, archidiacono Aunisiensi in ecclesia Xanctonensi, et Benedicto [de Mucello] [1], canonico Fesulano.

950 Pérouse, 12 mai 1304.

Petro quondam Consilii de Circulis, clerico Florentino, confertur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in Florentina vel Fæsulana civitatibus seu diocesibus. (n° 751, fol. 172.)

« *Petro, nato quondam Consilii de Circulis, clerico Florentino.* Ut tua et tuorum — Dat. Perusii, iiii idus maii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancte Marie Florentine et .. plebano plebis de Empoli, Florentine diocesis, ac Benedicto de Mucello, canonico Fesulano.

951 Pérouse, 14 mai 1304.

Phylippo quondam Nicolæ de Cerchiis, clerico Florentino,

1. Cf. les *In e. m.* des deux pièces suivantes.

confertur beneficium ecclesiasticum quod acceptandum duxerit in diocesi Pistoriensi. (n° 752, fol. 172.)

« *Phylippo, nato quondam Nicole de Cerchiis, clerico Florentino.* Ut tua et tuorum — Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancte Marie Florentine ac Rogerio, plebano plebis de Empoli, Florentine diocesis, et Benedicto de Mucello, canonico Fesulano.

952 Au Latran, 11 mars 1304.

Dispensatur cum Corrado, rectore parochialis ecclesie in Ahusen, Eystetensis diocesis, super irregularitate quam contraxit ex eo quod olim præfatam ecclesiam de facto obtinens, eam cum alio beneficio absque Sedis Apostolicæ licentia retinuit, et interim in ea residere vel se ad sacerdotium facere promoveri non curavit. Ipsi etiam conceditur ut de cætero dictam ecclesiam cum canonicatu et præbenda in eadem insimul retinere valeat (n° 753, fol. 172 v°.)

« *Corrado, rectori ecclesie parrochialis in Ahusen, Eystetensis diocesis.* Oblata nobis ex — Dat. Laterani, v idus martii, anno primo. »

953 Au Latran, 9 janvier 1304.

Dispensatur cum Alvaro Gonsalvi, canonico Egitaniensi, super inhabilitatis macula, quam contraxit retinendo insimul per plures annos canonicatum cum præbenda in ecclesia Egitaniensi et ecclesiam s. Petri de Coveliana, ejusdem diocesis. Ipsi quoque conceditur ut eadem beneficia de cætero licite retinere valeat. (n° 754, fol. 172 v°.)

« *Alvaro Gonsalvi presbytero, canonico Egitaniensi.* Lecta coram nobis tua petitio continebat quod olim bone memorie Johannes, episcopus Egitaniensis, dum viveret, tecum super defectu natalium quem pateris de soluto genitus et soluta, quod hujusmodi non obstante defectu posses ad minores ordines promoveri et simplex beneficium obtinere auctoritate ordinaria dispensavit, et deinde in ecclesia Egitaniensi canonicatu et prebenda per mortem quondam Martini Petri dicti Gordo, canonici Egitaniensis, vacantibus, idem episcopus dictos canonicatum et prebendam ad suam collationem spectantes, nulli alii de jure debitos, cum consensu etiam dilectorum filiorum capituli ejusdem ecclesie auctoritate predicta tibi contulit et providit etiam de eisdem.

Postmodum autem auctoritate litterarum Sedis Apostolice, in quibus de dispensatione tecum habita per episcopum memoratum et collatione tibi facta, ut predicitur, de canonicatu et prebenda predictis mentio aliqua non fiebat, tecum extitit dispensatum ut predicto non obstante defectu posses ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere, etiam si curam animarum haberet, teque post dispensationem auctoritate dictarum litterarum secutam rite fecisti statutis a jure temporibus in presbyterum ordinari, ac ecclesiam sancti Petri de Coveliana, Egitaniensis diocesis, cui cura iminet animarum, fuisti alias canonice assecutus, dictosque canonicatum et prebendam ac ecclesiam sancti Petri per plures annos insimul tenuisti, percipiens ipsorum redditus et proventus. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super retentione predictorum canonicatus et prebende ac ecclesie sancti Petri de oportune dispensationis beneficio paterna sollicitudine dignaremur.

Nos itaque attendentes quod defectum natalium supplere diceris meritis bonitatis, ac volentes proinde personam tuam prosequi gratiose, omnem inhabilitatis maculam sive notam in te obortam ex retentione dictorum canonicatus et prebende ac ecclesie et perceptione fructuum eorumdem, de quibus pro rata per te satisfieri volumus ecclesiis supradictis, ex apostolice potestatis plenitudine abolemus.

Tecum nichilominus ut, predicto non obstante defectu, canonicatum, prebendam et ecclesiam sancti Petri predictos, dummodo in eis vel ad eos non sit jus alicui acquisitum, possis insimul licite retinere auctoritate apostolica dispensamus, proviso quod prebenda et ecclesia sancti Petri predicte debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eadem ecclesia nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre abolitionis et dispensationis, etc. Dat. Laterani, v idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

954 Pérouse, 14 mai 1304.

Obtentu Hugonis de Salodo, ambaxiatoris comitis Brixiæ, pro nepote suo Galeatio supplicantis, dicto Galeatio conceditur beneficium ecclesiasticum vacans vel quam primum vacaturum in ecclesia Veronensi. (n° 755, fol. 173.)

« *Dilecto filio Galeatio, nato quondam Ursaci de Salodo, clerico Brixiensi.* Ut tua tuorumque — Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

In e. m. Altegrado, electo Vicentino, et .. abbati monasterii sancti Firmini minoris ac .. archipresbytero ecclesie Veronensis.

955 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Angelo Be[n]venuti de Camoraca, canonico ecclesiæ s. Bartholomæi de Trevellaria, Tudertinæ diocesis, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Tudertina. Dispensatur quoque cum eo super pluralitate beneficiorum. (n° 756, fol. 173.)

« *Dilecto filio Angelo Be[n]venuti de Camoraca, clerico Tudertine diocesis.* Ad illorum provisionem — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. priori sancti Donati de Tuxalla, Tudertine diocesis, ac Petro de Valengis basilice Principis Apostolorum de Urbe, et Raynaldo Caroci Tudertine canonicis ecclesiarum.

956 Pérouse, 21 mai 1304.

Episcopo Carnotensi committit, ut in ecclesia, quam Petronilla de Geriaco, domicella familiaris reginæ Francorum, construi fecit in domo sua de Hennemonte, Carnotensis diocesis, fratres ordinis Vallisscolarium ad requisitionem ipsius Petronillæ instituat perpetuo ibidem Domino servituros. (n° 757 A, fol. 173 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Carnotensi.* Cum dilecta in Christo filia Petronilla de Geriaco, domicella familiaris carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francorum illustris, cupiat sicut asserit in ecclesia, quam ipsa in domo sua Hennemonte, tue diocesis, in honore beate Marie Virginis et sancti Lodovici confessoris construi fecit, per fratres ordinis Vallisscolarium ad quem specialem gerit devotionis affectum perpetuis temporibus deserviri, nos volentes eandem domicellam in hujusmodi proposito confovere, ejus supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si solum dicte ecclesie ad domicellam pertinuerit antedictam, vel illius seu illorum ad quem vel ad quos pertinuerit ad id accedat assensus, ad requisitionem domicelle predicte dictam ecclesiam ordines de fratribus antedictis, statuendo quod per ejusdem ordinis fratres in eadem ecclesia perpetuis futuris temporibus serviatur, sine juris prejudicio alieni. Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

957 Pérouse, 12 mai 1304.

Liceat episcopo Fuliginati condere testamentum. (n° 757 B, fol. 173 v°.)

« *Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Fuliginati* [1]. Quia presentis vite — Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

1. Ms : « Fuliginant'. »

958 Pérouse, 30 mai 1304.

Armenos domus Sancti Spiritus Anconitani sub sua et b. Petri protectione suscipit. — Eisdem indulget ut nullus delegatus, subdelegatus, executor vel conservator Sedis Apostolicæ in eos excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias audeat promulgare absque Sedis ejusdem mandato speciali. (n° 758, fol. 173 v°.)

« *Dilectis filiis Armenis domus Sancti Spiritus Anconitani.* Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, etc., usque : confovere.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo sub comuni degitis vita, cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis [1] adipisci, ad instar felicis recordationis Innocentii pape IIII ti, predecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut loci diocesanus nichil in procurationibus, que ratione procurationis debentur, nec aliquid temporale in eo valeat vendicare. Nulli ergo, etc., nostre protectionis et constitutionis, etc. Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

« In e. m. eisdem. Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, vobis ad instar felicis recordationis Innocentii pape IIII ti, predecessoris nostri, auctoritate presentium indulgemus ut nullus delegatus, subdelegatus, executor vel conservator Sedis Apostolice in vos excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententias audeat promulgare, absque mandato speciali Sedis ejusdem faciente plenam de hac indulgentia mentionem, districtius inhibentes ne quis a vobis aliquid de bonis vestris exigere absque mandato speciali nostro, ex quacumque causa vel auctoritate, presumat. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et inhibitionis, etc. Dat. ut supra. »

959 Pérouse, 30 mai 1304.

Episcopo Auximano mandat, ut Armenos domus Sancti Spiritus Anconitani adversus molestatores quoscumque strenue tueatur. (n° 759 A, fol. 173 v°.)

1. Ms : « poterit. »

« *Venerabili fratri .. episcopo Auximano* [1]. Pium esse dinoscitur — Dat. Perusii, III kalendas junii, anno primo. »

960 Au Latran, 13 février 1304.

Episcopo Torcellano mandat, ut abbatem et conventum monasterii Senevalli (*sic*) de Fulina, Cisterciensis ordinis, Cenetensis diocesis, contra molestatores sollicite protegat. (n° 759 B, fol. 174.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Torcellano*. Pium esse dinoscitur — Dat. Laterani, idibus februarii, anno primo. »

961 Au Latran, 14 février 1304.

Ducissæ Austriæ et Stiriæ concedit, ut quatuor clerici ejus possint percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum usque ad quinquennium. (n° 760, fol. 174.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blance, ducisse Austrie et Stirie*. Magne devotionis affectus — Dat. Laterani, XVI kalendas marcii, anno primo. »

962 Au Latran, 14 février 1304.

Eidem ducissæ liceat eligere sibi confessorem. — Valeat insuper in locis ecclesiastico suppositis generali interdicto, cum ipsam ad ea declinare contigerit, missarum solemnia per capellanum proprium facere celebrari. (n° 761, fol. 174.)

« *Eidem*. Ne aliquid in te — Dat. ut supra. »

« Item eidem. Pium arbitramur et congruum — Dat. ut supra. »

963 Au Latran, 15 février 1304.

Decano et capitulo ecclesiæ Laudunensis concedit, ut, juxta tenorem inferioris epistolæ, censuram ecclesiasticam in injuriatores suos vel molestatores aut bonorum suorum invasores, non obstantibus privilegiis contrariis quibusdam ordinibus, monasteriis seu personis ab Apostolica Sede concessis, libere valeant exercere. (n° 762, fol. 174.)

« *Dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Laudunensis*. Lecta coram nobis devotionis vestre petitio continebat, quod nos universitati vestre ad instar felicis recordationis Urbani pape IIII^ti, predecessoris nostri, per nostras duximus litteras indulgendum ut in omnes, qui ecclesie Laudunensis bona, sive que ad vos communiter sive que ad aliquem seu aliquos vestrum specialiter aut capellanos seu clericos vel homines de corpore predicte ecclesie aut quoscumque alios ratione ipsius ecclesie pertinent, invaderent vel occuparent aut raperent seu predati forent, vel vos aut capellanos seu clericos vel homines sive alios predictos aut aliquem ex vobis vel ipsis super hujusmodi bonis molestare seu vobis aut eis injuriari presumerent, postquam de hiis per confessionem [1] ipsorum vel alias legitime vobis, quibus cognoscendi auctoritatem per easdem litteras concedenda[m] duximus [in hac parte] [2], constitisset, nisi canonice a vobis moniti satisfactionem debitam exhiberent competentem, possetis libere, sive clerici forent sive laici, appellatione remota censuram ecclesiasticam exercere, nec non uni vel duobus aut tribus ex vobis, quotiens expedire videretis, in hiis committere vices vestras.

Verum quia tam Cluniacensi quam Cisterciensi et Premonstratensi [ordinibus] ac .. abbati et conventui majoris monasterii Turonensis et nonnullis aliis religiosis et clericis secularibus est, ut dicitur, ab Apostolica Sede concessum quod interdici, suspendi vel excommunicari aut in judicium ullo modo extra certum locum evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de ipsorum ordinibus et ecclesiis ac de verbo ad verbum de mandato hujusmodi mentionem, nos vestris supplicationibus inclinati, predicti predecessoris vestigiis inherentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut vos aut unus seu duo vel tres vestrum, quibus super hoc commiseritis vices vestras, indultis hujusmodi seu quibusvis aliis cuicumque persone, ordini, vel loco seu dignitati sub quavis expressione verborum a Sede predicta concessis, etiam si diceretur in eis quod non posset ipsis per aliquas litteras apostolicas derogari, sive constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali nequaquam obstantibus, facta vobis in hac parte gratia uti libere valeatis. Dat. Laterani, XV kalendas marcii, anno primo. »

964 Au Latran, 15 février 1304.

Eisdem indulget, ut in injuriatores suos vel quoscumque molestatores censuram ecclesiasticam libere valeant exercere, nec non sententias ab ipsis hujusmodi occasione prolatas juxta formam Ecclesiæ relaxare. (n° 763, fol. 174 v°.)

« *Eisdem* [3]. Desideriis vestris super hiis libenter annuimus, per que materia sublata gravaminis vos et Laudu-

1. Ms : « Auximans. »

1. Ms : « concessionem ». Cf. la pièce suivante.
2. Cf. même passage.
3. Ms : « Eidem. »

nensis ecclesia statum tranquillum et prosperum habeatis.

Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod nonnulli, qui gloriantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis, bona ejusdem ecclesie nec non canonicorum, capellanorum, clericorum ac hominum de corpore predicte ecclesie invadere, occupare ac rapere et alias vobis et ipsis injuriari multipliciter propria temeritate presumunt, in vestrum et ecclesie predicte, canonicorum, capellanorum, clericorum et hominum predictorum prejudicium non modicum et gravamen. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos igitur hujusmodi pravorum conatibus congruis remediis obviare volentes, vestris supplicationibus inclinati, vobis ad instar felicis recordationis Urbani pape IIII[ti], predecessoris nostri, auctoritate presentium indulgemus ut in omnes, qui ejusdem ecclesie bona, sive que ad vos communiter sive que ad aliquem seu aliquos vestrum specialiter aut ad capellanos sive clericos vel homines de corpore predicte ecclesie aut quoscumque alios ratione predicte ecclesie, pertinent, invaserint vel occupaverint aut rapuerint seu predati fuerint, vel vos aut capellanos seu clericos vel homines de corpore sive alios predictos aut aliquem ex vobis vel ipsis super hujusmodi bonis molestare seu vobis aut eis injuriari presumpserint, postquam de hiis per confessionem ipsorum [1] vel alias legitime vobis, quibus cognoscendi auctoritatem concedimus in hac parte, constiterit, nisi canonice a vobis moniti satisfactionem de hiis exhibuerint competentem possitis libere, sive clerici fuerint sive laici, appellatione remota censuram ecclesiasticam exercere, non obstante quacumque apostolica indulgentia quibuscumque concessa, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, aut si sano usi consilio satisfactionem impenderint, prolatas propter hoc sententias a vobis in ipsos juxta formam Ecclesie relaxare, nec non uni vel duobus aut tribus ex vobis, quotiens expedire videritis, in hiis committere vices vestras. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xv kalendas marcii, anno primo. »

965 Au Latran, 13 janvier 1304.

Episcopo Feltrensi ac Bellunensi concedit licentiam faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in Feltrensi et totidem in Bellunensi ecclesiis, ac providendi eisdem de præbendis. (n° 764, fol. 174 v°.)

« *Venerabili fratri Alexandro, Feltrensi et Bellunensi episcopo*. Volentes personam tuam — Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

1. Ms : « ipsarum. »

966 Au Latran, 2 mars 1304.

Duabus personis infradictis Amalfitanæ civitatis concedit, ut matrimonium invicem contrahere possint, impedimento cujusdam affinitatis non obstante. (n° 765, fol. 174 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni de Judice Pullino domicello et dilecte in Christo filie nobili mulieri Florette, relicte quondam Jacobucii Cappasancti laici vidue, civibus Amalfitanis*. Romani pontificis precellens auctoritas concessa sibi desuper utitur potestate, prout personarum, locorum, negotiorum et temporum qualitate pensata conspicit [id] secundum Deum salubriter expedire.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos pro sedandis discordiis, que inter utriusque vestrum consanguineos et amicos hactenus exorte fuerunt, cupitis invicem matrimonialiter copulari; sed quia quondam Jacobucius Cappasancti vir tuus, filia Floretta, erat dum viveret tibi, fili Johannes, in quarto consanguinitatis gradu conjunctus, non potestis, impedimento affinitatis hujusmodi in qua vos ad invicem attinetis obsistente, vestrum in hac parte desiderium adimplere. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis gratia misericorditer dignaremur.

Nos itaque sperantes quod ex hujusmodi matrimonio, si fiat, predicta et alia bona poterunt provenire, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum ut, non obstante impedimento affinitatis hujusmodi, matrimonium invicem contrahere et in contracto licite remanere libere valeatis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, [etc]. Dat. Laterani, vi nonas marcii, anno primo. »

967 Au Latran, 13 janvier 1304.

Gometio Consalvi, clerico Bracharensis diocesis, indulget ut cum portione perpetua et præstimoniis, quæ in ecclesia de Vimaranis, supradictæ diocesis, obtinet, beneficium aliud insuper recipere ac retinere valeat. (n° 766, fol. 174 v°.)

« *Dilecto filio Gometio Consalvi, perpetuo portionario ecclesie de Vimaranis, Bracharensis diocesis*. Ad illorum provisionem dexteram apostolice liberalitatis libenter extendimus, quibus ad id propria merita testimonio fidedigno didicimus suffragari.

Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim

super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod hujusmodi non obstante defectu posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam animarum haberet, tecum extitit auctoritate apostolica dispensatum, et quod tu post dispensationem hujusmodi quedam perpetuam portionem et prestimonia in eadem ecclesia de Vimaranis fuisti canonice assecutus. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum tu, qui traxisti de nobilibus partium illarum originem, nequeas de ipsorum portionis et prestimoniorum proventibus juxta tui status decentiam comode sustentari, providere tibi super hoc benignius dignaremur.

Nos itaque volentes personam tuam nobis de litterarum scientia, honestate morum et vite ac aliis virtutum meritis fidedignorum testimonio commendatam prerogativa prosequi gratie specialis, tecum ut unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum, si tibi canonice offeratur, licite possis recipere, defectu predicto et qualibet constitutione contraria super hoc edita nequaquam obstantibus, et una cum portione et prestimoniis supradictis libere retinere auctoritate apostolica dispensamus, proviso quod hujusmodi beneficium, postquam illud adeptus fueris, et dicta portio ac prestimonia debitis obsequiis non fraudentur[1] et animarum cura in ipso beneficio, si illam sibi iminere contigerit, nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo. »

968 Au Latran, 13 janvier 1304.

Vacante præpositura ecclesiæ de Carpineto, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Reginæ diocesis, in præpositum ipsius ecclesiæ Bernardinus de Foliano electus est; qui propter negligentiam procuratoris, quem ad Sedem Apostolicam destinaverat pro negotio hujusmodi prosequendo, confirmationem electionis præfatæ obtinere non valuit. Ista autem electio per præsentes litteras approbatur. (nº 767, fol. 175.)

« *Dilecto filio Bernardino de Foliano, præposito ecclesie de Carpineto, Regine diocesis.* Laudabilia tue merita — Dat. ut supra. »

969 Pérouse, 29 mai 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Christofori de Bergamasco, ordinis s. Benedicti, Taurinensis diocesis, confirmat prioratus infradictos, quos quidem obtinebant ex concessione abbatis et conventus monasterii s. Michaelis de Clusa, prædictorum ordinis et diocesis. (nº 768, fol. 175.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii sancti Christofori de Bergamasco, ordinis sancti Benedicti, Aquensis diocesis.* Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod dilecti filii .. abbas et conventus monasterii sancti Michaelis de Clusa, ordinis sancti Benedicti, Taurinensis diocesis, ad quos monasterium vestrum immediate spectat, provide attendentes quod vos de proventibus ejusdem monasterii vestri non poteratis comode substentari, et quod sancti Petri in Gerne et sancti Nicolai de Montevillermi prioratus, Aquensis diocesis, ad dictum monasterium vestrum spectantes, soliti per monachos ipsius monasterii gubernari, propter guerrarum discrimina in illis partibus ingruentium erant in eorum redditibus non modicum diminuti, utriusque monasterii utilitate pensata, eosdem prioratus usibus vestris imperpetuum applicarunt, prout in patentibus litteris inde confectis, ipsorum abbatis et conventus dicti monasterii sancti Michaelis sigillis munitis, plenius dicitur contineri.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem abbate et conventu sancti Michaelis factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Perusii, IIII kalendas junii, anno primo. »

970 A Saint-Pierre, 31 mars 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Ragusinis indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis recipere valeant usque ad summam centum Venetorum grossorum, in consummationem ecclesiæ quam ædificare incœperunt totaliter convertendam. (nº 769 A, fol. 175 vº; Potth, nº 25408.)

« *Dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Prædicatorum Ragusinis.* Felix et laudanda — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo. »

971 Au Latran, 6 mars 1304.

Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur fidelibus, qui ecclesiam monasterii s. Florentii de Bonavalle, [ordinis s. Benedicti], Carnotensis diocesis, devote visitarint in festivitatibus ejusdem s. Florentii ac ss. Marcellini et Petri martyrum, quorum corpora in dicta ecclesia requiescunt. (nº 769 B, fol. 175 vº.)

1. Ms : « fraudetur. »

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis — Dat. Laterani, II nonas marcii, anno primo. »

972 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Obtentu regis Datiæ dispensat cum Hermanno, ipsius regis capellano, super pluralitate beneficiorum. (n° 770, fol. 175 v°.)

« *Dilecto filio Hermanno, preposito* [*ruralis ecclesie*] *Ymbrie, Othoniensis* [1] *diocesis.* Paterne dilectionis affectus — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

973 Pérouse, 19 mai 1304.

Abbati monasterii s. Mariæ de Precibus, Venetensis diocesis, committit potestatem faciendi recipi in canonicos in singulis Andegavensi, Cenomanensi et Abrincensi ecclesiis singulas personas idoneas, quas Johannes, dux Britaniæ, ipsi duxerit nominandas. (n° 771, fol. 175 v°.)

« *Dilecto filio .. abbati monasterii sancte Marie de Precibus, Venetensis diocesis.* Gerentes ad dilectum — Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

974 Pérouse, 19 mai 1304.

Cum nuper acceperit quod rectores parochialium ecclesiarum ducatus Britaniæ pro sepulturis decedentium, sub colore juris funeraticii, nunc partem nonam, nunc sextam, et nunc tertiam de bonis mobilibus defunctorum extorquent ab hæredibus eorumdem, Benedictus duci Britaniæ notum facit se, ad instar Bonifatii VIII, inhibuisse ne rectores supradicti plebes suas exactionibus hujusmodi de cætero audeant affligere. Duci indulget eidem, ut ad observantiam consuetudinis istius minime teneatur. (n° 772, fol. 176; DIGARD, *Mélanges d'archéol. et d'hist. pub. par l'Ecole Franç. de Rome,* 1883, p. 311.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni, duci Britanie.* Sincere tue devotionis, quem ad nos et Romanam geris Ecclesiam, promeretur affectus ut personam tuam favorabiliter prosequentes, salubriter tuis dispendiis obviemus.

Sane nuper ad nostram deducto notitiam quod in ducatu tuo Brictanie discriminosus et detestandus invalescebat abusus, videlicet quod rectores ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu predicto pro sepulturis decedentium, sub colore juris funeraticii, affligebant graviter plebes suas, nunc partem nonam, nunc sextam, et nunc tertiam in bonis mobilibus defunctorum hujusmodi sibi nequiter vendicantes, et cogentes per abusus et litigia homines presertim pauperes ut se redimerent seu cum eis finantias facerent ad eorum libitum pro predictis, supponendo plebes ipsas in hac parte miserabili servituti, ex quo plerumque contingebat quod homines predicti ducatus negligebant eorum negotia honesta sectari, ne post mortem eorum labores suos ab ipsorum heredibus raperent alieni, sicque inter clericos et laicos discordiarum et rancorum materie propter hoc erant ibidem exorte, nos nolentes ea veluti cedentia in divine majestatis offensam et exempli mali perniciem aliorum, sicuti nec debebamus, conniventibus oculis preterire, abusus, consuetudines vel potius corruptelas exactiones, sive usurpationes, coactiones et pactiones hujusmodi, quacumque diuturnitate seu prescriptione temporis aut auctoritate Apostolice Sedis vel alia quavis confirmatione seu firmitate sub quacumque forma vel expressione verborum vallatos, per alias nostras sub certa forma litteras ad instar felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, omnino reprobavimus et irritavimus ac precepimus de cetero non fieri nec servari, sed reprobatos, irritatos ac penitus non servandos potius nuntiari, ac moneri generaliter rectores predictos et eorum in hac parte fautores, etiam si episcopali dignitate fulgerent, ipsisque sub excommunicationis pena mandari, ut ab hujusmodi exactionibus sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus desistant penitus, nec ulterius pro ipsis sepulturis vel funeraticiis aut eorum occasione, sub quocumque colore, in bonis defunctorum ipsorum vel ab eorum heredibus ullo unquam tempore quicquam exigerent, nisi id quod ex mera liberalitate proinde ipsis contingeret erogari.

Ne igitur premissorum occasione vel causa possit spiritualiter vel temporaliter aliquod imminere periculum, nos tuis supplicationibus inclinati, ad instar dicti predecessoris auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad observantiam aliquam abusuum, consuetudinum, exactionum, usurpationum, coactionum et pactionum predictorum, pretextu, ratione vel causa quarumcumque promissionum vel obligationum seu conventionum initarum olim sive factarum per quondam Johannem ducem Britanie, patrem tuum, cum quacumque vel quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus de hujusmodi abusibus, consuetudinibus seu potius corruptelis exactionibus, sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus vel aliis similiter observandis, etiam si fuerint juramentorum vel penarum vel alia quavis firmitate vallati, nullatenus tenearis neque ad id a quoquam valeas quomo-

1. Ms : « Ochoniensis. »

dolibet coartari. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, xiiii kalendas junii, anno primo. »

975 Pérouse, 19 mai 1304.

Queritur de quadam alia prava consuetudine in eodem ducatu Britanie hactenus observata, cujus prætextu rectores ecclesiarum parochialium personas nupturas compellunt, antequam eis velint munus benedictionis impendere, ad exhibendum sibi exactiones indebitas et enormes. Unde certis executoribus mandat, moneant et inducant rectores præfatos ut ab hujusmodi consuetudine sub excommunicationis pœna omnino desistant. (n° 773, fol. 176; Digard, *ibid.*, p. 310.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancte Marie de Precibus, Venetensis diocesis, et .. decano ecclesie Andegavensis.* Nuper de quo turbamur accepimus quod in ducatu Brittanie detestandus invalescit abusus, videlicet quod rectores ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu predicto, pro nuptialium benedictionis[1] parrochianis suis munere impendendo, nupturos [se] redimere ac pactiones facere cum eis super hoc compellunt illicitas, et antequam eis velint predictum munus impendere, certam portionem vel pecunie summam bonorum suorum illos sibi exsolvere compellunt invitos, faciendo cum eis super hoc mercatorum more mercatum, quandam pravam consuetudinem, que corruptela potius dicenda est, pretendentes indebite videlicet fore ibidem hactenus observatam[2] : propter quod contingit frequenter, ut dicitur, quod persone nupture ibidem et hee potissime que paupertate gravantur, metu exactionis hujusmodi, ecclesiasticam super hoc solennitatem omittunt et sese recipiunt et conjungunt in domibus propriis et in locis quandoque prophanis, ex quo generale scandalum nonnunquam inibi est exortum.

Cum igitur abusus, pactiones, exactiones et consuetudo hujusmodi cedant in divine majestatis offensam et in exempli mali perniciem aliorum, veluti res que attemptari manifeste presumitur contra canonica instituta, nos volentes super hoc malignorum ausibus per oportunum remedium obviare, discretioni vestre ad instar felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, proposito in locis competentibus publice monitionis edicto, ipsis rectoribus eorumque vicariis ex parte nostra sub excommunicationis pena, quam contra facientes incurrere volumus ipso facto, districtius injungatis ut ab hujusmodi abusu, pactionibus et exactionibus quocumque tempore faciendis, prefata consuetudine utpote prava nequaquam obstante, omnino desistant, et nichilominus illos, quos vobis monitionem et mandatum hujusmodi violasse constiterit, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntietis et faciatis etiam per omnia loca, de quibus expedire videritis, nuntiari, donec super hoc a Sede Apostolica meruerint absolutionis beneficium obtinere. Dat. ut supra. »

1. Ms : « benedictione. » — 2. Ms. « observatum. »

976 Pérouse, 19 mai 1304.

Scribitur aliis executoribus ut similiter caveant, ne rectores ecclesiarum earumdem, occasione supradicti juris funeraticii, parochianos suos nequiter gravare, sicut expressum est superius, quoquo modo præsumant. (n° 774, fol. 176; Digard, *ibid.*, p. 310.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancte Marie de Precibus et .. priori Fontis Ebraudi, Venetensis et Pictavensis dioecsium, ac .. decano ecclesie Andegavensis.* Quemadmodum laudabiles usus divino et humano judicio approbantur cum esse prosit eorum, sic et prave consuetudines, que corruptele sunt potius, cum comune dispendium pariantur eodem sunt judicio detestande. Quapropter nos, cui ex debito pastoralis incumbit officii salubriter in talibus providere, diligentia debita libenter viam pravis consuetudinibus amputamus, ne in animarum discrimen et alias in comune dispendium et exempli perniciem invalescant.

Sane nuper de quo miramur accepimus quod in ducatu Brictanie discriminosus et detestandus invalescit abusus, videlicet quod rectores ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu predicto pro sepulturis decedentium, sub colore juris funeraticii, affligunt graviter plebes suas, nunc partem nonam, nunc sextam, et nunc tertiam in bonis mobilibus defunctorum hujusmodi sibi nequiter vendicantes, et cogentes per abusus et litigia homines presertim pauperes ut se redimant seu cum eis finantias faciant ad eorum libitum pro predictis, supponendo plebes ipsas miserabili servituti; ex quo plerumque contingit quod homines predicti ducatus negligunt eorum negotia honesta sectari, ne post mortem eorum labores suos ab ipsorum heredibus rapiant alieni, sicque inter clericos et laicos discordiarum et rancorum materie propter hoc diversimode sunt exorte, pro eo maxime quod exactiones hujusmodi divine ac humane legis judicio reprobantur.

Cum igitur hec cedant in divine majestatis offensam et exempli mali perniciem aliorum, nos nolentes ea sicuti nec debemus conniventibus oculis preterire, quin malignorum ausibus per oportunum in hac parte remedium

obviemus, discretioni vestre ad instar felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in locis competentibus dicti ducatus, de quibus expedire videritis, abusus, consuetudines vel potius corruptelas exactiones, sive usurpationes, coactiones et pactiones hujusmodi, quacumque diuturnitate seu prescriptione temporis, auctoritate Apostolice Sedis vel alia quavis confirmatione vel firmitate sub quacumque forma vel expressione verborum vallatos, etiam si de ipsis vel ipsorum aliquibus specialis et expressa seu de verbo ad verbum mentio sit habenda, quos et quas reprobamus et irritamus omnino, ac precipimus de cetero non fieri nec servari, reprobatos, irritatos ac penitus non servandos ex parte nostra publice nuntietis, ac moneatis generaliter ex parte nostra rectores predictos et eorum in hac parte fautores, etiam si episcopali prefulgeant dignitate, ipsisque sub excommunicationis pena, quam contra facientes incurrere volumus ipso facto, districtius injungatis quod ab hujusmodi exactionibus seu usurpationibus, coactionibus et pactionibus omnino desistant nichilque ulterius pro ipsis sepulturis seu funeraticiis vel eorum occasione, sub quocumque colore, in bonis defunctorum ipsorum vel ab eorum heredibus ullo unquam tempore exigant, nisi id quod ex mera liberalitate proinde ipsis contigerit erogari, et nichilominus omnes illos quos vobis, etc., ut in proxima superiori usque : obtinere.

Insuper volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a dat. presentium sit unicuique vestrum plena attributa potestas jurisdictio[nis] in premissis, quodque idem robur eandemque vim [1] perpetuationis extunc jurisdictio cujuslibet vestrum obtineat, quod et quam haberet, si quilibet vestrum auctoritate presentium per quemcumque modum legitimum ad executionem hujusmodi mandati nostri procedere incepisset. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

977 Au Latran, 10 mars 1304.

Wlvingo, nato Henrici de Pramperh, beneficium ecclesiasticum confert in ecclesia Salzeburgensi, dispensatque cum eodem super pluralitate beneficiorum. (n° 775, fol. 176 v°.)

« *Dilecto filio Wlvingo, nato dilecti filii nobilis viri Henrici de Pramperh, clerico plebis de Tricesimo, Aquilegensis diocesis.* Virtutum studia quibus — Dat. Laterani, VI idus marcii, anno primo. »

1. Ms : « idemque vis. » Cf. col. 154, 598 et *passim*.

In e. m. .. episcopo Concordiensi et .. archidiacono Aquilegensis ac .. archipresbytero de sancto Quirico, Parmensis diocesis, ecclesiarum.

978 Pérouse, 21 mai 1304.

Priori s. Johannis de Massano, Ameliensis diocesis, committit potestatem dispensandi cum personis infradictis super matrimonio illicite contracto. (n° 776, fol. 177.)

« *Dilecto filio .. priori sancti Johannis de Massano, Ameliensis diocesis.* Sedis Apostolice circumspecta benignitas concessa sibi desuper utitur potestate, prout locorum et temporum qualitate pensata, id in Deo conspicit salu
briter expedire.

Petitio siquidem dilecti filii Vitalis Andree de Canali et dilecte in Christo filie Diambre Angelerii de Amelia nobis exhibita continebat, quod ipsi olim matrimonium inter se publice in faciem Ecclesie contraxerunt, et carnali copula subsecuta dicta Diambra ex eo Vitali noscitur esse pregnans.

Verum quia quarto sunt gradu consanguinitatis conjuncti, dicto Vitali tertio et eadem Diambra quarto gradibus a stipite comuni distantibus, quod quidem licet idem Vitalis tunc sciverit, eadem tamen Diambra nequaquam credebat se adeo sibi consanguinitatis propinquam quod ex hoc posset hujusmodi matrimonium impediri, ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ex eorum separatione, si fieret, gravia timeantur inter utrumque ipsorum per consanguineos et amicos scandala suboriri, providere eis super hoc per dispensationis gratiam dignaremur.

Nos itaque, qui cunctorum fidelium pacem querimus et quietem, dictorum Vitalis et Diambre providere saluti ac hujusmodi scandalis occurrere cupientes, discretioni tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, consideratis diligenter circumstantiis universis que circa premissa fuerint attendende, si timeatur de scandalis antedictis tuque id alias secundum Deum salubriter videris expedire, cum ipsis Vitali et Diambra, imposita ipsis pro eo quod taliter contraxerunt et illicita copula penitentia salutari, eisque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium carnali commercio interdicto, ut, impedimento quod ex eadem consanguinitate provenit non obstante, in eodem matrimonio remanere licite valeant auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nuntiando. Dat. Perusii, XII kalendas junii, anno primo. »

979 Pérouse, 10 mai 1304.

Dispensat eum personis infradictis super matrimonio illicite contracto, eisque indulget, ut non obstante quarto gradu consanguinitatis in eodem matrimonio valeant remanere. Prolem insuper ex ipsis susceptam vel suscipiendam legitimam nuntiat. (n° 777 A, fol. 177.)

« *Dilecto filio nobili viro Guntereto de Villa et dilecte in Christo filie nobili mulieri Bonare de Grazano, uxori ejus, Augustensis dioecesis.* Romani pontificis precellens — Dat. Perusii, VI idus maii, anno primo. »

980 A Saint-Pierre, 27 mars 1304.

Laurentio de s. Stephano, clerico Suessionensis dioecesis, indulget ut, defectu natalium non obstante, ad omnes ordines promoveri possit ac beneficium ecclesiasticum obtinere. (n° 777 B, fol. 177.)

« *Dilecto filio Laurentio de sancto Stephano, clerico Suessionensis dioecesis.* Illegitime genitos — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI kalendas aprilis, anno primo. »

981 Pérouse, 11 mai 1304.

Homines et civitatem communis Velletrensis nec non eorum sequaces absolvit a quibusdam sententiis, bannis et condemnationibus. (n° 778, fol. 177; Theiner, *Codex diplom. dominii temp. S. Sedis*, t. I, n° DLXXXIV.)

« *Dilectis filiis comuni civitatis Velletrensis.* Dignum est et materne pietati conveniens ut hiis, qui post excessum devote ac reverenter misericordiam Ecclesie matris implorant, gremium non precludatur ipsius nec miserationis ejus ubera denegentur, illis presertim quorum obsequiosa devotio et fidelitas consueverunt erga eandem Ecclesiam prelucere.

Sane petitio vestra nuper nobis exhibita continebat, quod cum dilectis filiis nobilibus viris Johanne nato quondam Anibaldi Trasmundi et Riccardo nato quondam Jacobi Anibaldi de Anibaldis de Urbe, dominis castri sancti Januarii, Albanensis dioecesis, super omni aggressione, depopulatione, incendio et dirutione ipsius castri et super omnibus et singulis violentiis, incisionibus et devastationibus arborum, rapinis, homicidiis, dampnis, injuriis et injuriosis actibus et excessibus quibuscumque factis, datis, illatis et commissis tam per vos quam per singulares personas civitatis vestre ac alios quoscumque vestros in hac parte sequaces, communiter vel specialiter, in dictum castrum et prefatos dominos ac singulares personas ipsius castri eorumque res et bona, pro emenda et satisfactione, mediante arbitrio dilecti filii nobilis viri Riccardi quondam Theobaldi de Anibaldis de Urbe et in arbitrium super hoc a partibus predictis communiter electi, ad concordiam in certa summa pecunie devenistis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut super penis et bannis, quas et que vos, comune, ac persone singulares et sequaces predicti communiter vel specialiter propter premissas offensas incurrisse noscimini, providere vobis et eis de absolutionis, remissionis et donationis gratia misericorditer dignaremur.

Nos igitur devotionem et fidelitatem, quas ad prelibatam habuistis et habetis Ecclesiam, ac grata et accepta servitia, que diversis necessitatum temporibus eidem impendistis Ecclesie, paterna consideratione pensantes ac volentes ea vos prerogativa prosequi favoris et gratie specialis, per quam ad eandem Ecclesiam in vobis filialis devotio ferventius exardescat, vestris supplicationibus inclinati, omnes penas omniaque banna, condempnationes etiam et sententias quas et que vos, comune, et singulares persone civitatis ejusdem dictique sequaces propter premissa vel eorum occasione seu causa temporaliter incurristis, seu que vobis vel personis aut sequacibus ipsis infligi possint quomodolibet vel imponi, auctoritate apostolica vobis et dictis personis et sequacibus relaxamus, remittimus, concedimus et donamus ac vos et illos absolvimus ab eisdem, ita quod de cetero per curiam rectoris Campanie ac Maritime seu senatus Urbis sive per quemcumque alium, qui in vos, comune, ac civitatem eandem et singulares personas ac sequaces predictos quamcumque jurisdictionem haberet vel se habere pretenderet, aut alibi ubicumque in judicio vel extra judicium propterea non possetis impeti vel quomodolibet molestari. Decernimus enim exnunc irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre relaxationis, remissionis, concessionis, donationis, absolutionis et constitutionis, etc. Dat. Perusii, V idus maii, anno primo. »

982 Pérouse, 18 juin 1304.

Electo Salernitano pallium per episcopum Ravellensem transmittit. (n° 779, fol. 177 v°.)

« *Dilecto filio G[uillelmo], electo Salernitano.* Cum palleum insigne videlicet pontificalis officii ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios magistros Jacobum de Bargiaco, sacristam Ebredunensem, et Johannem Mucculam, canonicum Salernitanum, nuntios et procuratores tuos, cum ea que decuit instantia postulatum, nos tuis

supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectum filium Aymericum de Valon, canonicum Ravellensem, venerabili fratri nostro .. episcopo Ravellensi assignandum tibi per eum duximus destinandum, ut illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nomine nostro et Ecclesie Romane sub forma quam ei sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiat juramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur.

Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius intus serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente, quatinus humilitatem et justitiam, dante Domino qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Salernitanam ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Dat. Perusii, XIIII kalendas julii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Ravellensi.

983 Pérouse, 31 mai 1304.

Episcopo Gravinensi mandat, ut episcopo Melfitensi ejusque in hac parte fautoribus diem dicat ad comparendum coram conspectu apostolico, super quibusdam injuriis et gravaminibus, quæ guardiano et fratribus ordinis Minorum Melfitensibus intulisse noscuntur, de justitia responsuris. (nº 780, fol. 177 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Gravinensi.* Animus noster gravi commotione turbatur et vehementi molestia vexatur mentis nostre tranquillitas, cum illa, que sunt honestati contraria, de quibuslibet personis ecclesiasticis nostro auditui perferuntur, sed de prelatorum excessibus eo durius concitamur, quo ipsi per exercitium bonorum operum existere debent aliis in speculum et exemplar.

Sane dilectorum filiorum .. guardiani et fratrum ordinis Minorum Melfitensium gravem querelam accepimus continentem quod, licet ordini eorum per specialia privilegia Apostolice Sedis libera sit sepultura concessa, tamen venerabilis frater noster Paulus, episcopus Melfitensis, ad eorum aspirans gravamina, quominus corpora illorum, qui apud locum dictorum guardiani et fratrum eligunt sepulturam, sepeliantur ibidem impedit minus juste pro sue libito voluntatis; idem quoque corpus quondam Johannis Scantareni, qui in extremis constitutus, habitu dictorum fratrum assumpto, apud locum prefatum elegerat sepeliri, dum per ipsos guardianum et fratres portaretur tumulandum ibidem, per Paulum Margareti et Paulum de Aprutio familiares et Jaconum Turcheni Salomonis et Jaconum et Petrum de Nauclerio, Falcon de Malfecto satellites suos eis violenter fecit auferri; et insuper dicto episcopo pejora prioribus, pontificali abjecta modestia, coacervare non metuente, ad mandatum ejus familiares et satellites memorati, orti dictorum guardiani et fratrum per violentiam fracto pariete, locum ipsorum armata manu cum gladiis et fustibus hostiliter sunt ingressi, et in eosdem fratres in ecclesiam eorum solenniter divina officia celebrantes injecerunt manus, Dei timore postposito, temere violentas; et hiis injuriis dictus episcopus non contentus, in sua publica et solenni predicatione sub excommunicationis, quam in contra facientes protulit et eam ipsos voluit incurrere ipso facto, ac quatuor unciarum auri penis generaliter inhibuisse dinoscitur, ne aliquis sue jurisdictioni subjectus ad ecclesiam dictorum guardiani et fratrum auditurus ibidem divina officia presumeret accedere quoquomodo, falso nichilominus asserens .. ministrum ejusdem ordinis Apulie provincie excommunicationis sententia irretitum, et alias guardianum et fratres eosdem apud bonos et graves multipliciter diffamavit: ex quibus dicti minister, guardianus et fratres dampna gravia incurrerunt. Et quamvis episcopus, familiares et satellites memorati propter hoc sententiam excommunicationis incurrerint, tamen eandem dampnabiliter vilipendentes sententiam, divinis ut prius officiis se immiscent, illaque dictus episcopus celebrare, immo quantum in eo est, tanquam proprie salutis oblitus, prophanare, propria temeritate presumit.

Cum itaque memorati guardianus et fratres propter potentiam et malitiam episcopi memorati non possint super premissis in partibus illis assequi justitie complementum, nobis humiliter supplicarunt ut eis super hiis apud Sedem Apostolicam fieri justitiam mandaremus.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus episcopum, familiares et satellites memoratos per te vel alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem tuam personaliter apostolico [se] conspectui representent, dictis ministro, guardiano et fratribus super premissis de justitia responsuri, ac alias facturi et recepturi quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis, remissis presentibus, fideliter intimare procures. Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

984 Pérouse, 12 mai 1304.

Mandat ut Gottifrido de Chremsa, subdiacono Pataviensis diocesis, conferatur beneficium quoddam ecclesiasticum, ad

collationem Pataviensis episcopi spectans, cujus tamen annui redditus, secundum æstimationem decimæ de illo hactenus persolutæ, summam quinquaginta marcharum argenti non excedant. (nº 781, fol. 178.)

« *Dilecto filio Gottifrido de Chremsa, subdiacono Pataviensis diocesis.* Probitatis tue laudabilia — Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Secoviensi et .. decano Meldensis ac magistro Bertuldo de Swevia, canonico Constantiensis ecclesiarum.

985 Pérouse, 20 mai 1304.

Bartholomæo de Flisco, priori secularis ecclesiæ de Ponte Lavanio, Januensis diocesis, indulget ut cum eodem prioratu canonicatum et præbendam in ecclesia Januensi retinere possit, constitutione contraria vel defectu natalium nequaquam obstantibus. (nº 782, fol. 178.)

« *Dilecto filio Bartholomeo de Flisco, priori secularis ecclesie de Ponte Lavanio, Januensis diocesis.* Tua et tuorum sincera devotio promeretur, ut te prosequamur benivolentia gratiosa.

Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat quod, cum olim tecum super defectu natalium quem pateris de soluto genitus et soluta, quod eo non obstante posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si animarum curam haberet, fuisset auctoritate apostolica dispensatum, tu prioratum secularis ecclesie de Ponte Lavanio, Januensis diocesis, nec non canonicatum et prebendam in Januensi ecclesia es adeptus, ac felicis recordationis Honorius papa IIII[us], predecessor noster, plenam habens de hujusmodi defectu et alias de tua conditione notitiam, in litteris collationis tibi facte per eum de canonicatu et prebenda in dicta ecclesia Januensi tibi prioratum eundem et alia que tunc habebas beneficia reservavit.

Verum quia eedem littere de prefato defectu et priori dispensatione, quos tamen predecessor ipse, ut predicitur, tempore hujusmodi gratie tibi facte per eum nullatenus ignorabat, expressam non faciunt mentionem, tu super hiis habens conscientiam remordentem, nobis humiliter supplicasti ut providere in hac parte tuo statui ac saluti misericorditer dignaremur.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, tecum quod prioratum, canonicatum et prebendam predictos insimul retinere licite valeas, defectu et aliis premissis aut quibuscumque constitutionibus super hoc [in] contrarium editis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. »

986 Pérouse, 20 mai 1304.

Archiepiscopo Januensi mandat, ut certis personis de Janua civitate facultatem largiatur construendi quandam capellam in villa de Sexto, Januensis diocesis, ad honorem b. Mariæ Virginis. — Valeat idem archiepiscopus similem impertiri licentiam Conrado de Nigro de Janua, qui capellam ad honorem b. Nicolai in fundo proprio intendit ædificare. (nº 783, fol. 178 vº.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Januensi.* Petitio dilectorum filiorum nobilium virorum Emanuelis, Leonardi, Gabrielis et Antonii de Penzaninis de Janua nobis exhibita continebat, quod ipsi intendentes terrena pro celestibus et transitoria pro eternis felici commercio commutare, quandam capellam ad honorem beate Marie Virginis pro suarum et parentum suorum animarum salute, in villa de Sexto, Januensis diocesis, in fundo proprio intendunt construere et habere capellanum proprium in eadem, cui parati sunt de bonis propriis pro sustentatione sua sufficientes redditus assignare. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut eis construendi prefatam capellam concedere licentiam dignaremur.

Nos igitur, eorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem nobilibus quod offerunt facientibus concedas sine juris prejudicio alieni licentiam postulatam, eis et successoribus ac heredibus eorum jure patronatus in dicta capella plenarie reservato. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

« In e. m. eidem archiepiscopo, etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Conradi de Nigro de Janua, etc., ut in proxima superiori usque : commutare, quandam capellam ad honorem beati Nicolai pro sue et parentum suorum animarum salute, in villa de Premontorio, Januensis diocesis, in fundo proprio intendit construere et habere capellanum proprium in eadem, cui paratus est de propriis bonis pro sustentatione sua, etc., usque in finem. Dat. ut supra. »

987 Pérouse, 15 mai 1304.

Sicardo de Vauro, capellano suo, canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Narbonensi. Dispensat etiam cum eo super pluralitate beneficiorum. (nº 784, fol. 178 vº.)

« *Dilecto filio magistro Sicardo de Vauro, legum professori, capellano nostro, canonico Narbonensi.* Personam tuam quam — Dat. Perusii, idibus maii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Biterrensi et .. abbati monasterii de Monte Frigido, Narbonensis diocesis, ac .. decano ecclesie sancti Severini Burdegalensis.

988 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Valeat Januensis archiepiscopus civibus infradictis concedere licentiam ædificandi de novo quandam ecclesiam infra parochiam ecclesiæ s. Mariæ in Vineis Januensis. (n° 785, fol. 179.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Januensi.* Cum [1] dilecti filii nobiles viri Zarbonus et Surleonus fratres, Manfredus, Luchetus, Galeotus et Thomas fratres, Andriolus, Milianus, Brancha et Guillelmus fratres, Alamannus et Mannellus fratres de Mari, cives Januenses, cupiant, sicut asserunt, infra parrochiam ecclesie sancte Marie in Vineis Januensis cujus ipsi parrochiani existunt quandam ecclesiam de novo construere, in qua ipsi et familiares eorum sine dicte parrochialis ecclesie prejudicio possint audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta, quam quidem ecclesiam taliter construendam se paratos offerunt dotare decenter et indempnitati parrochialis ecclesie providere, nos ipsorum supplicationibus favorabiliter annuentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictis civibus quod offerunt facientibus construendi dictam ecclesiam auctoritate nostra, sine ipsius ecclesie parrochialis et cujuscumque alterius prejudicio, licentiam largiaris, ipsis civibus et eorum heredibus jure presentandi rectorem ad eandem ecclesiam construendam tanquam veris patronis perpetuis temporibus reservato. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

989 Pérouse, 28 mai 1304.

Antonio Alberti de Padua et Ymiliæ de Montagnono concedit facultatem contrahendi matrimonium, non obstante impedimento proveniente ex eo quod olim prædictus Antonius duxit in uxorem Antoniam Ubertini de Montegalda, quæ dum viveret quarto affinitatis gradu eidem Ymiliæ attinebat. (n° 786, fol. 179.)

« *Dilecto filio Antonio Alberti de Padua et dilecte in Christo filie Ymilie, nate quondam Antonii de Montagnono, Paduane diocesis.* Romani pontificis precellens — Dat. Perusii, v kalendas junii, anno primo. »

1. Le *rubricator* a mis un O au lieu du C initial.

990 Pérouse, 20 mai 1304.

Citetur Carpentoratensis episcopus ad comparendum coram Apostolica Sede super quadam accusatione responsurus ac pariturus Ecclesiæ beneplacitis in hac parte. (n° 787, fol. 179.)

« *Venerabilibus fratribus .. Aurasicensi et .. Cavallicensi episcopis ac dilecto filio .. abbati monasterii beate Marie de Sinanca [1], Cavallicensis diocesis.* Licet excessus cunctorum fidelium, quos presertim ordo clericalis includit, plurimum sint contrarii votis nostris, cum tamen de ecclesiarum prelatis, qui debent ostendere in se ipsis qualiter alii debeant in domo Domini ambulare, nobis enormia referuntur, nos illa eo gravius toleramus quo ipsi dampnabilius remanent incorrecti, cum facile trahatur a subditis quod ab eis agitur in exemplum.

Accedens siquidem ad Apostolicam Sedem dilectus filius Raymundus Duranti, clericus Carpentoratensis, coram felicis recordationis Bonifatio papa VIII, predecessore nostro, exposuit quod venerabilis frater noster B[erengarius], episcopus Carpentoratensis, si dici venerabilis mereatur, homicidii, sacrilegii, symonie, veneficii et aliis diversis criminibus irretitus, incontinentie laborans vitio, tempore promotionis sue ad episcopatum Carpentoratensem erat et adhuc est majoris excommunicationis sententia innodatus a canone promulgata, pro eo maxime quod ipse manus injecit in plures fratres ordinis Minorum et alios clericos Dei timore postposito violentas, quodque super hiis erat idem episcopus publice diffamatus. Dictus autem predecessor dilecto filio nostro R[icardo], sancti Eustachii diacono cardinali, commisit ut ipse super hujusmodi infamia episcopi predicti inquirens, quod super hoc inveniret sibi referre fideliter procuraret.

Cumque idem cardinalis juxta formam hujusmodi commissionis inquisivisset super infamia memorata, demum predecessore ipso viam universe carnis ingresso nobisque ad apicem summi Apostolatus assumptis, cardinalis ipse quod super hoc invenerat nobis retulit diligenter.

Cum autem dictus Raymundus super hiis omnibus velit eundem episcopum legitime accusare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dictum episcopum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi compareat personaliter coram nobis, in causa hujusmodi accusationis mediante justitia processurus ac pariturus nostris mandatis et beneplacitis in hac parte. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeritis faciendum nobis per vestras litteras, ha-

1. Ms : « Sinica. »

rum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

991 Pérouse, 5 juin 1304.

Confirmat atque ampliat indulgentias, quas Gradensis patriarcha, archiepiscopus Duracensis et alii episcopi, tempore consecrationis ecclesiæ b. Andreæ de Bigontio de Seravalle, Cenetensis diocesis, concesserant Christi fidelibus qui eandem ecclesiam certis diebus visitarint. (nº 788, fol. 179 vº.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis, etc., usque : collaudetur.

Cum itaque accedentibus ad ecclesiam beati Andree de Bigontio de Seravalle, Cenetensis diocesis, certis diebus per venerabiles fratres nostros fratrem Egidium Gradensem patriarcham, Antonium archiepiscopum Duracensem, Guillelmum Equilinum, Augustinum Civitatis Nove, Jonnonninum Crapulensem, Albertum Avalonensem et Franciscum Cenetensem episcopos tempore consecrationis ipsius ecclesie, cui interfuerunt, quedam indulgentie concesse fuerint, nos ad eandem ecclesiam devotionem habentes et cupientes quod ipsa congruis honoribus frequentetur, omnes hujusmodi indulgentiarum concessiones a prefatis patriarcha, archiepiscopo et episcopis canonice factas ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica approbamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Et insuper ut Christi fideles eo concurrant devotius ad eandem, quo se magis ibidem specialia munera speraverint adipisci, ultra indulgentias supradictas de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim in anniversario die consecrationis ipsius vel in festivitate sancti Andree, sub cujus vocabulo est constructa, unum annum et XL dies, octo vero diebus dictam festivitatem immediate sequentibus C dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

992 Pérouse, 31 mai 1304.

Olim cum, vacante ecclesia Foropopuliensi per obitum T[adei] pastoris, Pepo de Ordelaffis, archipresbyter ecclesie de s. Martino, Foropopuliensis diocesis, in successorem ipsius Tadei fuisset electus, Bonifatius VIII electionem istam certis ex causis irritavit. Postea vero, licet Benedictus XI episcopo Vicentino mandaverit, ut dictæ ecclesiæ de persona idonea auctoritate apostolica provideret, ad hujusmodi provisionem minime fuit processum. Ne igitur ecclesia præfata viduitatis incommodis diutius subjaceat, eidem Benedictus præficit fratrem [Rudolfum] ex ordine Minorum in episcopum et pastorem. (nº 789, fol. 179 vº; POTTH., nº 25436.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Foropopuliensi.* In supreme dignitatis — Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. preposito et capitulo ecclesie Foropopuliensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Foropopuliensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Foropopuliensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Foropopuliensis.

993 Au Latran, 19 février 1304.

Cum Dionisius, Pragensis canonicus, in remotis partibus moram trahat viginti annis et amplius jam elapsis, ac de ipsius morte verisimiliter dubitetur, summus pontifex mandat executoribus infradictis ut, si post citationem peremptoriam idem Dionisius non comparuerit, canonicatum ejus ac præbendam Lutoldo, scholastico ecclesiæ Glogoniensis, conferant et assignent. (nº 790, fol. 180; * POTTH., nº 25372.)

« *Dilectis filiis .. de Sedliciz et .. Aule Regie monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Wissegradensis, Pragensis diocesis.* Olim sicut accepimus Dionisius, canonicus Pragensis, postquam in Pragensi ecclesia canonicatum et prebendam extitit assecutus, se ab eadem ecclesia absentavit et per viginti annos et amplius in remotis partibus moram traxit nec interim eandem ecclesiam visitavit, et de ipsius morte verisimiliter dubitatur : sicque fructus dicte prebende sue quandoque per canonicos ejusdem ecclesie, quandoque per alios, percipiuntur et etiam distrahuntur et eadem ecclesia obsequiis, que sibi idem Dionisius ratione dicte prebende tenetur impendere, defraudatur.

Nos igitur volentes eidem ecclesie in hac parte de oportuno remedio providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, si vobis constiterit ita esse, contra memoratum Dionisium apud predictam ecclesiam publice citationis proponatis edictum, prefigendo ei terminum peremptorium competentem, infra quem ad ecclesiam si velit redeat et ei deserviat ut tenetur; alioquin extunc eum prefatis canonicatu et prebenda eadem auctoritate privare curetis, ac eos cum plenitudine juris canonici omnibusque juribus et pertinentiis Lutoldo, scolastico ecclesie Glogoniensis, Wratislaviensis diocesis, conferatis et assignetis, ipsumque vel pro-

curatorem suum ejus nomine in eorumdem canonicatus et prebende, jurium et pertinentiarum [possessionem] inducatis et defendetis inductum, facientes eum ad eandem prebendam in dicta Pragensi ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis, sibique de ipsius prebende fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi. Simili quoque modo memorato scolastico de canonicatu et prebenda provideatis supradictis, si de morte dicti Dionisii constiterit manifeste;

Non obstantibus contrariis ejusdem Pragensis ecclesie consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacumque alia firmitate roboratis; aut si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Pragensibus a Sede sit eadem indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur quodque ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, sive quod de canonicatibus et prebendis ejusdem Pragensis ecclesie nequeat aliquibus provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; aut qualibet ipsius Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda; seu quod dictus Lutoldus in predicta Glogoniensi scolastriam et in sancte Crucis Wratislaviensis et Cremserensis, Olomucensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas noscitur obtinere.

Volumus autem quod, postquam predictos canonicatum et prebendam in predicta Pragensi ecclesia fuerit pacifice assecutus, predictos canonicatum et prebendam prefate ecclesie Cremserensis, quos extunc vacare decernimus omnino dimittat, contradictores auctoritate nostra, etc. Nos enim exnunc decernimus irritum et inane si secus super hiis contigerit attemptari. Dat. Laterani, XI kalendas martii, anno primo. »

994 Au Latran, 18 mars 1304.

Henrico, duci Scletiæ et domino Glogoniæ, concedit facultatem construendi in terra suæ jurisdictioni subjecta duo monasteria ordinis s. Claræ. (n° 791, fol. 180; Potth., n° 25402.)

« *Dilecto filio nobili viro Henrico duci Scletie et domino Glogonie.* Devotorum vota que — Dat. Laterani, XV kalendas aprilis, anno primo. »

995 Pérouse, 12 juin 1304.

Francisco, s. Luciæ in Silice diacono cardinali, conceduntur executores super negotio cujusdam annuæ pensionis centum marcarum Sterlingorum argenti, quam Wigornienses episcopi solvere tenebantur eidem cardinali. (n° 792, fol. 180.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Salvatoris de Scandrilgia, Sabinensis diocesis, et .. archipresbytero ecclesie sancti Eustachii de Urbe ac Nerio de Gaienne, canonico sancte Ruffine.* Dum ad dilectum filium nostrum Franciscum, sancte Lucie in Silice diaconum cardinalem, apostolice considerationis vertimus aciem, ejusque grandia merita diligenti meditatione pensamus, dignum quinimmo debitum reputamus ut nos eum, qui nobiscum universalis Ecclesie onera indefessa sedulitate supportat, precipuis attollamus presidiis ac prosequamur favoribus gratiosis.

Sane dicti cardinalis petitio nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster Willelmus, episcopus Wigorniensis, comoda et profectus dudum sibi et ecclesie Wigorniensi per eundem cardinalem impensa, et que impendere poterat dante Domino in futurum, diligenter considerans, ac propter hoc volens premia sibi condigna rependere et ipsius favorem in antea promereri, dilectum filium magistrum Henricum de Lucebis, clericum Lincolniensis diocesis, procuratorem constituit ad omnia que inferius denotantur; idemque procurator apud Sedem Apostolicam constitutus procuratorio nomine dicti episcopi promisit eidem cardinali dari sibi vel ejus certo procuratori seu nuntio singulis annis, quoad vixerit, in Romana curia pensionem centum marcarum bonorum Sterlingorum argenti, quinque florenis auri pro marca qualibet computatis, videlicet quinquaginta marcas in Nativitatis sancti Johannis Baptiste et reliqua[s] in Epiphanie Domini festivitatibus, ipsique cardinali pro hiis plenarie observandis dictum episcopum et successores suos ac Wigorniensem ecclesiam et ejus bona omnia obligavit, renuntians constitutionibus tam felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod, cum actor et reus diocesium fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium evocari non possit, quam de duabus dietis edite in Concilio generali, beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis, ac omni juris canonici et civilis auxilio et conventioni locorum et judicum, si ejusdem cardinalis nomine super hiis contra dictum episcopum et ejus successores contingeret apostolicas litteras impetrari, ac juri revocandi donum [1] nec non et omnibus aliis

1. Ms : « domum. »

constitutionibus consuetudinibus, exceptionibus et defensionibus, per quas contra dictum cardinalem episcopus et successores sui predicti possent imposterum se tueri; et nichilominus prefatus procurator in animam episcopi predicti juravit eundem episcopum predicta omnia servaturum, super quibus omnibus idem procurator habebat a prefato episcopo sufficiens et speciale mandatum, prout in instrumentis publicis inde confectis hec omnia plenius continentur.

Nos itaque, ipsius cardinalis supplicationibus inclinati, predicta omnia rata et grata habentes, eaque prout in instrumentis continentur eisdem auctoritate apostolica ex certa scientia confirmantes, ac supplentes defectum si quis in hiis fuisset pro eo quod nostra in eis non fuit licentia requisita et assensus ad ea capituli ecclesie Wigorniensis non accessit, de apostolice plenitudine potestatis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in hiis quotiens et quando expedire videritis procedentes, predictum episcopum moneatis ut eidem cardinali aut ipsius procuratori legitimo, in predictis loco et terminis, pensionem predictam integraliter singulis annis solvat; alioquin suspensionis ab administratione temporalium et spiritualium et executione pontificalium et excommunicationis sententias, quas a tempore monitionis hujusmodi feratis in eum, ita videlicet quod, si in dictis loco et terminis ut premittitur predictam pensionem ipsi cardinali non solverit, idem episcopus eo ipso incurrat, vosque ipsum tandiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis et faciatis ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videritis, nuntiari et ab omnibus artius evitari, donec eidem cardinali fuerit plenarie satisfactum; et nichilominus idem episcopus infra competentem terminum, quem ei ad hoc duxeritis prefigendum, venire ad Sedem Apostolicam personaliter teneatur, nullo modo exinde recessurus donec cardinali satisfecerit memorato. Quod si forte in eodem termino personaliter comparere contempserit, proinde procedi possit ob contumaciam contra ipsum ac si super hoc fuisset expresse ab eadem Sede citatus.

Si vero episcopum ipsum eidem cardinali premori contigerit, is quem in regimine predicte Wigorniensis ecclesie substitui ei contigerit, si infra hujusmodi terminos eidem cardinali predictam pensionem solvere non curaverit, ipso facto similibus, quas si satisfacere contempserit adversus ipsum proferre curetis, sit sententiis innodatus, simili quoque modo suspensus et excommunicatus usque ad satisfactionem plenariam per vos vel alios publice nuntietur, et eodem modo teneatur se personaliter Apostolice Sedis conspectui presentare, similiter inibi moraturus et ob contumaciam etiam puniendus.

Quod si post ejusdem episcopi obitum substitutionem alterius differri contingat, eos, ad quos administratio bonorum ad episcopum Wigorniensem spectantium de consuetudine vel de jure aut alio quoquomodo fuerit devoluta vel eis commissa, ad dictam pensionem solvendam cardinali prefato de fructibus, redditibus et aliis obventionibus eorumdem bonorum futuro episcopo conservandis esse volumus obligatos; et nisi postquam receperint administrationem eandem predictam pensionem solvant loco et terminis prelibatis, hujusmodi quas propterea feratis in eos sint sententiis innodati, et similiter ipsi sic ligati publice nuntientur et teneantur apud Sedem eandem personaliter comparere, eodem modo inibi moraturi et ob contumaciam si opus fuerit puniendi.

Si qui vero, quominus de fructibus, redditibus et obventionibus dictorum bonorum plene dicta pensio cardinali solveretur prefato, impedirent per se vel per alium seu alios quoquo modo, illos omnes et singulos curetis auctoritate nostra excommunicationis sententiis innodare, et alias procedere contra eos, prout vobis vel uni vestrum videbitur oportunum.

Verum si eosdem episcopum et successores seu administratores et impedientes predictos, occasione hujusmodi pensionis, suspensionis et excommunicationis sententiis contigerit innodari, postquam eidem cardinali de pensione predicta fuerit plenarie satisfactum, ipsos auctoritate nostra juxta formam Ecclesie absolvatis, super irregularitate, si quam hujusmodi ligati sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, dispensantes misericorditer cum eisdem;

Non obstantibus supradictis, seu si eisdem episcopo et administratoribus aut impedientibus a dicta Sede indultum existat vel forte ipsis aut predictis successoribus contigerit indulgeri, quod suspendi vel excommunicari aut quod citra mare Anglicanum vel ultra seu citra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; sive qualibet alia prefate Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri.

Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a presentatione presentium etiam uni tantummodo vestrum facta plena sit attributa unicuique vestrum jurisdictio in premissis, quodque idem robur eandemque vim perpetuationis extunc jurisdictio cujuslibet vestrum obtineat, quod et quam, si quilibet vestrum auctoritate presentium incepisset per citationem, monitionem vel alias legitime procedere, obtineret, et quasi re non inte-

gra perpetuata eadem vestrum cujuslibet jurisdictio censeatur. Dat. Perusii, II idus junii, anno primo. »

996 Pérouse, 31 mai 1304.

Cum Andreas, prior ecclesiæ s. Pauli de Materno, quæ ab ecclesia s. Mustiolæ Clusinæ dependet, ex supervenienti sibi ægritudine demens factus sit, Benedictus mandat præposito ecclesiæ s. Mustiolæ, ut eundem Andream a præfato prioratu amoveat, et post amotionem hujusmodi ei faciat sive in prioratu sive in ecclesia prædictis vitæ necessaria quoad vixerit ministrari. Prioratus autem ecclesiæ s. Pauli alicui ex canonicis s. Mustiolæ conferatur. (n° 793, fol. 180 v°.)

« *Dilecto filio Martino, preposito ecclesie sancte Mustiole Clusine, ordinis sancti Augustini.* Inter cetera quibus commissa nobis a Domino universali cura dominici gregis astringimur, circa statum ecclesiarum et potissime regularium, ut prospere vigeant et salubriter gubernentur, eo ferventius excitamur eoque magis desideranter intendimus, quo potius ad id ex incumbenti nobis Apostolatus officio noscimur debitores.

Sane, sicut nuper ex fidedignorum relatione percepimus, Andreas germanus tuus, prior ecclesie sancti Pauli de Materno, Clusine diocesis, ad tuam et dilectorum filiorum capituli ecclesie tue sancte Mustiole Clusine collationem communiter, ut asseritur, pertinentis, ordinis sancti Augustini, ex supervenienti sibi egritudine demens et insensatus effectus, et qui deberet sibi et aliis fructuosus existere factus est inutilis et eidem cui preest ecclesie onerosus, propter quod ipsi ecclesie non modicum iminet detrimentum.

Nos igitur ipsi ecclesie sancti Pauli, ne ulterius sub inutili rectore expositam languoribus relinquatur, providere salubriter affectantes, et credentes quod ad id desideranter tui sensus invigilent, ac gerentes propterea de circumspectione tua fiduciam in Domino pleniorem, amovendi predictum Andream a prioratu ejusdem ecclesie sancti Pauli, cui post amotionem hujusmodi sive in prioratu predicto, seu in prefata ecclesia sancte Mustiole, cujus asseritur esse canonicus, prout expedire videris, quoad vixerit facias vite necessaria ministrari, eoque amoto prioratum ipsum, consuetum ipsius ecclesie sancte Mustiole canonico assignari, hac vice alicui de canonicis ejusdem ecclesie sancte Mustiole ydoneo, de quo expedire videris, conferendi et assignandi, prefati capituli requisito vel irrequisito consensu, et inducendi eum per te vel alium seu alios in ipsius prioratus corporalem possessionem et defendendi inductum, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi; [Non obstantibus] quibuslibet prefate ecclesie sancte Mustiole contrariis constitutionibus seu statutis et illis presertim, quibus in ea servari dicitur quod prepositus ipsius ecclesie sancte Mustiole sine consensu et voluntate capituli sui nullum de beneficiis ipsius ecclesie conferre alicui vel exinde aliquem amovere possit, et quod prius recepto in canonicum ejusdem ecclesie sancte Mustiole vacans beneficium conferatur; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad tuam et predicti capituli vel aliorum quorumcumque collationem, electionem vel presentationem seu quamcumque dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus, quibus quo ad assecutionem aliorum prioratuum vel aliorum beneficiorum nullum per hoc volumus prejudicium generari, Apostolice Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit earum auctoritate processum; et quibuslibet indulgentiis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in eisdem nostris litteris habenda sit mentio specialis, plenam et liberam auctoritate presentium tibi concedimus facultatem. Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

997 Pérouse, 8 juin 1304.

Abbatissis et sororibus ordinis s. Claræ indulget ut ad præstationem decimarum vel ad exhibendum annuum redditum seu censum diocesanis episcopis, vel pedagia, telonia et alias exactiones minime teneantur. Præterea ipsas ipsarumque loca et monasteria a patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et quorumcumque aliorum potestate ac jurisdictione prorsus eximit. (n° 794, fol. 181 ; Potth., n° 25442.)

« Benedictus, etc., dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et sororibus monasteriorum, ordinis sancte Clare, secundum regulam ipsius ordinis ab Urbano papa IIII^to^, predecessore nostro, institutam viventibus, tam presentibus quam futuris, etc. Sacra vestra religio — Dat. Perusii, VI idus junii, anno primo. »

998 Au Latran, 21 mars 1304.

Citetur Guillelmus Vilate, qui se gerit pro abbate monasterii s. Petri de Nantho, Ruthenensis diocesis, ad comparendum coram Apostolica Sede super quibusdam suis excessibus responsurus. (n° 795, fol. 181.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Lodovensi et dilecto filio .. abbati monasterii sancti Salvatoris Lodovensis.* Inter ceteras sollicitudines, que nobis ex officio Apostolatus incumbunt, animum nostrum sollicitior cura perurget cum eos, qui terrenas illecebras sumendo habitum regularem deberent penitus abdicasse et obsequiis efficatius divinis insistere, audimus esse inquinamentis malitie ac dissolutionis vitiis irretitos, et ad eorum correctionem studium efficax et promptam voluntatem nos convenit adhibere.

Olim siquidem dilecto filio fratre Guillelmo de Ulmis, monacho monasterii sancti Petri de Nantho, ordinis sancti Benedicti, Ruthenensis diocesis, exponente coram felicis recordationis Bonifatio papa VIII, predecessore nostro, quod Guillelmus Vilate, qui pro abbate monasterii ejusdem se gerit, homicidii erat crimine irretitus et incontinentie laborans vitio noscebatur filios ex diversis mulieribus suscepisse, et quod etiam enormis dilapidator bonorum monasterii predicti existens, eorum aliqua sub usuris certis creditoribus obligarat, quedam vero suis consanguineis fecerat prodigaliter ministrari in grave dicti monasterii detrimentum, quodque super hiis publica infamia laborabat, idem predecessor nolens hec si vera essent sub dissimulatione transire, sed non indigne volens circa predictum abbatem limam correctionis apostolice adhibere, dilecto filio nostro R[icardo], sancti Eustachii diacono cardinali, commisit oraculo vive vocis quod de infamia hujusmodi apud Apostolicam Sedem inquireret, ut propter hoc posset exinde plenius informari. Et demum per summariam indaginem ab eodem cardinali super premissis habitam constitit dictum abbatem fore super predictis excessibus, super quibus eum prefatus monachus apud prefatum predecessorem nostrum ut premissum est detulerat, diffamatum.

Facta igitur nobis super hiis ab eodem cardinali relatione fideli, nos volentes super predictis excessibus scire plenius veritatem dictumque G[uillelmum] Vilate, si reperiatur in hiis culpabilis, severitate canonica castigare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios eundem G[uillelmum] Vilate ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi personaliter apostolico se conspectui representet, facturus et recepturus super hiis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Dat. Laterani, xii kalendas aprilis, anno primo. »

999 Pérouse, 12 mai 1304.

Obtentu Henrici comitis Ruthenensis pro Amalvino de Landora consanguineo suo supplicantis, confertur dicto Amalvino canonicatus et præbenda reservatur in ecclesia Ruthenensi. Eidem Amalvino conceditur dispensatio super defectu natalium et ætatis. (nº 796, fol. 181 vº.)

« *Dilecto filio Amalvino de Landora, canonico Ruthenensi.* Tue probitatis merita — Dat. Perusii, iiii idus maii, anno primo. »

In e. m. .. preposito Bellimontis, Ruthenensis diocesis, et .. Lombariensis ac .. Podii sancti Georgii Albiensis archidiaconis ecclesiarum.

1000 Au Latran, 10 mars 1304.

Decano ecclesiæ Nivernensis mandat, ut magistrum et fratres hospitalis s. Mariæ de Fontanillis Tornodorensis, Lingonensis diocesis, adversus molestatores tueatur ac protegat. (nº 797 a, fol. 182.)

« *Dilecto filio .. decano ecclesie Nivernensis.* Quia nonnulli sic — Dat. Laterani, vi idus marcii, anno primo. »

1001 Au Latran, 10 mars 1304.

Magistro et fratribus hospitalis supradicti concedit facultatem celebrandi officia dum generale terræ fuerit interdictum. (nº 797 b, fol. 182.)

« *Dilectis filiis .. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie de Fontanillis de Tornodoro, Lingonensis diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Devotionis vestre precibus — Dat. Laterani, vi idus marcii, anno primo. »

1002 Au Latran, 10 mars 1304.

Comitissæ Juliacensi indulget ut monasteria monialium Cisterciensis ordinis, in regno Franciæ et ducatu Brabantiæ consistentia, cum decenti et honesta mulierum comitiva ingredi valeat, dummodo abbatissarum et conventuum monasteriorum eorumdem ad id accedat assensus nec in ipsis dicta comitissa comedat vel pernoctet. (nº 798, fol. 182.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, comitisse Juliacensi.* Tue devotionis sinceritas — Dat. ut supra. »

1003 Pérouse, 8 juin 1304.

Gualvano de Gueng., presbytero Eboracensis diocesis, confirmat ecclesias de Lithom., et de Warton., quas insimul dic-

tus Gualvanus indebite retinuerat. Ipsi præterca remittit fructus injuste perceptos ex eisdem ecclesiis, dispensatque cum eo super inhabilitate et infamia exinde contractis. (n° 799, fol. 182.)

« *Dilecto filio Gualvan*[*o*] *de Gueng., presbytero Eboracensis diocesis.* Petitionis tue series nuper nobis exhibite continebat, quod tu olim patiens in ordinibus et etate defectum ecclesiam de Lithom., Eboracensis diocesis, curam animarum habentem, alias canonice tibi collatam, assecutus fuisti omnesque minores et sacros ordines, statutis tamen temporibus et absque symonie vitio, recepisti ; et deinde in etate legitima constitutus, et ecclesia ipsa in manibus diocesani loci, ad quem institutio rectoris in ea, presentatio vero ad patronum ejus cum vacat pertinent, per te libere resignata, iterato ad eandem ecclesiam te a dicto patrono presentari diocesano predicto et per diocesanum eundem in illa institui procurasti. Postmodum vero cum ad vacantem ecclesiam de Warton., in Keudalia, archidiaconatus Richemundie in ecclesia Eboracensi, similem curam habentem, a vero patrono ipsius diocesano eidem fuisses alias canonice presentatus, dictus diocesanus eandem ecclesiam tibi auctoritate ordinaria commendavit; cujus pretextu commende nedum per tempus de commendis a jure statutum, set etiam ipso finito tempore, continue postmodum ipsam ecclesiam et una cum prefata ecclesia de Lithom [1]., retinuisti et adhuc retines, fructus percipiens ex eisdem, dispensatione super hiis a Sede Apostolica non obtenta. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super premissis de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur attendentes quod alias apud nos de honestate morum, litterarum scientia, conversatione vite laudabilis et aliarum probitatum meritis fidedignorum testimonio commendaris, et propterea volentes personam tuam prerogativa prosequi gratie specialis, omnem infamiam et inhabilitatis notam et quamlibet aliam maculam adversus te ex hujusmodi receptione ac retentione predictarum ecclesiarum et predictorum perceptione fructuum, quos tibi de speciali gratia remittimus et donamus, obortam a te (*sic*) penitus de apostolice potestatis plenitudine abolemus, ita quod propterea in judicio vel extra judicium nullum tibi impedimentum prestari valeat vel obstaculum interponi. Et insuper de amplioris dono gratie predictam ecclesiam de Warton [2]., si de jure nulli alii non debetur, apostolica tibi auctoritate conferimus, et tecum quod predictam ecclesiam de Lithom., una cum predicta ecclesia de Warton., retinere valeas non obstantibus generalis Concilii et qualibet alia constitutione contraria dispensamus, proviso quod ecclesie predicte debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur, quodque pro predictis fructibus sic perceptis ex ipsis in cujuslibet predictarum ecclesiarum evidentem utilitatem, de qua tue discretioni videbitur, decem marcas Sterlingorum convertere non postponas. Nulli ergo, etc., nostre remissionis, donationis, abolitionis, collationis et dispensationis, etc. Dat. Perusii, VI idus junii, anno primo. »

1. Ms : « Lichom. » — 2. Ms : « Worton. »

1004 Pérouse, 8 juin 1304.

Dispensatur cum Guillelmo de Tria, archidiacono Minoris Caleti in ecclesia Rothomagensi, super irregularitate quam contraxit, pro eo quod archidiaconatum prædictum, præposituram ecclesiæ s. Stephani Trecensis, canonicatus et præbendas in Rothomagensi et Belvacensi ecclesiis insimul retinuit, licentia Sedis Apostolicæ super hoc non obtenta. (n° 800, fol. 182 v°.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Tria, archidiacono Minoris Caleti et canonico ecclesie Rothomagensis.* Exhibita nobis tua — Dat Perusii, VI idus junii, anno primo. »

1005 Pérouse, 19 mai 1304.

Citetur ad comparendum coram Apostolica Sede quidam Falco, qui se gerit pro abbate monasterii s. Mariæ de Corona, ordinis s. Augustini, Engolismensis diocesis. (n° 801, fol. 182 v°.)

« *Dilectis filiis .. monasterii sancte Marie de Barneto et .. secularis ecclesie sancti Artemii de Blanziaco abbatibus ac .. priori beate Marie de Rupefucaldi, Engolismensis diocesis.* Significavit nobis dilectus filius frater Iterius de Conderico, canonicus monasterii sancte Marie de Corona, ordinis sancti Augustini, Engolismensis diocesis, quod, licet felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us^ predecessor noster, dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Euparchii ac.. ordinis fratrum Predicatorum Engolismensi et.. de Rocavilla, Xanctonensis diocesis, prioribus per suas certi tenoris litteras duxerit injungendum, ut ipsi ad predictum monasterium de Corona personaliter accedentes et habentes preoculis solum Deum, visitarent, inquirerent, corrigerent et reformarent ibidem tam in capite quam in membris quecumque viderent visitationis, inquisitionis, correctionis et reformationis officio indigere, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, iidemque abbas et priores in hujusmodi inquisitionis negotio, dicto adhuc predecessore vivente, dictarum litterarum auctoritate procedere incepissent,

Falco tamen, qui pro ipsius monasterii de Corona abbate se gerit, quondam Hugonis comitis Engolismensis quem in guardiatorem et patronum dicti monasterii advocavit favore suffultus, collecta multitudine armatorum, quosdam canonicos dicti monasterii, qui negotium prosequebantur inquisitionis ejusdem, per familiares suos et satellites dicti comitis capi mandavit dirisque tormentis affigi, ac dilectum filium Iterium de Cresaco, monasterii predicti canonicum, unum de prosequentibus negotium antedictum, variis generibus penarum afflictum atro fecit carceri mancipari, ipsosque demum per vim et metum, qui poterant cadere inconstantes, renuntiare cocgit dictis litteris ac prosecutioni negotii prelibati, prout hec omnia venerabilis frater noster .. episcopus Engolismensis dictusque abbas sancti Euparchii ac universitas civium Engolismensium per suas nobis litteras intimarunt.

Nos autem nolentes quod idem monasterium de Corona sub ipsius Falconis tyrannide remaneat taliter desolatum, cum propter ipsius potentiam et malitiam non possit comode in illis partibus deduci dictum negotium ad effectum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Falconem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi compareat personaliter coram nobis, recepturus pro meritis et mandatis nostris et beneplacitis super hiis que obiciuntur eidem plenarie pariturus, nec non facturus et recepturus super premissis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

1006 Pérouse, 20 juin 1304.

Episcopo Silvanectensi mandat ut, cum comes Andegavensis ad eripiendum Constantinopolitanum imperium e manibus schismaticorum intendere sit paratus, legata, redemptiones votorum omnesque alias obventiones, decimis tamen exceptis, quæ in regno Franciæ hujusmodi negotii prosecutione durante subsidio Terræ Sanctæ deputari contigerit, diligenter colligere procuret, ut exinde dicti negotii subveniatur expensis, prout Apostolica Sedes duxerit ordinandum. (nº 802, fol. 183; Potth., nº 25445.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi.* In supreme preeminentia dignitatis disponente Domino constituti, ad universas orbis provincias, quas professio Christiane Religionis includit, apostolice diffundimus considerationis intuitum pro earum statu salubriter dirigendo; sed dum imperium inclitum Constantinopolitanum a cultu Religionis ipsius, qui vigere solebat hactenus in eodem, separatum attendimus illudque abolim per quondam Michaelem Palealocum, dum vixit, et post ejus obitum per Andronicum, ejus filium, eorumque complices et fautores scismaticos et ab unitate Christiane Fidei deviantes dampnabiliter occupatum, multo nimirum merore replemur, et ad subveniendum ei de illo remedio, per quod ad Fidem reduci valeat Orthodoxam, vias et modos libenter exquerimur opemque ac operam promptis studiis exhibemus. Quorum namque possunt Christianorum animi non turbari, dum in gravem Superni Patris offensam et dispendiosam Apostolice Sedis injuriam et injuriosa dispendia pravum genus scismatice gentis elata cornua levasse conspiciunt ac tam nobile imperiale solium occupasse? Pro certo ad ipsum imperium de filiorum alienorum manibus liberandum ipse Fidei zelus debet corda fidelium inflammare. Nam si (quod absit!) idem imperium ad Turcos aliosque Sarracenos et infideles, a quibus dictus Andronicus jugiter impugnatur, devenire contingeret, non posset demum faciliter erui de manibus eorumdem. O quam grave discrimen et ingentem confusionem reciperet, si (quod Deus avertat!) talis casus emergeret, Romana mater Ecclesia totaque Religio Christiana!

Cum itaque dilectus filius nobilis vir Carolus, comes Andegavensis, cujus interest ratione uxoris sue carissime videlicet in Christo filie Caterine, imperatricis Constantinopolitane illustris, ad ejusdem recuperationem imperii offerat se potenter velle intendere et ad id viros viresque suos exponere, multique barones, nobiles, potentes zelo devotionis accensi pro ipsius imperii recuperatione ac reductione ad Fidem Catholicam cum eodem comite, sicut idem comes affirmat, sint proficisci parati, nos, qui ad tam necessariam, salubrem et felicem Deo favente expeditionem christianos principes deberemus querere, invitare, quesitos et invitatos modis quibus possemus ad hoc inducere, premiis, subsidiis et auxiliis provocare, cupientes ut hujusmodi negotium, quod non modicum Apostolicam Sedem omnesque Christi fideles ratione Fidei prelibate contingit, salubrem sortiatur effectum, ac attendentes quod ex ejusdem felici consumatione negotii Terre Sancte subsidium, quod ex causis diversis tandiu fuit hactenus prepeditum, divina favente clementia poterit provenire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus legata, redemptiones votorum omnesque obventiones preter decimas dicte Terre Sancte subsidio deputata vel etiam deputanda,

hujusmodi negotii prosecutione durante, a personis consistentibus in regno Francie, a quibus illa debentur, nomine nostro et Romane Ecclesie, per te ac subcollectores quos ad hoc duxeris deputandos studeas diligenter colligere et exigere, eidem nobili, si nobis id et eidem Sedi videbitur et generale passagium ante non fiat, assignanda cum proficisceretur ad prosequendum negotium supradictum, et in negotii prefati subsidium ut premittitur convertenda.

Nos enim tibi super hoc nec non faciendi tibi predicta legata, redemptiones et obventiones per quoscumque a quibus ea debentur integraliter exhiberi, inquirendi etiam super hiis generaliter et specialiter ex officio prout videris expedire, contradictores insuper quicumque et cujuscumque conditionis seu preeminentie fuerint aut status, etiam si pontificali vel quavis alia premineant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendi, faciendi preterea de hiis que taliter receperis hiis a quibus ea recipies dicto nomine finem, quitationem, absolutionem et quecumque circa predicta fuerint oportuna, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, plenam concedimus tenore presentium facultatem;

Non obstantibus si aliquibus a predicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, litteris et indulgentiis apostolicis, per que potestatis tibi super hiis tradite executio possit quomodolibet impediri et de quibus oporteat in nostris litteris specialem fieri mentionem. Dat. Perusii, xII kalendas julii, anno primo. »

1007 Pérouse, 20 juin 1304.

De eodem. Fideles hortatur ut ad tanti consummationem negotii in auxilium prædicti comitis viriliter ac potenter assurgant. Omnes autem crucesignatos, qui cum eodem comite personaliter proficisci vel qui in expensis hujusmodi occasione faciendis contribuere curaverint, ab executione voti ultramarini totaliter absolvit. (n° 803 A, fol. 183; MULLER, *Documenti sulle relazioni delle città toscani coll' Oriente cristiano e coi Turchi* [1], p. 112.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* In supreme, etc., ut [in] proxima superiori usque : poterit provenire, considerantes insuper quod dictus comes ad tanti consumationem negotii absque Sedis et fidelium predictorum auxilio, sub quorum fiducia per eum predictum assumatur negotium, non sufficit per se ipsum, hujusmodi et aliis pluribus ad id nos inducentibus considerationibus ducti, omnes crucesignatos pro ejusdem Terre Sancte succursu prestando, qui cum eodem nobili ad recuperandum dictum imperium in personis propriis accedent, vel in expensis eorum, quas facerent si personaliter irent, transmittent ydoneos bellatores, vel qui licet in alienis expensis, cum non possent suis, in personis tamen propriis cum eodem nobili propter hoc curaverint proficisci, ab executione voti per eos emissi de transfretando in Terre subsidium prelibate, votum suum hujusmodi taliter commutando in predictis casibus, nisi prius generale in Terre Sancte memorate subsidium fieri contingat, apostolica auctoritate absolvimus illamque ipsis concedimus suorum veniam peccatorum quam haberent, si in ejusdem Terre subsidium transfretarent.

Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino, quatinus ad hujusmodi tam pium tam salubre negotium prosequendum in auxilium dicti nobilis potenter et viriliter assurgatis, ut idem nobilis vestro cooperante favore in suis processibus prosperetur, vosque tanti boni mereamini participes effici ac proinde divinam, dicte Sedis et nostram gratiam uberius obtinere. Si enim consideratis, filii, quantas Grecorum Ecclesia non solum Romane sed toti Ecclesie contumelias inferat, si contemptum sciretis eorum, si ipsorum errorem in Fide, si odium nosceretis, sine hortatu nostro contra eos caperetis arma ac negotium Fidei ardentibus animis sumeretis. Dat. ut supra. »

1. Firenze, 1879, in-4°. — La fin de la bulle depuis *Rogamus itaque* est dans Raynaldi, t. IV, p. 386.

1008 Pérouse, 27 juin 1304.

Comiti Andegavensi notum facit se, postquam nuntios ejus super negotio imperii Constantinopolitani intellexit diligenter, eorum petitionibus animo libenti pro parte annuisse. Generalem vero crucis prædicationem concessionemque decimæ proventuum ecclesiasticorum, quas iidem nuntii nomine præfati comitis similiter petierant, certis ex causis distulit. (n° 803 B, fol. 183; POTTH., n° 25433.) [1]

« *Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi.* Claris patet operibus tue sinceritatis precelsa devotio Deo grata et humane laudis preconio commendata.

Paterna siquidem affectione recepimus tui contemplatione dilectos filios magistrum Guillelmum de Pertico, canonicum Parisiensem, cancellarium tuum, et nobilem virum Petrum de Erbovilla, militem Carnotensis diocesis, nuntios et ambaxiatores tuos quos nuper ad nostram

1. Potthast date cette bulle du 28 mai.

presentiam transmisisti, et que nobis ex parte tua exponere curaverunt intelleximus diligenter.

Licet autem ad ea, que tui honoris et status respiciant incrementa, Sedes Apostolica, que te tanquam filium predilectum gerit in visceribus caritatis, libenter intendat, ad negotium tamen imperii Constantinopolitani, ad quod prout nobis per eosdem nuntios intimasti te potenter accinges, tanto avidius opem et favorem impendit quanto illud ratione Fidei Sedem contingit supradictam. Ideoque super commutandis votis crucesignatorum, qui tecum voluerint ad eruendum dictum imperium de scismaticorum manibus proficisci, ac super legatis et aliis obventionibus deputatis Terre Sancte subsidio tibi pro prosecutione dicti negotii ejusdem imperii concedendis, prout fuit a nobis ex parte tua petitum, annuimus, prout in nostris super hiis confectis continetur litteris, votis tuis.

Generalem autem predicationem crucis, quam similiter ex parte tua dicti nuntii pro eodem negotio petierunt, presentis temporis et regni Francie statu considerato distulimus. Ad eam tamen et concessionem decime proventuum ecclesiasticorum aliasque subventiones tibi pro ejusdem prosecutione negotii faciendas quas expedire videbimus, ejusdem regni conditionibus prospere divina favente clementia suc[c]edentibus, procedere juxta tuum votum, nisi interim generale passagium fieret, intendimus teque alias circa hec apostolicis fovere presidiis tempore oportuno. Negotium itaque prelibatum virtute tue magnanimitatis assume et assumptum tanquam vir strenuus viriliter prosequaris. Nam in hiis et aliis ubi expedierit apostolicus non deerit tibi favor. Dat. Perusii, v kalendas julii, anno primo. »

1009 Pérouse, 12 juin 1304.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium florenorum auri archiepiscopo Ravennati conceditur. (n° 804 A, fol. 183 v°.)

« *Venerabili fratri R[aynaldo], archiepiscopo Ravennati.* Cum, sicut in — Dat. Perusii, II idus junii, anno primo. »

1010 Pérouse, 19 mai 1304.

Liceat episcopo Taurinensi diocesim suam per idoneum vicarium facere visitari. (n° 804 B, fol. 183 v°.)

« *Thedesio, episcopo Taurinesi.* Tue fraternitatis sincera devotio promeretur ut in hiis precipue nos liberales invenias, que tibi cedant ad comodum et ad salutem animarum.

Cum itaque, sicut porrecta nobis petitio continebat, tu ecclesias, monasteria, personas et loca ecclesiastica tuarum civitatis et diocesis propter iminentia ibi guerrarum discrimina sine proprie persone et rerum tuarum periculo, prout ad tuum spectat officium, non possis personaliter visitare, nos tam tue in hac parte quieti quam ipsis ecclesiis, monasteriis, personis et locis predictis de oportuno remedio providere volentes, auctoritate tibi presentium indulgemus ut per vicarium dumtaxat ydoneum, quem ad hoc duxeris deputandum, hujusmodi visitationis officium impendere valeas, ac per te vel eundem vicarium hujusmodi officio visitationis impenso, procurationes moderatas a visitatis ecclesiis, monasteriis, personis et locis etiam in pecunia numerata recipere, quacumque constitutione contraria non obstante. Presentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, XIIII kalendas junii, anno primo. »

In e. m. .. Vercellensi et .. Novariensi et.. Yporiensi episcopis.

1011 Pérouse, 19 juin 1304.

Cum Parisiensis episcopus, senio ac debilitate confractus, ecclesiæ suæ regimen et ministerium pontificalis officii omnino nequeat exercere, Stephanus de Sugiaco et Thomas de Bailliaco constituuntur administratores Parisiensis ecclesiæ. (n° 805, fol. 183 v°.)

« *Dilectis filiis magistris Stephano de Sugiaco, archidiacono Burgensi in ecclesia Tornacensi, et Thome de Bailliaco, doctori in theologia, canonico Rothomagensi, administratoribus ecclesie Parisiensis.* Consurgit in animo nostro jocunditas de statu Parisiensis ecclesie, cujus nos prosperitas letitia refovet ac perturbat adversitas, dum diligenter attendimus quod sollicite cogitare [1]. Ipsa multarum corruscans privilegiis dignitatum, inter ceteras orbis ecclesias digne coli grandi veneratione promeruit. In ea namque viri semper concrevere conspicui, nobilitatis ingenue ac eximie probitatis, per litterarum scientiam aliasque ipsorum virtutes et famam odoris et suavitatis fragrantiam enitentes. Ipsa quoque preest deliciarum orto, scientiarum videlicet studio, de sub cujus pedibus fons emanat irriguus, fructus producens uberes, quorum suavitatem et dulcedinem ad diversas mundi partes fontis noscitur affluentia derivare. Non indigne igitur, quamvis omnium ecclesiarum ex debito pastoralis officii cura nobis immineat generalis, eandem Parisiensem ecclesiam

1. Il y a évidemment des mots passés.

prerogativa non modica gerimus in visceribus caritatis, et impresentiarum ad illam compassionis habentes animum, statui ejus, ut prospere vigeat et feliciter dirigatur, intente sollicitudinis studio providemus.

Sane nuper ad notitiam nostram relatio fidedigna perduxit, quod venerabilis frater noster Symon, Parisiensis episcopus, qui olim prefatam ecclesiam diu laudabiliter rexit et utiliter gubernavit, se dudum conspiciens senio proprii corporis et debilitate confractum et propterea insufficientem ad ipsius ecclesie regimen et executionem pontificalis officii exercenda, dilectos filios magistros Johannem decanum, G[eraldum] archidiaconum et S[ymonem] cancellarium ecclesie prelibate sibi duxit in coadjutores de sui assensu capituli assumendos, ut super executione officii et regiminis predictorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, deberet facere que facienda forent de predictorum coadjutorum consilio et assensu; ipsique coadjutores cum eodem episcopo hujusmodi regiminis aliquandiu onera supportarunt. Sed demum idem episcopus, superexcrescentibus sibi quamplurimis anxie senectutis langoribus, adeo est vigore virtutum exhaustus, adeo naturalium sensuum commoditate privatus et extra limites discretionis expositus, quod nec mentis est compos nec consilii capax, sed ecclesia prelibata et ejus membra non sine gravi eorum et animarum periculo sub capite languescente languescunt, propter quod apostolici adhibitione remedii omnino indigere noscuntur.

Nos igitur statu tam ecclesie quam episcopi predictorum benigna meditatione pensato, et ad ipsos propterea paterne compassionis animum extendentes, ac super hoc maxime propter periculum animarum, ad quarum profectum eo attentius debemus intendere, quo ratio debetur de ipsis exactior omnium Conditori, taliter providere volentes quod prefata ecclesia ex sui tanta imbecillitate rectoris gravia non incurrat de cetero nocumenta, fiducialiter ad personas vestras, nobis de multiplicis probitatis meritis ac legalitatis et diligentie studio commendatas et favore fulcitas regio, per quarum circumspectam industriam et circumspectionem providam speramus ecclesiam ipsam posse ac debere spiritualiter et temporaliter prospere gubernari, mentem nostram in hac parte duximus convertendam.

Predictorum itaque coadjutorum coadjutionis ministerium, quamvis jam expirasse per hujusmodi exinanitionem episcopi videatur, exnunc auctoritate apostolica revocantes, et pro firmo credentes quod ea que vobis committuntur a nobis curetis fideliter et laudabiliter exercere, tibi Thome in spiritualibus, tibi vero Stephano in temporalibus ipsius Parisiensis ecclesie curam et administrationem plenam, generalem et liberam eadem auctoritate committimus usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exercendam, ita tamen quod in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, si qua vacant vel que interim vacabunt, que alias ad collationem ipsius episcopi pertinerent, habeatis vos ambo comuniter ubi concordes vos esse contigerit potestatem. Illa vero beneficia, super quibus fueritis in conferendo discordes, ad prefate Sedis providentiam remittatis.

Nos enim precipiendi, statuendi et ordinandi interim quecumque ad bonum statum dicte ecclesie ac curam et administrationem predictas noveritis utiliter provenire, contradictores insuper et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante si aliquibus a prefata Sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, liberam vobis concedimus auctoritate presentium potestatem, alienandi tamen et distrahendi quomodolibet de bonis immobilibus ejusdem ecclesie vobis facultate interdicta.

Ceterum prefato episcopo de bonis prefate ecclesie reservamus et per vos exhiberi volumus quoad vixerit congruam portionem, de qua juxta sui status decentiam possit comode sustentari.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus curam et administrationem hujusmodi sic geratis sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde dignam Deo possitis reddere rationem nosque devotionem vestram dignis in Domino laudibus commendare [valeamus]. Dat. Perusii, XIII kalendas julii, anno primo. »

1012 Pérouse, 20 juin 1304.

Reginæ Franciæ precibus inclinatus, magistro Martino de Medunta, archidiacono Lexoviensi, concedit ut una cum archidiaconatu eodem cancellariam Baiocensis ecclesiæ, canonicatus ac præbendas in Lexoviensi, Baiocensi, Ambianensi et Trecensi ecclesiis nec non beneficium ecclesiasticum in diocesi Noviomensi insimul retinere possit. (nº 806, fol. 184.)

« *Magistro Martino de Medunta, canonico Baiocensi.* Apostolice Sedis benignitas — Dat. Perusii, XII kalendas julii, anno primo. »

1013 Pérouse, 5 juin 1304.

Episcopo Dunelmensi concedit facultatem dispensandi cum octo clericis suis, qui signum vivificæ crucis assumpserint, ut

quilibet eorum duo ecclesiastica beneficia recipere ac retinere valeat sine licentia Sedis Apostolicæ, constitutione generalis Concilii vel qualibet alia non obstante. (n° 807 A, fol. 184.)

« *Venerabili fratri Antonio, episcopo Dunelmensi.* Precipuis a nobis mereris attolli favoribus, qui claris meritis insignitus Deum et Apostolicam Sedem continuate devotionis studio revereris.

Volentes itaque propter hoc tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, dispensandi cum octo clericis tuis transfretaturis tecum in subsidium Terre Sancte, alias ydoneis, de quibus tibi videbitur, postquam ab eis fuerit propter hoc signum vivifice crucis assumptum, ut quilibet eorum duo ecclesiastica beneficia cum cura, etiam si personatus vel dignitates existant, si ea sine dispensatione Apostolice Sedis alias tamen sint canonice assecuti, cum fructibus inde perceptis retinere, vel si assecuti non sint dummodo alias eis canonice offerantur recipere ac retinere licite ac libere possint, constitutione generalis Concilii et qualibet alia contraria non obstante, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

1014 Pérouse, 5 juin 1304.

Valeat idem episcopus indulgere quatuor clericis suis, qui parochiales ecclesias post Lugdunense Concilium assecuti, non se fecerunt prout tenebantur in presbyteros ordinari, ut easdem ecclesias cum fructibus exinde perceptis licite possint retinere. (n° 807 B, fol. 184.)

« *Eidem.* Sincere devotionis affectus, quem ad nos et ad Romanam geris Ecclesiam, promeretur ut personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur, per quam aliis etiam te reddere valeas gratiosum.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, dispensandi cum quatuor clericis tuis de quibus tibi videbitur, qui post generale Concilium Lugdunense parrochiales ecclesias canonice assecuti ac retinentes eas se non fecerunt ad ordines juxta ejusdem statuta Concilii promoveri, percipiendo nichilominus fructus, proventus et redditus ex eisdem, quod hoc non obstante prefatas ecclesias cum hujusmodi fructibus perceptis ex eis possint licite retinere, dummodo in eis vel ad eas non sit jus aliquibus aliis acquisitum, ac abolendi omnem infamiam et inhabilitatis notam et quamlibet aliam maculam in eis ex premissis obortam plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, proviso quod ecclesie ac beneficia ipsa debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura eis iminens nullatenus negligatur, quodque hujusmodi clerici se faciant ad ordines statutis temporibus promoveri. Dat. ut supra. »

1015 Pérouse, 5 juin 1304.

Fiat inquisitio super quadam alienatione possessionum Cretensis ecclesiæ, quas Constantinopolitanus patriarcha dicitur auctoritate propria vendidisse. (n° 808, fol. 184 v°.)

« .. *Archipresbytero Gradensi et .. sancti Johannis Novi et .. sancti Pauli ecclesiarum plebanis, Castellane diocesis.* Ad audientiam nostram pervenit quod venerabilis frater noster L[eonardus], patriarcha Constantinopolitanus, quasdam possessiones, quas ecclesia Cretensis habebat in diocesi Paduana, vendidit seu vendi fecit pro quadam pecunie quantitate.

Nos autem volentes de hoc scire plenius veritatem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus super hoc auctoritate nostra per indaginem non solennem, non vocata parte altera, inquirentes, quod inveneritis in premissis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis, ut informari possimus exinde quid in hac parte agere debeamus. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. ut supra. »

1016 Au Latran, 28 février 1304.

Statuit ut præceptor et fratres hospitalis de Egra, ordinis Cruciferorum cum stella, Ratisponensis diocesis, habere possint in eodem hospitali cœmeterium ad opus dumtaxat ipsorum et pauperum et aliorum ibidem degentium. (n° 809, fol. 184 v°.)

« .. *Preceptori et fratribus hospitalis de Egra, ordinis Cruciferorum cum stella, Ratisponensis diocesis.* Licet omnes fideles dilatato gremio caritatis paterna teneamur tractare clementia, pauperes tamen Christi, qui sub religionis habitu Domino militantes officiis hospitalitatis inserviunt, propensioris pietatis gratia confovemus, ipsorum commoditatibus quantum cum Deo possumus providentes.

Sane dilecti filii Franciscus et Conradus frater suus, Waltherus dictus de Curia et Sifridus Aurifaber, de Egra, laici Ratisponensis diocesis, qui vestrum hospitale et capellam in eodem, in qua divina celebrantur officia, affectione precipua prosecuntur, nobis humiliter supplicarunt, ut vobis habendi cimiterium in hospitali prefato ad opus dumtaxat fratrum et pauperum et aliorum ibidem degentium cum ex hac luce migraverint, quia

non sine multis laboribus et dispendiis tumulandi deferuntur ad parrochialem ecclesiam cum humane necessitatis exposcit articulus, licentiam largiremur.

Nos igitur ipsorum precibus inclinati, volentes in hujusmodi difficultatibus paterna benignitate vestre paupertati consulere, habendi cimiterium ad opus dumtaxat fratrum et pauperum ac aliorum in eodem commorantium hospitali, benedicendum per venerabilem fratrem nostrum .. Ratisponensem episcopum, si ad id faciendum accedere comode poterit et voluerit, alioquin per alium episcopum catholicum tamen, quem ad hoc exequendum oportunitatis comodioris casus obtulerit, vobis auctoritate presentium, sine juris tamen alieni prejudicio, licentiam duximus concedendam. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, III kalendas martii, anno primo. »

1017 A Saint-Pierre, 6 avril 1304.

Suasu et consideratione ducis Britaniæ, confert Thomæ de Anasto decanatum, canonicatum et præbendam Andegavensis ecclesiæ, quæ nuper apud Apostolicam Sedem vacaverunt per liberam resignationem magistri Egidii Rigaudi, olim ejusdem ecclesiæ canonici et decani. (n° 810, fol. 184 v°.)

« *Thome de Anasto, canonico et decano Andegavensi.* Sincere devotionis affectus — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono de Sabolio in ecclesia Cenomanensi et .. cantori ecclesie Bituricensis ac magistro Petro de Talehort, canonico Dolensi.

1018 Pérouse, 31 mai 1304.

Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Perusinis capellam s. Stephani de Castellari cum ejus pertinentiis in proprios usus concedit, statuens ut, amoto ab eadem Nicolao canonico ecclesiæ Perusinæ, cui dictæ capellæ gubernatio commissa fuerat, ipsius corporalem possessionem sine difficultate qualibet apprehendant. (n° 811, fol. 185; Potth., n° 25435.)

« .. *Priori et conventui ordinis Predicatorum Perusinis.* Sacre vestre religionis — Dat. Perusii, II kalendas junii, anno primo. »

In e. m. Leonardo, episcopo Albanensi.

1019 Au Latran, 19 mars 1304.

Cum quodam Carisio, archipresbytero ecclesiæ de Carleta, Faventinæ diocesis, dispensat ut archypresbyteratum eundem licite retineat, non obstante cujusdam irregularitatis vel inhabilitatis macula. (n° 812, fol. 185.)

« *Carisio, archipresbytero ecclesie de Carleta, Faventine diocesis.* Sedis Apostolice multa benignitas ipsius implorantibus gratiam se libenter exhibet liberalem.

Oblata siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod tu olim ecclesiam seu capellam sancti Silvestri, cui cura iminet animarum, Spoletane diocesis, quam canonice fueras assecutus, in manibus venerabilis fratris nostri M[attei], episcopi Faventini, resignans, archipresbyteratum ecclesie de Carleta, cui cura similis iminet, tibi collatum canonice recepisti ac nichilominus postmodum dictam ecclesiam seu capellam una cum dicto archipresbyteratu absque dispensatione apostolica retinens, jam per biennium percepisti fructus et redditus ex eisdem. Quare cupiens conscientie tue ac statui consuli salubriter in hac parte, nobis humiliter supplicasti ut cum tu dictam ecclesiam seu capellam libere dimittere sis paratus, providere tibi circa premissa de benignitate apostolica dignaremur.

Nos autem attendentes laudabilia testimonia que tibi alias perhibentur, ac volentes horum consideratione tibi gratiam facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, omnem infamiam, inhabilitatis seu irregularitatis notam, ex retentione hujusmodi dicte ecclesie vel capelle ac ipsorum perceptione fructuum obortas in te, penitus abolemus de apostolice plenitudine potestatis, tecum nichilominus eadem auctoritate quod, eadem ecclesia seu capella predicta dimissa, dictum archipresbyteratum hiis non obstantibus retinere licite valeas dispensantes. Nulli ergo, etc., nostre abolitionis et dispensationis, etc. Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

1020 Pérouse, 27 mai 1304.

Raynaldo de Roy, laico Noviomensis diocesis, licentiam impertitur construendi ac dotandi tres capellas in loco Pontis Episcopi, supradictæ diocesis, prout idem Raynaldus affectat et proponit. (n° 813, fol. 185.)

« *Raynaldo de Roy, laico Noviomensis diocesis.* Devotorum vota, que salutis operibus obsecundant, libenter apostolico favore prosequimur et eis assensum gratiosum et benivolum impertimur.

Sane petitio tua nuper nobis exhibita continebat, quod tu de propria salute cogitans et cupiens terrena pro celestibus et transeuntia pro eternis salubri comertio commutare, tres capellas in loco qui dicitur Pons Episcopi, Noviomensis diocesis, pro anime tue remedio, in fundo

proprio edificare ac de bonis propriis ita decenter dotare proponis, ut in eis tres perpetui capellani continue immorari possint et de bonis hujusmodi sustentari. Quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc licentiam tibi concedere dignaremur, jure patronatus in ipsis capellis tibi ac tuis heredibus perpetuo reservato.

Nos itaque in hac parte votis tuis, que sicut credimus de fonte puritatis emanant, favorabiliter annuentes, tuis supplicationibus inclinati, construendi tuis sumptibus in loco predicto, in fundo scilicet proprio, dummodo locus ipse ad hoc aptus esse noscatur, capellas hujusmodi, assignatis tamen prius bonis stabilibus pro ipsarum capellarum dote decenti, que sufficiant ut predicitur ad sustentationem congruam trium capellanorum predictorum, liberam tibi licentiam auctoritate presentium impertimur, sine juris prejudicio alieni, jus patronatus in ipsis capellis tibi et tuis heredibus perpetuo reservantes, consuetudine qua in partibus illis servari dicitur quod is, qui ecclesiam vel capellam seu capellaniam de novo fundaverit, aliquem non nisi prima vice presentare ad illam rectorem sive vicarium a diocesano permittitur et deinceps in ea cum vacat diocesanus instituit, seu qualibet alia contraria quomodolibet non obstante, venerabilis fratris nostri .. episcopi et ecclesie Noviomensis in hujusmodi construendis capellis, postquam constructe fuerint, jure in ceteris nichilominus semper salvo. Nulli ergo, etc., nostre impertitionis et reservationis, etc. Dat. Perusii, VI kalendas junii, anno primo. »

1021 Pérouse, 20 mai 1304.

Domino de Castro Villano, Lingonensis diocesis, indulget ut fratribus et sororibus Cisterciensis ordinis, quotiens eos ad domum dicti nobilis declinare contigerit, licentiam valeat elargiri utendi pulmentis cum carnibus præparatis, quæ in ejus mensa communiter apponuntur. (nº 814 A, fol. 185 vº.)

« *Nobili viro Johanni, domino de Castro Villano, Lingonensis diocesis.* Meritis tue probitatis inducimur, ut te nobilitate conspicuum, vita et moribus decoratum, favore apostolico prosequamur.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut fratribus et sororibus Cisterciensis ordinis, quotiens eos ad domum tuam evocari vel alias declinare contigerit, utendi pulmentis cum carnibus preparatis que in mensa tua communiter apponentur, dummodo carnes non sumant, possis licentiam elargiri, ipsique fratres et sorores talia fercula libere comedere valeant, constitutione qualibet ejusdem ordinis contraria etiam si per Apostolicam Sedem confirmata fuerit non obstante, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

1022 Pérouse, 20 mai 1304.

Eidem nobili et ejus uxori concedit, ut cum eos eorumque filios ad loca ecclesiastico supposita interdicto pervenire contigerit, ibidem sibi et familiæ suæ per capellanos idoneos divina faciant officia celebrari. (nº 814 B, fol. 185 vº.)

« *Nobili viro Johanni, domino de Castro Villano, Lingonensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne, ejus uxori.* Ut erga Sedem Apostolicam eo amplius crescat vestre devotionis affectus, quo eam benigniorem inveneritis in faciendo vobis gratiam specialem, devotionis vestre precibus annuentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut cum vos vestrosque filios ad loca ecclesiastico interdicto supposita pervenire contigerit, possitis ibidem vos et iidem filii per capellanos idoneos vobis vestreque familie domestice divina officia, januis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce facere celebrari, dummodo vos seu predicti filii vel capellani aut familia causam non dederitis interdicto nec id vobis aut eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1023 Pérouse, 20 juin 1304.

Ut possit magister Benedictus de Aquino, notarius apostolicus, condere testamentum. (nº 814 C, fol. 185 vº.)

« *Magistro Benedicto de Aquino, notario nostro, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.* Quia presentis vite conditio, etc., usque : desideras prevenire.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que non fuerint altaris seu altarium, etc., ut in forma usque in finem. Dat. Perusii, XII kalendas julii, anno primo. »

1024 Viterbe, 16 avril 1304.

Decanum ecclesiæ Vapincensis rogat et hortatur, ut abbati et conventui monasterii s. Antonii, ordinis s. Augustini, Viennensis diocesis, efficaciter assistat neque eosdem ab aliquibus injuriis affici vel alias injuste molestari permittat.—In eundem

modum pro eisdem diversis aliis conservatoribus. (n° 815 A, fol. 185 v°.)

« .. *Decano ecclesie Vapincensis.* Ad compescendos conatus — Dat. Viterbii, XVI kalendas maii, anno primo. »

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Trecensis.

In e. m. pro eisdem .. cantori ecclesie Trajectensis, Leodiensis diocesis.

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Frankenforidensis, Maguntine diocesis.

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Brivatensis, Claromontensis diocesis.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Ravellensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Bellicensi.

In e. m. pro eisdem .. archipresbytero ecclesie Taurinensis.

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie sancti Theobaldi Metensis. (Potth., n° 26630.)

In e. m. pro eisdem .. abbati secularis ecclesie Albaterrensis, Petragoricensis diocesis.

In e. m. pro eisdem .. priori sancte Marie majoris Cesaraugustane.

In e. m. pro eisdem .. archidiacono de Trivinno in ecclesia Burgensi.

In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Pauli Cormeriacensis, Turonensis diocesis.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Massiliensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Erefordensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Bivinensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Biterrensi.

In e. m. pro eisdem .. archidiacono Convenarum.

In e. m. pro eisdem .. archiepiscopo Lugdunensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Racanatensi.

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie sancti Petri Insulensis, Tornacensis diocesis.

In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii sancti Ysidori Legionensis.

1025 Au Latran, 13 mars 1304.

Magistro Parisio quondam Benvenuti de Altedo, civi Bononiensi, tabellionatus officium conceditur. (n° 815 B, fol. 186.)

« *Magistro Parisio, nato quondam Benvenuti de Altedo, civi Bononiensi.* Ne contractuum memoria — Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

1026 Pérouse, 28 mai 1304.

Abbati monasterii Cistercii, Cabilonensis diocesis, concedit ut, quotiens in monasteriis vel ecclesiis seu capellis sui ordinis eum contigerit proponere verbum Dei, vere pœnitentibus et confessis qui ibidem interfuerint quadraginta dierum indulgentiam elargiri valeat. (n° 816 A, fol. 186.)

« *Johanni, abbati monasterii Cistercii, Cabilonensis diocesis.* Geritur in affectu nostro precipuum, ut nostre cooperationis auxilio per divinam gratiam salus proveniat animarum.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, ut quotiens te in monasteriis et capellis seu ecclesiis tui ordinis contigerit proponere verbum Dei, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hujusmodi verbum audiendum convenerint, XL dies de injunctis sibi penitentiis relaxare misericorditer valeas tibi auctoritate presentium indulgemus. Presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, V kalendas junii, anno primo. »

1027 Pérouse, 11 mai 1304.

Valeat Rigensis archiepiscopus concedere duabus personis idoneis tabellionatus officium. (n° 816 B, fol. 186.)

« *Venerabili fratri Friderico, archiepiscopo Rigensi.* Habet in nobis tue devotionis sinceritas, ut personam tuam favorabiliter prosequentes eam spiritualibus gratiis honoremus.

Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue concedendi tabellionatus officium duabus personis, quas ad illud post diligentem examinationem per te faciendam ydoneas esse repereris, plenam auctoritate presentium tribuimus facultatem, recepto prius a personis ipsis juxta formam annotatam presentibus juramento. Forma autem juramenti quod ipsarum personarum quelibet prestabit talis est : « Ego .. juro quod ab » hac hora in antea fidelis ero beato Petro et sancte Romane Ecclesie ac domino pape Benedicto et successoribus ejus canonice intrantibus. Non ero in consilio, » etc.,ut in forma usque in finem. » Dat. Perusii, V idus maii, anno primo. »

1028 Pérouse, 7 juin 1304.

Liceat episcopo Eduensi censuram ecclesiasticam exercere in molestatores vel injuriatores, qui ejus vel Eduensis ecclesiæ bona aut jura invadere seu turbare præsumpserint. (n° 817, fol. 186.)

« *Venerabili fratri B[artholomeo], episcopo Eduensi.* Sincere caritatis affectus, quo te ac ecclesiam tuam prose-

quimur, sollicitat mentem nostram ut ea tibi libenti animo concedamus, per que tu et ecclesia ipsa a molestatorum inquietudinibus preservari ac quietis et pacis comoda consequi valeatis.

Cum itaque, sicut nobis significare curasti, nonnulli querentes que sua [non] sunt tibi et ecclesie predicte super bonis et juribus, ad te et ecclesiam ipsam spectantibus, graves molestias inferant, injurias et jacturas, nos volentes te illius favoris presidio comunire per quod tu et ecclesia predicta possitis ab hujusmodi presumptorum conatibus esse tuti, fraternitati tue tenore presentium indulgemus, ut in omnes manifestos injuriatores tuos et ecclesie supradicte, si a te canonice moniti debitam satisfactionem de injuriis tibi et ecclesie predicte per eos illatis impendere non curarint, possis libere, sive clerici sive laici tibi subditi vel non subditi fuerint, censuram ecclesiasticam exercere, nec non excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias, si quas propter hoc in tales et eorum terras te ferre contigerit, postquam [1] super hiis pro quibus easdem sententias tuleris tibi et ecclesie predicte satisfecerint ut premittitur competenter, juxta formam Ecclesie relaxare. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, VII idus junii, anno primo. »

1029 Pérouse, 1er juin 1304.

Vacante olim monasterio s. Mariæ de Trianis, Legionensis diocesis, Petrus de Villa Vincentii, ipsius monasterii canonicus, in abbatem canonice electus est; qui confirmationem electionis hujusmodi statutis temporibus obtinere non potuit. Nunc autem Benedictus mandat episcopo, priori fratrum Prædicatorum et guardiano Minorum Palentinis ut, si eundem Petrum idoneum invenerint ad monasterii jamdicti regimen exercendum, eum auctoritate apostolica in abbatem instituant. Alioquin de alia persona idonea dicto cœnobio celeriter provideant. (n° 818, fol. 186.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Palentinis* Etsi locorum religiosorum et personarum ipsorum nobis sollicitudo immineat generalis, de illorum tamen statu prospero attentius cogitare nos convenit, que ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertinere noscuntur, eorum occurrendo dispendiis et profectibus prout donat Dominus intendendo.

Nuper siquidem ad audientiam Apostolatus nostri pervenit, quod vacante dudum monasterio sancte Marie de Trianis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Augustini, Legionensis diocesis, per mortem quondam Petri Alfonsi, olim ipsius monasterii abbatis, dilecti filii .. prior et conventus ejusdem monasterii Petrum de Villa Vincentii, ipsius monasterii canonicum, in abbatem dicti monasterii per viam scrutinii unanimiter et concorditer elegerunt; qui quidem electus, propter suam et dicti monasterii paupertatem, personaliter ad Sedem Apostolicam, ut ordo juris expostulat, venire non potuit, sed quosdam suos et dicti monasterii procuratores pro hujusmodi sue electionis confirmatione et paupertatis excusatione ad eandem Sedem destinare curavit. Qui quidem procuratores per aliqua tempora apud dictam Sedem hujusmodi negotium fideliter prosequentes, tandem ipsorum paupertate urgente, negotio ipso imperfecto, a Sede recesserunt eadem. Deinde vero prefatus electus electioni hujusmodi de se facte renuntiavit libere et expresse, sicque prefatum monasterium jam per octo annos et amplius viduitatis incomoda deploravit, licet dicti prior et conventus prefato Petro administrationem bonorum dicti monasterii commiserint, quam usque nunc exercuit et exercet.

Nos igitur paupertati ejusdem monasterii compatientes ab intimis, et attendentes provisionem ipsius hac vice ad eandem Sedem legitime devolutam esse secundum statuta Concilii generalis, et propterea de prefati monasterii celeri et salubri ordinatione sollicite cogitantes, ne longioris vacationis sustineat detrimentum, quia vos utpote positi in vicino de negotii qualitate et meritis predicti administratoris et aliarum personarum ipsius monasterii et ejusdem statu habere poteritis notitiam pleniorem, discretioni vestre, de qua plene confidimus, per apostolica scripta mandamus quatinus, si prefatum Petrum administratorem ad ejusdem monasterii regimen ydoneum et utilem esse reppe[re]ritis, super quo vestras intendimus conscientias onerare, de ipso auctoritate nostra prefato monasterio providere curetis, sibique tu, frater episcope, munus benedictionis impendas, ac ei faciatis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi nec non de suis juribus integre responderi, recepturi postmodum ab eodem nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solite juramentum juxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin eidem monasterio, hac vice, studeatis de aliqua persona ydonea, de gremio ipsius monasterii vel etiam aliunde assumenda, ejusdem ordinis, que tanto congruat oneri et honori celeriter providere, contradictores, etc., formam juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ipsius patentes litteras suo sigillo signatas nobis quam totius transmissuri. Quod si non omnes, etc., tu, frater episcope, etc., non obstante indulgentia, qua

1. Ms : « priusquam. »

vobis, filii prior et guardiane, vel ordinibus vestris a prefata Sede dicitur esse concessum, ut de causis seu negotiis que a Sede committuntur eadem vos intromittere minime teneamini, absque speciali mandato Sedis ipsius faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de concessione hujusmodi et ipsis ordinibus mentionem. Dat. Perusii, kalendis junii, anno primo. »

1030 Pérouse, 16 juin 1304.

Precibus Octaviani, abbatis monasterii s. Johannis de Marzano, Castellanæ diocesis, libenter annuens, mandat ut quidam Finus Donati de Aretio, qui se gerit pro abbate dicti monasterii et ipsius administrationi se immiscet, citetur ad comparendum coram Apostolica Sede, contra præfatum Octavianum causam acturus. (nº 819, fol. 186 vº.)

« .. *Preposito ecclesie Castellane et .. plebano plebis de Valliana, Castellane diocesis.* Significavit nobis dilectus filius Octavianus, abbas monasterii sancti Johannis de Marzano, ordinis sancti Benedicti, Castellane diocesis, quod vacante dudum dicto monasterio per liberam resignationem quondam Jacobi abbatis ipsius in manibus venerabilis fratris nostri H[ugolini], episcopi Castellani, sponte factam et ab eo receptam, dictus Octavianus a majori et saniori parte conventus dicti monasterii, ad quo sin eo abbatis electio, cum illud vacare contingit, pertinet, canonice fuit electus et ipsius electio per episcopum Castellanum auctoritate ordinaria confirmata.

Verum Finus Donati de Aretio, monachus monasterii Camaldunensis, Aretine diocesis, pretextu cujusdam electionis attemptate de ipso et confirmationis etiam de facto, cum id de jure fieri nequiverit, subsecute, administrationi dicti monasterii de Marzano temere se immiscet in anime sue periculum dictorumque abbatis et monasterii de Marzano non modicum detrimentum.

Cum autem dictus Octavianus causam hujusmodi, que inter ipsum et dictum Finum occasione hujusmodi electionum et confirmationum vertitur seu verti speratur, et in qua plures, sicut asseritur, habiti sunt processus et appellationes hinc inde ad Sedem Apostolicam interjecte, apud Sedem eandem prosequi sit paratus, nos volentes in hac parte tam sibi, ut suam justitiam prosequi valeat, quam dicto monasterio de Marzano, ne occasione hujusmodi administrationis dicti Fini dispendium patiatur, de oportuno remedio providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Finum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis dictam causam contingentibus, compareat personaliter coram nobis, in eadem causa mediante justitia processurus, ac nichilominus fructus, redditus et proventus dicti monasterii de Marzano, ne medio tempore distrahi valeant, fideliter colligi facientes, illos ponatis penes aliquas personas de quibus expedire videbitis in sequestro, ut, ex eis ipsi conventui pro eorum sustentatione portione congrua reservata, quod residuum fuerit custodiatur fideliter ab eisdem, ac illi demum cui de jure assignari debuerint assignentur. Diem vero hujus citationis et formam, etc. Dat. Perusii, XVI kalendas julii, anno primo. »

1031 Au Latran, 27 janvier 1304.

Dispensatur cum subdiacono infradicto super inhabilitate, quam contraxit pro eo quod ecclesiam de Eyaurrieta, Pampilionensis diocesis, quondam assecutus non se fecit, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari. Eidem insuper conceditur, ut præfatam ecclesiam de cætero retinere valeat. (nº 820, fol. 186 vº.)

« *Johanni subdiacono, rectori ecclesie de Eyaurrieta, Pampilionensis diocesis.* Illos libenter prosequimur — Dat. Laterani, VI kalendas februarii, anno primo. »

1032 Au Latran, 18 février 1304.

Petro, nato Jacobi de Cazulis, canonico Pisano, providetur de quadam præbenda sacerdotali vacante in eadem ecclesia. Dispensatur cum eo, ut præbendam supradictam apprehendere valeat, dummodo se faciat in presbyterum ordinari, non obstante defectu quem patitur in natalibus et ætate. (nº 821, fol. 186 vº.)

« *Petro, nato dilecti filii Jacobi de Cazulis legum doctoris, canonico Pisano.* Testimonio tibi suffragante — Dat. Laterani, XII kalendas martii, anno primo. »

1033 Au Latran, 19 mars 1304.

Gaucerando de Calomonte confirmat ecclesiam s. Petri de Avist, Albiensis diocesis, quam ei diocesanus episcopus, cujusdam reservationis Bonifatii VIII ignarus, contulerat indebite. (nº 822, fol. 186 vº.)

« *Gaucerando de Calomonte, rectori ecclesie sancti Petri de Avist, Albiensis diocesis.* Probitatis merita, super quibus laudabili testimonio commendaris, exposcunt ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus.

Tue siquidem petitionis nobis exhibite series continebat quod, cum dudum ecclesia sancti Petri de Avist, cui

cura imminet animarum, Albiensis diocesis, per obitum quondam Petri, rectoris ipsius, qui apud Sedem Apostolicam decesserat, vacavisset, venerabilis frater noster .. episcopus Albiensis, ad quem alias ipsius ecclesie collatio pertinet, ecclesiam ipsam sic vacantem post lapsum unius mensis a tempore vacationis hujusmodi auctoritate ordinaria tibi contulit et providit de illa. Verum quia, obstante generali reservatione facta per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, de beneficiis ecclesiasticis apud Sedem predictam vacantibus, collatio hujusmodi, que post reservationem eandem tibi facta extitit, juribus non subsistit, tu qui reservationem tempore collationis hujusmodi ignorabas nobis humiliter supplicasti, ut providere in hac parte tibi paterna sollicitudine curaremus.

Nos itaque volentes tibi premissorum intuitu gratiam facere specialem, dictam ecclesiam cum juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane si secus super hoc a quoquam attemptatum esset hactenus vel contigerit imposterum attemptari;

Non obstante si aliqui super provisione sibi facienda de ecclesiis aliisque beneficiis ecclesiasticis in illis partibus dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint; etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dicte ecclesie te volumus anteferri, sed nullum ipsis quo ad assecutionem aliarum ecclesiarum et beneficiorum prejudicium generari; aut si aliquibus a Sede predicta indultum existat, quod de ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore debeat in presentibus fieri mentio specialis. Nulli ergo, etc., nostre collationis, provisionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono Podii sancti Georgii in ecclesia Albiensi et Guiraudo Adzemarii ac Bernardo de Cairsaco, canonicis Ruthenensibus.

1034 Pérouse, 12 mai 1304.

Petro Pagani, rectori parochialis ecclesiæ ss. Quirici et Julitæ de Aygone, Albiensis diocesis, indulget ut prædictam ecclesiam, quam dudum indebite retinuit, cum fructibus perceptis ex eadem licite retinere possit. (n° 823, fol. 187.)

« *Petro Pagani, rectori ecclesie parrochialis sanctorum Quirici et Julite de Aygone, Albiensis diocesis.* Merita tue probitatis — Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono Podii sancti Georgii in ecclesia Albiensi et Geraldo Ademari[i] ac Aymerico de Calomonte, canonicis Ruthenensibus.

1035 Pérouse, 10 mai 1304.

Hugueto, nato Symonis de Carmeyno civis Januensis, conferuntur thesauraria, canonicatus ac præbenda Nimociensis ecclesiæ, quæ nuper apud Apostolicam Sedem vacaverunt per liberam resignationem Bartholini de Flisco. (n° 824, fol. 187.)

« *Hugueto, nato dilecti filii Symonis de Carmeyno civis Januensis, canonico et thesaurario ecclesie Nimociensis.* Probitatis studia quibus — Dat. Perusii, VI idus maii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Stephani et .. magistro scolarum ecclesie Januensis ac .. archidiacono Nicosiensi.

1036 Pérouse, 17 juin 1304.

Conceduntur conservatores episcopo Novariensi. (n° 825 A, fol. 187 v°.)

« *Venerabilibus fratribus .. Papiensi et .. Vercellensi episcopis ac dilecto filio .. abbati monasterii sancti Andree Vercellensis.* Ex injuncte nobis servitutis officio ecclesias et personas ecclesiasticas, pontificali presertim preditas dignitate, tenemur et volumus contra malignantium audaciam quorumcumque tueri ac in suis bonis et juribus efficaciter confovere.

Cum itaque venerabilis frater noster Hugu[i]tio, episcopus Novariensis, sicut ex parte ipsius fuit propositum coram nobis, super bonis et juribus suis et Novariensis ecclesie frequenter indebite molestetur, nos et ipsius in hac parte providere quieti et molestantium malitiis obviare volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eidem episcopo oportuni favoris et efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eum super hiis et aliquibus molestari, faciendo eidem episcopo vel procuratori seu procuratoribus suis,

cum ab eo vel eis fueritis requisiti, de quibuslibet injuriatoribus suis justitie complementum, ac injuriatores et molestatores hujusmodi, quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si universitates, comunitates vel collegia fuerint, seu si pontificali vel alia quacumque ecclesiastica vel seculari premineant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis;

Non obstantibus de duabus edita in Concilio generali et felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, de una dietis, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur; et quibuslibet aliis constitutionibus in contrarium promulgatis; seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a data presentium plene sit attributa unicuique vestrum jurisdictio in premissis, quodque idem robur eandemque vim perpetuationis extunc jurisdictio cujuslibet vestrum obtineat quod et quam, si quilibet vestrum auctoritate presentium incepisset per citationem, monitionem vel alias legitime procedere, obtineret, et quasi re non integra perpetuata eadem cujuslibet vestrum jurisdictio censeatur. Dat. Perusii, xv kalendas julii, anno primo. »

1037 Pérouse, 24 juin 1304.

Episcopum Novariensem hortatur, ut ad ecclesiam suam accedens eam prudenter ac sollicite gubernare procuret. (nº 825 b, fol. 188.)

« *Venerabili fratri Huguitioni* [1], *episcopo Novariensi.* Cum nuper Novariensi ecclesie tunc vacanti de persona tua providimus, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, tibique subsequenter munus consecrationis de manibus nostris duximus impendendum, fraternitatem tuam rogamus et hortamur, quatinus ad eandem ecclesiam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic te exhibeas in hiis que Dei sunt et ad tuum ministerium pertinent studiosum, quod videaris cum gradu in virtutum exercitio excrevisse, nosque letari possimus in Domino cum a spe, quam de tua probitate concepimus, fuerimus non fraudati. Dat. Perusii, viii kalendas julii, anno primo. »

1. Ms : « Hugoni. » Rubrique volante : *Huguitioni.* Cf. col. 57, 400, et la pièce précédente.

1038 A Saint-Pierre, 1er avril 1304.

Dispensat cum Johanne dicto Lotcrel, clerico illegitime nato, ut ad omnes ordines promoveri possit valeatque præter ecclesiam de Holin, Eboracensis diocesis, cujus rector existit, beneficium ecclesiasticum aliud recipere ac retinere. (nº 826, fol. 188.)

« *Johanni dicto Loterel, rectori ecclesie de Holin, Eboracensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis aprilis, anno primo. »

1039 A Saint-Pierre, 1er avril 1304.

Eidem clerico indulget ut per quinquenium, quandiu studio facultatis theologicæ institerit, fructus, redditus ac proventus ecclesiæ suæ de Holin et alius beneficii, si quod ipsum obtinere contigerit, percipere valcat. (nº 827, fol. 188.)

« *Eidem.* Cupientes clericalis militie — Dat. ut supra. »

In e. m. .. abbati monasterii de Croyton., Lincolniensis diocesis, et .. de Nothingham ac .. Leicestrie Eboracensis et Lincolniensis ecclesiarum archidiaconis.

1040 Pérouse, 29 mai 1304.

Rectori et fratribus hospitalis novi de Vegano de Castro Plebis, Clusinæ diocesis, indulget ut usque ad viginti annos de eleemosynis vel bonis quibuscumque, ipsis quoquo modo legatis vel collatis, canonicam portionem cuiquam solvere minime teneantur. (nº 828, fol. 188.)

« .. *Rectori et fratribus hospitalis novi de Vegano de Castro Plebis, Clusine diocesis.* Digne agere credimus cum illis munificentie dexteram aperimus, qui Christo pauperi in personis pauperum servire assidue dinoscuntur.

Sane volentes vobis et domui vestre, in qua peregenis pauperibus et infirmis continue servire dicimini, gratiam facere specialem, ut vos et successores vestri usque ad viginti annos de elemosinis, oblationibus et quibuscumque bonis mobilibus et immobilibus, vobis et domui predicte in vita seu in morte a quibuscumque fidelibus Christi collatis seu legatis, canonicam portionem alicui episcopo vel ecclesie seu cuicumque persone dare minime teneamini auctoritate presentium indulgemus. Nulli, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, iiii kalendas junii, anno primo. »

1041 Pérouse, 11 mai 1304.

Mandat ut Jacobello, nato Petri Bellimontis de Parleonibus civis Romani, præter canonicatum quem obtinet in ecclesia

s. Angeli de Urbe, assignetur unum vel plura beneficia in diocesi Capuana, cujus redditus annui valorem decem unciarum auri non excedant. Collationem autem ipso Jacobello factam de canonicatu vacante in ecclesia s. Mariæ de Transtiberim de Urbe revocatam declarat. (n° 829, fol. 188 v°.)

« *Dilectis filiis*[1] *.. abbati monasterii sancti Benedicti Capuani et Bartholomeo Manossella sancte Marie Majoris de Urbe ac Neapoleoni de Bittonio, Palentine canonicis ecclesiarum.* Probitatis merita que — Dat. Perusii, v idus maii, anno primo. »

1042 Pérouse, 13 juin 1304.

Obtentu et consideratione Albertini de Pergamo panetarii et familiaris domini papæ pro Meliorato nepote suo Sedis Apostolicæ gratiam implorantis, dicto Meliorato conceduntur locus et perpetuum beneficium, quæ in ecclesia s. Petri Pergamensis vacant ad præsens per obitum Venturini quondam Henrici de Soare, ejusdem ecclesiæ clerici. (n° 830, fol. 188 v°.)

« *Meliorato, nato quondam Boni de Triviolo, clerico ecclesie sancti Petri Pergamensis.* Merita tue probitatis — Dat. Perusii, idibus junii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Benedicti Vallis Alte et .. preposito sancti Victoris de Terno, Pergamensis diocesis, ac Onofrio de Trebis, decano Meldensis, capellano nostro, ecclesiarum.

1043 Au Latran, 22 mars 1304.

Conferuntur Vitali de Manihauto, capellano domini papæ, canonicatus et præbenda in ecclesia Lectorensi. (n° 831, fol. 189.)

« *Vitali de Manihauto, canonico Lectorensi, capellano nostro.* Nobilitas generis — Dat. Laterani, xi kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. Johanni, electo Spoletano, camerario nostro, et .. priori de Laryaco, Agennensis diocesis, ac .. sacriste ecclesie sancti Pauli Narbonensis.

1044 Pérouse, 22 juin 1304.

Abbati monasterii s. Benedicti Salernitani mandat, ut magistrum et fratres Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani contra molestatores quoscumque tueatur ac defendat. — Scribitur in eundem modum alii conservatori. (n° 832, fol. 189.)

1. Ces deux mots, qui figurent à la rubrique volante, ont été oubliés par le *rubricator*.

« *.. Abbati monasterii sancti Benedicti Salernitani.* Etsi cunctos sub—Dat. Perusii, x kalendas julii, anno primo. »

In e. m. pro eisdem .. priori sancti Andree Beneventani.

1045 Au Latran, 24 février 1304.

Scribitur in eundem modum pro eisdem aliis conservatoribus. (*Ibid.*)

« In e. m. pro eisdem .. cantori ecclesie Senonensis, sub dat. Laterani, vi kalendas martii, anno primo. »

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Lingonensis,

In e. m. pro eisdem .. decano ecclesie Remensis.

In e. m. pro eisdem .. abbati monasterii Populeti Terraconensis. Etsi cunctos, etc. — Dat. Laterani, vi kalendas martii, anno primo.

In e. m. pro eisdem .. abbati sancte Justine Paduane.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Bononiensi.

In e. m. pro eisdem .. episcopo Florentino.

1046 Pérouse, 17 mai 1304.

Episcopo Burgensi mandat, ut Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad liberationem infradictarum personarum quæ a Sarracenis captivantur manum adjutricem porrexerint, indulgentiam quadraginta dierum largiatur. (n° 833 A, fol. 189 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Burgensi.* Licet ad singulos Orthodoxe Fidei professores, qui carceris cruciatibus affliguntur, haberi debeat compassionis affectus, illis tamen est potius condolendum, qui pro eadem Fide miserabiliter captivantur a perfidis Agarenis.

Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii Johannes Gondisalvi canonicus, Petrus Garsie, Johannes Gre[1]., et Johannes Stephani, portionarii ecclesie Giennensis, et Petrus Rodirecii laicus, Sarracenorum carceribus jamdiu detenti, gravibus afflictionibus macerentur, nos paternis eis compatientes affectibus eorumque liberationem desiderantius affectantes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad liberationem ipsorum usque ad triennium manum porrexerint adjutricem, auctoritate nostra quadraginta dierum indulgentiam largiaris. Dat. Perusii, xvi kalendas junii, anno primo. »

1. Ms : « Gre. » (*Garsie* ?)

1047 Pérouse, 11 juin 1304.

Andreas quondam Leonis de Setia, clericus Terracinensis diocesis, creatur notarius. (n° 833 B, fol. 189 v°.)

« *Andree, nato quondam Leonis de Setia, clerico Terracinensis diocesis clericali dumtaxat caractere insignito.* Ne contractuum memoria — Dat. Perusii, III idus junii, anno primo. »

1048 Pérouse, 5 juin 1304.

Confirmat electionem Michaelis, thesaurarii monasterii s. Ysidori Legionensis, quem conventus ipsius monasterii in abbatem elegerat. (n° 834, fol. 189 v°.)

« *Michaeli, abbati monasterii sancti Ysidori Legionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini.* Licet de universis orbis monasteriis et ecclesiis tanquam universalis pastor eorum teneamur sollicite cogitare, ad illa tamen non immerito attentioris dirigimus considerationis intuitum, que ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, cum ea presertim vacationis exposita conspicimus detrimentis.

Vacante siquidem dudum monasterio sancti Ysidori Legionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Augustini, per obitum quondam Petri, abbatis ipsius monasterii, licet quondam Alfonsus, monasterii predicti canonicus, concorditer fuerit electus in abbatem monasterii prelibati, eodem tamen Alfonso non obtenta confirmatione hujusmodi sue electionis viam universe carnis ingresso, dilecti filii conventus ejusdem monasterii, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad hoc prefixa convenientes in unum pro futuri abbatis electione celebranda, ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, dilectis filiis Johanni, priori de Villalpando, Johanni Alfonsi et Andree Alfonsi, dicti monasterii canonicis, providendi ea vice dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in eorum abbatem recipere de quo ipsi compromissarii de gremio predicti monasterii eidem monasterio providerent.

Iidem vero compromissarii, hujusmodi potestate recepta, post deliberationem super hoc habitam diligentem, in te tunc thesaurarium predicti monasterii mentis oculum direxerunt, dictusque Andreas unus de compromissariis antedictis, suo, dictorum collegarum suorum, et totius conventus nomine, de mandato collegarum predictorum ex vigore dicte potestatis te in abbatem elegit monasterii memorati, ac electionem hujusmodi coram ipsis conventu solenniter publicavit ; ac tam tu qui electioni hujusmodi consensisti, quam Ysidorus Martini, monasterii predicti canonicus, procurator ipsorum conventus, ad Sedem Apostolicam accessistis pro confirmationis electionis ejusdem munere obtinendo, in premissis omnibus statutis a jure temporibus observatis.

Presentato itaque nobis ejusdem electionis decreto, nos electionem ipsam per venerabilem fratrem Petrum, episcopum Sabinensem, ac dilectos filios nostros R[obertum], sancte Pudentiane presbyterum, et F[rančiscum], sancte Lucie in Silice diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter ; et tandem, quia illam invenimus de te persona ydonea canonice celebratam, eam de predictorum episcopi et cardinalium ac aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, preficientes te ipsi monasterio in abbatem, firma spe fiduciaque tenentes quod, cum sis vir moribus et vita laudabilis, et multarum virtutum dono conspicuus, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, dictum monasterium per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam in suis defensabitur et manutenebitur juribus, preservabitur prudenter a noxiis et ad salubria dirigetur, divina clementia suffragante.

Jugum itaque Domini prompta devotione suscipias et suavi ejus oneri colla submittas, ejusdem monasterii tue gubernationi commissi gerendo curam sic sollicite fideliter et prudenter, quod monasterium ipsum sub tuo felici regimine spiritualibus et temporalibus proficiat incrementis, tuque proinde divinam, predicte Sedis et nostram gratiam uberius consequi merearis. Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. »

In e. m. conventui monasterii sancti Ysidori Legionensis.

1049 Pérouse, 28 mai 1304.

Valeat comitissa Juliacensis in locis ecclesiastico suppositis interdicto per capellanos proprios divina officia facere celebrari. (n° 835, fol. 189 v°.)

« *Nobili mulieri Marie, comitisse Juliacensi.* Cum tibi ex concessione nostra liceat habere altare portatile et super eo tibi tueque familie in locis congruis et honestis divina officia per capellanos proprios facere celebrari, nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate presentium indulgemus quod etiam in locis ecclesiastico suppositis interdicto possis tibi et familie tue domestice per eosdem capellanos submissa voce, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, officia facere celebrari predicta,

dummodo tu et iidem capellani ac familia causam non dederitis interdicto nec id tibi vel eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Perusii, v kalendas junii, anno primo. »

1050 Au Latran, 19 mars 1304.

Abbati monasterii b. Mariæ de Cella, Pictaviensis diocesis, indulget ut, cum idem monasterium per mortem prioris claustralis et canonicorum in eo degentium sit collapsum, ea vice possit dicto cœnobio de priore claustrali et canonicis auctoritate propria providere. (nº 836, fol. 190.)

« *Aymerico, abbati monasterii beate Marie de Cella ordinis sancti Augustini, Pictaviensis diocesis.* Pie sollicitudinis cura nos excitat ut monasterium tuum favorabili prosequentes affectu, ad bonum statum ejus, quietum et prosperum intendamus.

Porrecta siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod pro defendendis et prosequendis juribus predicti monasterii contra invasores et occupatores jurium predictorum per sex annos et amplius moram apud Sedem Apostolicam personaliter contraxisti, ita quod interim quondam Reginaldus, prior claustralis, et nonnulli canonici monasterii supradicti, ad religionis observantiam et divinum cultum exercendum in eodem monasterio deputati, viam sunt universe carnis ingressi, propter quod monasterium ipsum et ejus membra non solum in religionis observantia, sed alias spiritualiter et temporaliter detrimentum non modicum patiuntur. Quare desideras, prout ad tuum spectat officium, super premissis cum nostre provisionis auxilio prefatum monasterium sublevare.

Nos igitur tuis justis desideriis annuentes, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, providendi hac vice eidem monasterio de priore claustrali ac canonicis, prout pensatis diligenter facultatibus monasterii memorati secundum Deum videris expedire, liberam auctoritate presentium concedimus potestatem ; non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis monasterii supradicti, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel alia quavis firmitate vallatis ; seu si quibusvis personis a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, contradictores, etc. Dat. Laterani, xiiii kalendas aprilis, anno primo. »

1051 Pérouse, 2 juin 1304.

Obtentu et consideratione archiepiscopi Narbonensis pro magistro Alberto nepote suo supplicantis, eidem magistro conceditur ut per biennium studio juris civilis immoretur et percipiat per idem tempus proventus suos ecclesiasticos, tam archidiaconatus ecclesiæ Carnotensis, quam aliorum beneficiorum suorum. (nº 837 a, fol. 190.)

« *Magistro Alberto, archidiacono Carnotensi.* In agro studii — Dat. Perusii, iiii nonas junii, anno primo. »

In e. m. .. monasterii sancti Illidii et .. secularis sancti Genesii abbatibus ac magistro Girardo, canonico Claromontensis ecclesiarum.

1052 Pérouse, 2 juin 1304.

Gratia similis pro magistro Hugone de Calancona, ejusdem archiepiscopi consanguineo. (nº 837 b, fol. 190.)

« *Magistro Hugoni de Calancona, rectori ecclesie de Villarsella, Narbonensis diocesis.* Meritis tue bonitatis — Dat. ut supra. »

In e. m. .. monasterii sancti Illidii et .. secularis sancti Genesii abbatibus ac magistro Petro Girardi, canonico Claromontensis ecclesiarum.

1053 Viterbe, 18 avril 1304.

Liceat episcopo Bambergensi concedere fratribus ordinis Prædicatorum qui cum ipso fuerint, ut cibis prohibitis vesci possint. (nº 838 a, fol. 190 vº.)

« *Venerabili fratri Wlvingo, episcopo Bambergensi.* Fraternitatis tue precibus benivolum impertientes assensum, dispensandi cum illis fratribus ordinis Predicatorum, qui tecum pro tempore fuerint, quod cibis eis per ipsius ordinis constitutiones prohibitis vesci possint, quocumque statuto dicti ordinis contrario non obstante, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Viterbii, xiiii kalendas maii, anno primo. »

1054 Viterbe, 15 avril 1304.

Valeat idem episcopus elargiri duobus clericis quibuslibet suæ diocesis licentiam recipiendi ac insimul retinendi duo beneficia ecclesiastica, si ea ipsis canonice offerantur. (nº 838 b, fol. 190 vº.)

« *Eidem.* Devotionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam geris Ecclesiam promeretur, ut illa personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur, per quam aliis etiam te reddere valeas fructuosum.

Volentes itaque tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, dispensandi hac vice auctoritate nostra cum duobus clericis tuarum civitatis et diocesis ydoneis, de quibus tibi videbitur, ut eorum quilibet duo beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, etiam si dignitates existant, si ea canonice offerantur, licite recipere ac insimul retinere libere valeat, non obstantibus constitutione generalis Concilii et qualibet alia contraria, seu si dicti clerici unum vel duo alia beneficia sine cura, que dignitates vel personatus non fuerint, obtinere noscantur, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, proviso quod hujusmodi beneficia debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura eis iminens nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1055 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem episcopo permittit ut ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ forte violari contigerit, per idoneos presbyteros reconciliare valeat. (no 839 A, fol. 190 vo.)

« *Eidem.* Sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, sepe contingit ecclesias et cimiteria tue civitatis et diocesis per effusionem sanguinis seu seminis violari, tuque illa non potes reconciliare comode per te ipsum. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc, ne illarum parrochiani exinde sustineant in spiritualibus detrimentum, de benignitate Sedis Apostolice curaremus.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, quod ecclesias et cimiteria ipsa per aliquos presbyteros ad hoc ydoneos in dignitate seu personatu constitutos reconciliare valeas juxta morem, aqua per te vel alium catholicum episcopum prius ut moris esse dinoscitur benedicta. Per hoc autem constitutioni, que id precipit per episcopum tantum fieri, nullum volumus imposterum prejudicium generari. Presentibus post triennium minime valituris. Dat. ut supra. »

1056 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem, ut possit absolvere ab excommunicationis sententia clericos et laicos suæ diocesis, qui pro injectione manuum in personas ecclesiasticas nec non pro violatione ecclesiarum taliter sunt innodati. Valeat prætcrea cum hujusmodi clericis dispensare super irregularitate, si quam exinde forte contraxerint. (no 839 B, fol. 190 vo.)

« *Eidem.* Exposuisti nobis quod nonnulli clerici et laici tuarum civitatis et diocesis pro violenta injectione manuum in clericos et personas ecclesiasticas, tam religiosas quam seculares, nec non violatione ecclesiarum sunt excommunicationis sententia lata a canone innodati. Quare tu de ipsorum salute sollicitus nobis humiliter supplicasti, ut providere ipsis super hoc misericorditer dignaremur.

Nos igitur de tua circumspectione confisi, absolvendi hac vice tales ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam Ecclesie vice nostra, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter, et eorum non sit adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc sint ad Sedem Apostolicam non immerito destinandi, dispensandi quoque cum illis ex eisdem clericis, qui hujusmodi ligati sententia divina officia celebrarunt vel immiscuerunt se illis non tamen in contemptum clavium, super irregularitate quam exinde contraxerunt, imposita ipsis omnibus pro culpe modo, prout secundum Deum expedire videris, penitentia salutari, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1057 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem, ut possit dispensare super duobus matrimoniis illicite contractis, prout sibi videbitur expedire. (no 840 A, fol. 190 vo.)

« *Eidem.* Tua nobis fraternitas intimavit quod plures de regno Alamanie, pro sedandis discordiis et inter dissidentes concordiis reformandis, mulieres quarto eis consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctas sibi matrimonialiter copularunt, ex quorum divortiis si fierent gravia formidantur in illis partibus scandala suboriri.

Nos autem de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue dispensandi super duobus ex eisdem matrimoniis, de quibus tibi videbitur expedire, quod hii qui ea taliter contraxerunt possint in illis licite remanere, impedimento quod ex dicta consanguinitate vel affinitate provenit non obstante, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam nuntiandi, liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1058 Viterbe, 18 avril 1304.

Liceat eidem episcopo conventum fratrum ordinis Prædicatorum in aliquo loco suæ diocesis collocare. (no 840 B, fol. 190 vo.)

« *Eidem.* Ad ea, que ad divini cultus augmentum et corroborationem Fidei Orthodoxe pertineant, paternis affectibus juxta pastoralis officii debitum intendentes, fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, collocandi auctoritate nostra in aliquo loco tue diocesis decentem conventum fratrum ordinis Predicatorum, si dilectus filius .. prior provincialis dicti ordinis te super hoc duxerit requirendum, ipsisque pro habitatione eorum locum eundem cum suis pertinentiis assignandi, constitutione felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, qua dicti ordinis fratribus inhibetur ne absque licentia Sedis Apostolice loca de novo recipiant, non obstante, liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1059 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem episcopo licentiam elargitur dispensandi super pluralitate beneficiorum cum duobus clericis suæ diocesis de quibus sibi videbitur. (n° 841 A, fol. 191.)

« *Eidem.* Meritis tue probitatis inducimur ut personam tuam favoribus et gratiis prosequamur.

Volentes itaque tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, dispensandi cum duobus clericis tuarum civitatis et diocesis alias ydoneis, de quibus tibi videbitur, pluralitatem beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, etiam si personatus vel dignitates existant, sine dispensatione Apostolice Sedis habentibus, quod quilibet eorum duo ex ipsis curatis beneficiis que obtinet, dummodo alias canonice illa fuerit assecutus, cum fructibus inde perceptis, etiam si unum vel duo alia beneficia ecclesiastica sine cura, que dignitates vel personatus non fuerint, obtinere noscatur, licite ac libere retinere valeat, constitutione generalis Concilii et qualibet alia contraria non obstantibus, et abolendi omnem infamiam et inhabilitatis notam sive maculam, quam ex receptione ac retentione beneficiorum curatorum hujusmodi et ex perceptione dictorum fructuum incurrisse noscuntur, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1060 Viterbe, 18 avril 1304.

Cum nonnulli prædecessores Bambergensis episcopi palafredos, quos Ecclesiæ Romanæ in signum fidelitatis assignare tenebantur, eidem Ecclesiæ per plures annos omiserint exhibere, omnes palafredos sic non datos episcopo supradicto et ejus ecclesiæ remittit et donat. (n° 841 B, fol. 191; * POTTH., n° 25422.)

« *Eidem.* Personam tuam sincera diligentes in Domino caritate, votis tuis libenter annuimus in hiis presertim, que ad tuorum et ecclesie tue relevationem onerum cedere dinoscantur.

Cum itaque episcopus et ecclesia Bambergensis, in signum devotionis et fidelitatis, unum palafredum album Romane Ecclesie dare et assignare annis singulis teneantur, et per nonnullos predecessores tuos, Bambergenses episcopos qui fuerunt pro tempore, in assignatione seu datione palafredorum hujusmodi sit per septennium vel circa cessatum, nobis humiliter supplicasti ut, cum prefata Bambergensis ecclesia multis subjaceat oneribus debitorum, relaxare tibi et ipsi ecclesie Bambergensi hujusmodi palafredos, in quorum est ut premittitur datione et assignatione cessatum, de speciali gratia dignaremur.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, omnes hujusmodi palafredos non datos prefate Romane Ecclesie seu etiam assignatos tibi et ipsi ecclesie Bambergensi de speciali gratia remittimus et donamus, volentes et concedentes ut tu vel successores tui et predicta ecclesia Bambergensis ad dationem seu assignationem ipsorum non datorum nec assignatorum ullo unquam tempore teneamini, neque ad id a quoquam coartari possitis vel quomodolibet molestari.

Non autem intendimus quod per presentes [1] remissionem et donationem nostras ullum ipsi Romane Ecclesie imposterum prejudicium generetur. Nulli ergo, etc., nostre remissionis, donationis et concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1061 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem concedit liberam facultatem faciendi recipi quatuor personas idoneas in canonicos in sua Bambergensi et in tribus aliis collegiatis ecclesiis suæ diocesis, videlicet singulas in singulis, atque eisdem providendi de præbendis vacantibus seu quam primum vacaturis. (n° 842, fol. 191.)

« *Eidem.* Personam tuam tuis — Dat. ut supra. »

1062 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem, ut possit absolvere nonnullas personas suæ diocesis ab excommunicationis sententia, in cujus laqueum inciderunt pro eo quod constitutionem Bonifatii VIII quæ incipit *Clericis laicos* non servarunt. (n° 843, fol. 191.)

« *Eidem.* Exposuisti nobis quod nonnulli tam clerici quam laici tue civitatis et diocesis contra constitutionem

1. Ms : « presentem. »

felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, per quam inhibetur ne prelati ecclesiasticeque persone, religiose vel seculares, quorumcumque ordinum, conditionum, sive statuum, collectas vel tallias, decimam seu vicesimam aut quotamcumque portionem suorum ecclesiasticorum proventuum vel bonorum laicis solvant vel promittant quovis nomine, titulo, sive modo, neque laici ab eisdem personis talia imponere, exigere, recipere quoquo modo presumant, temere venientes, iidem clerici collectas vel tallias et alia supradicta interdum laicis aliquibus persolverunt seu etiam promiserunt, ipsique laici ea ab eisdem clericis similiter exegerunt et etiam receperunt; propter quod iidem clerici et laici latam contra tales in constitutione predicta excommunicationis sententiam incurrerunt. Quare tu de cleri et populi tibi commissi salute sollicitus, nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

De tua igitur circumspectione confisi, absolvendi clericos et laicos supradictos quos sic inveneris fore ligatos ab hujusmodi excommunicationis sententia vice nostra, dispensandi quoque cum illis ex clericis et personis ecclesiasticis supradictis, qui per simplicitatem et juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, sic ligati receperunt ordines et ministrarunt in ipsis ac divina officia celebrarunt vel immiscuerunt se illis, super irregularitate quam exinde contraxerunt, et quod in eisdem ordinibus remanere ac ministrare valeant, injuncta eis pro modo culpe penitentia salutari, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1063 Viterbe, 18 avril 1304.

Eidem episcopo indulget ut duabus personis idoneis tabellionatus officium conferre possit. (n° 844, fol. 191 v°.)

« *Eidem.* Habet in nobis — Dat. ut supra. »

1064 Viterbe, 18 avril 1304.

Archiepiscopo Salzeburgensi committit, ut collationes et concessiones ecclesiarum, quas olim nonnulli Bambergenses episcopi fecisse dicuntur in ecclesiæ suæ detrimentum, provide revocet; easdem insuper ecclesias personis idoneis assignare procuret. (n° 845, fol. 191 v°.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Salzeburgensi.* Exposuit nobis venerabilis frater noster Wlvingus, episcopus Bambergensis, quod nonnulli predecessores sui, episcopi Bambergenses qui fuerunt pro tempore, nonnullas ecclesias parrochiales et alias, ad suam collationem spectantes, nonnullis monasteriis et ecclesiis seu eorum capitulis, conventibus et collegiis perpetuo in usus proprios auctoritate propria concesserunt in gravem ipsius Bambergensis ecclesie lesionem, propter quod dictus episcopus Apostolice Sedis remedium imploravit.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, vocatis qui fuerint evocandi, collationes et concessiones hujusmodi auctoritate nostra legitime revocans ac decernens irritas et inanes, de singulis ecclesiis ipsis cum omnibus juribus et pertinentiis suis singulis personis ydoneis, de quibus expedire videris, providere procures, inducens eas in illarum corporalem possessionem et defendens inductas, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, contradictores, etc.;

Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus Apostolice Sedis, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari, vel legatorum ejus litteras impetrarint; aut si eidem episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel quamcumque dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua cujusque toto tenore in nostris litteris habenda sit mentio specialis; seu si persone ipse alias beneficiate forsan existant. Dat. ut supra. »

1065 Viterbe, 18 avril 1304.

Supplicante Bambergensi episcopo, dispensat cum Hermanno, familiari et capellano ejusdem episcopi, super pluralitate beneficiorum. (n° 846, fol. 191 v°.)

« *Hermanno, decano ecclesie sancti Virgilii in Frisaco, Salzeburgensis* [*diocesis*] [1]. Laudabilia testimonia — Dat. ut supra. »

1066 A Saint-Pierre, 1er avril 1304.

Dispensetur cum Ottone, nato quondam Friderici comitis de Occumburg, super pluralitate beneficiorum nec non super ir-

1. Cf. les deux pièces suivantes.

regularitate contracta ex eo quod dictus Otto plura beneficia post Lugdunense Concilium assecutus, non se fecit prout tenebatur in presbyterum statutis temporibus ordinari. (n° 847, fol. 191 v°.)

« *Venerabilibus fratribus .. Bambergensi et .. Gurcensi*[1] *episcopis ac dilecto filio .. decano ecclesie sancti Virgilii Frisacensis, Salzeburgensis diocesis.* Etsi actus hominum — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis aprilis, anno primo. »

1067 A Saint-Pierre, 1er avril 1304.

Eidem Ottoni concedit facultatem percipiendi proventus suos ecclesiasticos, quandiu in curia Salzeburgensis episcopi, cujus capellanus existit, ipsius episcopi insistet obsequiis. (n° 848, fol. 192.)

« *Ottoni, nato quondam Friderici comitis de Ortumburk, preposito Brixinensi.* Meritis tue probitatis — Dat. ut supra. »

In e. m. .. Bambergensi et .. Gurcensi episcopis ac .. decano ecclesie sancti Virgilii Frisacensis, Salzeburgensis diocesis.

1068 Pérouse, 6 juin 1304.

Cum archidiaconatus, canonicatus et præbenda ecclesiæ Bisuntinæ, quæ nuper Leoni Francisci de filiis Ursi fuerant assignata, per mortem ipsius Leonis de novo vacare noscantur, ea Benedictus XI Ubaldino Tani de Ubaldinis, capellano Francisci s. Luciæ in Silice diaconi cardinalis, confert providetque de illis. (n° 849, fol. 192.)

« *Dilectis filiis .. de Relangiis et .. de Sercofagis ecclesiarum prioribus, Tullensis et Bisuntine diocesium, ac .. archidiacono Alnisiensi in ecclesia Xanctonensi.* Sedis Apostolice providentia — Dat. Perusii, VIII idus junii, anno primo. »

1069 Pérouse, 15 mai 1304.

Executoribus infradictis mandat ut Nicolaum Feliciani, Strigoniensem canonicum, qui præposituram ecclesiæ Scripsiensis detinet illicite, super quo legitime citatus ad instantiam comparere non curavit, excommunicatum denuntient et alias procedant contra eum donec ad Ecclesiæ mandata redierit. (n° 850, fol. 192 v°.)

1. Ms : « Turcensi. » Evêché de Gürck dans la Carinthie. Cf. l'*In e. m.* de la pièce suivante.

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis .. preposito ac .. scolastico Strigoniensibus.* Dignum fore conspicimus, ut actus nepharii perversorum, qui ob Dei timorem ab eorum pravis excessibus se retrahere nesciunt, saltem superioris officio arceantur, ut nec ipsi in eorum malitia glorientur nec eorum impunitas in exempli pernitiem transeat aliorum.

Sane dudum, cum in minori officio constituti in Ungarie partibus legationis officio fungeremur, licet dilectus filius Paulus, prepositus ecclesie Scripsiensis, Strigoniensis diocesis, preposituram dicte ecclesie canonice fuisset adeptus et aliquandiu pacifice possedisset, Nicolaus tamen Feliciani, canonicus Strigoniensis, pretextu quarumdam litterarum, quas dicebat sub nostro nomine habere, se in eandem preposituram intrudi, ejecto exinde memorato preposito, laicali fultus potentia procuravit. Unde nos habentes easdem litteras nec immerito de falsitate suspectas, eundem canonicum primo et secundo citari fecimus ut coram nobis certo termino cum predictis litteris personaliter compareret, alioquin in eum extunc excommunicationis sententiam duximus proferendam; sed idem canonicus, tanquam male sibi conscius, coram nobis eodem comparere termino et post eundem terminum etiam expectatus aliquatenus non curavit, propter quod eandem sententiam excommunicationis incurrit, quam ipse sicut accepimus vilipendens, illam extunc sustinuit et adhuc sustinet animo indurato, dictamque preposituram de facto retinens percepit et percipit fructus et redditus ex eadem, in anime sue periculum dictique prepositi non modicum detrimentum.

Cum autem idem prepositus ad nostram super hoc providentiam duxerit recurrendum, nos nolentes hujusmodi canonici predicti excessus, prout etiam nec debemus, equanimiter tolerare, sed de illo super hoc volentes remedio providere, per quod et idem prepositus plene consequi valeat sue justitie complementum ac ejusdem canonici malitia compescatur, discretioni vestre, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, eundem canonicum singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, tandiu appellatione remota excommunicatum publice nuntietis et per omnia loca, in quibus expedire videritis, nuntiari ab aliis faciatis, donec idem canonicus ad mandata Ecclesie rediens mereatur absolutionis beneficium obtinere, ipsumque canonicum, quod preposituram eandem eidem preposito dimittat libere et quiete nullam sibi super illa molestiam illaturus, ac de fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt post occupationem hujusmodi plenam et debitam satisfactionem exhibeat, monitione premissa per

excommunicationis in personam ipsius et participantes eidem nec non fautores et defensores ipsius ac interdicti in territorium Scripsiense vel alium locum ubi dictus canonicus se receptaverit, quandiu ibidem fuerit, sententias appellatione postposita compellatis, procedentes nichilominus contra eum ad privationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum que obtinet et reddendum ipsum inhabilem ad omnia alia obtinenda, si hoc protervia ipsius exegerit vobisque videbitur expedire, ac invocando ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater archiepiscope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Perusii, idibus maii, anno primo. »

1070 Pérouse, 23 mai 1304.

Dispensat cum Manfredo, nato Rambaldi de Tervisio, ut canonicatum et præbendam Cameracensis ecclesiæ, quæ sibi nuper fuerunt assignata, non obstante defectu quem patitur in ætate assequi valeat. (n° 851, fol. 193.)

« *Manfredo, nato dilecti filii nobilis viri Rambaldi de Tervisio comitis, canonico Cameracensi.* Tue ac tuorum merita — Dat. Perusii, x kalendas junii, anno primo. »

1071 Pérouse, 2 juin 1304.

Olim cum Monsserato Eymerici, clerico illegitime nato, fuit auctoritate Nicolai papæ IIII dispensatum, ut ad omnes ordines et ad beneficium ecclesiasticum promoveri posset. Cum autem nullæ super hoc litteræ fuerint confectæ, Benedictus XI præfatam dispensationem præsentibus confirmat. (n° 852, fol. 193.)

« *Dilecto filio*[1] *Monsserato Eymerici, rectori ecclesie sancte Marie de Plano, Terraconensis diocesis.* Sedis Apostolice benignitas consueta sui favoris gratiam illis libenter impendit, de quorum meritis laudabilia testimonia perhibentur.

Ex tenore siquidem tue petitionis accepimus, quod bone memorie M[attheus], episcopus Portuensis, auctoritate felicis recordationis Nicolai pape IIII^ti, predecessoris nostri, cujus tunc penitentiarie curam gerebat, sibi specialiter in hac parte ad supplicationis instantiam venerabilis fratris nostri R[aimundi], episcopi Valentini, commissa, tecum tunc in minoribus tantum ordinibus constituto, quod non obstante defectu quem pateris de conjugato genitus et soluta posses ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam haberet animarum, misericorditer dispensavit, tuque deinde ad omnes ordines statutis a jure temporibus rite promotus, ecclesiam sante Marie de Plano, Terraconensis diocesis, tibi collatam canonice recepisti, quam extunc possedisti sicut et adhuc possides pacifice et quiete, percipiendo fructus et redditus ex eadem.

Verum quia super hujusmodi dispensatione non fuerunt confecte littere seu publicum instrumentum, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc misericorditer dignaremur.

Nos igitur volentes tibi meritorum tuorum obtentu, super quibus laudabili testimonio commendaris, ne tibi propterea prejudicium iminere possit imposterum, paterna sollicitudine precavere, tuis supplicationibus inclinati, tecum ad cautelam quod eodem defectu nequaquam obstante ministrare possis in ordinibus sic susceptis dictamque ecclesiam licite retinere, quodque ad restitutionem aliquorum fructuum inde perceptorum nullatenus tenearis nullave tibi possit macula vel inhabilitatis nota occasione premissorum impingi, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Perusii, IIII nonas junii, anno primo. »

1. Ces deux mots qui se trouvent en haut de la page ont été omis par le *rubricator*.

1072 Pérouse, 20 mai 1304.

Domino Castri Villani, Lingonensis diocesis, qui tempore Nicolai papæ IIII ab ultramarino voto fuerat certis ex causis absolutus, significat se absolutionem hujusmodi ratam et gratam habere. (n° 853, fol. 193.)

« *Nobili viro Johanni, domino Castri Villani, Lingonensis diocesis.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum tu dudum signo vivifice crucis assumpto proposuisses in Terre Sancte subsidium pro anime tue remedio proficisci, et propter senectutem ad quam deveneras et alias legitimas causas id efficere comode non valeres, et hoc intimasses felicis recordationis Nicolao pape IIII^to, predecessori nostro tunc viventi, et satisfecisses pro redemptione voti hujusmodi juxta ipsius beneplacitum competenter, bone memorie frater Bentevega, Albanensis episcopus, auctoritate dicti predecessoris nostri, cujus penitentiarie curam gerebat, specialiter tibi in hac parte commissa te a prefato voto absolvit, illam tibi tuorum peccatorum [veniam] concedendo, que transfetantibus in dicte Terre subsidium in generali Concilio est concessa, prout in presentibus litteris inde confectis dicti episcopi sigillo munitis prospeximus plenius contineri.

Nos igitur te, qui alias cum clare memorie sancto Ludovico, rege Francorum, in dicte Terre subsidium diceris transfetasse, prosequi specialiter in hac parte favoris presidio intendentes, tuis supplicationibus inclinati,

premissa circa te taliter habita sive facta rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Perusii, XIII kalendas junii, anno primo. »

1073 Pérouse, 20 mai 1304.

Civibus Bellunensibus infradictis licentiam elargitur remanendi in contracto matrimonio, consanguinitate quadam non obstante. (nº 854, fol. 193.)

« *Alexandro de Clogon., et dilecte in Christo filie Antonie Rubei, civibus Bellunensibus.* Sedis Apostolice circumspecta providentia concessa sibi desuper utitur potestate, prout locorum et temporum qualitate pensata, id in Deo conspicit salubriter expedire.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos ad sedandas inimicitias inter utriusque vestrum consanguineos exortas, ex quibus Bellunensis civitatis status pacificus non modicum turbabatur, matrimonium invicem contraxistis, id bone memorie A[dalgerio] Bellunensi episcopo procurante, et carnali inter vos copula subsecuta jam pluribus annis insimul habitastis, ignorantes quod inter vos foret consanguinitas, que posset hujusmodi vestrum matrimonium impedire. Verum quia postmodum, etc. Dat. ut supra. »

1074 Pérouse, 11 juin 1304.

Abbati monasterii Fructuariensis, Yporiensis diocesis, concedit ut quasdam ecclesias ad idem monasterium pertinentes unire valeat aliquibus prioratibus, præposituris, ecclesiis seu officiis dicti monasterii. — Eidem, ut nonnullas possessiones ejusdem monasterii cum aliis utilioribus permutare possit. (nº 855, fol. 193 vº.)

« *Uberto, abbati monasterii Fructuariensis, ordinis sancti Benedicti, Yporiensis diocesis.* Ad monasterium tuum, in quo vigere dicitur observantia regularis, paterne gerentes caritatis affectum, in hiis [nos] tibi benignos et favorabiles exhibemus, que ipsi monasterio et personis in eo degentibus fore prospicimus profutura.

Sane, sicut nobis exponere curavisti, dictum monasterium nonnullas habet ecclesias spectantes ad ipsum monasterium pleno jure, consuetas per monachos ejusdem monasterii gubernari, in quibus propter tenuitatem reddituum earum non possunt monachi commorari. Quare nobis humiliter supplicasti ut tibi quod easdem ecclesias aliquibus prioratibus, prepositturis, seu aliis ecclesiis vel officiis dicti monasterii, que minus sufficientia esse noscuntur ad incumbentia eis onera supportanda, unire valeas concedere dignaremur.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, faciendi auctoritate nostra unionem hujusmodi, prout melius secundum Deum videris expedire, si ad id dilectorum filiorum conventus ejusdem monasterii vel majoris et sanioris partis eorumdem conventus intercedat assensus, plenam et liberam tibi concedimus tenore presentium potestatem. Dat. Perusii, III idus junii, anno primo. »

« Item eidem. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod monasterium tuum nonnullas possessiones ei minus utiles obtinet, quas cum aliis utilioribus desideras permutare. Quare a nobis suppliciter postulasti, ut tibi faciendi permutationem hujusmodi licentiam concedere dignaremur.

Nos itaque tuis supplicationibus favorabiliter annuere intendentes, discretioni tue ut predictam permutationem, prout utilitati prefati monasterii expedire videris, libere facere valeas, si ad id dilectorum filiorum conventus ejusdem monasterii vel majoris partis ipsorum accedat assensus, non obstante juramento quod de non alienandis possessionibus dicti monasterii diceris prestitisse, auctoritate presentium duximus concedendum. Dat. ut supra. »

1075 Au Latran, 10 mars 1304.

Margaritæ reginæ Siciliæ viduæ precibus annuens, decernit ut magister hospitalis s. Mariæ de Fontanillis Tornodorensis, Lingonensis diocesis, quod dicta regina fundasse dicitur et dotasse, quandiu in eodem hospitali residentiam fecerit vel prosecutioni negotiorum ipsius reginæ institerit, proventus suos ecclesiasticos integraliter percipiat. (nº 856, fol. 193 vº.)

« *Carissime in Christo filie Margarite, regine Sicilie illustri vidue.* Celsitudinis tue votis libenter annuimus et petitiones tuas quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus.

Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut .. magister hospitalis sancte Marie de Fontanillis Tornodorensis, Lingonensis diocesis, quod tu de bonis propriis fundasse diceris et dotasse, qui nunc est et pro tempore fuerit, quandiu in eodem hospitali residentiam fecerit personalem seu prosecutioni negotiorum tuorum institerit, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum, que in quibuscumque ecclesiis obtinet seu obtinebit, etiam si dignitates vel personatus sint vel fuerint et curam habeant vel habuerint animarum, cum ea integritate percipere valeat coti-

dianis distributionibus dumtaxat exceptis cum qua illos perciperet, si in eisdem ecclesiis personaliter resideret, nec interim ad faciendum aliter inibi personalem residentiam teneatur nec ad id a quoquam valeat coartari;

Non obstantibus earumdem ecclesiarum contrariis consuetudinibus vel statutis, juramentis, confirmationibus Sedis Apostolice seu quibuscumque firmitatibus aliis roboratis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis [contra ea et ipsis litteris non utendo te vel eum prestare contigerit juramentum; seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus] [1], quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de quibus de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, proviso quod beneficia supradicta debitis non frau[dentur] obsequiis et animarum cura quibus illa iminet seu iminebit nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, vi idus marcii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii Pultheriarum, Lingonensis diocesis, et .. archidiacono Parisiensis ac .. decano Nivernensis ecclesiarum.

1076 Au Latran, 13 mars 1304.

Christi fidelibus, qui ad reædificationem ecclesiæ b. Mariæ de Musterolo, Senonensis diocesis, manum porrexerint adjutricem quadraginta dierum indulgentiam elargitur. (nº 857 A, fol. 193 vº.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quoniam, ut ait Apostolus, — Dat. Laterani, iii idus martii, anno primo. »

1077 Au Latran, 2 mars 1304.

Christi fidelibus, qui ecclesiam s. Caterinæ virginis de Brianzono, Ebredunensis diocesis, in ipsius sanctæ festivitate visitarint, centum dierum indulgentiam promittit. (nº 857 B, fol. 194.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Licet Is de cujus munere venit, etc., usque: aptiores.

Cupientes igitur ut ecclesia sancte Caterine virginis de Brianzono, Ebredunensis diocesis, que in honore ipsius sancte dicitur esse constructa, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo ejusdem sancte devote visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, centum dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, vi nonas marcii, anno primo. »

1. Cf. col. 40, 55 et 200.

1078 Au Latran, 4 mars 1304.

Civibus Romanis infradictis licentiam tribuit contrahendi matrimonium quarto consanguinitatis gradu nequaquam obstante. (nº 858, fol. 194.)

« *Dilecto filio nobili viro Alberto Johannis Stephani de Normannis et dilecte in Christo filie nobili mulieri Paule, nate dilecti filii nobilis viri Leonis Johannis Judicis de Urbe.* Etsi conjunctio copule conjugalis in quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, tamen Apostolice Sedis circumspectio rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, super hiis provide dispensat interdum et quod negat juris severitas de gratia pietatis indulget, presertim cum necessitas exigit et causa rationabilis id exposcit.

Sane oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod vos, qui quarto estis gradu consanguinitatis conjuncti, ad evitandum pericula que dubitantur inter utriusque vestrum consanguineos et amicos verisimiliter posse contingere occasione quarumdam domorum, terrarum et possessionum tibi, fili Alberte, et predicto Leoni communium, ut, omni livore et rancore remotis, tam vos quam predicti consanguinei et amici possitis in solide tranquillitatis federe remanere, intenditis invicem matrimonialiter copulari. Quare nobis humiliter supplicastis ut, cum hujusmodi vestrum in hac parte desiderium nequeat absque apostolice dispensationis auxilio consumari, providere vobis super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque, qui pacem libenter Christi fidelibus procuramus, vestris supplicationibus inclinati, ut, impedimento quod ex dicta consanguinitate provenit non obstante, matrimonium invicem contrahere valeatis auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, iiii nonas marcii, anno primo. »

1079 Pérouse, 1er juin 1304.

Dispensat cum Johanne Wenceslai Othachari de Brunna, Olomucensis diocesis, ut non obstante illegitimitatis macula, omnes ordines recipere ac beneficium ecclesiasticum adipisci valeat. (nº 859, fol. 194; Potth., nº 25437.)

« *Johanni Wenceslai Othachari de Brunna* [1], *clerico Olomucensis diocesis.* Illegitime genitos — Dat. Perusii, kalendis junii, anno primo. »

1080 Au Latran, 23 février 1304.

Abbati monasterii s. Severi Urbevetani mandat, moneat et inducat abbatem conventumque monasterii Saxivini, ordinis s. Benedicti, Fulginatis diocesis, ut hortum quendam situm in civitate Urbevetana priori et monachis monasterii s. Crucis Urbevetanæ, ejusdem ordinis, vendant. (n° 860, fol. 194; Potth., n° 25376.)

« .. *Abbati monasterii sancti Severi Urbevetani.* Ex parte dilectorum — Dat. Laterani, vii kalendas marcii, anno primo. »

1081 Pérouse, 10 juin 1304.

Electo Messanensi concedit, ut tres clerici ejus valeant usque ad triennium percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum. (n° 861, fol. 194.)

« *Guidotto, electo Messanensi.* Tua devotio promeretur — Dat. Perusii, iiii idus junii, anno primo. »

In e. m. .. archiepiscopo Panormitano et .. episcopo Cathaniensi ac .. priori fratrum Predicatorum de Messana.

1082 Pérouse, 10 juin 1304.

Eidem electo, ut tres notarios instituere valeat. (n° 862, fol. 194 v°.)

« *Eidem.* Ne contractuum memoria — Dat. Perusii, iiii idus junii, anno primo. »

1083 Pérouse, 10 juin 1304.

Cunctis fidelibus, qui Messanensem ecclesiam in b. Mariæ Virginis festivitatibus devote visitarint, indulgentias promittit. (n° 863, fol. 194 v°.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis, etc., usque : collaudetur.

Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus ad ecclesiam Messanensem imploraturi a Domino veniam delictorum in humilitatis spiritu accedatis. Nos enim ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in singulis Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis beate Marie Virginis festivitatibus, in cujus honore dicta ecclesia est constructa, unum annum, per octo vero dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim xl dies de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Dat. Perusii, iiii idus junii, anno primo. »

1. Ms : « Bruma. » Dans le corps de la pièce : *Brunna*.

1084 Pérouse, 10 juin 1304.

Cum nonnulli clerici Messanensis diocesis de facto retineant beneficia ecclesiastica, quorum collatio propter diuturnam eorum vacationem devoluta est ad Sedem Apostolicam, electo Messanensi mandatur, ut detentores hujusmodi ab illis beneficiis amoveat singulaque beneficia singulis personis idoneis assignet. (n° 864, fol. 194 v°.)

« *Guidotto, electo Messanensi.* Cum sicut nobis — Dat. Perusii, iiii idus junii, anno primo. »

1085 Au Latran, 13 décembre 1303.

Oddoni de Sermineto, cameræ papalis clerico, canonicatus et præbenda conferuntur in ecclesia s. Donatiani Brugensis, Tornacensis diocesis. (n° 865, fol. 195.)

« *Dilecto filio magistro Oddoni de Sermineto, camere nostre clerico, canonico ecclesie sancti Donatiani Brugensis, Tornacensis diocesis.* Laudabilia tue merita — Dat. Laterani, idibus decembris, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Gregorii in Clivo Scauri de Urbe et .. preposito sancte Marie de Brugis, Tornacensis diocesis, ac .. cantori Morinensis ecclesiarum.

1086 Au Latran, 7 mars 1304.

Andreæ Rolandi, clerico in minoribus ordinibus constituto, indulget ut oculi dextri macula non obstante in susceptis ordinibus ministrare possit nec non ad diaconatus ordinem ascendere et beneficium etiam obtinere. (n° 866, fol. 195 v°.)

« *Magistro Andree Rolandi phisico, clerico Januensi in minoribus ordinibus constituto.* Apostolice Sedis gratiosa benignitas specialis dono gratie illos prosequitur, quos virtutum juvari meritis intuetur.

Cum itaque tue donum scientie ac laudabilis conversationis et vite merita exigant ut fovearis a nobis benivolentia gratiosa, nos tuis devotis precibus annuentes, ut oculi tui dextri macula, quam ex superveniente tibi gravi infirmitate pateris, non obstante in susceptis ordinibus ministrare et ad subdiaconatus ac diaconatus ordines dumtaxat ascendere ac beneficium ecclesiasticum sine cura libere recipere, si tibi canonice offeratur, et ipsum retinere licite valeas tecum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo, etc., nostre dispensationis, etc. Dat. Laterani, nonis martii, anno primo. »

1087 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Alexandro, nato Michaelis Mauretini de Venetiis, canonico Cameracensi, facultatem elargitur percipiendi usque ad quinquennium, quandiu scholasticis insistet disciplinis, fructus redditusque ac proventus præbendæ suæ Cameracensis. (nº 867, fol. 195 vº.)

« *Alexandro, nato nobilis viri Michaelis Mauretini de Venetiis, canonico Cameracensi.* Nobilitas generis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. archidiacono Bononiensis et .. thesaurario Baiocensis ac Johanni de Plaza de Parma, canonico Atrebatensis ecclesiarum.

1088 Au Latran, 16 mars 1304.

Magistro Cœlestino, nato Jacobi de Pastrengo, clerico et familiari domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda, quæ vacant ad præsens in ecclesia Regina per consecrationem Guidotti, Messanensis electi, olim prædictæ ecclesiæ canonici. (nº 868, fol. 195 vº.)

« *Magistro Celestino, nato dilecti filii nobilis viri Jacobi de Pastrengo civis Veronensis, clerico et familiari nostro, canonico Regino.* Honestas morum — Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii de Marola et .. preposito de Castellazano, Regine diocesis, ac .. decano Meldensis ecclesiarum.

1089 Pérouse, 1er juin 1304.

Consideratione Guillelmi s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, Cipriano de Alexandris de Pergamo, ipsius cardinalis consobrino, confertur canonicatus præbendaque reservatur in ecclesia Leodiensi. (nº 869, fol. 196.)

« *Cipriano de Alexandris de Pergamo, canonico Leodiensi.* Laudabilia de tuorum — Dat. Perusii, kalendis junii, anno primo. »

In e. m. .. abbati monasterii sancti Laurentii et .. decano ecclesie sancti Johannis Leodiensis ac magistro Guillelmo de Longis, archidiacono Drocensi in ecclesia Carnotensi.

1090 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Valeat Panormitanus archiepiscopus contrahere mutuum usque ad summam mille florenorum auri. (nº 870, fol. 196 vº.)

« *Venerabili fratri T[itio], archiepiscopo Panormitano.* Nuper nobis in nostra — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

1091 A Saint-Pierre, 4 avril 1304.

Eidem, ut monasterio s. Mariæ de Cripta Panormitanæ, ordinis s. Basilii, dudum vacanti provideat de abbate. (nº 871, fol. 196 vº.)

« *Eidem.* Debitum pastoralis officii cui presidemus exposcit ut, de universis orbis ecclesiis et monasteriis cogitantes, ad ea precipue nostre considerationis intuitum dirigamus, que propriis destituta pastoribus deplorare viduitatis incomoda intuemur.

Dudum siquidem felicis recordationis Martinus IIIItus et Honorius IIIItus Romani pontifices, predecessores nostri, provisionem monasteriorum, que in insula Sicilie, guerrarum procella que tunc in eadem insula vigebat durante, vacare contingeret, dispositioni Sedis Apostolice reservantes, decreverunt extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari; ac deinde guerris predictis durantibus vacavit monasterium sancte Marie de Cripta Panormitane, ordinis sancti Basilii, per obitum quondam Pannutii, abbatis ipsius, cui non fuit postea de pastore provisum, quamvis per octo annos et amplius idem monasterium viduitatis incomoda deplorarit.

Ad predictum itaque monasterium paterne considerationis oculum extendentes ac cupientes eidem, ne ulterioris vacationis dampna sustineat, de celebris et salubris provisionis remedio subveniri, plenamque gerentes de tua circumspectione fiduciam, fraternitati tue providendi hac vice auctoritate nostra dicto monasterio de aliqua persona ydonea, que sciat et possit ei preesse sa-

lubriter et prodesse, ac preficiendi personam eandem dicto monasterio in abbatem sibique faciendi ab ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus [1] si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis litteris et indulgentiis apostolicis, de quibus in presentibus specialis mentio sit habenda, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

1092 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Eidem concedit, ut duabus personis conferre possit tabellionatus officium. (n° 872, fol. 197.)

« *Eidem.* Ne contractuum memoria — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, anno primo. »

1093 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Eidem, ut, cum ecclesia Panormitana propter absentiam canonicorum ipsius in ea residere non curantium patiatur defectum in divinis officiis, duas personas idoneas in eadem ecclesia recipi faciat in canonicos. (n° 873, fol. 197.)

« *Eidem.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, ecclesia tua propter absentiam canonicorum ipsius in ea residere non curantium defectum in divinis officiis patiatur, nos tuis supplicationibus inclinati, faciendi recipi in eadem ecclesia, in qua prebendarum collationem ad te asseris pertinere, duas personas ydoneas, que velint et possint in ea personaliter deservire, ac providendi utrique earum de prebenda nulli alii de jure debita, si vacat vel cum ad id obtulerit se facultas, ac inducendi personas easdem in illarum corporalem possessionem et inductas etiam defendendi, ipsisque [faciendi] de ipsarum prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam compescendi;

Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis; seu si capitulo dicte ecclesie vel quibusvis aliis ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli aut quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint; seu quod de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie, ad eorum collationem vel aliam quamcumque dispositionem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis; aut si persone eedem alias beneficiate existant, [tibi] plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1. Ms : « obstante. »

1094 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Cum nonnulli Panormitanæ diocesis sine aliquo titulo detineant ecclesias et beneficia, quorum collatio secundum Lateranensis statuta Concilii devoluta est ad Apostolicam Sedem, archiepiscopo Panormitano conceditur ut, amotis exinde detentoribus hujusmodi, ecclesias et beneficia supradicta personis idoneis conferat. (n° 874, fol. 197.)

« *Eidem.* Cum, sicut tua nobis fraternitas intimavit, multi ecclesias et beneficia ecclesiastica in tuis civitate et diocesi consistentia sine aliquo titulo detineant et diu detinuerint, faciente malitia preteriti temporis, nequiter occupata in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, que quidem ecclesie ac beneficia de jure vacare tantoque tempore jam vacasse noscuntur, quod eorum collatio est ad nos secundum Lateranensis statuta Concilii legitime devoluta, nos super hoc providere volentes tibique gratiam facere specialem per quam te reddere possis aliis gratiosum, amovendi detentores hujusmodi ab eisdem ecclesiis et beneficiis, ipsis prout justum fuerit evocatis, ac conferendi ecclesias et beneficia eadem singula videlicet singulis personis ydoneis, ac inducendi personas ipsas in eorum corporalem possessionem et defendendi inductas, eisque faciendi de ipsarum ecclesiarum et beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi;

Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si aliqui super provisione sibi facienda de ecclesiis aliisque beneficiis in illis partibus dicte Sedis, quibus per hoc nul-

lum volumus prejudicium generari, vel legatorum ejus litteras impetrarint; seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, aut quod de ecclesiis aliisque beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel aliam quamcumque dispositionem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia, de qua fieri debeat in nostris litteris mentio specialis, [tibi] plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1095 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Eidem archiepiscopo, ut compellat nonnullos rectores et clericos suæ diocesis ad faciendum personalem residentiam in ecclesiis et beneficiis quæ ibidem obtinent. (n° 875, fol. 197.)

« *Eidem.* Intimasti nobis quod nonnulli rectores et clerici ecclesiarum tuarum civitatis et diocesis, se ab ecclesiis et beneficiis que ibidem obtinent absentantes, debitam in ipsis residentiam facere ac in eis deservire non curant, quamvis illorum percipiant cum integritate proventus, propter quod ecclesie ac beneficia supradicta debitis defraudantur obsequiis et cura negligitur animarum.

Nos autem nolentes, prout etiam nec debemus, hoc aliquatenus tolerare, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, compellendi rectores et clericos supradictos per subtractionem dictorum proventuum et privationem eorumdum ecclesiarum et beneficiorum ad residendum prout tenentur personaliter in eisdem, quibuscumque indulgentiis eis super hoc a legatis Sedis Apostolice concessis nequaquam obstantibus, nisi forsan iidem rectores et clerici nostris et fratrum nostrorum obsequiis immorentur, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1096 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Electo Cephaludensi mandat, ut de bonis ecclesiæ Panormitanæ, quæ a nonnullis pro magna parte nequiter occupari dicuntur, archiepiscopo Panormitano faciat justitiæ complementum exhiberi. (n° 876, fol. 197 v°.)

« *Dilecto filio Jacobo, electo Cephaludensi.* Cum sicut venerabilis frater noster T[itius], archiepiscopus Panormitanus, in nostra proposuit presentia constitutus, bona ecclesie sue Panormitane pro magna parte, faciente malitia temporis precedentis, per nonnullos detineantur et detenta fuerint jam est diu nequiter occupata, nos ad recuperationem dictorum bonorum paternis studiis intendentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem archiepiscopo vel procuratori seu procuratoribus suis, cum super hoc ab eis fueris requisitus, facias de hujusmodi occupatoribus summarie de plano sine strepitu et figura judicii justitie complementum [exhiberi], contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, etc., usque: perhibere, non obstantibus de duabus dietis edita [1] in Concilio generali et felicis recordationis Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, de una dieta constitutionibus, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam extra suam diocesim aliquis auctoritate presentium non trahatur. Dat. ut supra. »

1097 Au Latran, 10 février 1304.

Magistro Curthio de Cancellariis de Urbe, capellano domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda, quæ tempore Bonifatii VIII per mortem Blasii de Anagnia in ecclesia Parisiensi vacaverant et extunc ab eodem pontifice fuerant Sedis Apostolicæ donationi reservata. (n° 877, fol. 197 v°.)

« *Dilecto filio magistro Curthio de Cancellariis de Urbe, capellano nostro, canonico Parisiensi.* Litterarum scientia — Dat. Laterani, IIII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. priori sancte Genovefe Parisiensis et Gentili de Collealto, capellano nostro, Lingonensi, ac Alberto a l rcctensi canonicis.

1098 Au Latran, 7 décembre 1303.

Magistro Silvestro de Adria, scriptori apostolico, conferuntur canonicatus et præbenda, quæ tempore Bonifatii VIII in ecclesia Rosnacensi, Cameracensis diocesis, apud Apostolicam Sedem vacaverant per obitum Guillelmi de Hesdin. (n° 878, fol. 198.)

« [*Dilecto filio magistro Silvestro de Adria, canonico ecclesie Rosnacensis, Cameracensis diocesis, scriptori nostro*] [2]. Probitatis tue merita — Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

In e. m. Johanni Blanco de Parma et Francisco de Scannabitis de Bononia Tornacensis ac Gerardo de Pecoraria [3], Turonensis ecclesiarum canonicis.

1. Ms : « edite. »
2. La rubrique n'a pas été mise. L'espace qui lui était destiné est demeuré en blanc, mais sur la marge supérieure de la page on lit l'adresse de la bulle, telle que je la reproduis.
3. Ms : « Pecorario ». Cf. plus loin les numéros 109 et 124 de lettres curiales.

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM CURIE

DOMINI BENEDICTI PAPE XI

ANNI PRIMI.

1099 Au Latran, 6 novembre 1303.

Invehit contra illos nefarios et sceleratos homines, qui nuper Anagniæ, dum ibidem Bonifatius VIII cum Romana curia residebat, domum pontificis armata manu invadentes, thesaurum Romanæ Ecclesiæ et bona ad ipsum papam nec non ad cardinales et curiales alios pertinentia diripere ac nequiter asportare ausi sunt. Omnes et singulos penes quos aliqua de thesauro vel bonis prædictis existunt monet, ut ea infra certum terminum sub excommunicationis pœna integraliter restituant. Alii vero fideles ad hujusmodi restitutionem sub pœna eadem opem et operam exhibeant efficacem. (nº 1, fol. 199; Theiner, *Codex diplom. domin. temp. S. Sedis*, t. I, nº DLXXIII.)

« *Benedictus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.* Nuper Anagnie, dum ibi felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, cum Romana curia resideret, nonnulli iniquitatis filii, primogeniti Satane et perditionis alumpni, in eundem predecessorem temerariis immo sceleratis, summum audentes nefas, injectis manibus effrenis, et ecce cupidinis ardore succensi, ad Ecclesie Romane thesaurum et alia bona ad ipsum et dictam Ecclesiam ac tunc fratres ejus, nunc nostros, aliasque personas diebus ipsis apud Sedem Apostolicam constitutas pertinentia perversum converterunt animum et insatiabiles oculos injecerunt, diripendo (*sic*) multa de thesauro et bonis predictis, ea nequiter asportando. In urbe etiam et aliqua parte Campanie, tempore tempestatis illius et potestatis tenebrarum hora, contra aliquos de dictis fratribus in eorum bonis idem extitit per alios perpetratum. De bonis insuper, que dictus predecessor cum proxime in eadem urbe maneret in sua habebat camera, apud aliquos sive subtracta sive alio modo fore in magna quantitate et non modica summa dicuntur. Quidam vero sub colore quod sic perdiderant propria multa, de ipso thesauro et bonis ad alios spectantia, voragini cupiditatis immersi, receperunt avare et recepta eis quorum sunt restituere differunt impudenter.

Nos igitur ad thesauri et aliorum bonorum predictorum recuperationem solerti studio intendentes, apostolica omnes et singulos penes quos aliqua de thesauro vel aliis bonis predictis existunt, ut ea nobis aut camerario nostro sive dictis nostris fratribus et personis aliis ad quos pertinuerint seu diocesanis locorum vel alicui de penitentiariis nostris aut prioribus Predicatorum vel guardianis Minorum fratrum ordinum consistentium in suis civitatibus vel diocesibus, infra dies octo postquam hujusmodi monitio ad notitiam eorum pervenerit, cum integritate restituant, omnesque ac singulos scientes ubi vel penes quos existant aliqua ex eisdem, quod ea infra eundem terminum nobis aut ipsi camerario seu predictis nostris fratribus et personis quorum fuerint vel predictis diocesanis seu alicui ex eisdem penitentiariis aut ipsis prioribus seu guardianis revelent, dictos quoque diocesanos, penitentiarios, priores et guardianos quod omnia que ipsis de thesauro et bonis predictis restituta aut revelata fuerint assignent, revelent et insinuent fideliter nobis aut prefato camerario seu personis ipsis ad quas pertinuerint infra totidem dierum numerum post restitutionem et revelationem hujusmodi factas, auctoritate monemus. Alioquin exnunc in omnes, cujuscumque dignitatis fuerint aut status, auctoritate predicta excommunicationis sententiam promulgamus, et mandamus per eosdem diocesanos et rectores etiam parrochialium ecclesiarum civitatum et diocesium earumdum singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et

candelis extinctis, publice nuntiari, ad alia nichilominus processuri prout protervia exegerit eorumdem nobisque videbitur oportunum.

Ut autem in hoc nemo per ignorantiam valeat excusari, volumus et districte mandamus ut singuli locorum diocesani, ad quos presentes pervenerint, eas in suis civitatibus et diocesibus coram clero et populo solenniter studeant publicare. Dat. Laterani, VIII idus novembris, pontificatus nostri anno primo. »

1100 Au Latran, 18 novembre 1303.

Omnes et singulos, qui suprascripto parere processui potuerunt nec fecerunt, excommunicatos denuntiat. (nº 2, fol. 199.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Pridem in Dedicatione Basilice Salvatoris processum fecimus et publice nuntiavimus infrascripti tenoris :

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem, etc. Nuper Anagnie, etc., ut in proxima superiori usque: Dat. Laterani, VIII idus novembris, pontificatus nostri anno primo. »

Processum itaque eundem ratum et gratum habentes ac manere volentes in sue robore firmitatis, ipsum publicari fecimus presente hac multitudine fidelium copiosa, denuntiantes omnes et singulos, qui predicto debuerunt et potuerunt parere processui nec fecerunt, excommunicationis per nos in eo latas sententias incurrisse eisque ligatos.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in ecclesia Lateranensi appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus ecclesie faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo inditio publicabunt, ita quod illi quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani, in die Dedicationis basilicarum apostolorum Petri et Pauli, pontificatus nostri anno primo. »

1101 Au Latran, 18 novembre 1303.

Sententias excommunicationis aliasque pœnas et multas, quas generale et Lugdunense Concilia ac postmodum Nicolaus papa IIII contra illos qui cum Sarracenis indebite communicant tulisse noscuntur, innovat et ad quosdam alios extendit. (nº 3, fol. 199 vº; R. Deputazione Veneta di Storia Patria, 1ª serie. Documenti. *Diplomatarium Veneto-Levantinum*, t. V, p. 20.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Dudum generale et deinde Lugdunense Concilia in illos falsos et impios Christianos, qui contra Deum et Christianum populum Sarracenis ferrum, arma quibus Christianos impugnant, et lignamina galearum ac aliorum vasorum navigabilium deferunt, et in eos etiam qui eis galeas vendunt aut naves, quique in piraticis ipsorum Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis in Christianorum et maxime Terre Sancte dispendium impendunt auxilium vel consilium, excommunicationis sententiam promulgarunt, eisque rerum suarum privatione mulctatis, servos capientium fieri nec ipsis Ecclesie aperiri gremium, nisi totum quod ex tam dampnato perceperunt comertio et tantumdem de suo in subsidium dicte Terre transmiserint, ut in quo deliquerint equo puniantur judicio, censuerunt; et si forte solvendo non essent hujusmodi committentes, decreverunt eadem Concilia sic reatus talium castigari, quod in pena eorum aliis audendi similia aditus precludatur.

Felicis vero recordationis Nicolaus papa IIII[us], predecessor noster, zelo Fidei Orthodoxe succensus, penas ipsas, addito quod hostes nuntientur publici, intestabiles fiant et perpetuo sint infames, etiam ad eos qui victualia usque ad decennium computandum a data litterarum suarum, jam quidem transactum, in Alexandriam vel ad partes Egipti mitterent vel deferrent aut quantum in eis esset mitti permitterent vel deferri extendit et traxit.

Nos autem premissa que in predictis sunt statuta Conciliis approbantes, illa innovamus et eisdem inflictis penis perpetuo volumus et inconcusse servari. Pernitiosum namque ecclesiastice rei publice et proditioni proximum extimamus inimicos crucis, quos indigere convenit telis, ut validiores reddantur instruere, armorum eis ministrare subsidia et aliorum dictorum instrumentorum et ministeriorum suffragia preparare.

Considerantes insuper quod Sarraceni Alexandrie terreque Egipti non solum adversarii Fidei memorate sed etiam populi Christiani sunt hostes, et reputantes indignum quod a nobis alimenta recipiant quos expedit egestate continua laborare, dicti predecessoris vestigiis inherentes, et quod ad hostes transferendi vini, olei et alterius liquaminis etiam gustus causa prohibe[a]tur facultas sectantes, inhibemus ut nullus omnino aliqua victualia quocumque nomine censeantur in Alexandriam terramque Egipti pretactas ac terram Syrie, Babilonie soldano subjectam, inimicam nominis Christiani, usque

ad beneplacitum Apostolice [Sedis] transferat vel transferri faciat aut quantum fuerit in eo permittat. Alioquin penis, quas hoc ipso incurrat, subjaceat supradictis. Ut autem hujusmodi noster processus, etc., ut supra in proxima usque in finem. »

1102 Au Latran, 18 novembre 1303.

Sententiam excommunicationis olim latam contra illos, qui accedentes ad Apostolicam Sedem capere seu rebus quas deferunt spoliare præsumpserint, de novo promulgat. (n° 4, fol. 199 v°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Nos sanctorum patrum Romanorum pontificum inherentes vestigiis et eorum exempla sequentes, qui antiquorum canonum auctoritate suffulti excommunicaverunt illos, qui accedentes ad Apostolicam Sedem capere seu rebus quas deferunt spoliare presumunt, cum venientes ad eam secundum eosdem canones debeant esse cum rebus suis sub apostolica protectione securi, in omnes et singulos talia in venientes hujusmodi committentes, aut impedimentum aliquod inferentes ipsis quominus ad sepedictam Sedem veniant et etiam ab ea redeant, excommunicationis sententiam promulgamus. Ut autem hujusmodi noster processus, etc. »

1103 Au Latran, 6 novembre 1303.

Omnes collationes, provisiones, reservationes et concessiones de beneficiis vacaturis a Bonifatio papa VIII vel ejus auctoritate factas quibuscumque personis in quibuslibet ecclesiis penitus revocat. (n° 5, fol. 199 v°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Superni dispositione consilii, per quod dispositionem et ordinationem universa suscipiunt, ad apostolice dignitatis fastigium evocati, sollicite considerationis indagine perscrutantes quod ex infrascriptis collationibus, provisionibus, reservationibus, concessionibus vel actibus per felicis recordationis Bonifatium papam VIII, predecessorem nostrum, habitis sive factis vel per alios auctoritate sua varia et diversa scandala poterant evenire, et tam prelati quam ecclesie per orbem diffusi se reputabant in hoc multipliciter aggravatos, ac propterea dictorum prelatorum et ecclesiarum relevare onera et super hujusmodi scandalis, prout ad nostrum spectat officium, salubriter providere volentes, omnes collationes, provisiones, reservationes et concessiones super canonicatibus, dignitatibus, personatibus, prebendis, officiis, portionibus, prestimoniis, ecclesiis parrochialibus, ruralibus vel aliis, et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis vacaturis, cum cura vel sine cura, quocumque nomine censeantur, ac etiam super canonicatibus in cathedralibus seu collegiatis ecclesiis sub expectatione dignitatum, personatuum, officiorum, prebendarum, portionum, prestimoniorum, ecclesiarum parrochialium seu ruralium, cum cura vel sine cura, in quibus non sit jus quesitum in re licet ad rem, quibuscumque personis cujuscumque conditionis, preeminentie, ordinis sive status, sub quibuscumque tenore, forma, modo vel conceptione verborum, per litteras vel vive vocis oraculo aut alias quomodolibet per dictum predecessorem nostrum seu ejus auctoritate vel commissione factas seu concessas, et ea que ab ipso super hiis vel circa ea quomodolibet processerunt, et quod exnunc secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari auctoritate apostolica omnino cassamus, irritamus et evacuamus, cassa, irrita et vacua nuntiamus et nullius fore decernimus firmitatis, etiam si super premissis vel eorum aliquibus seu aliquo judices fuerint vel executores concessi, et si per ipsos predecessorem et judices vel executores aut eorum aliquos seu aliquem diversi habiti sint processus vel sententie promulgate, non obstante si ab eodem predecessore vel aliis Romanis pontificibus quibuscumque personis, cujuscumque conditionis seu status existant, sub quacumque forma vel expressione verborum quomodolibet sit concessum, quod facta sive concessa eis seu illorum alicui per Romanos presules aut ipsorum aliquem vel aliquos aut eorum auctoritate nequeant revocari per litteras apostolicas, que de concessione hujusmodi sive eorum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo, etc., nostre cassationis, irritationis, evacuationis, nuntiationis et constitutionis, etc. Si quis, etc. Dat. Laterani, VIII idus novembris, anno primo. »

1104 Au Latran, 6 novembre 1303.

Francisco, s. Luciæ in Silice diacono cardinali, curam et administrationem ecclesiæ ss. Laurentii et Damasii de Urbe committit. (n° 6, fol. 200.)

« *Francisco sancte Lucie in Silice diacono cardinali.* Ecclesiam sanctorum Laurentii et Damasii de Urbe paterna benivolentia prosequentes, opem et operam libenter impendimus ut ipsa per nostre sollicitudinis studium, administratoris solliciti commissa regimini, status pacifici comodis affluat et votivis proficiat incrementis. Eapropter curam et administrationem ejusdem ecclesie, per cardinalem solite gubernari, [pastore] carentis ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ubili-

bet constitutis, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus apostolica tibi auctoritate usque ad beneplacitum Apostolice Sedis committimus, a te gerendam et exercendam sicut eam gerere et exercere consueverunt alii Romane Ecclesie cardinales, qui eidem ecclesie pro tempore prefuerunt. Dat. ut supra. »

1105 Au Latran, 2 novembre 1303.

Litteras quasdam Bonifatii papæ VIII inferius insertas confirmat, quibus idem pontifex concesserat Jacobo s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali licentiam petendi et recipiendi bona mobilia, quæ tempore obitus Gentilis fratris ejus ad eundem Gentilem pertinebant ratione administrationis ecclesiæ Acherontinæ vel quovis alio titulo. (nº 7, fol. 200.)

« *Jacobo sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali.* Venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, retulit in nostra presentia constitutus quod ipse, felicis recordationis Bonifatio papa VIII, predecessore nostro, adhuc vivente, quasdam litteras recepit confectas sub ejusdem predecessoris nomine in hac forma :

Anagni, 18 août 1303.

« Bonifatius episcopus, servus servorum Dei, dilecto » filio Jacobo, sancti Georgii ad Velum Aureum diacono » cardinali, salutem, etc. In nostra nuper exposuisti pre» sentia, quod dudum curam et administrationem Ache» rontine ecclesie tunc vacantis quondam fratri Gentili, » fratri tuo, electo Cathaniensi, tam pro ipsius utilitate » ecclesie quam dicti electi necessitatibus ac debitorum » quibus premebatur oneribus relevandis in spiritualibus » et temporalibus duximus committendas. Postmodum » vero dictus electus, qui de bonis Cathaniensis ecclesie » adhuc parum aut nichil perceperat, infirmitate grava» tus, bona que tunc habebat sub eo tibi modo donavit » ut, de ipsis ejus creditoribus pro debitis in quibus te» nebatur eisdem satisfactione impensa factaque remu» neratione familiaribus ejus, prout tibi videretur expe» diens, de residuo si quod esset pro tue disponeres [1] li» bito voluntatis.

« Cum autem idem electus viam sit universe carnis » ingressus, nos de circumspectione tua in hiis et aliis » gerentes in Domino fiduciam specialem, ac intendentes » tam anime dicti electi providere saluti quam tua vota » et comoda prosequi favorabiliter in hac parte, tuis » supplicationibus inclinati, petendi, recipiendi et exi» gendi per te vel alium seu alios bona mobilia que ad » dictum electum ratione administrationis dicte Ache» rontine ecclesie vel alias tempore sui obitus pertine» bant, dummodo non fuerint altaris vel altarium alicujus » ecclesie sibi commisse ministerio seu alicui speciali » earumdem ecclesiarum divino cultui aut usui deputata, » nec ordini Predicatorum quem prefatus electus pro» fessus fuerat extiterint alias quam per ipsum et ejus » contemplatione quesita, a quibuscumque illa detinen» tibus, ac solvendi de illis decentes et honestas expen» sas factas circa funus electi predicti, et satisfaciendi » tam creditoribus de debitis in quibus tenebatur eisdem, » quam hiis qui ei viventi serviverint sive sint consan» guinei sive alii juxta servitii meritum, aliasque, de » ipsis prius Acherontine ecclesie ere alieno deducto ne » remaneat debitis obligata, in usus licitos convertendi » et prout tibi videbitur disponendi, contradictores quo» que quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam » appellatione postposita compescendi, non obstantibus » si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod ex» communicari, suspendi vel interdici non possint per » litteras apostolicas, non facientes plenam ac expressam » ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentio» nem, seu de duabus edita in Concilio generali et nos» tra de una dietis, et quibuscumque aliis constitutioni» bus contrariis, dummodo ultra tertiam vel quartam » dietam extra suam diocesim aliquis auctoritate presen» tium non trahatur, aut quibusvis litteris, indulgentiis » et privilegiis apostolicis per que tue jurisdictionis ex» plicatio in hac parte possit quomodolibet impediri et » de quibus in nostris litteris habenda sit mentio specia» lis, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate pre» sentium facultatem. Dat. Anagnie, XV kalendas sep» tembris, pontificatus nostri anno nono. »

Verum quia antequam hujusmodi littere bullate fuissent dictus predecessor diem clausit extremum, idem vicecancellarius illas nobis, postquam fuimus licet immeriti ad apicem summi Apostolatus assumpti, attentius legere procuravit.

Nos itaque earumdem litterarum intellecto tenore relationi hujusmodi dicti vicecancellarii fidem plenariam adhibentes, ac quod idem predecessor inchoavit in hac parte favorabiliter prosequentes, discretioni tue faciendi et exequendi premissa auctoritate nostra juxta prescriptam formam tibi traditam plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, III nonas novembris, anno primo. »

1. Ms : « disponens. »

1106 Au Latran, 25 novembre 1303.

Conservatores infradictos hortatur, ut Johannem, archidiaconum Andegavensem nec non camerarium apostolicum, adversus molestatores quoscumque tueantur. (nº 8, fol. 200 vº.)

« .. *Senonensis et* .. *Turonensis archidiaconis ac Petro Capotii canonico Remensis ecclesiarum.* Injuncte nobis debitum — Dat. Laterani, VII kalendas decembris, anno primo. »

1107 Au Latran, 4 novembre 1303.

Archidiaconatum, canonicatum et præbendam, quæ Ranerius Vercellensis electus in eadem Vercellensi obtinet ecclesia, donationi Sedis Apostolicæ reservat cum per consecrationem ipsius electi sive quovis alio modo vacaverint. (nº 9, fol. 200 vº.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum felicis recordationis B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, pridem Vercellensi ecclesie tunc vacanti de dilecto filio Ranerio, electo Vercellensi, archidiacono et canonico dicte ecclesie, duxerit providendum, ac per hoc archidiaconatus et canonicatus et prebenda quos idem electus in dicta ecclesia obtinet per ipsius consecrationem in proximo vacare credantur, nos volentes de archidiaconatu, canonicatu et prebenda predictis per Apostolice Sedis providentiam persone ydonee, per quam ipsi ecclesie honor et comodum provenire valeant, provideri, archidiaconatum, canonicatum et prebendam predictos, cum vacaverint sive per consecrationem hujusmodi sive alio quovis modo illos vacare contigerit, hac vice donationi Sedis ejusdem specialiter reservamus, inhibentes illi vel illis ad cujus vel quorum collationem, electionem vel aliam dispositionem archidiaconatus, canonicatus et prebenda predicti pertinent ne de illis disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari;

Non obstante si aliquibus super provisione sibi facienda de personatibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia specialiter vel in illis partibus generaliter dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum vel alias quomodolibet sit processum; seu si aliqui in dicta ecclesia vel alia quavis auctoritate in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus in assecutione aliorum personatuum, dignitatum, canonicatuum, prebendarum et aliorum beneficiorum nullum volumus prejudicium generari; seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod de personatibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis dicte ecclesie vel beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, electionem, vel aliam dispositionem spectantibus cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo, etc., nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, II nonas novembris, anno primo. »

1108 Au Latran, 21 novembre 1303.

Guillelmo, s. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, concedit ut archidiaconatum, canonicatum et præbendam Vercellensis ecclesiæ, quæ per superiorem epistolam Sedis Apostolicæ donationi fuerunt reservata, cuilibet personæ idoneæ possit conferre. (nº 10, fol. 200 vº.)

« *Dilecto filio G[uillelmo], sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali.* Cum nos dudum — Dat. Laterani, XI kalendas decembris, anno primo. »

1109 Au Latran, 27 novembre 1303.

Lantæ Agolantis, civi et mercatori Pistoriensi, mandat ut cum duobus sociis suis de societate Amannatorum se apostolico conspectui repræsentet expositurus et petiturus ea, quæ pro utilitate societatis prædictæ et remedio creditorum ipsius viderit exponenda. (nº 11, fol. 201.)

« *Lante Agolantis, civi et mercatori Pistoriensi.* Nuper pro parte quampluríum curialium et aliorum fuit expositum coram nobis, quod socii tui de societate Amannatorum, qui tunc in Romana curia morabantur, latenter de ipsa curia recesserunt deferendo secum ipsorum curialium et aliorum magnas pecunie quantitates sicque curiales et alii prelibati coacti sunt dampna, egestates et afflictiones multiplices sustinere.

Nos igitur dictorum curialium et aliorum afflictioni in hac parte pio compatientes affectu et cupientes eis de illo provisionis remedio per quod indempnitati eorum subveniri valeat providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, adjunctis tibi duobus de societate predicta, quos ad executionem hujusmodi negotii utiles esse cognoveris, apostolico te conspectui representes expositurus et petiturus ea, que pro utilitate dicte societatis et remedio dictorum curialium et aliorum videris exponenda, ita quod per tuam et aliorum sociorum tuorum providentiam indempnitati conquerentium satisfiat, ac societatis infamia deleatur. Nos autem, qui

predicte societati in hoc et aliis justitiam facere intendimus et oportunum dare favorem, ad veniendum, morandum et recedendum cum plena securitate personarum et rerum tres menses a data presentium computandos tibi tuisque sociis deputamus. Dat. Laterani, v kalendas decembris, anno primo. »

1110 Au Latran, 18 novembre 1303.

Pandulfo de Sabello, notario suo, indulget ut habere valeat altare portatile. (n° 12, fol. 201.)

« *Pandulfo de Sabello, preposito Chableyarum in ecclesia sancti Martini Turonensis, notario nostro.* Sincere caritatis affectus, quo personam tuam claris tuis exigentibus meritis prosequimur, sollicitat mentem nostram ut in hiis que digne postulas tibi favorabiliter annuamus.

Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, habendi altare portatile in quo possis facere divina officia celebrari liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, xiiii kalendas decembris, anno primo. »

1111 Au Latran, 31 octobre 1303.

Nuper cum Carolus rex Siciliæ certam pecuniæ quantitatem solvere teneretur Romanæ Ecclesiæ, quandam super hujusmodi solutione facienda dilationem a Bonifatio viii meruit obtinere: dilationem istam usque ad festum Natalis Domini proxime venturum Benedictus xi prorogat de gratia speciali. (n° 13, fol. 201.)

« *Carissimo in Christo filio C[arolo], regi Sicilie illustri.* Olim per dilectos filios magistros Rogerum de Salerno, archidiaconum de Bantesio in ecclesia Constantiensi, capellanum nostrum, et Guillelmum de Planca, juris civilis professorem, thesaurarium, familiares, consiliarios et nuntios tuos, felicis recordationis Bo[nifatio] pape VIII°, predecessori nostro, nomine suo et Ecclesie Romane, triginta duo milia Carlinorum auri pro octo milibus unciarum auri ad pondus regni Sicilie census per te ipsi Ecclesie singulis annis debiti pro ipso regno Sicilie, pro tota terra que est ultra Farum et citra usque ad confinia terrarum Ecclesie memorate, ad que octo milia unciarum tenebaris Ecclesie supradicte pro uno termino incepto in festo Apostolorum Petri et Pauli, quod fuit anno Domini M° CCC° II°, et terminato in festo Apostolorum proxime transacto, quod fuit sub presenti anno M° CCC° III°, persolvisti; ipseque predecessor a nuntiis ipsis dantibus et solventibus tuo nomine ipsa triginta duo milia Carlinorum auri modo infrascripto recepit, videlicet quod, cum pro parte tua per nuntios assereretur eosdem predicta triginta duo milia Carlinorum bene valere predicta octo milia unciarum auri ad pondus regni predicti, prefato predecessore ejusque camere ministris dicentibus hujusmodi triginta duo milia Carlinorum non ascendere ad valorem predictarum octo milium unciarum, memoratus predecessor suo et ipsius Ecclesie ac tuo providens dispendiis atque dampnis, ita quod nec tu ad solvendum aliquid ultra debitum tenereris, neque ipsi predecessori et Ecclesie sepedicte fieret solutio diminuta, solita clementia dilationem tibi concessit usque ad kalendas septembris tunc futuras proxime ad solvendum sibi et eidem Ecclesie tantum quantum minus valent predicta triginta duo milia Carlinorum quam dicta octo milia unciarum, infra quarum kalendarum spatium, quod tibi prefatus predecessor pro peremptorio termino assignavit, legitime posses ostendere ac docere ad quot unciarum auri valorem ad dictum pondus regni ascenderent predicta triginta duo milia Carlinorum, ut si per dictorum Carlinorum solutionem et valorem appareres liberatus a censu dicti termini qui tunc erat, et ipsum censum plene solvisse in ipso festo beati Petri quod tunc erat, a te amplius pro eodem minime peteretur, eam vero quantitatem, ad quam non appareret ascendere valor hujusmodi Carlinorum, tibi et ipsi Ecclesie tenereris infra dictas kalendas solvere cum effectu, prout hec et alia in ipsius predecessoris bullatis litteris datis Anagnie iii kalendas julii, anno nono pontificatus ipsius, inde confectis plenius continentur.

Postmodum autem prelibatus predecessor ex causa ad supplicationem tuam prefatam dilationem et omnem ejus effectum a predictis kalendis usque ad festum Omnium Sanctorum futurum proxime tibi auctoritate apostolica de speciali gratia prorogavit, prout etiam hec et alia in aliis ipsius predecessoris bullatis litteris datis Anagnie xvii kalendas septembris, anno et pontificatu predictis, inde confectis plenius continentur.

Nos itaque, divina clementia permittente ad apicem summi Apostolatus assumpti, te sicut carissimum Ecclesie prefate filium paterne caritatis affectibus prosequentes, tuisque compatientes laboribus et expensis, celsitudinis tue precibus inclinati, dilationem predictam et omnem effectum ejus a predicto festo Omnium Sanctorum usque ad festum Natalis Domini proximo futurum auctoritate apostolica de speciali gratia prorogamus.

Adicimus autem quod per presentem prorogationem nostram et alia supradicta conventiones et conditiones habite inter Ecclesiam memoratam et clare memorie Carolum, regem Sicilie, patrem tuum, ac te nullam prorsus varietatem sentiant nec immutationis dispendium patiantur, sed semper in sua permaneant firmitate.

Volumus quoque quod, si hujusmodi prorogationem nostram et alia supradicta rata habueris, super hoc patentes litteras tuas, harum seriem continentes, aurea bulla munitas, nobis ad Ecclesie prefate cautelam infra idem festum Natalis Domini exhibere procures. Alioquin ipsa nostra dilatio nullius penitus sit roboris vel momenti, aliis prorogationibus dudum a predecessore et Ecclesia memoratis per apostolicas litteras sub bulla papali concessis pro multis preteritis terminis, in quibus est ab hujusmodi census solutione cessatum, ac ratificationibus regiis inde secutis in suo robore duraturis. Dat. Laterani, II kalendas novembris, anno primo. »

1112 Au Latran, 30 novembre 1303.

Frederico, regi Trinacriæ, opprobrat quod in litteris suis, quas summo futuro pontifici per specialem nuntium destinaverat, se regem Siciliæ nominat et in data litterarum earumdem annum regni sui octavum computat et describit. (n° 14, fol. 201 v°; Potth., n° 25307.)

« *Carissimo in Christo filio Frederico, regi Trinacrie illustri.* Vide, fili carissime, quod admirationis haberemus causam, nisi nostra teneret opinio quod non adverterit sinceritas regia et nobilitati non perpenderit amica simplicitas, quod in sequentibus excederes et in eis modestiam debitam non servares.

Tu siquidem in litteris tuis quas summo futuro pontifici per nobilem virum Conradum de Auria, admiratum tuum et consiliarium, destinasti et etiam alibi aliter te, quam tibi liceat per conventiones inter te et carissimum filium nostrum C[arolum], regem Sicilie, in pace habitas et per dilectos filios Hugettum de Ampuria comitem, Fredericum de Ancisa magistrum rationalem, et Bartholomeum de Insula judicem tue magne curie, ad id nuntios tuos, in scriptis pie memorie B[onifatio] predecessori nostro oblatas et ab eo confirmari petitas ac secundum petitionem eorum ab eodem predecessore etiam confirmatas, appellas : tu regni tui in data litterarum ipsarum annum octavum nominas et describis.

Certe credimus quod principum more litteras tuas non videas : credimus quod id tibi non fuerit indicatum. Sed quia ex debito pastoralis officii, quod nobis incumbit, tui et Christianorum omnium iminet cura ac te quadam speciali dilectione diligimus et prosequi intendimus favoribus oportunis, notificamus benivolentie tue ea tibi non esse licita nec decere. Itaque primum non licet, quia quod tibi semel in hoc placuit amplius displicere non debet; secundum vero, si ex certa scientia faceres, quid concludat diligenter adverte : quia cum ex pluribus causis dominium, proprietas, aut jus in re una nequeat obtineri, quamvis possit aliquid ex causis plurimis possideri, tu nominando regni tui annum octavum (quod jus in re seu proprietatem denotat) apostolicam munificentiam in hujusmodi confirmatione gratis exhibitam renuis et gratiam Romane Ecclesie, tue et insule Sicilie domine, secundum quam annus regni tui in veritate primitus existit, excludis ipsamque contemnis, a vitioso ingressu nichilominus annos computans et initio violento describens, ex quo videtur quod a nemine vel a te ipso non a Romana Ecclesia velis memoratam insulam detinere. Attende si in hiis devotio dictis professa litteris comprobetur; considera si hujusmodi actibus earum verba concordent; sume igitur sanum, amantissime fili, consilium; verba patris ausculta et inclina in ejus parabolas aures tuas, sic te in premissis et aliis votis conformando Ecclesie, quod tua semper (quod optamus) ad eandem Ecclesiam crescat devotio nosque propterea ad tua prosequendum beneplacita provocemur. Dat. Laterani, II kalendas decembris, anno primo. »

1113 Au Latran, 22 novembre 1303.

Johannis ss. Marcellini et Petri presbyteri cardinalis precibus inclinatus, decernit ut decem clerici, quibus olim idem cardinalis auctoritate Bonifatii VIII præbendas in diversis regni Franciæ ecclesiis reservaverat, easdem expectare ac obtinere possint, non obstante generali revocatione nuper edita super provisionibus factis a prædicto Bonifatio sive ejus auctoritate de beneficiis vacaturis. (n° 15, fol. 202.)

« *Johanni, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali.* Grandia tue merita probitatis, quibus in Ecclesia Dei cujus honorabile membrum existis fulgere dinosceris, promerentur ut personam tuam prerogativa favoris et gratie honoremus.

Exposuisti siquidem coram nobis, quod felicis recordationis Bonifatius papa VIII^{us}, predecessor noster, te olim ad partes regni Francie pro urgentibus et arduis negotiis destinans, faciendi per te vel alium seu alios auctoritate ipsius predecessoris decem clericos in totidem ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis regni Francie, Parisiensi, Carnotensi et Ambianensi duntaxat exceptis, dummodo illorum ad quos in eisdem ecclesiis spectaret collatio prebendarum ad id assensus accederet et alias beneficiati dicti clerici non existerent, unum videlicet in ecclesia una tantum, in canonicos recipi et in fratres ac providendi eorum singulis de singulis prebendis nulli alii de jure debitis, si tunc vacarent ibidem vel quamprimum ad id se facultas offerret, nec non et con-

tradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, concessit tibi plenam per suas sub certa forma litteras facultatem.

Tuque ad dictas partes pro hujusmodi negotiis te personaliter conferens, auctoritate litterarum ipsarum et earum forma servata, quosdam clericos in quibusdam ecclesiis dicti regni usque ad dictum numerum, ad id illorum ad quos in ipsis ecclesiis spectabat collatio prebendarum accedente consensu, fecisti recepi in canonicos et in fratres, mandans nonnullis executoribus per te illis super hoc concessis, ut providerent eisdem clericis de prebendis nullis aliis de jure debitis, si que tunc vacarent in eisdem ecclesiis vel cum ad id oportunitas se offerret, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Verum quia postmodum, predicto predecessore viam universe carnis ingresso, nos ad apicem summi Apostolatus assumpti, predictis clericis vel eorum aliquibus in prefatis ecclesiis adhuc sub vacaturarum prebendarum expectatione manentibus, omnes reservationes, receptiones et gratias super canonicatibus et prebendis et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis vacaturis, in quibus non foret jus acquisitum in re licet ad rem, quibuscumque personis per predictum predecessorem nostrum aut ejus auctoritate vel commissione factas sive concessas ex causa duximus auctoritate apostolica revocandas, tu desiderans ut dicti clerici per te taliter expectantes effectum gratiarum hujusmodi per te factarum eisdem non remaneant defraudati, nobis humiliter supplicasti ut providere ipsis super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur in hoc et in aliis tue mentis cupientes in quantum honeste possumus confovere quietem, et considerantes quod labores et tedia gravia in itinere hujusmodi pertulisti, attendentes quoque quod in hoc prefate ecclesie, cum ut premittitur ad id assensus eorum accesserit ad quos in eis prebendarum collatio pertinet, non gravantur, et volentes propterea in hac parte tuam honorare personam dictisque clericis in hoc favorabiliter providere, omnes illos ex decem clericis memoratis, quorum receptiones seu reservationes dictarum litterarum auctoritate facte per nostram generalem revocationem hujusmodi revocate noscuntur, et eorum quemlibet in pristinum statum et ad receptiones, reservationes et gratias predictas et omnem earum effectum apostolica auctoritate reducimus et restituimus de gratia speciali, volentes et concedentes ut revocatione non obstante prefata, cujus in hac parte omne impedimentum tollimus et obstaculum amovemus, receptiones et reservationes eedem et littere sub tuo sigillo inde confecte ac processus omnes inde secuti ex hac nostra auctoritate reassumant vigorem ac valeant et teneant et plenum sortiantur effectum, et executores ipsi super hiis in premissis ulterius procedere possint, sicut si hujusmodi nostra revocatio nullatenus emanasset, revocatione ipsa alias in suo robore duratura. Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

1114 Au Latran, 1er décembre 1303.

Rembaldum de Tervisio constituit rectorem in temporalibus Marchiæ Anconitanæ. (n° 16, fol. 202.)

« *Nobili viro Rembaldo de Tervisio comiti, in temporalibus Marchie Anconitane rectori.* Licet de singulis provinciis pleno jure nobis et Ecclesie Romane subjectis quantum nobis ex alto permittitur curam vigilem habeamus, circa statum tamen Anconitane Marchie reddimur eo majori attentione solliciti, quo ipsam potiori affectione prosequimur velut infra nostra et Apostolice Sedis brachia constitutam. Et quia cordi gerimus quod in eadem Marchia servetur cultus justitie, fidei puritas, devotionis integritas et pacis opulentia vigeant, personam ad horum promotionem utilem illuc decrevimus destinandam, cujus industria sit salubris ad singula, propagatrix virtutum et expugnatrix avida vitiorum.

De tue igitur probitatis et experte circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes rectoriam predicte Marchie in temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus per te usque ad predicte Sedis beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in eadem Marchia quicquid honori et comodo Ecclesie memorate ac utilitati et prospero statui fidelium ejusdem Marchie cognoveris expedire, contradictores quoque et rebelles quoslibet quotiens expedierit temporali districtione appellatione postposita compescendi, concedentes tibi plenariam potestatem.

Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis dicte Marchie devote suscipiens, sic illud laudabiliter gerere studeas quod exinde merito commendari valeas ac nostram et ejusdem Sedis gratiam uberius promereri.

Nos enim processus et sententias sive penas, quos temporaliter rite feceris, tuleris vel statueris in rebelles, ratos habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis aut litteris apostolicis quibuscumque personis, comunitatibus, universitatibus et locis secularibus ab eadem Sede concessis, per que tue in hac parte ju-

risdictionis explicatio possit quomodolibet impediri et de quibus fieri debeat in nostris litteris mentio specialis. Dat. Laterani, kalendis decembris, anno primo. »

In e. m. comitibus, baronibus, potestatibus seu rectoribus et universitatibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per Anconitanam Marchiam constitutis.

1115 Au Latran, 1er décembre 1303.

Eundem instituit rectorem in temporalibus massæ Trabariæ ac terræ s. Agathæ. (no 17, fol. 202 vo.)

« *Nobili viro Rembaldo de Tervisio comiti, in temporalibus masse Trabarie ac terre sancte Agathe* [*rectori*]. Etsi exigente pastoralis officii debito de statu terrarum omnium, in quibus Romana Ecclesia jurisdictionem obtinet temporalem, prosperis preservando successibus cogitare sollicite teneamur, circa statum tamen masse Trabarie ac terre sancte Agathe eo majori reddimur attentione solliciti quo ipsas potiori affectione prosequimur, etc., ut supra, mutatis mutandis, usque : avida vitiorum.

Ad personam itaque tuam, de cujus fidelitatis ac experte probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, mentis intuitum dirigentes, rectoriam predictarum masse et terre in temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus per te, etc., usque : plenariam potestatem.

Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus onus regiminis dictarum masse et terre devote suscipiens, etc., ut supra in alia usque in finem. Dat. ut supra. »

In e. m. comitibus, baronibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus, universitatibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per massam Trabariam et terram sancte Agathe constitutis.

1116 Au Latran, 1er décembre 1303.

Eidem committit rectoriam in temporalibus civitatis et comitatus Urbini. (no 18, fol. 202 vo.)

« *Eidem Rembaldo, rectori in temporalibus civitatis et comitatus Urbini.* Etsi exigente, etc., ut in proxima superiori usque in finem, mutatis mutandis. »

In e. m. comitibus, baronibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus civitatis Urbini, castrorum et quorumcumque locorum per civitatis ipsius comitatum constitutis.

1117 Au Latran, 1er décembre 1303.

Deoteclerio de Logliano rectoriam roccæ de Cesis, terræ Arnulphorum ac Vallistopini similiter committit. (no 19, fol. 202 vo.)

« *Deoteclerio de Logliano, rocce de Cesis, terre Arnulphorum ac Vallistopini rectori.* Etsi exigente pastoralis officii, etc., ut supra, mutatis mutandis, usque in finem. »

In e. m. comitibus, baronibus, etc., mutatis mutandis, usque in finem. Dat. ut supra.

1118 Au Latran, 1er décembre 1303.

Eidem committit rectoriam in temporalibus ducatus Spoletani. (no 20, fol. 202 vo.)

« *Deoteclerio de Logliano, rectori in temporalibus ducatus Spoletani.* Licet ad singulas orbis provintias sub religione Christiane Fidei militantes, pro ipsarum statu salubriter dirigendo, juxta pastoralis officii debitum apostolice considerationis aciem extendamus, ad statum tamen ducatus Spoletani eo attentioris meditationis retorquimus intuitum, quo ipsum velut ad Romanam Ecclesiam spiritualiter et temporaliter pertinentem et infra ipsius Ecclesie brachia constitutum affectione prosequimur ampliori.

Cupientes igitur quod in eodem ducatu fervetur cultus justitie ac fidei puritas, devotionis integritas ac pacis opulentia vigeant, ac ad personam tuam de cujus probitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, nostre mentis intuitum dirigentes, rectoriam ejusdem ducatus in temporalibus apostolica tibi auctoritate committimus per te usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in eodem ducatu quicquid honori Ecclesie Romane ac prospero fidelium dicti ducatus statui expedire cognoveris, et contradictores quoslibet ac rebelles quotiens expedierit temporali districtione appellatione postposita compescendi concedentes tibi plenariam potestatem.

Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis dicti ducatus devote suscipiens, etc., ut supra in prima usque in finem. Dat. ut supra. »

« In e. m. dilectis filiis nobilibus viris, etc., ut in al[iis], v[erbis] com[petentibus] mutatis, usque in finem. »

1119 Au Latran, 7 décembre 1303.

Magistrum Bernardum Roiardi, capellanum suum, in Campaniam mittit, ad inveniendum et recuperandum thesaurum Romanæ Ecclesiæ aliaque bona Bonifatii VIII et personarum curiæ, quæ cum idem pontifex Anagniæ resideret a quibusdam sceleratis hominibus temere ac nequiter fuerunt asportata. (nº 21, fol. 202 vº; POTTH., nº 25312; THEINER, *Codex diplom. dom. temp. S. Sedis*, t. I, nº DLXXIV.)

« *Magistro Bernardo Roiardi, archidiacono Xanctonensi, capellano nostro.* Dudum nonnulli perditionis alumpni nephandum flagitium in personam felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri apud civitatem Anagnie, dum ibi predecessor ipse cum sua curia residebat, committere non expaverunt : quidam vero tunc cece cupiditatis ardore succensi ad thesaurum Romane Ecclesie aliaque bona dicti predecessoris et fratrum nostrorum Romane Ecclesie cardinalium et aliarum plurium personarum tunc in eadem civitate existentium manus avidas extenderunt, multa de thesauro et bonis predictis ausu nephario rapiendo et etiam asportando.

Eodem vero predecessore postmodum viam universe carnis ingresso, nos ad apicem summi Apostolatus assumpti ad thesauri et aliorum bonorum predictorum recuperationem diligentius intendentes, monuimus omnes in genere qui de thesauro et bonis taliter raptis et asportatis haberent vel aliquos scirent habentes, ut infra certum terminum dilecto filio Johanni camerario, sive dictis fratribus nostris, aut personis aliis ad quas pertinuerint, sive diocesanis locorum, vel alicui de penitentiariis nostris, aut prioribus Predicatorum vel guardianis Minorum, fratrum ordinum consistentium in suis civitatibus vel diocesibus ea que ad presens haberent restituerent et quos inde habere scirent etiam revelarent, in omnes et singulos monitioni hujusmodi non parentes generalem excommunicationis sententiam proferendo, prout in nostris super hoc confectis litteris hec omnia plenius continentur.

Verum quia adhuc in Campanie partibus multa de thesauro et bonis predictis contra hujusmodi monitionem nostram detineri et celari dicuntur, nos personam tuam, de cujus fide ac circumspectione plenam in hiis et aliis in Domino fiduciam obtinemus, ad partes ipsas propter hoc providimus destinandum; ideoque circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad partes easdem te personaliter conferens, ad inveniendum et recuperandum quecumque de thesauro et bonis predictis ibi poterunt reperiri diligenter apponas, prout expedire videris, nostra fretus auctoritate, tuum ministerium studiosum inquirendo et procedendo super hoc ex officio, summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, quomodocumque et per quoscumque tibi videbitur oportunum.

Ut autem hec que tibi committimus eo liberius exequi valeas, quo majori circa ea fueris potestate munitus, vocandi propter hoc ad presentiam tuam personaliter quoscumque videris evocandos etiam si extra Campaniam fuerint, et exigendi a quibuscumque tibi videbitur de veritate dicenda sive de parendo mandatis tuis aut Ecclesie vel quodcumque aliud juramentum, ac absolvendi illos qui restituerint que habent de thesauro et bonis predictis et qui etiam revelarint quos habere sciverint ex eisdem ab excommunicationum sententiis quas propterea incurrerunt, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari, statuendi preterea predicta et faciendi in predictis partibus quecumque circa premissa noveris expedire, immo contradictores quoslibet et rebelles quoscumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, etiam si pontificali vel alia quavis preemineant dignitate, auctoritate nostra appellatione postposita compescendi, ac invocandi super hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis, non obstantibus si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et quibuslibet privilegiis et litteris apostolicis quibuscumque et in quacumque forma verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta tue jurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri et de quibus oporteat in nostris litteris specialem fieri mentionem, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Tu itaque hujusmodi negotium quod cordi nobis existit sic studiose et sollicite prosequaris, quod dignis exinde laudibus valeas commendari nostramque gratiam uberius promereri. Dat. Laterani, VII idus decembris, anno primo. »

1120 Au Latran, 7 décembre 1303.

Personis ecclesiasticis tam regularibus quam secularibus nec non universis fidelibus per Campaniam constitutis significat de suprascriptis. Ipsos prætere rogat et hortatur ut magistrum Bernardum Roiardi benigne recipiant et ei ac ejus familiæ efficaciter assistant. (nº 22, fol. 203.)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus episcopis, et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesia-

rum prelatis et eorum vices gerentibus nec non viris nobilibus comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus et universitatibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per Campaniam constitutis, ad quos presentes [littere] pervenerint, salutem, etc.

Cum nos dilectum [filium] magistrum Bernardum Roiardi, archidiaconum Xanctonensem, capellanum nostrum, ad partes Campanie pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatinus eundem capellanum cum per partes vestras transitum fecerit ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, sibi et familiaribus suis cum pro parte sua fueritis requisiti in securo conductu eundo, morando et redeundo sic liberaliter providere curetis, quod cum ipse ad nos redierit vos de prompte devotionis affectu possit non immerito commendare, nosque sinceritatem vestram dignis gratiarum favoribus prosequamur. Alioquin sententiam quam ipse rite tulerit in rebelles, ad quod plenam sibi concedimus tenore presentium potestatem, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Dat. ut supra. »

1121 Au Latran, 26 novembre 1303.

Archiepiscopum Ebredunensem constituit rectorem in spiritualibus et temporalibus comitatus Venaysini. (n° 23, fol. 203.)

« *Guillelmo, archiepiscopo Ebredunensi, comitatus Venaysini rectori.* Etsi exigente pastoralis officii debito de statu terrarum omnium ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantium prosperis preservando successibus cogitare sollicite teneamur, circa statum tamen comitatus Veneysini, qui est ipsius Ecclesie speciale demanium, intentis vigilamus studiis et studiosa opera satagimus adhibere, ut comitatus ipse per nostre provisionis studium dirigatur prospere ac salubriter gubernetur.

Ad te igitur, cum sis circumspectione preditus et sollicitudine circumspectus ipsique comitatui vicinus tuamque fidem, devotionem, et diligentiam prefata Ecclesia multipliciter sit experta, nostre mentis dirigentes intuitum et sperantes quod per te in hac parte satisfieri poterit plenarie votis nostris, rectoriam predicti comitatus in spiritualibus et temporalibus apostolica tibi auctoritate usque ad Apostolice Sedis beneplacitum duximus committendam, ita tamen quod eandem spiritualem jurisdictionem in fulcimentum dumtaxat ejusdem temporalis jurisdictionis et non alias valeas exercere, disponendi, ordinandi, precipiendi, statuendi, puniendi, diffiniendi exequendi et faciendi in eodem comitatu quicquid ad hujusmodi rectorie spectat officium et honori et comodo Ecclesie prefate ac prospero statui fidelium ejusdem comitatus cognoveris expedire, et contradictores et rebelles spiritualiter et temporaliter appellatione postposita compescendi concedentes tibi plenam et liberam potestatem.

Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis dicti comitatus devote suscipiens, illud prudenter gerere studeas et laudabiliter prosequaris, ita quod nostram et prefate Sedis commendationem et gratiam exinde consequi plenius merearis.

Nos enim processus et sententias sive penas, quos spiritualiter et temporaliter appellatione postposita rite feceris, tuleris vel statueris in rebelles ratos habebimus et faciemus auctore Domino usque ad sa[tisfactionem] con[dignam] ap[pellatione] re[mota] inviolabiliter observari, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis aut litteris apostolicis quibuscumque personis, comunitatibus, universitatibus et locis ab eadem Sede concessis, per que tue in hac parte jurisdictionis explicatio possit quomodolibet impediri et de quibus fieri debeat in nostris litteris de verbo ad verbum mentio specialis. Dat. Laterani, vi kalendas decembris, anno primo. »

In e. m. episcopis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis, ac Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et domus Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque baronibus aliisque nobilibus, comunitatibus, universitatibus ac populis ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per comitatum Venaysini constitutis.

1122 Au Latran, 9 décembre 1303.

Sententiam excommunicationis quam rex Trinacriæ incurrisse noscitur et ecclesiasticum interdictum cui subjacet insula Siciliæ, pro eo quod dictus rex censum trium millium unciarum auri Romanæ Ecclesiæ debitum statuto tempore solvere non curavit, misericorditer relaxat, terminum solutionis census prædicti usque ad kalendas maii proximo venturas prorogando. (n° 24, fol. 203 v°; Potth., n° 25316.)

« *Carissimo in Christo filio Friderico, regi Trinacrie illustri.* Romana mater Ecclesia tanta suos filios benignitate prosequitur, quod ad eam recurrentibus gremium nunquam claudit, quin potius illis clementer sinum sue

propitiationis expandens, in hiis libenter se favorabilem exhibet, que ad salutem pertinent animarum.

In conventionibus siquidem olim inter eandem Ecclesiam et te habitis super concessione facta tibi certo modo in feudum ad vitam tuam per dictam Ecclesiam de insula Sicilie et aliis insulis ei adjacentibus inter alia continetur, quod tu censum annuum trium milium unciarum auri ad generale pondus regni Sicilie singulis annis termino infrascripto eidem Ecclesiæ solvere tenearis, quodque si per te in solutione dicti census fuerit termino ipso cessatum, in illas penas spirituales et temporales incidas, que in conventionibus primo initis inter dictam Ecclesiam et clare memorie C[arolum] regem Sicilie illustrem, et carissimum in Christo filium C[arolum] regem Sicilie illustrem, ipsius filium, postea, in capitulo solutionis et cessationis census, servato ordine in eodem expresso capitulo, continentur.

Verum quia in eodem continetur capitulo quod, pro generali censu regni et terre dictis regibus eorumque heredibus in feudum a prefata Ecclesia concessorum, octo milia unciarum auri ad pondus predictum in festo beati Petri, ubicumque foret Romanus pontifex, ipsi Romano pontifici et dicte Ecclesie annis singulis solverentur; et quod si ipsi reges vel eorum in dicto regno heredes quocumque termino non solverent integre censum ipsum, et expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfacerent, eo ipso forent excommunicationis sententia innodati; quodque si infra alios duos menses sequentes eundem censum sine diminutione qualibet non persolverent, totum regnum Sicilie et tota terra predicta ecclesiastico essent supposita interdicto, tu, qui nondum censum predictum trium milium unciarum pro anno presenti solvisti, quamvis tam primus quam secundus terminus sint elapsi, propter lapsum dicti primi in excommunicationis sententiam incidisti, et propter lapsum secundi termini eedem insule ecclesiastico subjacent interdicto; nonnulli etiam clerici illarum partium, interdictum hujusmodi non servantes, divina inibi dicuntur officia celebrasse. Quare nobis ex parte tua fuit humiliter supplicatum, ut cum adhuc tu comode censum solvere nequeas antedictum, et tam tibi quam dictis clericis ceterisque ipsarum incolis insularum non modicum ex premissis immineat detrimentum, providere super hiis omnibus de benignitate apostolica dignaremur.

Nos autem considerantes tue devotionis affectum, qui super hiis appetis remedium salutare, tuis supplicationibus inclinati, te ab eadem sententia, quam propter censum hujusmodi non solutum statuto tempore incurristi, apostolica auctoritate absolvimus et interdictum predictum etiam relaxamus, tibi usque ad kalendas maii proximo venturas solutionis census predicti terminum prorogando, ac dispensando cum illis, qui interdictum predictum taliter violarunt, super irregularitate quam propterea contraxerunt : ita tamen quod tu in eisdem kalendis maii proximo venturis plene de censu satisfacias memorato, iidemque irregulares recipiant a suis confessoribus et etiam peragant pro violatione hujusmodi juxta modum culpe penitentiam salutarem.

Quod si censum predictum forte non solveres in hujusmodi termino prorogato, volumus quod tu in excommunicationis, insule vero predicte in interdicti sententias recidatis prefatas, et nichilominus tu in penas statutas in conventionibus antedictis pro cessatione solutionis in tertio termino incidas ipso facto. Per premissa vero conventiones eedem nullam immutationem recipiant, sed alias ut prius in sua maneant firmitate. Dat. Laterani, v idus decembris, anno primo. »

1123 Au Latran, 22 novembre 1303.

Jacobo, s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, concedit ut, cum scholastria, canonicatus et præbenda, quæ Thomas Virdunensis electus in Tullensi obtinet ecclesia, per consecrationem ipsius electi seu quovis alio modo vacaverint, de eisdem libere disponere valeat. (nº 25, fol. 203 vº.)

« *Jacobo, sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali.* Cum felicis recordationis — Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

1124 Au Latran, 13 novembre 1303.

Provisionem ecclesiæ Vicentinæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservat. (nº 26 A, fol. 204.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum ecclesia Vicentina per translationem venerabilis fratris nostri R[aynaldi], episcopi olim Vicentini, nunc electi Ravennatis factam ad ecclesiam Ravennatem, vacare noscatur ad presens, nos cupientes quod eidem ecclesie Vicentine, quam dilectione prosequimur speciali, per Apostolice Sedis providentiam pastor preficiatur ydoneus, qui sciat et possit illi preesse salubriter et prodesse, provisionem dicte ecclesie Vicentine hac vice dispositioni dicte Sedis auctoritate apostolica reservamus, decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre reservationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, idibus novembris, anno primo. »

1125 Au Latran, 19 novembre 1303.

Provisionem Zagabriensis ecclesiæ Sedis Apostolicæ dispositioni similiter reservat. (*Ibid.*)

« In e. m. pro ecclesia Zagabriensi [vacante] per translationem venerabilis fratris nostri M[ichaelis], episcopi olim Zagabriensis, nunc electi Strigoniensis. Sub dat. Laterani, XIII kalendas decembris, anno primo. »

1126 Au Latran, 12 décembre 1303.

Provisionem ecclesiæ Mantuanæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservat. (n° 26 B, fol. 204.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum, sicut nuper accepimus, ecclesia Mantuana vacet ad presens, nos cupientes quod eidem ecclesie, quam benivolentia paterna prosequimur, per Apostolice Sedis providentiam, etc., ut supra usque in finem. Dat. Laterani, II idus decembris, anno primo. »

1127 Au Latran, 9 décembre 1303.

Altegradus, archipresbyter ecclesiæ Paduanæ nec non notarius domini papæ, auctoritate apostolica præficitur vacanti ecclesiæ Vicentinæ. (n° 27, fol. 204.)

« *Altegrado, electo Vicentino.* Superne dispositionis arbitrio ad summi Apostolatus apicem quanquam insufficientibus meritis evocati, debitum inde nobis incumbens circa curam omnium ecclesiarum utiliter exolvere auxiliante Domino cupientes, solliciti corde reddimur atque vigiles, ut cum agitur de ipsarum ecclesiarum regiminibus committendis, quantum nobis ab Illo permittitur cujus vices in terris gerimus, tales eis pastores preficere studeamus de quibus consideratis virtutibus desuper sibi traditis presumere possimus verisimiliter et tenere, quod creditas ipsis animas sciencie verbo instruere valeant pariter et exemplo, ac ex eorum studio loca que sue fuerint deputata custodie grata suscipere debeant incrementa.

Nuper siquidem venerabili fratre nostro Raynaldo episcopo de Vicentina ecclesia, cujus regimini presidebat, per nos ad Ravennatem ecclesiam tunc vacantem apostolica auctoritate translato, nos gerentes circa prefatam Vicentinam ecclesiam sincere dilectionis affectum, et de ipsius ordinatione celeri ne prolixe vacationis exposita remaneret incomodis attentius cogitantes, et volentes sibi de persona juxta cor nostrum ydonea providere, vigili super hoc adhibita diligentia, in te notarium nostrum, archipresbyterum ecclesie Paduane, virum utique litterarum scientia preditum, genere nobilem, morum honestate conspicuum, consilii circumspectione maturum ac aliis virtutum donis a Deo multipliciter edotatum, quorum nos reddit familiaris experientia non ignaros, mentis nostre aciem duximus convertendam.

Proinde igitur tam gregi dominico quam ecclesie Vicentine predicte intendentes salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis te ipsi Vicentine ecclesie preficimus in episcopum et pastorem, sperantes in Illo qui dat gratias et premia elargitur, quod ecclesia Vicentina predicta per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis ac spiritualiter et temporaliter auctore Deo felicibus proficiet incrementis.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam et administrationem ejusdem ecclesie Vicentine et commissi tibi gregis in illa sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod gubernatori circumspecto et fructuoso gaudeant [1] se commissos, ac odor tue fame laudabilis ex providis tuis actibus latius diffundatur, tuque preter divine retributionis premium exinde plenius nostre benedictionis et gratie augmentum consequi merearis. Dat. Laterani, V idus decembris, anno primo. »

« In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Vicentine. Superne, etc., ut in proxima superiori v[erbis] com[petentibus] mu[tatis] usque : incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem electo tanquam patri et pastori animarum plene ac humiliter intendentes, impendatis sibi obedientiam et reverentiam debitam et devotam. Alioquin sententiam, etc. Dat. ut supra. »

« In e. m. clero civitatis et diocesis Vicentine. »

« In e. m. populo civitatis et diocesis Vicentine, etc., usque : Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatinus eundem electum devote recipientes et honorifice pertractantes, ejus salubribus mandatis et monitis intendatis, ita quod ipse in vobis filios devotionis se invenisse letetur vosque in eo patrem habeatis benivolum et assidue gratiosum. Dat. ut supra. »

« In e. m. universis vassallis ecclesie Vicentine, etc., usque : Quocirca universitatem vestram per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem electum devote recipientes et honorifice pertractantes, ejus salubribus

1. Ms : « gaudeat. »

mandatis et monitis intendatis, et prestantes eidem fidelitatis solite juramentum, consueta exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis ipsi respondere curetis, ita quod ipse in vobis, etc., usque : gratiosum. Alioquin sententiam sive penam, etc. Dat. ut supra. »

« In e. m. venerabili fratri .. patriarche Aquilegensi. Superne, etc., usque : felicia suscipiet incrementa. Rogamus itaque fraternitatem tuam et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus personam ipsius electi affectu benivolo et oportuno favore taliter prosequaris, quod in exequenda sollicitudine sibi credita possit prosperari facilius et tibi per hoc sit specialiter obligatus. Dat. ut supra. »

1128 Au Latran, 22 novembre 1303.

Vicedominatum, canonicatum et præbendam, quæ Thomas Virdunensis electus in Remensi ecclesia obtinet, donationi Sedis Apostolicæ, cum vacaverint per consecrationem ipsius electi sive quovis alio modo, specialiter reservat. (nº 28, fol. 204 vº.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum felicis recordationis Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, pridem Virdunensi ecclesie tunc vacanti de dilecto filio Thoma, electo Virdunensi, vicedomino et canonico in ecclesia Remensi, duxerit providendum et per hoc vicedominatus, qui nec personatus nec dignitas sed officium solum existit consuetum canonicis ipsius ecclesie assignari, cum canonicatu et prebenda quos idem electus in dicta Remensi ecclesia obtinet, per ipsius consecrationem in proximo vacare credantur, nos volentes de vicedominatu, canonicatu et prebenda predictis per Apostolice Sedis providentiam persone idonee, per quam ipsi ecclesie Remensi honor et comodum provenire valeant provideri, vicedominatum, canonicatum et prebendam predictos, cum vacaverint sive per consecrationem hujusmodi sive alias quovis modo illos vacare contigerit, hac vice donationi Sedis ejusdem specialiter reservamus, inhibendo illi vel illis ad cujus vel quorum collationem, electionem vel aliam dispositionem vicedominatus, canonicatus et prebenda predicti pertinent, ne de illis disponere quoquomodo presumant, ac decernendo exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari ;

Non obstante si aliquibus super provisione facienda sibi de personatibus, dignitatibus, canonicatibus, prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta ecclesia Remensi specialiter, vel in illis partibus generaliter, dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum; seu si aliqui in dicta ecclesia Remensi apostolica vel alia quavis auctoritate in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus in assecutione aliorum personatuum, dignitatum, officiorum, canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum nullum volumus prejudicium generari; seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod de personatibus, dignitatibus, officiis, canonicatibus et prebendis dicte ecclesie vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, electionem, vel aliam dispositionem spectantibus, cuiquam nequeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo, etc., nostre reservationis, inhibitionis et decreti, etc. Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

1129 Au Latran, 24 novembre 1303.

Guillelmo, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, concedit ut, cum vicedominatus, canonicatus et præbenda, quæ in ecclesia Remensi Thomas Virdunensis electus obtinet, per consecrationem ipsius electi vel quovis alio modo vacaverint, ea cuilibet personæ idoneæ valeat conferre. (nº 29, fol. 204 vº.)

« *Dilecto filio Guillelmo, sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali.* Cum nos dudum — Dat. Laterani, VIII kalendas decembris, anno Iº. »

1130 Au Latran, 26 novembre 1303.

Riccardo, s. Eustachii diacono cardinali, facultatem elargitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in ecclesia s. Eustachii de Urbe, ac eisdem de communibus proventibus ipsius ecclesiæ portionem integram exhiberi. (nº 30, fol. 204 vº.)

« *Riccardo sancti Eustachii diacono cardinali.* Ut personam tuam — Dat. Laterani, VI kalendas decembris, anno primo. »

1131 Au Latran, 20 décembre 1303.

Executoribus infradictis mandat, ut Adigerio de Adigheriis, presbytero Parmensi, qui perpetuum beneficium in ecclesia s. Apolinaris Parmensis contra justitiam occupat et canonice monitus illud dimittere contumaciter non curavit, diem dicant ad comparendum coram Apostolica Sede. (nº 31, fol. 205.)

« *Dilectis filiis .. preposito ecclesie sancti Donini de Burgo et .. archipresbytero plebis de Vigatulis, Parmensis diocesis,*

ac *Bartholino de sancto Vitale, canonico Parmensi.* Exposuit nobis venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, quod Adigerius de Adigheriis, presbyter Parmensis, perpetuum beneficium altaris sancti Johannis Baptiste in ecclesia sancti Apolinaris Parmensis, ad ipsius episcopi collationem pertinens, contra justitiam occupavit et adhuc detinet occupatum [1], fructus percipiens ex eodem in anime sue periculum dictique episcopi prejudicium et contemptum : et licet auctoritate dicti episcopi fuerit in eundem presbyterum, quia canonice monitus beneficium predictum dimittere contumaciter non curavit, excommunicationis sententia promulgata, idem tamen presbyter sententiam ipsam dampnabiliter vilipendens, illam diu sustinuit et adhuc sustinet animo indurato. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit ut contra presbyteri memorati proterviam oportunum adhibere remedium dignaremur.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem presbyterum vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi compareat personaliter coram nobis, mandatis et beneplacitis [nostris] in hac parte plenarie pariturus, ac alias facturus et recepturus super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, XIII kalendas januarii, anno primo. »

1. Ms : « occupatam. »

1132 Au Latran, 22 novembre 1303.

Cursius quondam Bonajuntæ de s. Geminiano, Vulteranæ diocesis, constituitur generalis procurator Romanæ Ecclesiæ. (n° 32, fol. 205.)

« *Cursio, nato quondam Bonajunte de sancto Geminiano, Wlterane diocesis.* De fidelitate ac industria tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, te nostrum et Ecclesie Romane yconomum, procuratorem seu actorem constituimus in omnibus causis contra nos, dictam Ecclesiam, seu rectores aut officiales terrarum ipsius Ecclesie nec non et processus eorum, et pro nobis et Ecclesia, rectoribus et officialibus supradictis contra quoscumque motis atque movendis coram quibuscumque judicibus seu auditoribus a nobis super hiis specialiter seu generaliter deputatis aut imposterum deputandis ; in premissis agendi, defendendi, excipiendi, replicandi, litem contestandi, ponendi, respondendi, beneficium restitutionis in integrum petendi ac faciendi cetera, que verus et legitimus procurator et yconomus sive actor facere debet et potest, ac substituendi alium vel alios procuratores ad omnia singula supradicta qui consimilem in hiis potestatem habeant, revocandi quoque eosdem ac loco ipsorum alium vel alios subrogandi, quotiens oportunum fuerit seu videris expedire, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, ratum habituri et gratum quicquid circa predicta et quodlibet predictorum per te vel substitutum seu substitutos a te factum extiterit vel etiam procuratum. Dat. Laterani, x kalendas decembris, anno primo. »

1133 Au Latran, 4 décembre 1303.

Episcopo Reatino rectoriam comitatus Sabiniæ tam in spiritualibus quam in temporalibus committit. (n° 33, fol. 205.)

« *Venerabili fratri Johanni, episcopo Reatino, comitatus Sabinensis rectori.* Licet de singulis — Dat. Laterani, II nonas decembris, anno primo. »

In e. m. abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis, ac domus Militie Templi et Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani magistris et preceptoribus, universis quoque baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus et universitatibus et personis secularibus castrorum et aliorum locorum per comitatum Sabinie constitutis.

1134 Au Latran, 4 décembre 1303.

Eidem episcopo rectoriam civitatis Interamnensis, castrorum Utriculi, Strunconis, ac tenimenti campi de Rusco committit. — Eidem rectoriam castri Mirandæ committit. (n° 34, fol. 205 v°.)

« *Venerabili fratri J[ohanni], episcopo Reatino, civitatis Interamnensis, castrorum Utriculi, Strunconis ac tenimenti campi de Rusco ac districtuum et personarum ipsorum rectori.* Grandia tue merita — Dat. ut supra. »

In e. m. abbatibus, etc., et personis secularibus per civitatem Interamnensem, castra Utriculi, Stronconis, tenimenti campi de Rusco [1] et districtus et pertinentias ipsorum constitutis.

In e. m. eidem, rocce et castri Mirande ac districtus et pertinentiarum ejus rectori.

1. Ms : « Busco. »

In e. m. universis clero et secularibus hominibus per roccam et castrum Mirande ac districtus et pertinentias ejus constitutis, mutatis mutandis.

1135 Au Latran, 23 décembre 1303.

Aliquas ex sententiis olim latis a Bonifatio papa VIII contra Jacobum atque Petrum de Columpna, s. Romanæ Ecclesiæ cardinales, nec non contra omnes alios ejusdem domus de Columpna ac posteritatem, fautores, adjutores et receptatores ipsorum penitus tollit et viribus vacuat. (n° 35, fol. 205 v°; Potth., n° 25324.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Dudum bone memorie Bonifatius papa VIII^us, predecessor noster, contra Jacobum, Petrum, Johannem dictum de sancto Vito, Odonem, quondam Agapitum, Stephanum et Jacobum appellatum Sciarram, nepotes memorati Jacobi et filios olim Johannis de Columpna, et posteritatem eorum, nec non contra Riccardum, Petrum et Johannem de Monte Nigro ac adjutores, fautores et receptatores eorum, cujuscumque status, etiam si imperiali vel regali dignitate fulgerent, contra ipsam insuper Penestre dum vixit varios fecit processus, sententias graves, penas habentes et mulctas, prout in eisdem processibus continetur, ex quibus sic paucas ex multis et ex prolixis breves exprimimus, quod intelligi volumus specialiter singulas numeratas et nominatim expressas.

Inter cetera siquidem deposuit dictos Jacobum atque Petrum a cardinalatibus sancte Romane Ecclesie, et reddens eos et filios dicti Johannis et posteritatem eorum inhabiles ad apostolice dignitatis apicem et cardinalatus honorem, ipsos eosdemque Johannem, Odonem et Riccardum beneficiis ecclesiasticis et ecclesiis cunctis privavit; eosque et Agapitum et Sciarram predictos bannivit ab Urbe et terris Ecclesie supradicte; ipsorum confiscavit bona et jura ; plurimum excommunicationum innodavit sententiis; nota adussit infamie; capiendos exposuit; judiciavit schismaticos et tanquam hereticos puniendos; ab amministrationibus etiam, officiis, jurisdictionis exercitio et dignitatibus in Urbe vel circa, Romana Ecclesia et curia, ac ipsorum posteros perpetuo et in terris Romane Ecclesie usque in quartam generationem per masculinum et femininum sexum, cohercuit; eis incolatum, civilitatem et habitationem Urbis, circumposite regionis et terrarum subjectarum Ecclesie interdixit et intestabiles fecit.

Nos itaque, qui Ejus vices in terris gerimus cujus est proprium misereri et parcere, eorum miseriis et erumpnis compatimur, ad clementiam pro eis movemur, ipsis pietatis nostre aperimus viscera et mansuetudinem non negamus, misericordes ab eis non avertimus oculos illisque pium animum exhibemus.

Ideoque omnes predictas (depositionis a cardinalatibus, privationis a beneficiis et ecclesiis, inhabilitatis ad papatum Romanum, et bonorum et jurium que certis nobilibus Romanis civibus concessa sunt confiscationis exceptis, in quibus nichil immutamus ad presens) sententias, penas et mulctas et alias que in processibus memoratis sive alibi continentur, verbo etiam in vita ipsius vel in morte in eos latas et inflictas seu confirmatas et innovatas per predecessorem eundem, sicut si ut predicitur essent per nos specialiter numerate et nominatim expresse, tam quoad predictos Jacobum et filios dicti Johannis de Columpna, masculinam et femininam prolem eorumdem Johannis et filiorum et per utrumque sexum posteritatem descendentem ab eis, Riccardum, Petrum et Johannem de Monte Nigro prefatos, quam adjutores, fautores, receptores, susceptores, receptatores et sequaces eorum et quoslibet alios, penitus tollimus et viribus vacuamus, ita quod nec etiam pro preterito tempore possint super eis alique persone impeti que incurrissent eas, aut contra ipsas aliquem effectum habere. Eisque quod quevis alia quam prefatarum depositionis a cardinalatibus, privationis beneficiorum et ecclesiarum, confiscationis bonorum et jurium que ut premittitur dictis civibus seu aliis sunt concessa, et inhabilitatis ad papatum sententia sive pena abstulit reddimus, et irregularitatem si quam quoquomodo contraxerint removemus et notam abolemus ipsius, inhibentes ne jamdicta Penestre cum monte suo rehedificetur vel muniatur aut civitatis nomen sive episcopatum recuperet absque nostra licentia speciali;

Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, processibus, inhibitionibus, decretis, privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta earum effectus possit quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Dat. Laterani, x kalendas januarii, anno primo. »

1136 Au Latran, 6 janvier 1304.

Nuntiat regi Trinacriæ se ad præsentiam ejus Cephaludensem electum destinasse, quasdam apostolicas litteras eidem regi deferentem. Ipsum rogat et obsecrat ut ea quæ sibi erga Romanam Ecclesiam incumbunt sollicite compleat. (n° 36, fol. 206 ; Potth., n° 25325.)

« *Carissimo in Christo filio Friderico, regi Trinacrie illustri.* Dilectum filium Jacobum de Narnia dictum Carda

rellum, electum Cephaludensem, ad presentiam tuam transmittimus quasdam apertas (similes illis quas dudum tibi per dilectum filium nobilem virum Corradum Aurie, admiratum tuum, transmisimus [1]) ad majorem cautelam et quasdam alias clausas litteras nec non formam secundum quam ea, que nuper fecit, promisit et juravit nobis et Romane Ecclesie nomine tuo dictus admiratus, debes habere rata, facere, promittere et jurare habenda nisi sic feceris pro infectis, juxta quandam protestationem eidem similiter electo traditam, celsitudini regie deferentem.

Attende igitur in hiis quanta te, fili carissime, sinceritate prosequimur, quomodo tecum via simplici ambulamus. Te enim per clausas litteras pii patris affectu monemus in secreto salubriter per transmissam formam eorum que facere debes ; benigne ne periculum aliquod incurras instruimus, et per predictas alias olim et nunc tibi directas tuo statui, ut ex earum lectione perpendere poteris, paterna sollicitudine providemus. Sic ergo comple que tibi eidem Ecclesie facienda incumbunt, quod quam ore fateris tua comprobetur devotio, et sincerus in filium pater sincerum erga se filium invenisse letetur. Dat. Laterani, VIII idus januarii, anno primo. »

1137 Au Latran, 25 décembre 1303.

Johanni de Cusignano, ostiario et familiari suo, quasdam domos, vineas, possessiones et alia bona, quæ in castro Montisflasconis habet Romana Ecclesia, sub certo annuo censu usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum concedit. (nº 37, fol. 206.)

« *Johanni de Cusignano, ostiario et familiari nostro.* Obsequiorum gratitudo, que nobis hactenus dum minor nos status haberet fideliter impendisti nec cessas impendere, promeretur ut personam tuam speciali gratia prosequamur.

Licet autem felicis recordationis B[onifatius] papa VIII^us, predecessor noster, domos et possessiones, vineas et alia bona, que quondam Galutius de Monteflascone dum viveret in castro Montisflasconis, Balneoregensis diocesis, et ejus territorio seu districtu [ex concessione Sedis Apostolice tenuit] [2], quondam Paci Aurifici de Senis et ejus heredibus sub certo annuo censu dicte Sedis camere persolvendo duxerit concedenda, idemque Pax ex concessione hujusmodi ea tenuerit donec vixit, nos tamen concessionem hujusmodi quo ad prefatos heredes certis ex causis rationalibus ad id nos inducentibus revocantes, domos, possessiones, vineas et alia bona predicta nec non et passagium, quod in dicto castro seu territorio ejus percipitur, ad Romanam Ecclesiam pertinentia, cum juribus et pertinentiis suis sub annuo censu quinquaginta sol[i]dorum usualis monete nostre camere solvendorum auctoritate apostolica tibi et heredibus tuis usque ad nostrum et dicte Sedis beneplacitum de gratia concedimus speciali.

Et ut de predictis ac possessione et proprietate ipsius Ecclesie in futurum memoria habeatur, volumus quod annis singulis infra quindenam Nativitatis Dominice predictum censum cum presentium ostensione persolvas camere memorate. Quod si facere forte contempseris omne jus, quod tibi ex hujusmodi nostra concessione debetur, extunc ad predictam Ecclesiam devolvatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VIII kalendas januarii, anno primo. »

1138 Au Latran, 25 décembre 1303.

Eidem molendinum de Vallerano situm in districtu castri Palliani, Civitatis Papalis diocesis, similiter concedit. (nº 38, fol. 206.)

« *Eidem.* Obsequiorum, etc., ut supra, usque : predecessor noster molendinum de Vallerano, districtus castri Palliani, Civitatis Papalis diocesis, quod Franciscus Martelutii de Anagnia miles ex concessione Sedis Apostolice tenuit, sibi et heredibus suis sub certo annuo censu dicte Sedis camere persolvendo duxerit concedendum, nos autem concessionem hujusmodi ex certis causis rationalibus ad id [nos] [1] inducentibus revocantes, molendinum predictum cum juribus et pertinentiis suis, sub annuo censu viginti solidorum usualis monete nostre camere solvendorum, auctoritate apostolica tibi et heredibus tuis etc., ut supra usque in finem. Dat. ut supra. »

1139 Au Latran, 28 décembre 1303.

Nicolao de Tervisio castellaniam castrorum de Paliano et de Serrono ac districtuum ipsorum, Civitatis Papalis diocesis, committit. — Castellaniam castri Peretæ ac districtus ipsius Petro de Mota de Tervisio committit. (nº 39, fol. 206 vº.)

« *Nicolao de Tervisio, domicello et familiari nostro, castellano de Paliano et de Serrono castrorum et districtuum ipsorum, Civitatis Papalis diocesis.* Considerata grata et accepta servitia, que nobis et Ecclesie Romane hactenus familiariter et fideliter impendisti et devotus jugiter exhibere non cessas, ac propterea volentes te speciali pro-

1. Nº 1112, col. 669. — 2. Cf. la pièce suivante.

1. Cf. la pièce précédente.

sequi gratia et favore, castellaniam sive rectoriam de Paliano et de Serrono castrorum et districtuum ipsorum, Civitatis Papalis diocesis, apostolica tibi auctoritate committimus gerendam et exercendam per te vel alium usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in castris et districtibus supradictis quicquid ad honorem dicte Ecclesie et statum prosperum hominum castrorum et districtuum predictorum noveris pertinere, contradictores quoque ac rebelles quotiens expedierit temporali districtione appellatione postposita compescendi, concedentes tibi plenariam potestatem.

Sic ergo castellaniam predictam [1] gerère studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde merito commendari valeas ac nostram et ejusdem Sedis gratiam uberius promereri. Dat. Laterani, v kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. universitati de Palliano et de Serrono castrorum ac districtuum ipsorum, Civitatis Papalis diocesis.

In e. m. Petro de Mota de Tervisio, familiari et domicello nostro, castellano castri Perete ac districtus ipsius.

In e. m. universitati castri Perete ac districtus ipsius.

1140 Au Latran, 1er janvier 1304.

Alberto de Cusignano castellaniam castri Egiptii ac districtus ipsius, Viterbiensis ac Tuscanensis diocesium, committit. (*Ibid.*)

« In e. m. Alberto de Cusignano, domicello et familiari nostro, castellano castri Egiptii ac districtus ipsius, Viterbiensis ac Tuscanensis diocesium. Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

In e. m. universitati castri Egiptii ac districtus ipsius.

1141 Au Latran, 1er janvier 1304.

Gerardo de Fodenovo castellaniam castri Orclæ et districtus ipsius, Viterbiensis diocesis, committit. (no 40, fol. 206 vo.)

« *Gerardo de Fodenovo, Lunensis diocesis, castellano castri Orcle et districtus ipsius, Viterbiensis diocesis.* De fide

1. Le ms. portait « castellaniam seu rectoriam predictam » comme un peu plus haut, au début de la pièce. Mais les deux mots *seu rectoriam* ont été rayés.

ac circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes tibique volentes gratiam facere specialem, castellaniam castri Orcle et districtus ipsius, Viterbiensis diocesis, apostolica tibi auctoritate committimus gerendam et exercendam usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis, etc., ut supra, mutatis mutandis, usque in finem. Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

In e. m. universitati castri Orcle [1] et districtus ipsius, Viterbiensis diocesis.

1142 Au Latran, 1er décembre 1303.

Jacobus Quirini constituitur rector in temporalibus Patrimonii b. Petri in Tuscia. (no 41, fol. 206 vo.)

« *Jacobo Quirini, rectori in temporalibus Patrimonii beati Petri in Tuscia.* Licet ad singulas orbis provincias, etc., ut supra capitulo XX°, mutatis mutandis, usque: ampliori.

Cupientes igitur quod in eodem Patrimonio servetur cultus justitie ac fidei puritas, devotionis integritas et pacis opulentia vigeant, ad personam tuam de cujus probitatis, etc., ut in eodem capitulo, mutatis mutandis, usque : non obstantibus aliquibus privilegiis, etc., usque in finem. Dat. Laterani, kalendis decembris, anno primo. »

In e. m. comitibus, baronibus, potestatibus seu rectoribus, etc., per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.

1143 Au Latran, 22 décembre 1303.

Henricus, plebanus plebis s. Stephani de Campis, Florentinæ diocesis, constituitur rector in spiritualibus Patrimonii b. Petri in Tuscia. (n° 42, fol. 206 v°.)

« *Henrico, plebano plebis sancti Stephani de Campis, Florentine diocesis, in spiritualibus Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori.* Cum in Patrimonio beati Petri in Tuscia de rectore in temporalibus duxerimus providendum, volentes etiam inibi de rectore in spiritualibus providere, ad hoc ut temporalis jurisdictio cum expedierit auxilio spiritualis jurisdictionis fulcita liberius et efficatius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrem et fidelem tua fama laudabilis tuaque merita representant, rectoriam in supradicto Patrimonio in spiritualibus in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dum-

1. Ms : « Orcli. » Cf. la pièce ci-dessus et aussi col. 431.

taxat et non alias presentium auctoritate committimus usque ad nostre et Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis, discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatinus rectoriam ipsam sic prudenter et fideliter exerceas sicque limites tibi datos observes, quod possis exinde merito commendari.

Nos enim sententias sive penas quas spiritualiter rite tuleris vel statueris in rebelles ratas, etc., usque : observari, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis apostolicis, cujuscumque tenoris existant, per que mandati nostri executio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Laterani, xi kalendas januarii, anno primo. »

In e. m. episcopis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis, exemptis et non exemptis, ac domus Militie Templi et Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani magistris et preceptoribus, universis quoque baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus et universitatibus et personis secularibus castrorum et aliorum locorum per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.

1144 Au Latran, 18 décembre 1303.

Johannes de Guarcino, canonicus Albanensis, constituitur rector in spiritualibus ducatus Spoletani. (*Ibid.*)

« In e. m. dilecto filio magistro Johanni de Guarcino, canonico Albanensi, in spiritualibus ducatus Spoletani rectori, mutatis mutandis. Sub dat. Laterani, xv kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et conventibus, etc., ut in al[ia] usque in finem. Dat. ut supra. »

1145 Au Latran, 5 janvier 1304.

Gabriel de Patientibus constituitur rector in spiritualibus Marchiæ Anconitanæ. (*Ibid.*)

« In e. m. Gabrieli de Patientibus clerico, legum doctori, Marchie Anconitane in spiritualibus rectori. Sub dat. Laterani, nonis januarii, anno primo. »

In e. m. episcopis, abbatibus, prioribus, etc., ut in al[ia], mutatis mutandis. Dat. ut supra.

1146 Au Latran, 20 décembre 1303.

Perolino de Turre Longa, militi Tervisino, regimen seu potestariam civitatis Viterbiensis committit. (nº 43, fol. 207.)

« *Nobili viro Perolino de Turre Longa, militi Tervisino, potestati civitatis Viterbiensis.* Cupientes ut civitas Viterbiensis, que ad Sedem Apostolicam pertinet, in prospero statu conservetur et salubriter auctore Domino dirigatur, tibi, de cujus probitate plenam fiduciam obtinemus, ejusdem civitatis regimen, quod ad nos spectare dinoscitur, pro uno anno incipiendo in kalendis januarii proximo futuris presentium auctoritate committimus per te prudenter et fideliter exercendum.

Quocirca nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad civitatem ipsam te congruo tempore personaliter conferens, predictum regimen et que ad illud pertinent in hiis, que ad honorem nostrum et Ecclesie Romane ac bonum et pacificum statum civitatis predicte spectaverint, sic prudenter et fideliter studeas exercere quod tue diligentie studium exinde commendare non immerito valeamus. Dat. Laterani, xiii kalendas januarii, anno primo. »

« In e. m. dilectis filiis consilio et comuni civitatis Viterbiensis. Cupientes, etc., ut supra v[erbis] com[petentibus] mu[tatis] usque : exercendum.

Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem nobilem ad dictum regimen pro dicto tempore liberaliter admittentes, sibi tanquam ejusdem civitatis potestati in hiis que ad suum spectant officium intendere ac obedire curetis. Volumus autem quod prefatus miles prestet publice corporaliter juramentum, quod dictum regimen ad honorem nostrum et Romane Ecclesie ac bonum et pacificum statum vestrum et civitatis predicte fideliter exercebit, quodque in eo exhibebit justitiam et per officiales suos faciet exhiberi, cui debitum officialium et familiarium numerum retinenti consuetum salarium de ipsius comunis obventionibus tribuatis. Dat. ut supra. »

1147 Au Latran, 14 janvier 1304.

Quædam Marchiæ Anconitanæ statuta, quæ Bonifatius VIII cardinalium irrequisito consensu edideral, totaliter suspendit. (nº 44, fol. 207; Potth., nº 25342; Theiner, *Codex diplom. domin. temp. S. Sedis*, t. I, nº dlxxvii.)

Suspenduntur statuta Marchie Anconitane edita per dominum Bo[nifatium] papam VIII [1].

1. Ces mots sont écrits en marge du ms. à l'encre rouge. Même particularité col. 296, nº 440.

« *Ad perpetuam rei memoriam.* In supreme dignitatis honore superna disponente clementia constituti, ad ea vigilanter intendimus et opem operamque sollicitam impertimur, que provintiarum et terrarum quarumlibet Romane matris Ecclesie ac habitantium in eisdem tranquillum statum et prosperum respicere dinoscuntur.

Sane felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, statuta quedam dum viveret in Marchie Anconitane provincia eidem Ecclesie immediate subjecta duxit auctoritate apostolica facienda. Nos autem statuta ipsa nobis exhibita solerter inspeximus et examinavimus diligenter; et quia eadem valde ardua fore noscuntur, quia etiam predecessor ipse de fratrum suorum consilio statuta non edidit supradicta, eadem comunicato fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica totaliter duximus suspendenda, decernentes exnunc irritum et inane si secus in hac parte scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Intendimus tamen super statutis eisdem deliberationem et examinationem diligentem habere cum nostris fratribus supradictis, et, quantum cum Deo sine lesione jurium ipsius Ecclesie Romane poterimus, paterne sollicitudinis studio prefate provincie Marchie et incolarum ipsius, prout saluti et tranquillo ipsorum statui expedire viderimus, providere.

Predictorum autem statutorum tenores presentibus inseri fecimus qui tales sunt :

« Bonifatius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Celestis Patrisfamilias, etc., ut in regesto noni anni domini Bo[nifatii] predicti capitulo CCIII° de verbo ad verbum usque in finem [1]. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre suspensionis, constitutionis et insertionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Dat. Laterani, XVIIII kalendas februarii, anno primo. »

1148 Au Latran, 7 janvier 1304.

Episcopo Zagabriensi mandat ut præposituram Albensis ecclesiæ, Vesprimiensis diocesis, alicui personæ idoneæ de regno Ungariæ oriundæ conferat et assignet. (n° 45, fol. 207 ; Potth., n° 25336.)

« *Venerabili fratri Augustino, episcopo Zagabriensi.* Ad statum Ecclesie — Dat. Laterani, VII idus januarii, anno primo. »

1. Arch. Vatic. *Reg.* 50 (Boniface VIII), fol. 359, n° 203 : « Dat. Anagnie, VIII idus septembris, anno nono ». La pièce est publiée dans Theiner, *Codex diplomat. dom. temp. S. Sedis.* t. I, p. 391, n° DLXXI.

1149 Au Latran, 13 janvier 1304.

Feltrensi ac Bellunensi episcopo mandat, moneat et inducat priorem et fratres domus Heremitarum de Tervisio ut quendam hortum monialibus monasterii s. Pauli civitatis ejusdem vendant pro pretio competenti et inter domum ac monasterium prædicta clausuram ædificent. (n° 46, fol. 207.)

« *Venerabili fratri .. Bellunensi et Feltrensi episcopo.* Sicut accepimus inter domum Heremitarum, ordinis sancti Augustini, et monasterium monialium sancti Pauli de Tervisio, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventium, quidam ortus est situs qui fuit a quodam cive Tervisino ad quem spectabat prefatis Heremitis in sua ultima voluntate relictus, et inter locum dictarum monialium et dictorum Heremitarum clausuram, in qua viridarium quoddam habetur, idem ortus medius existebat : sed .. prior et fratres dicte domus prefatum viridarium ampliantes, eidem clausure sue predictum ortum, amoto medio per quod separabatur idem ortus ab ipso viridario, addiderunt, sicque per hoc loca predictorum Heremitarum et monialium contigua sunt effecta, cum inter locum ipsarum monialium et prefatum viridarium taliter ampliatum nullum existat medium nisi quedam paries sive sepis.

Nos igitur attendentes quod, tam ipsorum prioris et fratrum quam prefati monasterii honestate pensata, decentius et salubrius esse dinoscitur quod ortus ipse ad monasterium prefatum deveniat, quam quod penes priorem et fratres taliter remaneat supradictos, ac volentes quod dictus ortus inter utriusque loci clausuras medius remaneat sicut prius, et in eo moniales ipse edificare valeant prout sibi viderint oportunum, non tamen ibidem habitare vel etiam conversari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos priorem et fratres ex parte nostra monere procures, ut ortum prefatum cum juribus et pertinentiis suis dilectis in Christo filiabus .. priorisse et conventui predicti monasterii vendant pretio competenti, et taliter viridarium ipsum a parte orti claudant ejusdem, quod de uno ad alterum exinde accessus haberi non possit, sed eadem ortus et viridarium ut antea remaneant separata, et nichilominus eos ad hec si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam postposita appellatione compellas, non obstante si eisdem priori et fratribus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi, aut interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, idibus januarii, anno primo »

1150 Au Latran, 17 décembre 1303.

Reservatur Sedis Apostolicæ dispositioni provisio Tridentinæ ecclesiæ. (n° 47, fol. 207 v°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum ecclesia Tridentina per translationem nunc factam per nos de venerabili fratre nostro Philippo Mantuano, tunc Tridentino episcopo, ad Mantuanam ecclesiam tunc vacantem pastore vacet ad presens, nos cupientes ut eidem Tridentine ecclesie, quam benivolentia paterna prosequimur, per Apostolice Sedis providentiam pastor preficiatur ydoneus, qui sciat et possit illi preesse salubriter et prodesse, provisionem ipsius ecclesie Tridentine hac vice dispositioni et ordinationi nostre ac Sedis ejusdem auctoritate apostolica reservamus, decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre reservationis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, XVI kalendas januarii, anno primo. »

1151 Au Latran, 16 janvier 1304.

Lantæ Agolantis et ejus sociis de societate Amannatorum de Pistorio mandat, ut aliquos ex ipsis ad Apostolicam Sedem transmittant, cum quibus de reformatione status societatis prædictæ ac indemnitate creditorum ipsius tractari possit. (n° 48, fol. 207 v°.)

« *Lante Agolantis et ejus sociis, civibus et mercatoribus de societate Amannatorum de Pistorio.* Ad audientiam nostram plurimorum tam Romanam sequentium curiam quam aliorum de vobis conquerentium insinuatio clamosa perduxit, quod illi de societate vestra, qui tunc in curia morabantur predicta, latenter de eadem curia recedentes multas pecuniarum summas, quas iidem conquerentes fiducialiter deposuerant penes eos, secum exinde nequiter asportarunt, ex quo conquerentes predicti dampna non modica vosque status ac fame dispendium incurristis.

Nos igitur, ipsorum conquerentium clamoribus excitati, tam ipsis quam vobis in hac parte de salutari remedio providere cupientes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus aliquos ex vobis, quos ad hec ydoneos esse videritis, ad nostram presentiam transmittatis, ut cum illis tractare possimus que ad reformationem status societatis jamdicte ac indempnitatem conquerentium predictorum videbimus utiliter pertinere. Nos enim omnibus, quos propterea duxeritis destinandos, in veniendo, stando et redeundo usque ad quatuor menses a data presentium inchoandos securitatem in personis et rebus plenariam impertimur. Dat. Laterani, XVII kalendas februarii, anno primo. »

1152 Au Latran, 15 janvier 1304.

Citetur Capuanus archiepiscopus, olim collector decimæ per Bonifatium papam VIII in regno Siciliæ impositæ, ad comparendum coram Apostolica Sede, rationem super negotio collectionis hujusmodi plenarie redditurus. (n° 49, fol. 207 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Aversano.* Cum venerabilis frater noster Johannes, archiepiscopus Capuanus, olim collector decime per felicis recordationis B[onifatium] papam VIII predecessorem nostrum imposite, pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes, in dicto regno tam citra quam ultra Farum per predecessorem deputatus eundem, nuper de mandato nostro ab hujusmodi collectionis sit officio absolutus, nos ab eo rationem administrationis hujusmodi officii sibi commissi pro eo tempore quod illud exercuit exigere intendentes, ac propter alias certas causas presentiam habere volentes ipsius, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel alium seu alios eundem archiepiscopum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi cum libris et scripturis omnibus hujusmodi negotium decime contingentibus compareat personaliter coram nobis, rationem super eodem negotio decime redditurus ac alias nostris beneplacitis et mandatis plenarie pariturus. Diem vero hujusmodi citationis et formam, etc. Dat. Laterani, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

1153 Au Latran, 8 janvier 1304.

Moneatur Uticensis episcopus ut sententias, quas in priorem et fratres ordinis Prædicatorum de Genoliacho promulgavit, provide revocet per se ipsum, nullam deinceps eisdem fratribus super eorum loco de Genoliacho molestiam illaturus. (n° 50, fol. 207 v°.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Magalonensi.* Significarunt nobis .. prior et fratres Predicatorum de Genoliacho, quod nobilis vir Guillelmus de Randone, dominus Luti et Pratellarum, Mimatensis et Vivariensis diocesium, a felicis recordationis B[onifatio] papa VIII, predecessore nostro, licentiam impetravit quod in villa sua de Genoliacho, Uticensis diocesis, posset edificare oratorium cum officinis et domibus oportunis pro habitatione fratrum dicti ordinis sine juris prejudicio alieni, quod[que] iidem fratres in eis priusquam essent edificata libere habitare valerent, constitutione aliqua contraria non

obstante. Cumque iidem fratres in hujusmodi oratorio, domibus, et officinis per eundem nobilem inchoatis habitare cepissent, venerabilis frater noster .. episcopus Uticensis asserens quod eadem villa de Genoliacho non erat ejusdem nobilis sed eam habebat in feudum ab episcopo memorato, et quod oratorium, domus et officine predicta nondum completa erant, quodque ex hujusmodi habitatione dictorum fratrum prejudicium ecclesie parrochiali fiebat, propter quod omnino dicebat eosdem fratres non posse inibi remanere, tam in fratres eosdem inibi habitantes et fautores eorum, quam in eos qui illuc accederent pro divinis officiis audiendis diversas excommunicationum sententias promulgavit.

Nos autem causas hujusmodi, quas idem pretendit episcopus contra fratres eosdem, frivolas reputantes, ac volentes quod iidem fratres in oratorio, domibus et officinis libere remaneant supradictis, quamvis nondum hujusmodi edificia sint completa, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem episcopum ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut hujusmodi sententias sine difficultate qualibet revocet per se ipsum, nullam ipsis fratribus quominus opus hujusmodi consumari dictique fratres exnunc habitare inibi libere possint molestiam illaturus. Quod si idem episcopus hoc adimplere forte neglexerit, tu sententias ipsas auctoritate nostra non differas relaxare dictumque episcopum quod ab hujusmodi injuriis et gravaminibus conquiescat, nisi contra fratres eosdem aliud rationabile forsitan allegaret, eadem auctoritate appellatione remota compellas, non obstantibus causis predictis, aut si eidem episcopo a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possit [1] per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, VI idus januarii, anno primo. »

1154 Au Latran, 4 novembre 1303.

Grimerius de Lacrocta jurisperitus constituitur judex ac auditor generalis appellationum, quas de terra Ecclesiæ super sententiis et processibus causarum criminalium ad Sedem Apostolicam deferri contigerit. (n° 51, fol. 208; THEINER, *Codex diplom. domin. temp. S. Sedis,* t. I, n° DLXXII.)

« *Grimerio de Lacrocta jurisperito*. Inter multiplices curas et sollicitudines, que pro temporis qualitate animo nostro se ingerunt, non modicam reputamus qua provocantibus de terra Ecclesie ad Sedem Apostolicam in singulis casibus, ut justitiam invenire valeant, providetur.

1. Ms : « possint. »

Cum itaque nonnunquam contingat a rectoribus, qui sunt per Sedem Apostolicam deputati ad regimen terrarum que Romane Ecclesie quoad spiritualia et temporalia sunt subjecte, nec non et aliis rectoribus locorum singularium ipsarum terrarum super sententiis et processibus causarum criminalium ad Sedem appellari eandem, et appellationes hujusmodi propter defectum judicis plus debito prorogari, propter quod plerumque crimina remanent impunita et oppressorum innocentia interdum longioribus afficitur laboribus et expensis, nos volentes super hoc de oportuno remedio providere, te jurisperitum, de cujus fidei puritate et devotionis constantia plenam in Deo fiduciam obtinemus, super hujusmodi appellationibus apud Sedem Apostolicam audiendis et fine debito terminandis auditorem et judicem usque ad nostrum beneplacitum constituimus generalem, tibi per apostolica scripta mandantes quatinus in hiis habens preoculis solum Deum sic fideliter et diligenter injunctum ministerium exequaris, ut in die districti examinis dignam inde Deo valeas reddere rationem et nostram et Apostolice Sedis gratiam promereri. Dat. Laterani, II nonas novembris, anno primo. »

1155 Au Latran, 11 février 1304.

Magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi, capellano suo, quem olim Bonifatius VIII ad Boemiæ et Ungariæ regna, ducatum Poloniæ et marchionatum Moraviæ destinaverat pro quibusdam decima, legatis, obventionibue et aliis censibus in partibus eisdem nomine Romanæ Ecclesiæ colligendis, Benedictus XI mandat ut ad partes illas iterum se conferens, in hujusmodi negotiis sicut antea procedat juxta formam sibi traditam ab eodem Bonifatio. (n° 52, fol. 208, POTTH., n° 25364.)

« *Magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi, capellano et nuntio nostro*. Olim pie memorie Gregorius papa X, predecessor noster, ad negotium Terre Sancte zelo fervens ardenti et efficaci studio ejus affectum aperiens, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in predicte Terre subsidium duxit per certi temporis spatium in Lugdunensi Concilio concedendam. Ad hujusmodi autem decimam colligendam in Alamanie, Ungarie et Boemie regnis ac in ducatu Polonie, marchionatuque Moravie tam per ipsum predecessorem, quam post ejus obitum diversis temporibus per Apostolicam Sedem certi sub districtis modis et locis per diversas apostolicas litteras deputati fuerunt hactenus collectores.

Verum quia ipsius collectio decime in predictis regnis, ducatu et marchionatu per aliquos collectorum predictorum in parte et per nonnullos in totum dicebatur esse

neglecta, felicis recordationis Bo[nifati]us papa VIII^us, predecessor noster, desiderans quod decime predicte negotium processu dirigeretur provido et felicem consequeretur effectum, de tue quoque probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinens, te in ministerio collectionis ipsius decime in Ungarie et Boemie regnis, ducatu et marchionatu predictis omnibus hujusmodi collectoribus, in illis partibus per eundem predecessorem Gregorium et Sedem predictam ut predicitur deputatis, et eorum cuilibet auctoritate apostolica subrogavit et constituit ipsius decime collectorem, juxta tenorem litterarum apostolicarum dudum directarum eisdem et eorum cuilibet super hujusmodi negotio decime processurum, prefatos collectores et quemlibet eorum, post redditam tibi ab eis debitam et plenariam rationem, absolvens a commisso ipsis prius officio in hac parte, tibi inquirendi et procedendi super ipso negotio et contingentibus illud generaliter et specialiter, prout facti qualitas suaderet et tibi expediens videretur, concessa plenaria potestate, ac tam super hiis quam super colligendo et exigendo in eisdem commissis tibi regnis, ducatu et marchionatu, legata et obventiones quomodocumque predicte Terre subsidio deputata, nec non super colligendo et exigendo in eodem ducatu Polonie redditum seu censum Romane Ecclesie debitum qui vocatur denarius sancti Petri, ac super securo conductu tibi prestando et pluribus aliis articulis qui in ipsius predecessoris B[onifatii] litteris exprimuntur, [potestatem eandem] per suas diversas sub certis tenoribus litteras concedendo.

Tu vero juxta ejusdem B[onifatii] predecessoris mandatum ad partes illas te conferens, hujusmodi commissa tibi ministeria juxta traditam tibi formam sic exercuisti, eodem predecessore vivente, sollicite, fideliter et prudenter quod nos circumspectionem tuam ac puritatem fidei in hac parte in Domino commendamus.

Cum autem tu, eodem B[onifatio] predecessore viam universe carnis ingresso nobisque licet immeritis ad officium summi Apostolatus assumptis, ad presentiam nostram accesseris, nos attendentes devotionis tue constantiam, fidei puritatem et circumspectionis industriam firmiterque sperantes quod, cum dicta ministeria laudabiliter gesseris hactenus, illa in antea laudabilius exequeris, dicta ministeria exercenda per te vel alium seu alios in eisdem regnis, ducatu et marchionatu usque ad ejusdem Sedis beneplacitum voluntatis, juxta predictarum ejusdem B[onifatii] predecessoris continentiam litterarum, denuo sollicitudini tue apostolica auctoritate committimus, omnesque predictas ejusdem B[onifatii] predecessoris litteras et processus per eas habitos in sua volumus et decernimus persistere firmitate.

Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad partes illas iterum rediens, in hujusmodi negotiis diligentia vigili et sollicitudine diligenti procedas juxta formam tibi traditam ab eodem predecessore tam sollicite quam prudenter, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, ab eodem G[regorio] vel quibuscumque aliis predecessoribus nostris Romanis pontificibus super declaratione ipsius decime vel alias quomodocumque quibusvis personis in quacumque forma directis, per que concessa tibi in hac parte inquirendi et alias procedendi potestas possit quomodolibet impediri, in premissis te taliter habiturus quod, cum ex tuis laboribus fructus sperati provenerint, tu exinde apud Deum, negotium cujus prosequeris, premium retributionis eterne ac apud nos et Sedem eandem benedictionem, favorem et gratiam consequaris. Dat. Laterani, III idus februarii, anno primo. »

1156 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem nuntio licentiam concedit relaxandi sententias excommunicationis, quas nonnulli clerici et laici supradictarum partium pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas incurrisse dicuntur. (nº 53, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te ad Boemie et Ungarie regna, ducatum Polonie et marchionatum Moravie pro negotiis tam decime olim Terre Sancte subsidio in Lugdunensi Concilio deputate, quam census qui dicitur denarius sancti Petri in eodem ducatu, et aliorum censuum et reddituum in regnis, ducatu et marchionatu predictis Romane Ecclesie debitorum specialiter destinemus, et nonnulli sicut accepimus clerici et laici earumdem partium pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas sententiam excommunicationis incurrerint, nos volentes ut incole ac habitatores ipsarum partium tibi decretarum aliquod ex officio tibi commisso commodum consequantur, absolvendi hac vice juxta formam Ecclesie excommunicatos hujusmodi, nisi forsan adeo enormis esset excessus propter quem foret Sedes Apostolica consulenda, dummodo injuriam passis satisfaciant competenter, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1157 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem, ut possit dare quitationem nomine Romanæ Ecclesiæ de pecuniarum quantitatibus quas receperit. (nº 54, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, nos nolentes ut hii, qui ad solutionem tenentur decime et censuum predictorum, occasionem possint pretendere non solvendi, faciendi nostro et Ecclesie Romane nomine omnibus et singulis tibi vel alii seu aliis de tuo mandato solventibus finem et quietationem de quantitatibus, quas de decima vel censibus solverint supradictis, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1158 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem, ut absolvere valeat a reatu perjurii omnes illos, qui circa prosecutionem negotiorum prædictorum requisiti de veritate dicenda veritatem supprimere vel exprimere falsitatem præsumpserint. (nº 55, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, quia nonnulli in regnis, ducatu et marchionatu predictis contra juramentum ab eis [prestitum] circa prosecutionem negotiorum tibi in eisdem partibus commissorum veritatem interdum supprimunt vel exprimunt falsitatem, nos ne diu in tante dampnationis dispendio jaceant de salubri eis remedio provideri volentes, tibi absolvendi tales post dignam satisfactionem a reatu perjurii, quod propterea incurrerunt hactenus vel eos incurrere contigerit in futurum, nec non tollendi inhabilitatis et omnem aliam maculam quam hujusmodi occasione contraxerint, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1159 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem, ut sibi liceat in jamdictis negotiis procedere etiam extra regna, ducatum et marchionatum prædicta ac si existeret in eisdem. (nº 56, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, quia te contingit aliquando certis ex causis regna, ducatum, marchionatum predicta exire vel ad ea comode te conferre non posse, nos nolentes quod propter hoc eadem negotia que cordi nobis existunt impedimentum vel prorogationem recipiant, sed quod tu illa tanto efficatius prosequaris, quanto circa hoc a nobis majori fueris auctoritate munitus, procedendi in hiis omnibus juxta litterarum tibi super hoc directarum formam etiam extra regna, ducatum et marchionatum predicta ac si existeres in eisdem, ac faciendi eos qui sententias per te latas incurrerint, tam intra quam extra tibi decretas provincias, quando, ubi et per quos expedire putaveris excommunicatos publice nuntiari, et contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1160 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem, ut omnes illos, qui prosecutionem prædicti negotii impedire præsumpserint, incurrisse denuntiet sententiam in Lugdunensi Concilio promulgatam. (nº 57, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te ad Boemie et Ungarie regna, ducatum Polonie et marchionatum Moravie pro negotio decime olim Terre Sancte subsidio in Lugdunensi Concilio deputate specialiter destinemus, ac illi qui negotium predictum impediunt excommunicationis incurrant sententiam in eodem Concilio promulgatam, nos volentes ut eorum temeritas qui te circa negotii prosecutionem impedire presumpserint compescatur, discretioni tue decernendi et declarandi ac interpretandi hujusmodi tuos impeditores, quotiens et quando tibi visum fuerit, sine strepitu et figura judicii, ac summarie de plano et per indaginem non solennem, quicumque et cujuscumque conditionis fuerint aut status, eandem sententiam incidisse, ac faciendi eos usque ad satisfactionem condignam tam intra quam extra decretas tibi provincias appellatione remota excommunicatos publice nuntiari, sive in eisdem regnis, ducatu et marchionatu, sive extra illa te esse contingat, liberam et plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1161 Au Latran, 11 février 1304.

Eidem mandat ut, cum alii census in jamdictis partibus Romanæ Ecclesiæ debeantur, eos quoque petere ac colligere diligenter procuret. (nº 58, fol. 208 vº.)

« *Eidem.* Cum te ad Boemie et Ungarie regna, ducatum Polonie marchionatumque Moravie pro negotiis decime olim Terre Sancte subsidio in Lugdunensi Concilio deputate et census debiti in eodem ducatu Romane Ecclesie, qui dicitur denarius sancti Petri, specialiter destinemus, quia in regnis, ducatu et marchionatu predictis etiam alii census Ecclesie predicte debentur, nos de tue legalitatis et circumspectionis industria confidentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus nostro et ejusdem Ecclesie nomine in ipsis regnis, ducatu et marchionatu omnem censum ab omnibus et singulis personis et locis tam ecclesiasticis quam secularibus, cujuscumque fuerint dignitatis, ordinis, [pre]eminentie sive status, a quibus census hujusmodi debeatur, petas

exigas, colligas et recipias, inquirendo etiam ex officio super hiis, sicut expedire videris, et contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; super quibus omnibus plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem; non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. ut supra. »

1162 Au Latran, 11 février 1304.

Personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus nec non universis fidelibus per partes easdem constitutis mandat, ut magistro Bonajuto de Casentino et ejus familiæ favorem et auxilium exhibeant. (nº 59, fol. 208 vº.)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac personis ecclesiasticis, religiosis, secularibus ecclesiarum et monasteriorum, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi, beate Marie Theotonicorum et Calatravensis, nec non principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus ceterisque nobilibus, potestatibus quoque, capitaneis seu rectoribus, ballivis, consiliis, populis, comunibus, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et locorum, ac aliis universis et singulis ad quos littere iste pervenerint salutem, etc. Cum dilectum filium magistrum Bonajutum de Casentino, canonicum Aquilegensem, capellanum et nuntium nostrum, latorem presentium, ad Boemie et Ungarie regna ac ducatum Polonie et marchionatum Moravie pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eidem nuntio et ejus familie, cum per partes vestras transitum fecerint, nullam in personis vel rebus suis injuriam vel molestiam inferatis, quinimo de securo conductu, cum opus fuerit et ad vos idem nuntius duxerit recurrendum, in eundo, morando et redeundo sic liberaliter provideatis eisdem, quod nos, studiis devotionis vestre perceptis, id merito reputemus acceptum vosque possitis exinde merito commendari. Dat. ut supra. »

1163 Au Latran, 9 janvier 1304.

Roberto, tituli s. Pudentianæ presbytero cardinali, committit curam in temporalibus et spiritualibus monasterii s. Andree de Fractis de Urbe, ordinis s. Augustini. (nº 60, fol. 209.)

« *Roberto tituli sancte Pudentiane presbytero cardinali.* Personas otio sancte contemplationis vacantes in locis dedicatis superne majestatis obsequiis, presertim illas quarum conditio ex fragilitate sexus redditur imbecillis, libenter speciali favore prosequimur et oportunam ipsis gratiam in suis oportunitatibus impertimur.

Sane presentata nobis dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii sancti Andree de Fractis de Urbe, ordinis sancti Augustini, petitio continebat quod inter cetera salubria et honesta ipsarum et ejusdem monasterii statum continentia salutarem, que bone memorie R[obertus], patriarcha Jerosolimitanus, auctoritate apostolica ordinarat, illud erat precipuum quod unus de cardinalibus Ecclesie Romane deputaretur a Sede Apostolica ad curam et protectionem monasterii memorati, quodque postmodum pie memorie Innocentius papa V^us^, predecessor noster, quod factum fuerat super hoc per eundem patriarcham per suas litteras confirmavit. Quare dicte abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut juxta tenorem ordinationis ejusdem ad curam et protectionem hujusmodi aliquem deputare de predictis cardinalibus dignaremur.

Nos igitur, earumdem abbatisse et conventus devotis in hac parte supplicationibus inclinati ac de probitatis tue meritis plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue curam predicti monasterii sancti Andree in spiritualibus et temporalibus presentium auctoritate committimus, per apostolica nichilominus scripta mandantes, ut onus commissionis hujusmodi suscipiens reverenter, in eodem monasterio per te vel per alium seu alios officium visitationis, correctionis, et reformationis impendas ac statuas et ordines in eodem, et eisdem abbatisse ac conventui provideas de confessoribus providis et discretis, prout animarum suarum saluti et honestati prefati monasterii cognoveris expedire, contradictores, etc., invocato ad hoc si opus extiterit auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, v idus januarii, anno primo. »

1164 Au Latran, 11 février 1304.

Magistro Bonajuto de Casentino, nuntio suo, concedit ut duabus personis quas ad hoc invenerit idoneas tabellionatus officium conferat. (nº 61, fol. 209.)

« *Magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi,*

capellano et nuntio nostro. Cum te ad Boemie — Dat. Laterani, III idus februarii, anno primo. »

1165 Au Latran, 5 décembre 1303.

Ordinationem, quam ipse tunc episcopus Ostiensis et Gentilis tituli s. Martini in Montibus presbyter cardinalis de mandato Bonifatii papæ VIII super cœnobiorum fratrum Prædicatorum Minorumque ordinum distantia sanxerant, auctoritate apostolica confirmat. (n° 62, fol. 209; Potth., n° 25334.) [1]

« *Dilectis filiis .. prioribus provincialibus ceterisque fratribus Predicatorum ac .. generali et provincialibus ministris ceterisque fratribus Minorum ordinum.* Licet ea que de mandato Sedis Apostolice fiunt plenam obtineant roboris firmitatem, nos tamen illis aliquando apostolice confirmationis robur adicimus, ut magis illibata persistant cum nostro fuerint presidio communita.

Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod olim inter vos Predicatorum ex parte una, vosque Minorum ordinum fratres ex altera, super nonnullis locis et cannarum distantiis questionibus, litibus et discordiis pluribus in diversis mundi partibus, non absque gravi fidelium scandalo, insurgentibus, quarum alique coram nonnullis Romane Ecclesie cardinalibus aliisque judicibus, conservatoribus, [delegatis] eorumque subdelegatis pendebant et in earum aliquibus nonnulli habiti erant processus lateque sententie et appellationes hinc inde etiam interjecte, felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, bone memorie M[attheo], episcopo Portuensi, nobisque tunc tituli sancte Sabine presbytero cardinali omnes lites et causas hujusmodi tunc exortas et que possent inter vos occasione hujusmodi exoriri judicio vel compositione amicabili decidendas commisit oraculo vive vocis.

Nosque ac idem episcopus in hiis auctoritate commissionis hujusmodi procedentes, per viam amicabilis compositionis statuendum duximus et etiam ordinandum, ut hiis in causis et negotiis, que inter vos nondum decisa vel definita essent per amicabilem compositionem vel judicialem sententiam que in rem transisset judicatam, quibuscumque privilegiis de cannis a Sede memorata vobis concessis et quibusvis aliis sententiis latis, processibus super hoc habitis, aut appellationibus interjectis nequaquam obstantibus, utraque pars ecclesias et loca vestra, sicut ea primo tenebatis et inhabitabatis, sic teneatis in antea et habitetis libere in eisdem.

Verum quia hujusmodi statutum et ordinatio propter varias occupationes ac propter absentiam dicti episcopi, se de mandato predecessoris ipsius ad partes alias transferentis, non fuerunt effectum sortita, idem predecessor postmodum nobis tunc episcopo Ostiensi ac dilecto filio nostro G[entili], tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, omnes lites, causas et negotia hujusmodi commisit modo simili decernenda.

Nosque ac idem cardinalis statutum seu ordinationem predicta mandavimus perpetuis futuris temporibus observari; ac nichilominus de voluntate procuratorum utriusque partis ordinavimus atque statuimus, quod, si aliqui ex vobis ecclesias vel oratoria sua extunc ampliare vel construere vellent, hoc eis quoad omnem plagam liceat, illa [parte] dumtaxat excepta que respicit locum ordinis alterius, versus quam constructio vel ampliatio nulla fiat, nisi forsan ultra duodecim cannarum spatium ab eorum ecclesiis mensurandarum per aera etiam ubi alias secundum locorum dispositionem et edificiorum regularium [legem] construi vel edificari non posset, sed sicut stabatis antea, privilegiis et de cannarum spatiis vel quibusvis processibus nequaquam obstantibus, ita ubilibet persisteretis. Per hoc autem noluimus impedire quin vobis invicem de cannarum spatiis, si velletis, gratiam possetis facere ampliorem, prout in patentibus litteris inde confectis, nostro quo tunc utebamur et dicti cardinalis sigillis munitis, hec omnia continentur.

Statuta et ordinationes hujusmodi provide ac rite facta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem dictarum litterarum presentibus inseri facientes, qui talis est :

Anagni, 28 juillet 1300.

« Miseratione divina frater Nicolaus Ostiensis et Velletrensis episcopus et frater Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis universis judicibus, conservatoribus, delegatis et subdelegatis ab eis a Sede Apostolica deputatis seu in antea deputandis salutem in Domino sempiternam. Celestis Agricole mira benignitas sacros Predicatorum et Minorum fratrum ordines pro salute fidelium in orto plantavit Ecclesie, qui velut agri virtutum fructiferi superni roris benedictione perfusi dono Domini cultores habent industrios, viros beate vite producunt ac eis in Ecclesia universali ad Domini nominis laudem et gloriam fideliumque salutem fructus succrescunt uberes et salubres. Propterea nos ad eorum quantum cum Deo possumus intendentes augmentum, efficax studium libenter impendimus et diligentem sollicitudinem adhibemus, ut iidem ordines sopitis discordiis in sincere dilectionis

1. Potthast, 5 janvier 1304.

» fervore persistant et in gratia perseverent solide caritatis.

» Sane quia ex eo quod inter hujusmodi fratres Predicatorum et Minorum ordinum, quos omnimodam decet » sanctitatem et pacem, in diversis mundi provinciis super ipsorum ordinum locis et cannarum distantiis coram nonnullis Ecclesie Romane cardinalibus et aliis » etiam diversis judicibus, conservatoribus, delegatis et » subdelegatis ab eis, non absque fidelium gravi scandalo plurimorum, questiones insurgebant varie et nonnulli super illis habiti processus lateque sententie ac » etiam hinc inde appellationes erant ad Sedem Apostolicam interjecte, ipsorum fratrum fame laudabili derogari quam plurimum videbatur, sanctissimus pater et » dominus noster dominus Bonifatius papa VIII[us], velut » pius pater et pacis amator, cupiens ut inter fratres ipsorum ordinum ad invicem pax et concordia jugiter » vigeat, regnet amor, caritas ferveat et animorum identitas perseveret, venerabili patri fratri Mattheo, Portuensi et sancte Rufine episcopo, ac nobis fratri Nicolao predicto, tunc temporis tituli sancte Sabine presbytero cardinali, omnes causas, lites, controversias et » questiones hujusmodi que ad invicem inter fratres ipsorum ordinum vertebantur seu verti usque nunc poterant et oriri, anno pontificatus sui quinto, kalendis » augusti, decidendas judicio seu amicabili compositione » terminandas commisit oraculo vive vocis, et hujusmodi » commissione reverenter recepta, super hiis causis et » negotiis, que nondum decisa seu definita judiciali sententia dinoscebantur a qua appellatum non fuerat, et » ubi alias negotium non dinoscebatur amicabili fuisse » compositione sopitum, auctoritate commissionis hujusmodi diligenti collatione prehabita processimus et statuimus per viam compositionis amicabilis et ordinavimus, quod dicti fratres Predicatorum et Minorum ordinum, ubicumque videlicet sicut premittitur negotium » fuisse decisum non dinoscebatur, ita quod jam in rem » transivisse judicatam dinosceretur, sicuti tenebant et » inhabitabant ecclesias, monasteria et loca quelibet ante » tempus questionum ac processuum, appellationum et » commissionum hujusmodi, sic et in antea in perpetuum » libere teneant, stent, inhabitent celebrentque divina, » quibuscumque privilegiis de centum quadraginta cannis » fratribus ordinum predictorum sive de trecentis cannis » certis locis ordinum eorumdem a Sede memorata concessis, et quibusvis processibus citra diffinitivas sententias nulla appellatione suspensas et que jam in rem » transivisse judicatam dinoscebantur, et appellationibus » et hinc inde propositis et probatis et aliis premissorum » occasione secutis nequaquam obstantibus, ac si ea lata, » habita, interposita et proposita et approbata a principio » non fuissent.

» Verum quia id, sicut premittitur, super premissis et » singulis statutum et ordinatum fuerat auctoritate predicta, propter varias occupationes nec non et absentiam » predicti patris Portuensis et sancte Rufine episcopi, » quem idem dominus noster papa Bo[nifatius] VIII[us] » extra Romanam curiam ex certis causis legatum Sedis » Apostolice duxit postmodum destinandum, remanserat » incompletum, tandem prefatus dominus noster papa » Bo[nifatius] quieti et paci fratrum ipsorum ordinum » volens paterna sollicitudine providere, nobis fratri Nicolao Ostiensi et Velletrensi episcopo et fratri Gentili » tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali » predictis, ipso Portuensi episcopo in legatione hujusmodi absente, mox omnes causas, lites, questiones, » controversias et negotia hujusmodi eadem auctoritate » oraculo vive vocis commisit modo simili terminanda.

» Qui hujusmodi commissione reverenter recepta, super premissis causis et negotiis omnibus auctoritate » commissionis prefate processimus, eaque modo quo » supra narratur prius ordinatum fuisse amicabili compositione terminavimus et terminabamus, et supradictam ordinationem sive compositionem et terminationem » et compositionis ejusdem sive ordinationis et terminationis modum et formam ratam habentes et approbantes, eam innovavimus et etiam innovamus, et adherentes eidem a fratribus ipsorum ordinum, propter » bonum pacis quod exinde utrique ordini provenire » conspeximus, per omnia teneri et observari perpetuo » eadem auctoritate statuimus et ordinavimus atque decrevimus omni impedimento cessante.

» Statuimus insuper et ordinavimus auctoritate qua » supra et de voluntate procuratorum ordinum predictorum quod, si forte aliqui ex fratribus antedictis ecclesias vel ipsorum oratoria extunc ampliare vel construere voluerint, quod hoc eis quoad omnem plagam » liceat, excepta illa parte que directe respicit locum alterius ordinis eorumdem fratrum, versus quam partem » constructio vel ampliatio oratorii vel ecclesie nulla fiat, » nisi forsan per duodecim cannarum spatium ubi alias » secundum locorum dispositionem et edificiorum regularium legem construi vel edificari non posset, sed sicut stabant ante tempus processuum et appellationum » ac commissionum hujusmodi, privilegiis de cannarum » spatiis et quibusvis processibus nequaquam obstantibus, ita stabunt ubilibet fratres ordinum predictorum. » Per hoc tamen non intendimus impedire quin fratres » ipsi sibi ad invicem de cannarum spatiis si voluerint » gratiam facere valeant ampliorem.

» In cujus rei testimonium presentes litteras fecimus » sigillorum nostrorum appensione muniri. Dat. Anagnie, » anno Domini M°CCC°, die xxviii mensis julii, ponti- » ficatus dicti domini Bonifatii pape octavi anno vi°. »

Nulli ergo, etc., nostre confirmationis, etc. Dat. Laterani, nonis decembris, anno primo. »

1166 Au Latran, 5 décembre 1303.

De eodem. Archiepiscopo Burdegalensi mandat ut suprascriptam ordinationem firmiter faciat observari. (n° 63, fol. 210.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Burdegalensi.* Petitio dilectorum filiorum .. priorum provincialium ceterorumque fratrum Predicatorum ac .. generalis et provincialium ministrorum ceterorumque fratrum Minorum ordinum nobis exhibita continebat, quod olim inter eos super nonnullis locis eorum et cannarum distantiis questionibus, litibus et discordiis pluribus in diversis mundi partibus, etc., ut in proxima superiori, verbis competentibus mutatis, usque : hec omnia seriosius continentur.

Cum autem, ipsorum fratrum supplicationibus inclinati, statuta et ordinationes hujusmodi provide ac rite facta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica duximus ex certa scientia confirmanda, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eadem statuta et ordinationes, prout in dictis continentur litteris, facias per te vel alium seu alios per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. ut supra. »

1167 Au Latran, 16 février 1304.

Statuit ut duo priores provinciales ordinis Prædicatorum in duabus Lombardiæ provinciis constituti eam habeant potestatem, quam ante divisionem ipsius provinciæ prior unicus qui erat pro tempore obtinebat. Numerum autem inquisitorum hæreticæ pravitatis in eisdem partibus taxat. (n° 64, fol. 210 ; Potth., n° 25367.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Licet unus tantum prior provincialis ordinis fratrum Predicatorum esse consueverit in provincia Lombardie, eadem tamen postmodum provincia per dictum ordinem in duas divisa, quarum una Lombardia superior et altera Inferior appellatur, duo inibi provinciales priores instituuntur, unus videlicet in alterutra earumdem.

Ut autem ipsi duo priores commissum eis officium exequi libere valeant, apostolica auctoritate statuimus quod uterque ipsorum, tam circa constituendos inquisitores heretice pravitatis eosque ab hujusmodi inquisitionis officio absolvendos et eis alios cum oportuerit subrogandos, quam circa omnia alia que sibi ejusdem sui officii ratione imminuerint facienda, illam in provincia sibi decreta habeat per omnia potestatem, quam prior provincialis Lombardie priusquam hujusmodi divisio fieret obtinebat, quodque iidem priores et etiam inquisitores deputati vel deputandi ab eis omnibus privilegiis et litteris apostolicis, quibus ante dictam divisionem prior Lombardie qui erat pro tempore ac inquisitores quos deputabat gaudebant et utebantur, libere gaudeant et utantur.

Circa numerum autem dictorum inquisitorum, qui in eadem provincia Lombardie ante dictam divisionem consueverant esse octo, statuimus eadem auctoritate quod in Lombardia Superiori septem, in Inferiori vero tres de cetero deputentur. Nulli ergo, etc., nostri statuti, etc. Dat. Laterani, xiiii kalendas martii, anno primo. »

1168 Au Latran, 1er janvier 1304.

Executoribus infradictis mandat ut Lucæ, s. Mariæ in Via Lata diacono cardinali, quandam pensionem a priore et capitulo Wintoniensis ecclesiæ annis singulis faciant exhiberi. (n° 65, fol. 210.)

« *Venerabilibus fratribus .. Londoniensi et .. Lichefeldensi et Conventrensi episcopis ac dilecto filio .. preposito ecclesie sancti Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis.* Quanto dilectus filius noster Lucas, sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, Romanam Ecclesiam cujus nobile membrum existit suorum honorat magnitudine meritorum, tanto per eam honorare meretur ac favoris apostolici gratia confoveri.

Cum itaque dilectus filius Leonardus de Flisco, prepositus ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis, omne jus quod sibi adversus .. priorem et capitulum ecclesie Wintoniensis competebat occasione pensionis quadraginta marcharum Sterlingorum, in qua dicti prior et capitulum dicto Leonardo annis singulis quoad viveret tenebantur, in nostris manibus libere resignarit, nos, hujusmodi resignatione recepta, volentes eundem cardinalem favore prosequi gratioso, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios pensionem hujusmodi prefato

cardinali vel procuratori suo, ejus nomine, singulis annis in festo Resurrectionis Domini, quoad vixerit cardinalis predictus, faciatis per eosdem priorem et capitulum integraliter exhiberi;

Non obstantibus si dicti prior et capitulum in hujusmodi pensionibus fuerint super alterius provisione quacumque auctoritate gravati; aut si eis vel aliquibus aliis ab Apostolica Sede indultum existat, quod ad providendum alicui in hujusmodi pensionibus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam in presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, contradictores, etc. Dat. Laterani, kalendis januarii, anno primo. »

1169 Au Latran, 8 février 1304.

Magistris et scholaribus domus Choleti Parisiensis quosdam conservatores seu judices concedit. — In eundem modum pro magistris et scholaribus domus Cardinalis Parisiensis. (nº 66, fol. 210.)

« *Dilectis filiis .. Parisiensis, .. Ambianensis et .. Noviomensis ecclesiarum decanis.* Loca scientiarum deputata doctrinis, in quibus viri per continuata litterarum studia efficiuntur scientiis eruditi, apostolicis sunt presidiis confovenda, ut hii, qui ibidem in acquirendo thesauros scientia vigilanter insistunt, nullis afficiantur molestiis vel pressuris.

Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum magistrorum et scolarium domus Choleti Parisiensis fuit expositum coram nobis, super pecuniarum summis, redditibus et proventibus, juribus et jurisdictionibus ad domum ipsam spectantibus, nonnulli tam ecclesiastice persone quam nobiles, milites ac laici illarum partium interdum injurientur eisdem, nos volentes ipsis magistris et scolaribus super hoc de salubri remedio providere, ut cessantibus litigiosis anfractibus satisfactio debita et celeris eisdem proveniat de predictis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, quotiens opus fuerit et ab eis fueritis requisiti, vocatis qui fuerint evocandi, de plano summarie sine strepitu et figura judicii exhibeatis ipsis magistro et scolaribus de hujusmodi injuriatoribus, cujuscumque dignitatis, ordinis, seu conditionis extiterint, justitie complementum, contradictores, etc.;

Non obstantibus [1] si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, personis, locis vel ordinibus mentionem; seu qualibet indulgentia dicte Sedis per quam vestre jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri; et constitutionibus tam felicis recordationis B[onifatii] pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur quod, cum actor et reus ejusdem civitatis et diocesis fuerint, extra suam civitatem et diocesim, si vero fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium non trahatur, quam de duabus dietis edita in Concilio generali, et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim aliquis auctoritate presentium ad judicium non trahatur.

Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod a data presentium plena sit vobis in premissis omnibus et eorum singulis potestas et jurisdictio attributa, quodque in eo vigore illaque firmitate possitis auctoritate nostra in omnibus predictis procedere ac si vestra jurisdictio in illis omnibus et singulis perpetuata per citationem et modum alium legitimum extitisset. Dat. Laterani, vi idus februarii, anno primo. »

« In e. m. eisdem judicibus pro magistris et scolaribus domus Cardinalis Parisiensis. »

1170 Au Latran, 17 février 1304.

Constitutionem edit in qua jura fratrum Prædicatorum et Minorum, ex una parte, nec non cleri parochialium ecclesiarum, ex altera, super prædicationibus faciendis, audiendis confessionibus, et corporibus defunctorum tumulandis recenset ac describit. Constitutionem vero quæ incipit *Super Cathedram*, a Bonifatio papa viii super prædictis articulis promulgatam, revocat. (nº 67, fol. 210 vº; Potth., nº 25370.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Inter cunctas sollicitudines nostras, quibus nos pastorale premit officium et debitum apostolice servitutis astringit, illa debet esse precipua ut gregi dominico nobis superna dispositione commisso animarum cura non desit, ne illum lupus ra-

1. Ms: « obstante. »

pax, antiquus serpens humani generis inimicus invadat, ejusque [1] sanguis de nostris (quod absit!) id clamante Propheta manibus requiratur. Debemus insuper quantum ex alto permittitur pacem inserere, removere scandala, jurgiorum amputare materiam et intelligere super pauperem et egenum, quia non in finem oblivio erit pauperis et patientia pauperum non peribit in finem.

Sane dudum bone memorie Bo[nifatius] papa VIII, predecessor noster, quandam specialem inter prelatos, rectores, seu sacerdotes et clericos parrochialium ecclesiarum ex parte una, et Predicatorum et Minorum ordinum fratres ex altera, super faciendarum predicationum, audiendarum confessionum per eosdem fratres, ac de eis relictis et de funeralibus canonice portionis articulis constitutionem edidit, certum hiis modum imponens, prout in eadem constitutione plenius continetur.

Sed pro quam intendebat quiete turbatio nata est, pro concordia sunt suborta dissidia, et pullulate inquietudines pro tranquillitate noscuntur; sicque dum ansam solvisse se credidit nodum ligasse videtur, et septem uno hydre amputato capite suscitasse. Nec mirum ; quia plerumque pariunt novitates discordiam, presertim dum ab eo, quod diu equum visum est, per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur utilitas evidens vel alia causa subest.

Ideoque cupientes ut ipsi gregi cura nostra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, super egenum intendentes et pauperem ac novitatem removentes per eandem constitutionem inductam, statuimus de fratrum nostrorum consilio, ut ipsorum ordinum fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in ecclesiis et locis eorum que impresentiarum habent et imposterum obtinebunt, ac in plateis comunibus seu publicis libere, absque diocesanorum et aliorum prelatorum petita licentia, valeant clero et populo predicare eisque proponere verbum Dei. Caveant tamen omnino ne hora in qua diocesani predicti predicarent vel coram se facerent predicari, predicent iidem fratres. Putamus etenim dignum ut majori minor et superiori inferior deferat in hac parte, nisi forsan aliud circa hoc facerent de voluntate diocesanorum ipsorum, aut in studiis generalibus, diebus illis dumtaxat quibus sermones ad clerum fieri solent et solenniter predicari, sive mortuorum funeribus vel eorumdem fratrum festis specialibus seu peculiaribus, quia hiis casibus cum diocesani[s] in predicatione concurrere poterunt, predicarent. Ubi vero iidem diocesani convocarent generaliter ad se clerum aut aliqua ratione vel urgente causa illum ducerent congregandum, ea hora in studiis, memoratis diebus, sepedicti fratres ab hujusmodi predicatione cessabunt.

In ecclesiis autem parrochialibus fratres ipsi, invitis earum rectoribus seu sacerdotibus, nisi jussi a superioribus eorumdem non audeant predicare.

Sed quia multotiens propositum verbum Dei audientem a peccando non retrahit, idcirco post peccatum necessarium est sacramentum penitentie, circa quod, nisi articulus necessitatis occurrat, oris sacerdoti [1] facienda confessio, prout scriptum est « corde ad justitiam creditur, ore autem fit confessio ad salutem, » exigitur; alias frustra esset in sacramento eodem sacerdotis, qui inter lepram et lepram debet discernere, ministerium institutum. Electi igitur ab eisdem fratribus ad audiendas confessiones et penitentias injungendas libere auctoritate apostolica, absque licentia diocesanorum vel aliorum prelatorum inferiorum exemptorum et non exemptorum quibus subsunt, qui ad confitendum accedant audiant, eis peccata sua confiteri volentes, (non religiosos, qui secundum statuta suorum ordinum propriis prelatis confiteri debent [et] ne confiteantur aliis prohibentur,) absolvant ipsisque penitentias salutares injungant infra sibi designatos terminos ad hujusmodi exercendum officium constitutos. Excommunicationis vero vel alias sententias per prelatos latas contra hoc vel in ejus fraudem denuntiamus irritas et inanes ; nec confessi ipsis fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis et absoluti penitentes de illis, sacerdotibus propriis teneantur sicut et non tenentur iterum confiteri, non obstante constitutione generalis Concilii que sano intellectu, ne sequatur absurdum quod per penitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat et quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus, intelligenda est, ut ex ea patet, de illis qui sua peccata legitime confiteri alii neglexerunt; sed sacerdotes ipsi taliter confessis et absolutis adstricti sint ministrare eucharistie et extreme unctionis etiam sacramentum.

Super confessione autem facta fratribus memoratis, cum hic de confitentis solius prejudicio, si falsum dicat, agatur, in judicio anime seu penitentiali foro stabitur simplici verbo illius, qui sacramenta petit predicta et dicit dictis fratribus se confessum. Duos tantum casus excipimus, si sacerdos asserat eum excommunicatum aut notorie peccatorem ; sed videat ne id dicat mendaciter aut in dolum vel fraudem, quia si hoc egerit a delicto tali, nisi plene satisfecerit, preterquam in morte absolvi nequeat, ne[que] de illo ad penitentiam aliter admittatur.

Ut autem diocesanis honor debitus reservetur, preci-

1. Ms : « cujusque. »

1. Ms : « sacerdotis. »

pimus ut provinciales priores Predicatorum et ministri Minorum ordinum prefatorum per se vel alios verbo vel scripto eis significent, se fratres ad hujusmodi confessionum audiendarum et penitentiarum injungendarum officium elegisse, et non nominando aut coram ipsis sistendo eos nec illorum numerum exprimendo petant humiliter a diocesanis eisdem, quod iidem electi fratres de ipsorum beneplacito et licentia dictum possint in eorum civitatibus et diocesibus infra eis determinatos fines officium exercere. Quod si denegent vel intra triduum non concedant, extunc iidem fratres nichilominus auctoritate eadem hujusmodi officium exequantur. Datam vero licentiam per diocesanorum mortem nolumus terminari.

Per hoc autem non intendimus quod sepedicti fratres, qui ad hoc eliguntur officium exercendum, plus habeant in audiendis confessionibus et penitentiis injungendis, quam parrochiales sacerdotes noscuntur habere : sicque de casibus episcopis et superioribus quos inferius annotamus ac Sedi Apostolice reservatis se nullatenus intromittant [1].

Observent ergo sollicite dicti fratres ne ad confessionem recipiant criminosos criminibus, pro quibus esset solennis penitentia indicenda : modo eodem excommunicatos respuant et clericos, qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens etenim existimamus ut a peccato absolvat qui penitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis penam peccati sequelam vel excommunicationem (que infligitur maxime a jure, quandoque pro crimine, queve ab Ecclesia et per consequens a participatione sacramentorum ecclesiasticorum excludit) removere non potest. Incendiarios etiam eosque qui tam enormibus sunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis consuetudo prescripta canonice in episcopatibus aliquibus reservavit episcopis, similiter non admittant; quam consuetudinem, ex causa que juste ad id animum nostrum movet, solummodo circa voluntarie homicidas, falsarios, ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiastice violatores et sortilegos approbamus. Quod si forsan, antequam ab eo qui potestatem habet absolvi possint, mors talium confiteri volentium verisimiliter timeatur, etiam in predictis casibus sepefati fratres eis confiteri volentes audiant ipsisque beneficium absolutionis impendant, sed subeant juramentum quod liberati se suis episcopis et excommunicatoribus presentabunt, excommunicantium super hiis pro quibus ab eis excommunicati erant, et episcoporum pro peccato hujusmodi parituri mandatis.

Verum, quia post baptismum inter cetera magis ad salutem [propitia fore noscitur] propositio verbi Dei, quo audientes illud, que est victoria nostra, instruuntur in fide, docentur fugienda fugere et sectanda sectari, ac quo per peccatum lapsi resurgunt et penitentie sacramentum perficitur, grandis nobis sollicitudo incumbit, ut tales ad hoc promoveantur fratres, qui oleo dulcedinis verbi ejusdem nostros foveant subditos, a peccatis prohibeant, increpationis vino peccatorum suorum mordeant vulnera, eosque ad illa penitentia acrimonia purgandum et tergendum provocent et inducant. Ad id vero exequendum scientia hujus legis exposcitur, desideratur ordo, et vite integritas etiam postulatur. Scriptum est enim : « Tu scientiam repulisti et ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem exquirunt de ore ejus. » Alias, prout ad eum pertinet, inter peccatum et peccatum non posset discernere, nec peccator existens Dei deberet narrare justitiam et testamentum illius assumere per os suum; nam cujus vita despicitur, consequens est ut ejus predicatio contempnatur. Quare decernimus ut magister et minister generalis ac priores et ministri provinciales Predicatorum et Minorum ordinum prefatorum vel eorum vicarii, de discretorum consilio, ad tam salubre officium fratres divina scientia doctos, discretione vigentes, vita probatos et expertos moribus, alioquin districtam reddant in futuro examine rationem, eligant et assumant : sic enim quod predicabunt facient, que arguent operari cessabunt, et in eis edificabitur populus verbo pariter et exemplo.

Ceterum licet sicut predicitur de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam que magna est penitentie pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre, districte injungimus ut fratres ipsi confitentes attente moneant et in suis predicationibus exhortentur, quod suis sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere.

Porro, ut circa sepulturam apud loca eorumdem fratrum eligentium sepeliri et portionem canonicam de relictis eisdem fratribus minime detrahendam nequeat imposterum dubitari, jubemus ut corpora defunctorum, qui apud eos elegerunt dum viverent sepulturam, processionaliter cum cruce, turibulo et aqua benedicta, cantando seu legendo officium mortuorum vel psalmos et alienas ingrediendo parrochias, possint assumere et ad suas deferre ecclesias tumulanda.

De quibuscumque vero relictis prefatis fratribus in communi vel singulis in ultimis decedentium voluntatibus, sive apud eos sepeliendi sint sive alibi, nulla per parochiales sacerdotes morientium, a qua fratres ipsos

1. Ms : « intromittent. »

liberos esse volumus, canonica portio, et multo minus per episcopos episcopalis quarta, cum eis tanquam exempti non subsint, nec etiam debita jure parrochie, si forsitan cathedralis defunctorum esset parrochialis ecclesia, detrahatur.

De funeralibus autem medietatem, si comode divisionem recipiant, alias ejusdem medietatis extimationem solvant parrochiali ecclesie et sacerdotibus antedictis. Funeralia vero intelliguntur hoc casu que cum funere deferuntur; de candelis autem quas fratres portant portio non petatur.

Moneant autem iidem fratres et pro posse inducant confitentes sibi, ut de propriis bonis suis parrochialibus ecclesiis earumque sacerdotibus competenter relinquant, et que eis debent parochialia jura reddant.

Ad hec non murmuret, quesumus, secularis clerus; non gerant moleste prelati quod circa premissa sic duximus providendum. Attendant quanta ex hiis, que in primis duobus articulis statuta sunt, salus animarum proveniat; advertant quanta tolluntur jurgia, et prudenter considerent quod eorum onera cum aliis nostro beneficio salubriter et quasi necessario partiuntur.

Circa tertium vero articulum diligenter intelligant, quod fratres ipsi hec per privilegia Romanorum pontificum eis benigne concessa ante constitutionem eandem hactenus habuerunt, quodque sunt pauperes, nichil habentes singuli nec in communi, rustica predia imo nec urbana vel mobilia, eorum alter vel etiam universi mendicant victum, querunt vestitum, et eatenus subsistere possunt quatenus vel vivorum pietas aut morientium caritas eis necessaria subministrat.

Quis ergo non misereatur eorum, qui omnia voluntarie hujusmodi etiam reliquerunt? Quis non compatiatur eisdem operantibus tam utiliter in agro predicto? Certe nullus, nisi qui triturantis bovis os impie alligare velit, aut eos subtractis alimentis necare. Inopes patrimonii onera ipsa non habendi necessitate non sustinent, et a curialibus res ecclesiis vel piis locis donatas a quarte prestatione seu lucrativorum inscriptionibus lex facit immunes, relicta pauperibus non patiuntur Falcidiam, et legata ad fabricam vel pro ornamentis ecclesie aut ad divinum cultum perpetuum solutioni non subjacent canonice portionis. Pauperes autem, ut dictum est, sunt fratres, et quod eis relinquitur aut in sua alimenta erogant, aut in fabricam sive cultum divinum et ecclesie ornamenta convertunt; propter que nos, qui debemus intelligere super egenum et pauperem et non oblivisci eorum, cum humanitatis sit etiam secularis principis prospicere egenis et dare operam ut pauperibus alimenta non desint, non tam pie quam quodammodo juste in eodem articulo egimus, eosdem ut premittitur reddendo fratres ab onere canonice portionis exemptos.

Hec autem, dicta constitutione que incipit *Super Cathedram*, quam penitus revocamus, aliisque quibuscumque constitutionibus specialibus et generalibus, statutis, privilegiis, indulgentiis sub quacumque forma verborum concessis, etiam si de eis de verbo ad verbum vel aliquorum nominibus in nostris litteris oporteret fieri mentionem, conventionibus, pactis, juramentis, sententiis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, inviolabiliter observari sancimus.

Nulli ergo, etc., nostrorum statuti, denuntiationis, exemptionis, preceptorum, approbationis, jussionis, voluntatis, revocationis, et sanctionis infringere, etc. Si quis, etc. Dat. Laterani, XIII kalendas martii, anno primo. »

1171 Au Latran, 31 janvier 1304.

Episcopo Ostiensi legationis officium committit in provinciis Tusciæ, Romaniolæ et Marchiæ Tervisinæ nec non in circumadjacentibus partibus. (n° 68, fol. 211 v°; Potth., n° 25348.)

« *Venerabili fratri nostro N*[*icolao*], *episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato.* In hac terrestri patria vices gerentes Illius, qui non solum terrenis sed et celestibus dominatur, vigilis more pastoris levamus in circuitu oculos circumspicientes undique gregem dominicum nostre vigilantie creditum, ut videamus attentius quod eidem expediat quodve per nos impendi debeat operis erga ipsum, ut ubi magis expedire cognoscimus, ibi partes nostre sollicitudinis efficatius apponamus.

Sane dum certas populorum fidelium regiones, super quas humilitatem nostram prout sibi placuit providentia divina constituit, intente solicitudinis et solicite intentionis passibus circuimus, status provinciarum Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine et circumadjacentium partium eo se frequentius nostris meditationibus representant, quo illas magis, propter urgentes et imminentes turbationes plurimas peccatis exigentibus in eisdem, apostolice subventionis et visitationis remedio prospicimus indigere; ad ipsarum statum salubriter dirigendum tanto propensioribus studiis anxiamur, quanto in turbinibus earumdem, quas inter alias benivolentie prerogativa prosequimur, turbatione concutimur graviori, magno nimirum desiderio affectantes, quod in provinciis et partibus antedictis procuretur animarum profectus, tranquillitatis ubertas et pacis opulentia vigeant, et libertas ecclesiastica conservetur et illarum incolis devotionis fervor erga Sedem Apostolicam augeatur: ideoque vi-

rum ad hec promovenda perutilem illuc providimus destinandum.

Super quo deliberatione cum fratribus nostris habita, prout talis negotii qualitas exigebat, consideratis muneribus gratiarum tibi divinitus traditis, in te, quem ab olim pietatis amicum et ad prosperum statum provinciarum partium predictarum affici novimus, cujus in hoc affectum et sinceritatem laudamus, cujus benignitatis grata humilitas, accepta mansuetudo ac experta providentia magnam nobis spem ingerunt, quod ex tuis laboribus fructus optati provenient, noster animus conquievit. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, licet tua presentia utpote nobis et Ecclesie Romane pro tui maturitate consilii sit plurimum oportuna eaque careamus inviti, impellente nos tamen affectu quem ad provincias et partes predictas precordialiter exhibemus, ob honorem et exaltationem Ecclesie memorate, ac reformationem et directionem necessarias nec non dissidentium quietem provintiarum et partium predictarum, te de fratrum predictorum consilio illuc tanquam pacis angelum destinamus, fraternitati tue in partibus ejusdem Tuscie in Imperio constitutis, Romaniola et Marchia supradictis, et nominatim in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus, de eodem tamen Gradensi patriarchatu archiepiscopatu Jadrensi cum provincia sua excepto, nec non in toto archiepiscopatu et provincia Ravennate et Ferrariensi civitate et diocesi ac Venetiarum partibus plene legationis officium committentes, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, ac facias auctoritate nostra quodcumque ad honorem Dei et prosperum statum partium earumdem ac reformationem pacis fidelium videris expedire, concessa tibi, auctoritate simili, contradictores et rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis et interdicti vel amotionis aut depositionis sententias sive alias per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, quibuslibet privilegiis seu indulgentiis apostolicis, per que nullum cuiquam in hac parte volumus afferre suffragium, nequaquam obstantibus, libera facultate.

Nos enim sententias, quas tuleris et penas quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Dat. Laterani, II kalendas februarii, anno primo. »

In e. m. patriarchis, archiepiscopis, episcopis et electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, exemptis et non exemptis, nec non Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi preceptoribus, magistris et fratribus, per partes Tuscie in Imperio consistentes, Romaniole, Marchie Tervisine, patriarchatuum Aquilegensis et Gradensis, de eodem tamen Gradensi archiepiscopatu Jadrensi cum provincia sua excepto, totumque archiepiscopatum et provinciam Ravennatem ac Ferrariensem civitatem et diocesim et Venetiarum partes constitutis.

1172 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eundem legatum in supradictis partibus paciarium et pacis servatorem constituit. (n° 69, fol. 212; Potth., n° 25349.)

« *Eidem legato.* Transiturus ad patrem Dominus de hoc mundo hereditatem pacis suis legavit discipulis testamento dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » hec verbo in ultimo quasi proponens, ut verbum pacis quasi in omnibus altius figeretur et prebere deberemus operas efficaces que inter discordes pacis vinculum reformarent. Ipsius itaque vices gerentes in terris, pia ejus permittente potentia, qui pacem super omnia diligit, inter multiplices curas, que pro malitia temporis plus solito animo nostro se ingerunt, curam pacis precipuam reputamus, et quia cunctorum fidelium sollicitudinem gerimus pastoralem, ad id specialiter mens nostra distrahitur, ad id nostri sensus invigilant, insudant studia et labores intendunt ut fideles ipsos, qui Dei ducti consilio perambulant viam pacis, in pacifici status stabilitate servemus, et quos Sathenas, ille malignus spiritus, inimicus pacis, contemptor fidei et adversarius unitatis, in dissensiones et odia inrepit et involvit ad rectitudinis semitas reducamus, ipsis voluntariis vel invitis de reformatione pacis et concordie salubriter prout ad nostrum spectat officium providendo, ut fiat pax in diebus nostris et sancta mater Ecclesia ex nostri ministerii studio, divini consilii sustentatione suffulto, in suis fidelibus possideat locum pacis que exsuperat omnem sensum.

Cum igitur te ad provincias Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partes circumadjacentes commisso tibi inibi per nostras sub certa forma litteras plene legationis officio destinemus, attendentes quod multi ex incolis ipsarum partium tam universitates videlicet quam singulares persone, abutentes per insolentiam Sedis Apostolice patientia, pacem perturbant et unitatem nequa[m] dissolutione dissolvunt, quodque ipsos incolas atque partes inveterata dissensionum malitia, cujus rubigo excrescit admodum per domestica prodholor! et particularia scandala, concutit, subvertit, dissipat et consumit, de pacis remedio nedum generaliter sed particulariter fore putavimus providendum.

De te igitur, quem Largitor bonorum cmnium scientiarum et aliarum virtutum munere decoravit, et cujus magnam in magnis et arduis experti sumus industriam, quique tue probitatis intuitu nobis et fratribus nostris carus es quamplurimum et acceptus, indubitatam fiduciam obtinentes, te in eisdem provinciis Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partibus circumadjacentibus constituimus pacis de ipsorum fratrum consilio servatorem ac paciarium in eisdem provinciis et partibus, ordinantes ut inter quoslibet in ipsis provinciis et partibus constitutos, quos federe pacis videris reformandos, pacem et concordiam reformare et conservare procures. Et ut commissum in hac parte tibi ministerium utilius et comodius exequaris, tam contra pacem facere, jurare ac firmare nolentes, quam eandem presumentes infringere, nec non et contra eos qui in eisdem provinciis et partibus discordias et scandala seminant, odia suscitant, fovent et nutriunt, contra illos quoque qui statum pacificum earumdem provinciarum et partium ac hujusmodi patiarii seu servatoris pacis tibi commissum officium perturbare vel impedire presument, pro presumptione hujusmodi spiritualiter et temporaliter, prout facti suaserit qualitas et expedire videris, procedendi ac processus tuos executioni mandandi, marchionum insuper, comitum, aliorumque magnatum, potestatum, capitaneorum ceterorumque rectorum et consiliariorum ac universitatum et singularium personarum tam ipsarum provinciarum et partium quam etiam aliunde ad id, quotiens oportunum fuerit, auxilium et potentiam invocandi et contradictores, etc., usque : compescendi, non obstantibus quibuscumque privilegiis vel indulgentiis quibusvis personis, ordinibus, universitatibus sive locis, cujuscumque pre[e]minentie, dignitatis, conditionis et status extiterint, sub quovis modo vel expressione seu conceptione verborum ab Apostolica Sede concessis, quibus posset quis contra premissa quomodolibet se tueri, et de quibus plenam et expressam ac de verbo ad verbum, etiam de personarum, ordinum, status et dignitatum nominibus seu cognominibus oporteat in presentibus fieri litteris mentionem, liberam tibi concedimus potestatem.

Dictum autem patiarii sive pacis servatoris officium cum omnibus que ad hujusmodi solidationis negotium pertinebunt, que tibi commictimus per te vel alium aut alios quos ad hoc deputare volueris exercenda, sic fideliter et utiliter exequaris, quod portasse pacem et partes illuminasse predictas verius comproberis ac divinam et nostram et Apostolice Sedis commendationem et gratiam plenius exinde valeas promereri. Dat. ut supra. »

In e. m. patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis et conventibus exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Cartusiensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum nec non magistris et preceptoribus Militie Templi, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theotonicorum et Calatravensis et aliorum quorumcumque ordinum ceterisque personis ecclesiasticis, marchionibus quoque, comitibus aliisque magnatibus et nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, consiliariis, communitatibus et universitatibus ac singularibus personis per provincias Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partes circumadjacentes constitutis.

1173 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem indulget ut in ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis suæ legationis decem clericos idoneos recipi faciat in canonicos, unum videlicet in ecclesia una. (nº 70, fol. 212 vº.)

« *Eidem.* Cum te ad provincias Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partes circumadjacentes, commisso tibi inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus, nos tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tue faciendi per te vel alium seu alios auctoritate nostra decem clericos, quos ad hoc idoneos esse putaveris, in totidem ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis tue legationis, unum videlicet in ecclesia una, tanquam in canonicos recipi et in fratres ac provideri eorum cuilibet de prebenda nulli alii de jure debita, si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, nec non contradictores, etc., usque : compescendi;

Non obstantibus de certo canonicorum numero et aliis quibuscumque contrariis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si clerici ipsi alias beneficiati existant, aut si aliqui in eisdem ecclesiis nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari; seu si personis aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, vel quod alius non possit de beneficiis seu prebendis ad eorum colla-

tionem seu aliam dispositionem spectantibus alicui providere per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; sive quibuslibet aliis litteris apostolicis, privilegiis vel indulgentiis, cujuscumque tenoris existant, per que facta hujusmodi tibi gratia impediri valeat vel differri, et de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

1174 Au Latran, 31 janvier 1304

Eidem concedit ut quatuor personis idoneis laicis sive clericis tabellionatus officium conferre possit. (n° 71, fol. 212 v°.)

« *Eidem.* Cum tibi, quem utpote virum circumspectum ac providum carum habeamus admodum et acceptum, in Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac quibusdam aliis provinciis, civitatibus, diocesibus et partibus plene legationis officium duximus committendum, quia forsan oportebit te habere ad exequenda commissa tibi negotia personas, per quas contractus legitimi publica manu ad cautelam presentium et futurorum memoriam annotentur, concedendi auctoritate nostra quatuor personis ydoneis laicis sive clericis in minoribus ordinibus constitutis, si expedire videris, tabellionatus officium juxta formam presentibus annotatam, ut illud prudenter et fideliter exequantur et ad eas, cum necesse fuerit, in hiis que ad officium ipsum pertinent recurratur, hac vice fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Forma vero juramenti, quod ipsarum personarum quelibet prestabit, talis est : Ego .. ab hac hora in antea, etc., ut in forma usque in finem. Dat. ut supra. »

1175 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut quoslibet religiosos cujuscumque ordinis, quos inobedientes invenerit, privare valeat omnibus indulgentiis et privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis. (n° 72, fol. 212 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, quia in desideriis nostris geritur ut, summotis impedimentis quibuslibet, hujusmodi negotia felicem consequantur effectum, privandi quoslibet religiosos cujuscumque ordinis, qui super hiis que spectant ad tue legationis officium et aliis tibi commissis a te moniti tibi parere plene contempserint, omnibus indulgentiis et privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis fraternitati tue plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Dat. ut supra. »

1176 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut absolvere valeat ab excommunicationis sententia nonnullos de partibus suæ legationis, qui ex causis infradictis absolutionem nequeunt commode recipere. (n° 73, fol. 212 v°.)

« *Eidem.* Ad audientiam nostram pervenit quod in terris tue legationis nonnulli per judices a Sede Apostolica delegatos et subdelegatos ab eis sunt excommunicationis sententiis innodati, a quibus commode non possunt absolvi pro eo quod aliqui judicum ipsorum, quibus in hoc alii non succedunt, viam sunt universe carnis ingressi, quorumdam vero copia de facili haberi non potest, aliquorum etiam jurisdictio expiravit.

Nos itaque in hoc tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum excommunicatis hujusmodi providere, absolvendi tales juxta formam Ecclesie per te vel per alium aut alios ab hujusmodi excommunicationum sententiis, prius satisfactione impensa super hiis pro quibus in eos hujusmodi sententie sint prolate, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1177 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem ut, si legatione prædicta durante aliquem vel aliquos ex clericis sibi assistentibus decedere vel beneficia sua resignare contigerit, beneficia ipsa per mortem seu resignationem hujusmodi vacantia conferre possit personis idoneis. (n° 74, fol. 212 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, ut eo efficatius commissum tibi ab Apostolica Sede negotium partium predictarum promovere valeas, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue, de qua plenam in Deo fiduciam obtinemus, presentium auctoritate committimus ut, si post iter versus easdem partes assumptum aliquem vel aliquos de clericis tuis, quos nunc habes vel assumes legatione durante et tecum retinueris tanquam domesticos commensales, decedere vel beneficiis suis ecclesiasticis, etiamsi sint personatus [vel] dignitates et curam habeant animarum, in manibus tuis cedere forte contigerit, possis hujusmodi beneficia, personatus et dignitates, tam decedentium quam cedentium, conferre personis idoneis et Ecclesie Romane devotis, et facere illos quibus ea contuleris in ecclesiis cathedralibus vel aliis in quibus beneficia ipsa consistunt in canonicos et in fratres admitti, contradictores, etc., compescendo ; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, in quibus eadem beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis; seu si clerici ipsi

quibus ea contuleris alias beneficiati existant; aut si pro aliis in eisdem beneficiandis ecclesiis scripta Sedis ejusdem sint directa vel contigerit dirigi; vel si aliqui litterarum Sedis predicte vel legatorum ejus auctoritate in eisdem ecclesiis in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus nullum per hoc volumus quo ad beneficia, personatus, dignitates prejudicium generari; seu si personis aliquibus a prefata sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et quibuslibet aliis apostolicis privilegiis vel indulgentiis cujuscumque tenoris existant, per que hujusmodi tibi facta gratia impediri valeat vel differri et de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Presentibus usque ad tuum reditum valituris [1]. Dat. ut supra. »

1178 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia audire et etiam celebrare vel facere celebrari possit. (nº 75 A, fol. 213.)

« *Eidem.* Fraternitatis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, si te ad aliqua loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, possis ibidem cum omnibus clericis et familiaribus tuis, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis et clausis januis, non pulsatis campanis ac submissa voce, audire divina officia et etiam celebrare ac facere celebrari. Nulli ergo, etc. Dat. ut supra. »

1179 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut absolvere valeat clericos et laicos suæ legationis, qui sententiam excommunicationis incurrerint pro fractionibus et incendiis ecclesiarum seu locorum ecclesiasticorum. (nº 75 B, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum, sicut accepimus, nonnulli clerici et laici partium tue legationis pro fractionibus et incendiis ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum excommunicationis sententiam incurrisse noscantur, nos de circumspectione tua plenam in Deo fiduciam obtinentes, absolvendi hac vice per te vel per alium aut alios juxta formam Ecclesie excommunicatos predictos, etiam si per locorum ordinarios excommunicati denuntiati fuerint, dummodo injuriam et dampna passis satisfaciant competenter, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1. Ms : « minime valituris. » L'erreur du scribe vient de la similitude de cette formule avec cette autre : « Presentibus *post* annum *minime* valituris. » Cf. col. 54, 66, 99, 183, etc.

1180 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut dispenset cum viginti clericis suæ legationis super natalium defectu. (nº 76, fol. 213.)

« *Eidem.* Volentes ut spiritualium largitione munerum nonnullos de partibus legationis tibi commisse reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum viginti clericis earumdem partium defectum natalium patientibus [dispenses], quod hujusmodi non obstante defectu eorum singuli possint ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium, etiam si curam animarum habeat, obtinere, dummodo non sint de adulterio vel incestu seu regularibus aut presbyteris procreati sive paterne incontinentie sectatores, sed bone conversationis et vite, sufficientis scientie et etatis legitime, ita tamen quod iidem clerici prout requiret onus beneficiorum, que ipsos post dispensationem hujusmodi obtinere contigerit, ad ordines se faciant statutis temporibus promoveri et personaliter resideant in eisdem : alioquin hujusmodi gratia quoad beneficia ipsa nullius penitus sit momenti. Dat. ut supra. »

1181 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut compellat quoslibet prælatos nec non regulares et alias ecclesiasticas personas ad contribuendum in procurationibus sibi debitis. (nº 77, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, ut in commissis tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue compellendi quoslibet prelatos, cujuscumque preeminentie vel dignitatis extiterint, nec non regulares Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, preceptores et fratres sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et aliorum quorumcumque hospitalium sive domorum, et alias ecclesiasticas personas cathedralium et aliarum ecclesiarum sive monasteriorum, exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus tibi debitis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri, de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris debeat fieri mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. [Dat ut supra.] »

1182 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut evectiones ducere libere valeat quando pro commissis sibi negotiis viderit expedire. (nº 78, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, in desideriis nostris geritur ut, summotis impedimentis quibuslibet, hujusmodi negotia prosperum consequantur effectum. Quare fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut evectiones, quando pro commissis tibi negotiis videris expedire, ducere libere valeas, constitutione Lateranensis Concilii non obstante. Dat. ut supra. »

1183 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut omnibus fidelibus qui ad fabricas ecclesiarum in eisdem partibus consistentium manum porrexerint adjutricem indulgentiam quadraginta dierum largiatur. (nº 79, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, nos volentes ut ecclesie illarum partium ex tua legatione comodum aliquod consequantur, presentium tibi auctoritate concedimus ut omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad fabricas ecclesiarum ipsarum manum porrexerint adjutricem, XL dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer valeas per triennium seu quinquennium relaxare. Dat. ut supra. ».

1184 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut omnibus fidelibus, qui colloquiis et congregationibus infradictis interfuerint, centum dierum vel etiam unius anni indulgentiam elargiri possit. (nº 80, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum partium, ad quas te pervenire contigerit, reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut, quotienscumque te contigerit proponere verbum Dei, in magnis quoque colloquiis et congregationibus que occasione predictorum negotiorum tam infra legationis tue fines quam extra feceris in festivitatibus solennibus ac missarum solenniis, centum dies et, si aliquando in premissis raro tamen magnus casus emerserit, unum annum omnibus vere penitentibus et confessis, qui hujusmodi propositioni et missarum solenniis interfuerint ac ad colloquia, congregationes et translationes easdem accesserint, de injunctis sibi penitentiis misericorditer valeas relaxare. Dat. ut supra. »

1185 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut partes suæ legationis egredi ac casdem reingredi et tam intra quam extra ipsas commissum sibi negotium simili modo valeat adimplere. (nº 81, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, volentes ut commissa tibi negotia summotis impedimentis quibuslibet liberius et efficatius exequaris, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut, si partes illas, postquam eas ingressus [1] fueris, ex aliqua causa rationabili vel ex improviso forsan eventu egredi te forte contigerit et in vicinis partibus commorari, possis semel, iterum et quotiens oportunum fuerit reingredi ad easdem et tam intra ipsas quam extra prefatum officium et cetera tibi litterarum nostrarum auctoritate commissa, quantum ad negotia partium predictarum, sicut expedire videris libere in omnibus exercere. Dat. ut supra. »

1186 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut dispenset cum ecclesiarum prælatis et personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ferendo sententias excommunicationis sine scriptis. (nº 82, fol. 213.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue dispensandi per te vel per alium aut alios cum ecclesiarum prelatis et personis ecclesiasticis tue legationis super irregularitate, quam contraxerunt vel contraxerint hujusmodi legatione durante ferendo in alios contra constitutionem felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, super hoc editam, excommunicationis sententiam sine scriptis et non abstinendo a divinis justa tenorem constitutionis ipsius, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1187 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut similiter dispenset cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ex eo quod excommunicatæ receperunt ordines et ministrarunt in ipsis vel aliis sententiis innodatæ divina officia celebrarunt. (nº 83, fol. 213 vº.)

1. Ms : « egressus ». Une expédition originale de cette bulle, conservée à Florence (Archivio di stato, Diplomat., *S. Maria Novella*, 31 janvier 1304) porte *ingressus*, comme d'ailleurs le sens l'exige.

« *Eidem.* Cum te, etc., usque: destinemus, nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue dispensandi per te vel per alium aut alios cum personis ecclesiasticis religiosis et secularibus tue legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, legatione durante predicta, ex eo quod excommunicate receperunt ordines et ministrarunt in ipsis aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodate divina officia celebrarunt, postquam ab hujusmodi sententiis rite fuerint absolute, injuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. [1] »

1188 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut possit compellere prælatos et personas ecclesiasticas suæ legationis ad exhibendum nuntiis suis omnia necessaria. (n° 84, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, ut in commissis tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue compellendi auctoritate nostra, per te vel per alium seu alios, prelatos cujuscumque preeminentie vel dignitatis extiterint, nec non personas quaslibet tam Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, preceptores et fratres Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domus Militie Templi et quorumcumque aliorum hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas cathedralium et aliarum ecclesiarum sive monasteriorum, exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis tuis, quos pro predictis commissis tibi negotiis destinabis, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri et de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris debeat fieri mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. ut supra. »

1189 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut censuram ecclesiasticam exercere valeat in personas ecclesiasticas suæ legationis et in terras ipsarum. (n° 85, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Ad statum tranquillum et prosperum ecclesiasticarum et secularium personarum provinciarum Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partium circumadjacentium plenis desideriis aspirantes, te, de cujus industria et circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad partes ipsas, tibi commisso inibi plene legationis officio, tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum.

Ut autem in commisso tibi officio Deo propitio valeas prosperari, exercendi libere per te vel alium seu alios censuram ecclesiasticam in venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos ac in dilectos filios cathedralium et aliarum ecclesiarum, domorum et monasteriorum, tam exemptorum quam non exemptorum, prelatos et clericos, conventus et capitula, nec non comites, barones, et nobiles, potestates, rectores, ballivos, consilia, comunia, universitates et populos locorum illarum partium et quascumque personas ecclesiasticas et seculares, publicas et privatas, cujuscumque ordinis et conditionis vel dignitatis existant, et terras ipsorum, legationis ejusdem, cum videris expedire, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis quibuscumque personis, locis vel ordinibus, sub quavis verborum forma ab Apostolica Sede concessis, de quibus quorumque tenoribus plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, et etiam concedendis, per que presentium effectus quomodolibet valeat impediri, fraternitati tue concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1190 Au Latran, 31 janvier 1304.

Notum facit quod per supradicta [et infradicta], quæ eidem legato specialiter committuntur, his quæ ei ratione legationis hujusmodi competunt nullatenus derogatur. (n° 86, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Ad statum tranquillum, etc., duximus destinandum, quamplura tibi nichilominus per speciales apostolicas litteras concedendo. Volentes igitur ut premissi officii executio tibi sit libera et summotis difficultatibus quibuslibet expedita, tenore presentium declaramus quod nostre intentionis ac voluntatis existit per predicta, que tibi specialiter sunt commissa, hiis que tibi ratione legationis competunt in nullo penitus derogare, sed volumus quod hoc non obstante illa plenarie ac libere exequaris. Dat. ut supra. »

1191 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem concedit ut faciat ministrari clericis sibi assistentibus

1. Cf. le n° 1195 (col. 735). Ces deux pièces semblent faire double emploi.

proventus eorum ecclesiasticos, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis. (n° 87, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, ut clerici, qui tecum venerint vel in tuis obsequiis pro supradictis expediendis negotiis morabuntur, eo in hiis tibi assistant libentius quo eis ampliorem gratiam facere poteris auctoritate nostra suffultus, fraternitati tue predictis clericis, donec tecum fuerint aut in premissis negotiis tibi eundo, morando et redeundo propter negotia eadem assisterint, faciendi per te vel alium seu alios integre ministrari proventus suos ecclesiasticos, distributionibus que in horis canonicis dantur dumtaxat exceptis, contradictores quoque, etc., usque : compescendi, non obstantibus si dicti clerici in eisdem ecclesiis primam et consuetam residentiam non fecerunt, quam facere teneantur a tuis obsequiis recedentes, et quibuscumque contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione apostolica seu quacumque firmitate alia roboratis ; vel si aliquibus cujuscumque dignitatis, prelature seu conditionis aut status a Sede Apostolica sit indultum, quod nullis absentibus teneantur proventus ministrare predictos et ad id compelli quodque suspendi, interdici et excommunicari non possint ; sive quibuscumque privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum fieri debeat [in nostris litteris] mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. ut supra. »

1192 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut fratribus Prædicatorum, Minorum et aliorum ordinum suæ legationis et etiam partium circumadjacentium injungere possit quodcumque prosecutioni officii sui viderit expedire. (n° 88, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, in desideriis nostris geritur ut, summotis impedimentis quibuslibet, hujusmodi negotia prosperum consequantur effectum. Injungendi dilectis filiis fratribus Predicatorum, Minorum et aliorum ordinum, etiam extra tue legationis terminos in vicinis tamen partibus constitutis, quodcumque [1] prosecutioni officii vel utilitati negotiorum tibi commissorum videris expedire, contradictores, etc., usque : compescendi, non obstantibus aliquibus indulgentiis eis, quibus hec injungenda duxeris, specialiter aut personis eorumdem ordinum generaliter ab Apostolica Sede sub quacumque verborum forma concessis, per quas super hoc in nullo se tueri valeant et de quibus oporteat in nostris litteris plenam et expressam fieri mentionem, tibi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. [1]. [Dat. ut supra.] »

1. Ms : « quemcumque. »

1193 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut conferre possit personis idoneis beneficia ecclesiastica infra legationis suæ terminos vacantia, quorum collatio secundum statuta Lateranensis Concilii est ad Apostolicam Sedem devoluta. (n° 89, fol. 213 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, sperantes quod hujusmodi negotia optate prosecutionis exitum tuis auctore Domino studiis prosequentur, beneficia ecclesiastica universa et singula cum cura vel sine cura, dignitates seu personatus, que infra commisse tibi legationis terminos tanto tempore jam vacarunt, quod eorum collatio est ad Sedem Apostolicam secundum Lateranensis statuta Concilii legitime devoluta, conferendi per te vel alium seu alios personis idoneis, ac faciendi eas ad ipsa recipi quibus de ipsis duxeris providendum, eisque de ipsorum fructibus et proventibus integre responderi, contradictores, etc., usque : compescendi, non obstantibus si eedem persone quibus beneficia ipsa duxeris conferenda alias beneficiate existant aut si aliquibus sit ab eadem Sede indultum, quod suspendi, excommunicari nequeant et etiam interdici ; seu quod de beneficiis ad eorum collationem seu presentationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, cujuscumque tenoris existant, que de indulto hujusmodi plenam et expressam seu de verbo ad verbum non fecerint mentionem ; et qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque fuerit tenoris, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium impediri possit quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore in nostris litteris habenda sit mentio specialis, plenam et liberam fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

1194 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut valeat assumere et retinere ad propria obsequia quotcumque et quoscumque voluerit de fratribus Prædicatorum ac Minorum ordinum suæ legationis nec non eis committere executionem negotiorum quorumcumque. (n° 90, fol. 214.)

2. Ces derniers mots, depuis *in nostris litteris*, ont été ajoutés en marge.

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, fraternitati tue assumendi et retinendi ad tua obsequia et sub tua obedientia quotcumque et quoscumque volueris de fratribus Predicatorum et Minorum ordinum tue legationis, ac mittendi illos vel alios ex eisdem ordinibus, quos ydoneos esse cognoveris, quantumcumque et ubicumque videris oportunum, committendi etiam illis negotiorum quorumcumque executionem prout expediens fore putaveris, compescendi quoque contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota, eisdem insuper fratribus dandi propter hoc licentiam equitandi, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis eisdem ordinibus eorumque fratribus ab Apostolica Sede concessis, per que nullum eis suffragium afferri volumus in hac parte, seu quibuscumque eorumdem ordinum consuetudinibus vel statutis seu regulis, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1195 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut dispenset cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ex eo quod excommunicatæ, suspensæ vel etiam interdictæ susceperint ordines vel sese divinis officiis immiscuerint sic legatæ. (nº 91, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut, si alique persone ecclesiastice, seculares vel etiam regulares, cujuscumque ordinis vel dignitatis extiterint, tue legationis, excommunicate, suspense vel etiam interdicte susceperint ordines vel in illis ministraverint seu divina celebrarint officia aut se illis immiscuerint, possis cum eis, postquam rite fuerint absolute, super irregularitate quam contraxerint misericorditer dispensare, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum. Dat. ut supra [1]. »

1196 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut cum decem personis religiosis suæ legationis dispensare valeat super simoniaca pravitate. (nº 92, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, volentes tibi aliqua concedere per que saluti consulere valeas animarum, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut cum decem religiosis personis tue legationis, cujuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt vel commiserint legatione ipsa durante symoniacam pravitatem, possis prout expedire videris dispensare, non obstante constitutione Concilii generalis. Dat. ut supra. »

1. Voy. la note de la col. 731.

1197 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut quotiens eum ad loca interdicta devenire contigerit, in quolibet ipsorum locorum semel aperiantur ecclesiæ ibidem existentes. (nº 93, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, fraternitatis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, si ad loca ecclesiastico supposita interdicto te devenire contingat, semel tamen in quolibet eorumden locorum in adventu tuo aperiantur ecclesie inibi existentes, ac in eis divina officia solempniter celebrentur. Dat. ut supra. »

1198 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut pro negotiis legationis suæ expediendis ad se vocare possit quoscumque et quotcumque de fratribus quorumlibet ordinum, et ipsis dare licentiam equitandi et vescendi cibariis quibuscumque. (nº 94, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, ut in commissis tibi negotiis annuente Domino tanto possis prosperari facilius, quanto plurium discretarum personarum suffragio et nostre auctoritatis fueris adjectione munitus, fraternitati tue pro expediendis negotiis eisdem ad te vocandi quoscumque et quotcumque Predicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres tue legationis, ac dandi eis licentiam equitandi et vescendi quibuscumque cibariis illis appositis, dummodo eis vel eorum alicui ad id voti emissio non obsistat, non obstantibus quibuscumque contrariis consuetudinibus vel statutis ordinis Predicatorum seu quibuslibet privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que iidem vel eorum prelati possent in hac parte quomodolibet se tueri, auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. ut supra. »

1199 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut privare possit omnibus gratiis ipsis ab Apostolica Sede concessis clericos suæ legationis quos indevotos, ingratos et inobedientes invenerit. (nº 95, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, in desideriis nostris geritur ut, summotis impedimentis quibusli-

bet, hujusmodi negotia felicem consequantur effectum.

Sane Apostolica Sedes nonnullis clericis secularibus tue legationis in multis liberalem se exhibuit et benignam, eis tam super provisione sibi facienda de beneficiis ecclesiasticis, quam super aliis gratiis litteras apostolicas concedendo. Quia vero sicut favorem devotio promeretur, sic indevotis favor est merito subtrahendus, privandi illos ex hujusmodi clericis, quos indevotos, ingratos et inobedientes in hiis que spectant ad tue legationis officium forsan inveneris, omnibus hujusmodi gratiis ipsis ab eadem Sede concessis, ac inhibendi executoribus eorum ne per litteras ab eis [1] super hoc obtentas procedant, decernendi etiam si secus fieret irritum et inane, fraternitati tue plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1200 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut clericos et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Pistoriensis absolvere possit ab excommunicationis sententia, quam incurrerunt pro eo quod decimam ultimo impositam a Bonifatio papa VIII non solverunt terminis constitutis. (n° 96, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum, sicut accepimus, multi ex clericis et personis ecclesiasticis civitatis et diocesis Pistoriensis infra tue legationis terminos constituti [2], propter turbationem civitatis ipsius temporalibus rebus exausti, decimam ultimo impositam per felicis recordationis B[onifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, non solverint terminis constitutis et propter hoc excommunicationis sententiam incurrerint, pluraque loca et ecclesie occasione hujusmodi decime non solute ecclesiastico sint supposita interdicto, nonnulli etiam ex predictis clericis, pro eo quod in locis eisdem et alii pro eo quod talibus ligati sententiis divina officia celebrarint et immiscuerint se illis, sunt irregularitatis nota respersi, fraternitati tue absolvendi per te vel alium seu alios hujusmodi clericos et personas ecclesiasticas ab eisdem sententiis juxta formam Ecclesie vice nostra ac interdicta hujusmodi relaxandi, dispensandi quoque cum illis qui irregularitatem taliter contraxerunt, imposita ipsis pro modo culpe penitentia salutari, remittendi etiam eis ipsam decimam ad quam pro tempore transacto tenentur in toto vel in parte, prout tibi eorum paupertate et conditione pensatis videbitur, presentium tenore concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

1. Ms : « ad eos. »
2. Ms : « constitute. »

1201 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut in injuriatores suos et familiæ suæ nec non in loca in quibus injuria facta fuerit censuram ecclesiasticam exercere valeat. (n° 97, fol. 214.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque: destinemus, nos volentes ut, submotis impedimentis quibuslibet, negotia hujusmodi felicem consequantur effectum, exercendi censuram ecclesiasticam in omnes illos qui in eundo, stando aut redeundo circa te vel familiam tuam injuriosi extiterint, si injuriatores ipsi a te moniti de injuria illata tibi et dicte familie non satisfecerint competenter, et in loca in quibus injuria hujusmodi facta fuerit, si tamen eorumdem locorum domini, qui laici fuerint, requisiti neglexerint facere tibi vel dicte familie satisfactionem impendi, non obstante si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. ut supra. »

1202 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut in singulis ecclesiis tam cathedralibus quam aliis legationis suæ unum ex clericis suis recipi faciat in canonicum. (n° 98, fol. 214 v°.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : destinemus, nos volentes tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tue faciendi per te vel alium seu alios auctoritate nostra clericos tuos, quos nunc habes et quos assumes, in ecclesiis tam cathedralibus quam aliis earumdem partium, si ad id illorum ad quos collatio prebendarum in eisdem ecclesiis pertinet accedat assensus, unum videlicet in ecclesia una tantum, in canonicos recipi et in fratres ac providendi eorum cuilibet de prebenda nulli alii de jure debita, si vacat ibidem ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, et contradictores, etc., usque : compescendi;

Non obstantibus statutis ecclesiarum ipsarum de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis ejusdem vel alia quacumque firmitate vallatis; aut si pro aliis direximus in eisdem ecclesiis scripta nostra; vel si aliqui per litteras Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum ibidem in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus per hoc nullum volumus prejudicium generari; seu si personis aliquibus a prefata sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem

alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli aut interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; sive qualibet alia indulgentia dicte Sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri; et aut si alias dicti clerici beneficiati existant, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1203 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut valeat condere testamentum. (nº 99, fol. 214 vº.)

« *Eidem.* Quia presentis vite conditio, etc., usque: prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata et que ordinis Predicatorum, quem fuisti professus, non fuerint, etc., ut in forma usque in finem. Dat. ut supra. »

1204 Au Latran, 31 janvier 1304.

Eidem, ut patriarchas, archiepiscopos, episcopos, ecclesiarum et monasteriorum prælatos aliasque personas ecclesiasticas suæ legationis possit punire, suspendere et etiam mittere ad Apostolicam Sedem, quotiens eos inobedientes seu rebelles repererit. (nº 100, fol. 214 vº.)

« *Eidem.* Cum te, etc., usque : duximus destinandum, puniendi prout videris expedire venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos ac monasteriorum et prioratuum Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, Vallis Umbrose, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum abbates, priores, et quoslibet alios quorumlibet [1] ecclesiarum, domorum et monasteriorum tam exemptorum quam non exemptorum prelatos, conventus, capitula sive collegia, nec non domorum Militie Templi, Hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theotonicorum et Calatravensis preceptores, magistros et fratres, ac quascumque personas ecclesiasticas tue legationis, cujuscumque conditionis seu dignitatis existant, qui tibi circa eadem officium et negotia vel in hiis que ad ipsa pertinere putaveris parere contempserint, ac ipsos patriarchas, archiepiscopos, episcopos ceterasque personas ecclesiasticas spiritualium et temporalium administratione suspensos ad Apostolicam Sedem mittendi pro meritis recepturos, non obstantibus aliquibus indulgentiis Sedis ejusdem cujuscumque tenoris existant, de quibus quarumque totis tenoribus oporteat in nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum mentionem fieri, et per que effectus concessionis hujusmodi impediri valeat vel differri, fraternitati tue plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1. Ms : « quarumlibet. »

1205 Au Latran, 31 janvier 1304.

Omnibus personis ecclesiasticis secularibus et regularibus provinciarum Tusciæ, Romaniolæ, Marchiæ Tervisinæ ac partium circumadjacentium nuntiat se ad easdem provincias legatum supradictum destinasse. Eis mandat ut illum benigne recipiant et tractent honeste. (nº 101, fol. 214 vº.)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis, religiosis et aliis, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti et sancti Augustini ac aliorum ordinum nec non magistris et preceptoribus Militie Templi, Hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani et beate Marie Theotonicorum, ad quos littere presentes pervenerint.

Cum venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, episcopum Ostiensem, Apostolice Sedis legatum, [ad provincias Tuscie, Romaniole, Marchie Tervisine ac partes circumadjacentes] pro magnis et arduis Ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatinus predictum legatum, imo potius nos in ipso, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes eundem, sibi pro suis et familie sue necessariis et securo conductu nec non in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, cum super hiis per ipsum vel ejus nuntium fueritis requisiti, in eundo, morando, et redeundo liberaliter providere curetis; etsi eundem legatum in aliquibus locis interdum moram trahere contigerit, volumus quod non solum archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiaconi, archipresbyteri, plebani et alii ecclesiarum prelati eorumque vices gerentes ac persone ecclesiastice, religiose et seculares, ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus, exempti et non exempti, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti

Benedicti et sancti Augustini et aliorum ordinum nec non magistri et preceptores Militie Templi, Hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theotonicorum et quorumcumque aliorum locorum ecclesiasticorum eorumdem locorum ubi dictus legatus fuerit vel adjacentium partium, sed etiam remotarum, infra fines tamen sue legationis existentium, dum infra dictos fines idem legatus fuerit, cum vero extra illi per quos transierit, contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur.

Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis quod possitis exinde merito commendari; alioquin sententiam sive penam, etc., usque : observari, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod legatis et nuntiis Sedis ipsius aliquam procurationem exhibere vel in ipsa contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur; seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi totoque tenore ipsius plenam et expressam non fecerint mentionem; seu aliquibus [1] privilegiis vel indulgentiis quibuscumque personis, locis, vel ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem [Sede] concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris specialis mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum quomodolibet valeat impediri. Dat. ut supra. »

1206 Au Latran, 1er février 1304.

Quasdam concessiones et remissiones jurium Romanæ Ecclesiæ, quas olim Bonifatius VIII certis locis, universitatibus et personis ducatus Spoletani fecerat, revocatas declarat. (nº 102, fol. 214 vº; THEINER, *Codex diplom. dom. temp. S. Sedis*, t. I, nº DLXXVIII.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Si Romane Ecclesie, cui divina faciente clementia presidemus, bona juraque negligimus, nos graviter reprehensibiles reddimus qui alios debemus corrigere si in conservandis aut recuperandis suarum quibus presunt ecclesiarum juribus desides comprobentur. Id autem maxime imputatur nobis si, dum sine alicujus injuria aut indignatione justa hoc implere possumus, illud per negligentiam obmittimus. Nam si Romanus pontifex, ad quem tuitio ecclesiastice rei publice pertinet et ad eam non sufficit alius, negligat, nullus in hiis poterit esse sollicitus, nullus nos excusabit et periculose multis erimus in exemplum; ideoque nos esse attentos oportet et vigiles, ut Ecclesie memorate jura apud alios constituta ad ipsam Ecclesiam revocare [curemus].

1. Ms : « si aliquibus. »

Sane dudum bone memorie Bo[nifatius] papa VIII, predecessor noster, quasdam concessiones et remissiones jurium dicte Romane Ecclesie in ducatu Spoletano usque ad beneplacitum Apostolice Sedis fecit nonnullis locis, universitatibus, et personis ducatus ejusdem. Concessit enim usque ad idem beneplacitum Nucerinis ne in curia comitis, quem rector ducatus predicti in comitatu civitatis eorum ponit pro tempore, teneantur ullatenus respondere, neque comes contra civitatem eandem ejusque districtum et habitatores eorum possit jurisdictionem et officium suum quomodolibet exercere : hominibus etiam castri Bithonii simili modo redditus et proventus, quos eadem Ecclesia habet ibidem in tertia parte bonorum et salariorum banche, focatico, passagio ceterisque servitiis que in Nativitatis et Resurrectionis dominice festis ab eis rectori debentur prefato : Asisinatibus quoque omnes redditus et proventus ac alia jura ubicumque in diocesi Asisinate ad Ecclesiam predictam spectantia, nec non Fulginatibus redditus et proventus ac jura, que sepedicta Ecclesia habet ibi tam in procuratione novi rectoris dicti ducatus, quam in tertia parte bonorum, condempnationum, salariorum ac passagii : Miliano insuper Egidii Pauli de Trebis, familiari suo, pedagium castri Trebarum, Spoletane diocesis, sub certo annuo censu papali solvendo camere gratiose concessit.

Nos autem considerantes quod hec omnia fuerunt ad beneplacitum Sedis predicte concessa, ideoque valent sine alicujus indignatione justa et absque ullius injuria revocari, attendentes etiam quod hec antiquata vel difficilius cum non modico prejudicio ejusdem Ecclesie vel nullo modo possent, id prohibente diuturnitate temporis que possessorem vallaret, in statum debitum reformari, ipsa, ne negligentia nostra si taceremus possit in dampnum sepefate Ecclesie redundare, de fratrum nostrorum consilio revocamus et in eis beneplacitum dicte Sedis volumus esse finitum.

Non igitur moleste ferant qui hec per concessiones hujusmodi habuerunt, sperantes a nobis sicut dilecti filii que Ecclesie pretacte non obsit vel aliis, cum nostro dampnosa fisco aut juri contraria nec ipsi ut devoti subjecti petere, nec nos concedere deberemus, gratiam ampliorem. Nulli, etc., nostre revocationis et voluntatis, etc. Dat. Laterani, kalendis februarii, anno primo. »

1207 Au Latran, 6 février 1304.

Episcopo Parmensi facultas conceditur permutandi nonnullas terras et possessiones ad mensam suam spectantes cum quibuscumque aliis in diocesi Parmensi consistentibus. (nº 103, fol. 215.)

« *Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario.* Claris tuis inducimur meritis ut votis tuis, in hiis presertim que ecclesie tue comodum respicere valeant, favorabiliter annuamus.

Cum itaque sicut asseris ex nonnullis terris et possessionibus ad mensam tuam episcopalem spectantibus, propter conditiones locorum ubi consistunt vel alias, tibi et eidem mense modicum utilitatis accrescat, nos tuis supplicationibus inclinati fraternitati tue, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, permutandi per te vel alium predictas terras et possessiones cum quibuscumque aliis terris et possessionibus in tua diocesi consistentibus, etiam ad monasteria, prioratus, ecclesias vel alia quecumque loca ecclesiastica pertinentibus, prout tuis et ejusdem mense utilitatibus noveris expedire, abbatibus etiam, prioribus et conventibus ac rectoribus seu aliis personis monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum et locorum predictorum tecum seu cum eo cui id commiseris permutationem hujusmodi faciendi, non obstante si tu vel iidem abbates, priores, conventus, rectores et persone de non alienandis hujusmodi possessionibus quibuslibet superioribus vestris seu etiam Romano pontifice inconsultis prestiteritis juramenta, liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

1208 Au Latran, 17 février 1304.

Conservatoribus infrascriptis committit ut Parmensem episcopum et ejus ecclesiam contra molestatores vel injuriatores quoslibet tueantur ac protegant. (n° 104, fol. 215.)

« *Venerabili fratri.. episcopo et dilectis filiis.. archidiacono Bononiensi et.. priori sancti Bartholomei porte Ravennatis per priorem soliti gubernari.* Ex injuncte nobis — Dat. Laterani, XIII kalendas martii, anno I°. »

1209 Au Latran, 6 février 1304.

Conservatoribus infranominatis mandat ut Guidonem, Astensem episcopum, et ejus ecclesiam contra molestatores seu injuriatores tueantur. (n° 105, fol. 215.)

« *Venerabilibus fratribus.. Taurinensi et.. Albinganensi episcopis ac dilecto filio.. abbati monasterii Fructuariensis, Iporiensis diocesis.* Ex injuncte nobis — Dat. Laterani, VIII idus februarii, anno primo. »

1210 Au Latran, 20 février 1304.

Obtentu Parmensis episcopi conceditur personis infradictis, Iporiensis diocesis, ut ad sedandas quasdam inimicitias inter earum parentes exortas matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (n° 106, fol. 215 v°.)

« *Dilecto filio nobili viro Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Martini de Aliate de sancto Martino, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Aloysie, nate dilecti filii nobilis viri Petri de sancto Georgio de Slandrate comitum, Iporiensis diocesis.* Licet conjunctio copule — Dat. Laterani, X kalendas martii, anno primo. »

1211 Au Latran, 20 février 1304.

Certis executoribus mandat, ut ruralem ecclesiam s. Benedicti sitam prope Taurinum abbatissæ et conventui monasterii s. Francisci Taurinensis, ordinis s. Claræ, in usus proprios concedant et assignent. (n° 107, fol. 215 v°; Potth., n° 25373.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Astensi ac dilectis filiis .. preposito de Chario, Taurinensis diocesis, et .. primicerio Taurinensi.* Injuncte nobis debitum — Dat. ut supra. »

1212 Au Latran, 20 février 1304.

Executoribus infradictis mandat ut Thomasiam Antonii de Tranna, neptem Parmensis episcopi, in domo sororum ordinis Humiliatorum Taurinensium recipi faciant in sociam et sororem. (n° 108, fol. 215 v°.)

« .. *Preposito, .. archidiacono et.. primicerio ecclesie Taurinensis.* Cum dilecta in Christo filia Thomasia, nata quondam Antonii de Tranna puella, in domo fratrum ordinis Humiliatorum Taurinensium una cum sororibus domus ejusdem, in qua duo conventus, unus videlicet prepositi et fratrum et alter magistre et sororum, per eundem prepositum soliti gubernari existant, cupiat sicut accepimus Domino famulari, nos venerabilis fratris nostri Pap[iniani], episcopi Parmensis, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, pro eadem puella nepte sua nostri favoris gratiam super hoc implorantis, supplicationibus inclinati, volentes ipsam in hujusmodi suo laudabili proposito confovere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra, eandem puellam in dicta domo in conventu earumdem sororum recipi faciatis in sociam et sororem et sincera in Deo caritate tractari;

Non obstante de certo sororum numero et quibuslibet aliis ipsorum domus et ordinis statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis aut si predictis preposito, fratribus, magistre et sororibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod excommunicari vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presentium impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis, contradictores, etc. Dat. ut supra. »

1213 Au Latran, 15 février 1304.

Gerardum de Pecoraria, capellanum suum, ad partes Angliæ, Walliæ, Scotiæ et Iberniæ transmittit, ut ibidem decimas, census, denarium s. Petri ac alia jura et obventiones quæ Romanæ Ecclesiæ debentur diligenter colligat. (nº 109, fol. 215 vº.)

« *Dilecto filio Gerardo de Pecoraria, canonico Remensi, capellano nostro.* In supreme preheminentia dignitatis licet insufficientibus meritis disponente Domino constituti, multiplicium negotiorum que jugiter in amplum Romane Ecclesie alveum undique confluunt varietate distrahimur, ac profundis nimirum cogitationibus noster animus agitatur, sed eorum que precipue dictam Ecclesiam et subsidium Terre Sancte contingunt, tanto propensior sollicitudo nos angit, quanto specialius nos de illis convenit cogitare.

Dudum siquidem felicis recordationis Gre[gorius] papa Xus, Nicolaus IIIItus et Bo[nifatius] VIIIus Romani pontifices, predecessores nostri, decimam omnium proventuum et reddituum ecclesiasticorum pro ipsius Terre subsidio et aliis certis causis duxerunt in nonnullis provinciis secundum certas locorum distinctiones per certa temporum spatia imponendas. Ad hujusmodi autem decimas et alia, que ipsi Terre subsidio seu alias dicte Ecclesie in partibus Anglie, Wallie, Scotie et Ibernie deberentur, per jamdictos et nonnullos alios predecessores nostros, Romanos pontifices, diversi fuerunt hactenus in eisdem deputati partibus collectores et illuc etiam nuntii destinati.

Verum quia tam circa decimas quam alia supradicta hujusmodi facta dudum fuisse collectio minus plenarie repetitur, multaque de decimis et aliis predictis adhuc tam Ecclesie quam Terre ipsi etiam pro tempore jam transacto debentur, nos de tue circumspectionis industria et puritate fidei plenam in Deo fiduciam obtinentes, te ad partes predictas collectorem et nuntium super hiis et aliis Ecclesie predicte negotiis providimus destinandum.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in illis partibus circa collectionem et exactionem hujusmodi decimarum ac denarii sancti Petri et aliorum censuum qui in illis partibus Ecclesie predicte debentur, nec non residui procurationum legatorum dicte Sedis que adhuc restant solvende queve juxta quandam ordinationem dicti Bo[nifatii] predecessoris ad dictam Ecclesiam pertinent, ac bonorum bone memorie Giffredi, episcopi Parmensis, nuntii dicte Sedis in illis partibus, qui apud Sedem eandem intestatus decessit, et indistincte legatorum nec non pecuniariarum penarum que frequenter sicut accepimus in eisdem partibus promittuntur in diversis contractibus pro ejusdem Terre subsidio et etiam committuntur, et generaliter omnium que ex testamento, ex votis seu votorum redemptionibus tam crucesignatorum quam aliorum quomodocumque dicte Terre subsidio aut alias ipsi Ecclesie in eisdem partibus quacumque ratione vel causa quomodolibet deberentur, diligentia sic exacta procedas, quod et de subtractis pro tempore jam transacto satisfactio condigna proveniat et in antea cum integritate hec omnia persolvantur, et nichilominus in hujusmodi negotiis et ea contingentibus generaliter et specialiter, prout qualitas facti suaserit et tibi videbitur, ex officio tuo diligenter inquiras, super quibus tibi tenore presentium plenam et liberam concedimus facultatem.

Eos autem quibus hactenus super aliquo premissorum quevis commissio facta fuit, quam exnunc auctoritate apostolica revocamus, et quoscumque alios de quibus expedire videris, quod tibi quaslibet apostolicas litteras omnesque scripturas per eos vel de mandato seu commissione ipsorum factas, vel quas ipsi quomodolibet detinerent, predicta negotia vel eorum aliquod contingentes, exhibeant, et quantum ipsi per se vel alium aut alios receperint de predictis, et penes quos et ubi, quando et qualiter et coram quibus et sub quibus securitatibus seu cautelis pecuniam ab eis in hac parte receptam deposuerint, quantum etiam adhuc de hiis pro tempore preterito et in quibus restat locis seu partibus colligendum, et quantum, quando et qualiter et ubi expenderint de predictis in prosequendis eisdem negotiis, et si de receptis restat adhuc aliquid assignandum, et de omnibus hujusmodi negotia contingentibus prout tibi videbitur reddant tibi plenarie rationem.

Venerabiles etiam fratres nostros archiepiscopos et

episcopos et dilectos filios electos, abbates, priores, rectores, ceterosque prelatos, clericos et personas ecclesiasticas, conventus et capitula dictarum partium, cujuscumque ordinis et conditionis existant, quos tibi constiterit de premissis aliqua tempore preterito subtraxisse, nec non quoscumque depositarios et alios penes quos aliqua ex eis existerent, quod illa omnia cessante difficultate qualibet tibi exhibere procurent infra competentes terminos, a te super hiis pro qualitate facti juxta tue discretionis arbitrium eis omnibus vel ipsorum cuilibet statuendos, monere ac efficaciter inducere ex parte nostra procures, et nichilominus illos ex personis eisdem, qui monitis tuis paruerint in hac parte, ab excommunicationum sententiis, si quas propter predicta incurrisse noscuntur, auctoritate nostra juxta Ecclesie formam absolvas, et dispenses cum eis super irregularitate, si quam predictis ligati sententiis divina officia celebrando vel immiscendo se illis forsitan contraxerunt. Quod si tales infra premissos terminos tuis monitis parere contempserint, tu eos auctoritate nostra nominatim ecclesiastica censura percellas, et si per unum mensem censuram hujusmodi animis sustinuerint induratis, eos extunc peremptorie citare procures, ut infra competentis termini spatium a te prefigendum eisdem post citationem tuam per se vel procuratores ydoneos, aut etiam personaliter illi de quibus personalem citationem merito videris faciendam, episcopis et eorum superioribus dumtaxat exceptis, compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi quod justitia suadebit. Diem vero citationis et prefixionis hujusmodi et quicquid inveneris et feceris in predictis nobis per tuas litteras et nichilominus per scripturam autenticam, harum seriem continentes, fideliter intimare procures.

Ceterum ut officium in hac parte tibi commissum utilius et efficatius exequi valeas, compellendi si opus fuerit prelatos aliasque personas ecclesiasticas supradictas ad providendum tibi et nuntiis tuis ac illis quos ad aliqua premissorum duxeris deputandos de securo conductu, cum a te vel eis super hoc fuerint requisiti, quitationem quoque de hiis que recipere te continget illis a quibus ea receperis, et quecumque circa premissa fuerint oportuna, prout tibi utiliter expedire videbitur, faciendi ac procedendi in hiis omnibus et singulis, et ea exequendi per te vel alium seu alios prout et quando expedire putaveris, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem;

Non obstantibus quibuscumque privilegiis et litteris apostolicis, per quas potestatis et jurisdictionis tibi super hiis concessarum explicatio possit quomodolibet impediri, et de quibus oporteat in presentibus specialem fieri mentionem; aut si aliquibus fuerit ab eadem Sede indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris et in conspectu agis Ejus qui cuncta discernit, sibique nec non et nobis qui circa hec omnem diligentiam habere intendimus teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte, quod in utriusque judicio non solum vites pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et retributionis premium exinde consequi merearis. Dat. Laterani, xv kalendas martii, anno primo. »

1214 Au Latran, 15 février 1304.

Eidem nuntio licentiam concedit percipiendi singulis diebus de prædictarum pecunia decimarum tres solidos Sterlingorum propriis expensis applicandos. (n° 110, fol. 216.)

« *Eidem.* Cum te ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie pro decimis dudum impositis per Sedem Apostolicam colligendis et aliis Ecclesie Romane peragendis negotiis destinemus, presentium tibi tenore concedimus quod singulis diebus, quibus circa negotia decimarum predictorum vacabis, tres solidos Sterlingorum pro necessariis tuis percipias de ipsarum pecunia decimarum. Dat. ut supra. »

1215 Au Latran, 15 février 1304.

Eidem elargitur potestatem absolvendi illos de partibus supradictis, qui pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas excommunicationis sententiam incurrerunt. (n° 111, fol. 216.)

« *Eidem.* Cum te ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie pro Ecclesie Romane redditibus exigendis et recolligendis et peragendis in eis negotiis destinemus, volentes ut incolas dictarum partium eo reddas Sedi Apostolice plus devotos, quo nostra fretus auctoritate te magis illis reddere gratiosum, absolvendi hac vice eos de partibus ipsis, qui per violentam manuum injectionem in clericos et personas ecclesiasticas inciderunt excommunicationis sententiam a canone promulgatam, ab eadem sententia juxta formam Ecclesie vice nostra, dummodo, signo vivifice crucis assumpto, de bonis suis pro Terre

Sancte subsidio decentem tibi exhibeant quantitatem juxta tue discretionis arbitrium moderandam, ac passis injuriam satisfaciant competenter, eorumque non sit adeo gravis et enormis excessus quod propter hoc ad Sedem ipsam debeant merito destinari, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1216 Au Latran, 15 février 1304.

Eidem mandat ut ad collectionem denarii s. Petri in prædictis partibus specialiter intendat. (n° 112, fol. 216 v°.)

« *Eidem.* Ad nostrum pervenit auditum quod, licet denarius sancti Petri per eos qui illum consueverunt colligere in regno Anglie colligatur, minus tamen fideliter nobis et eidem Ecclesie illius solutio exhibetur, et quanquam felicis recordationis N[icolaus] papa IIII^{us}, predecessor noster, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis nec non electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, officialibus, rectoribus, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Anglie constitutis suis injunxerit litteris, ut pecuniam hujusmodi collectam et nondum solutam bone memorie G[iffredo], episcopo Parmensi, tunc clerico camere et nuntio Sedis Apostolice in Anglia, integre solvere procurarent, ipsis tamen nonnullas excusationes pretendentibus ac appellantibus a processibus super hoc habitis nuntii memorati, nondum provenit condigna satisfactio de premissis; de quo nobis eo potioris amirationis causa suboritur, quo majoris devotionis fideique sinceritas in regno ipso anteactis consuevit temporibus inveniri.

Unde cum hujusmodi negotium ex eo cordi specialiter habeamus quod per hujusmodi minus plene solutionis effectum prefata Ecclesia jure suo non modicum defraudetur, eosdem archiepiscopos et episcopos, electos, abbates, priores, decanos, archidiaconos, prepositos, officiales, rectores, archipresbyteros, plebanos et alios ecclesiarum prelatos per alias nostras litteras rogandos attente duximus et hortandos, dantes eis nichilominus in mandatis ut pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, circa collectionem denarii supradicti opem et operam prout utilius expedire putaverint impendentes, pecuniam ex denario ipso collectam et nondum solutam et etiam colligendam tibi vel tuo certo nuntio, nostro et Ecclesie Romane nomine, integre ac fideliter assignare procurent, sic se in hac parte sollicite ac efficaciter habituri, ut jura ipsius Ecclesie sincere diligere ac illesa et integra conservare per effectum operum demonstrent, ac illos aut aliquem eorumdem non contingat occasione predicte pecunie non integre persolute laqueo excommunicationis involvi, sed nos devotionem ipsorum dignis exinde in Domino laudibus attollamus.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eosdem archiepiscopos, episcopos, et prelatos ex parte nostra moneas et inducas, ut contenta in eisdem litteris studeant adimplere. Alioquin per te vel alium seu alios, secundum quod utilius et melius videris expedire, dictum denarium cum integritate colligere et recipere non postponas, et contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; non obstantibus contrariis consuetudinibus, litteris, privilegiis ac indulgentiis quibuscumque per que tue jurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de quibus fieri debeat in nostris litteris mentio specialis; nobis quid in predictis inveneris, feceris et receperis ab eisdem plenarie rescripturus. Dat. ut supra. »

1217 Au Latran, 15 février 1304.

Eidem indulget ut, quandiu negotio præfatæ collectionis institerit, non teneatur se intromittere de quibusvis aliis negotiis, quæ sibi per Apostolicam Sedem vel ejus auctoritate committi forte contigerit. (n° 113, fol. 216 v°.)

« *Eidem.* Cum te ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ibernie pro recolligendis decimis, censibus, redditibus, et proventibus tam Romane Ecclesie quam Terre Sancte subsidio debitis aliisque dicte Ecclesie peragendis negotiis destinemus, nolentes ut hujusmodi commissorum tibi negotiorum prosecutio ex aliis quibuscumque causis valeat impediri, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, te in dictis partibus pro predictorum negotiorum prosecutione manente, non tenearis te intromittere de quibusvis aliis negotiis que tibi per ipsius Sedis vel legatorum ejus litteras committantur, nullusque legatus vel delegatus, executor seu etiam conservator a Sede deputatus eadem ad cognitionem alicujus cause vel executionem cujuscumque negotii te compellere possit invitum per litteras dicte Sedis impetratas vel etiam impetrandas, nisi eedem dicte Sedis littere impetrande plenam et expressam fecerint de hac indulgentia mentionem. Nos enim exnunc excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias, si quas in te occasione hujusmodi promulgari forte contigerit, irritas decernimus et inanes. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et constitutionis, etc. Dat. ut supra. »

1218 Au Latran, 15 février 1304.

Eidem concedit potestatem petendi et recipiendi a rege Angliæ censum in quo ipse rex tenetur Romanæ Ecclesiæ. (nº 114, fol. 216 vº.)

« *Eidem.* Cum te ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ibernie pro Ecclesie Romane redditibus exigendis et recolligendis ac peragendis in eis negotiis destinemus, petendi et recipiendi a carissimo in Christo filio nostro E[duardo], rege Anglie illustri, censum in quo ipse predicte tenetur Ecclesie tam pro preterito tempore quo in ejus solutione cessatum extitit, quam futuro cum termini solutionis advenerint, sibique vel procuratori suo ejus nomine quietationem de hiis que propter hoc ab eo receperis et quecumque circa premissa fuerint oportuna nostro et ipsius Ecclesie nomine faciendi plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Dat. ut supra. »

1219 Au Latran, 15 février 1304.

Gerardum de Pecoraria regi Anglorum commendat. Regem hortatur eundem ut censum supradictum cum integritate persolvat. (nº 115, fol. 216 vº.)

« *Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglorum illustri.* Eam gerimus de celsitudine regali fiduciam quod tu Romanam Ecclesiam matrem tuam devotione prosequens filiali, sic integraliter illi sua jura conserves, quod ipsa te tanquam filium predilectum amplectens tibi se reddat favorabilem in agendis et in gratiis liberalem.

Cum itaque dilectum filium Gerardum de Pecoraria, canonicum Remensem, capellanum nostrum, ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie pro ipsius Ecclesie exigendis et recolligendis in eis juribus et peragendis negotiis destinemus, magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente quatinus eundem capellanum habens pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia propensius commendatum, censum in quo Ecclesie predicte teneris tam pro preterito tempore quo in ejus solutione cessasti, quam etiam pro futuro cum termini solutionis advenerint, cum integritate persolvas, aliasque ipsum capellanum sic benigne recipias et pertractes, tuum sibi cum expedierit auxilium impendendo, quod ipse regio favore suffultus commissa sibi negotia liberius exequi valeat, nosque devotionis tue promptitudinem possimus exinde merito commendare. Nos enim sibi, quod quietationem tibi facere possit nostro et Ecclesie predicte nomine de hiis que sibi pro Ecclesia predicta persolveris, plenam concessimus per nostras litteras potestatem. Dat. ut supra. »

1220 Au Latran, 15 février 1304.

Personas ecclesiasticas religiosas et seculares Angliæ, Walliæ, Scotiæ et Yberniæ monet et hortatur, ut Gerardum de Pecoraria benigne recipientes et honeste tractantes, ei procurationes et solita subsidia exhibeant. — In eundem modum, aliquibus tamen mutatis, scribitur personis ecclesiasticis extra regnum Angliæ constitutis. (nº 116, fol. 216 vº.)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac ecclesiasticis personis religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti et sancti Augustini et aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus Militie Templi et Hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani et beate Marie Theotonicorum et Calatravensis per partes Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem, etc.

Cum nos dilectum filium Gerardum de Pecoraria, canonicum Remensem, capellanum nostrum, latorem presentium, ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ibernie pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eundem capellanum, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, sibi pro suis et familie sue necessariis in septem solidis Sterlingorum et securo conductu, singulis diebus dum in partibus illis fuerit, nec non in evectionibus oportunis si sue in via decesserint vel defecerint aut alias fuerint impedite, cum super hiis ex parte nostra per ipsum vel ejus nuntium fueritis requisiti, liberaliter providere curetis, et si dictum capellanum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, volumus quod non solum earumdem sed etiam vicinarum partium, sicut idem capellanus pro hujusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderit, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiaconi, archipresbyteri, plebani et alii ecclesiarum prelati eorumque vices gerentes ac persone ecclesiastice religiose et seculares, ecclesiarum, monasteriorum capitula [et] conventus exempti [et non exempti] Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum nec non magistri et preceptores Militie Templi, Hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani,

sancte Marie Theotonicorum et quorumcumque aliorum locorum ecclesiasticorum contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur.

Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis, quod possitis exinde merito commendari : alioquin sententiam quam ipse rite tulerit in rebelles, ad quod sibi concedimus auctoritate presentium plenam potestatem, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari;

Non obstantibus si aliquibus sit ab eadem Sede indultum, quod nuntiis Sedis ipsius aliquam procurationem exhibere vel in ipsa contribuere nisi ad eos declinaverint minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem; aut quibuslibet privilegiis, indulgentiis apostolicis quibuscumque personis, locis vel ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem Sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum possit quomodolibet impediri. Dat. ut supra. »

« In e. m. eisdem, usque : et Calatravensis, extra regnum Anglie constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem, etc. Cum nos dilectum filium Gerardum de Pecoraria, etc., ut supra usque : et familie sue necessariis in tribus florenis auri, diebus singulis, et securo conductu nec non in evectionibus oportunis, etc., usque : fueritis requisiti, in eundo et redeundo liberaliter providere curetis, etc., usque : alioquin sententiam quam ipse rite tulerit in rebelles ratam habebimus, etc., usque in finem. Dat. ut supra. »

1221 Au Latran, 7 février 1304.

Præfato nuntio concedit ut, quandiu per jamdictas partes obsequiis Apostolicæ Sedis institerit, fructus ac proventus beneficiorum suorum percipiat integraliter. (nº 117, fol. 217.)

« *Gerardo de Pecoraria, canonico Remensi, capellano nostro.* Dignum et congruum — Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Firmano et magistro Johanni de Escantia Lugdunensis ac Herrico de Saracen[is] de Urbe, Londoniensis ecclesiarum canonicis.

1222 Au Latran, 7 février 1304.

Eidem conceditur ut uni ex clericis suis familiaribus, quem ad hoc duxerit eligendum, similem gratiam concedere possit. (nº 118, fol. 217.)

« *Eidem Gerardo.* Cum te pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis in regnum Anglie destinemus, et per hoc dignum existat ut te prosequamur gratia, que non solum tibi sed etiam tuis obsequentibus possit existere fructuosa, ut unus clericus familiariter tuis insistens obsequiis, quem ad hoc duxeris eligendum, quandiu in prosecutione dictorum negotiorum extiteris, possit fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum, que in quibuscumque ecclesiis obtinet et eum in futurum obtinere contigerit, cum ea integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet si in eisdem ecclesiis personaliter resideret, non obstantibus contrariis ipsarum consuetudinibus vel statutis juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quibuscumque firmitatibus aliis roboratis aut quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis per que presentibus non expressa effectus hujusmodi gratie valeat impediri et de quibus oporteat in nostris litteris fieri mentionem, tibi auctoritate presentium indulgemus, proviso quod interim beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Laterani, VII idus februarii, anno primo. »

In e. m. .. episcopo Firmano et Johanni de Escantia Virdunensi et Henrico de Sarracenis de Urbe Londoniensi canonicis.

1223 Au Latran, 27 février 1304.

Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Taurinensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri valeant recipere. (nº 119, fol. 217 vº.)

« .. *Priori et fratribus ordinis Predicatorum Taurinensibus.* Ut circa ea que — Dat. Laterani, IIII kalendas martii, anno primo. »

1224 Au Latran, 3 mars 1304.

Gratia similis usque ad eandem summam conceditur priori et fratribus ordinis Prædicatorum Albensibus. (*Ibid.*)

« In e. m. .. priori et fratribus ordinis Predicatorum Albensibus. Ut circa ea, etc. — Dat. Laterani, V nonas martii, anno primo. »

1225 Au Latran, 7 mars 1304.

Gratia similis usque ad eandem summam conceditur priori et fratribus ordinis Prædicatorum de Saviliano, Taurinensis diocesis. (*Ibid.*; Potth., n° 25386.)

« In e. m. .. priori et fratribus ordinis Predicatorum de Saviliano, Taurinensis diocesis. » [Dat. Laterani, nonis martii, anno primo [1].]

1226 Au Latran, 3 mars 1304. (?)

Provisionem Aquensis ecclesiæ dispositioni Sedis Apostolicæ reservat. (n° 120, fol. 217 v°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ex certis causis et rationalibus, que ad id animum nostrum movent, provisionem ecclesie Aquensis, si forte impresentiarum vacat vel cum eam quocumque modo vacare contigerit, hac vice dispositioni et ordinationi nostre ac Apostolice Sedis de apostolice plenitudine potestatis reservamus, districtius inhibentes ne capitulum ipsius ecclesie seu quicumque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem de preficiendo sibi et eidem ecclesie episcopo vel pastore ea vice quoquomodo procedant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostre reservationis et constitutionis, etc. Dat. ut supra [2]. »

1227 Au Latran, 4 mars 1304.

Electoribus magistri ordinis fratrum Prædicatorum apud Tholosam constitutis notum facit se omnes sententias sive notas, quas ipsi forsitan incurrerint, penitus revocare, ita ut electioni celebrandæ obstaculum aliquod nequeat interponi. (n° 121, fol. 217 v°; Potth., n° 25420.)

« *Electoribus magistri ordinis nostri fratrum Predicatorum apud Tholosam in generali eorumdem fratrum capitulo constitutis.* Cum incumbat vobis in proximo festo Pentecostes creatio novi magistri ordinis nostri fratrum Predicatorum, nos volentes ut omnia circa hec et alia ejusdem ordinis rite procedant nullumque subsit neque ex vestra neque eligendi parte impedimentum canonicum, adversus quod possit nostra providentia subveniri, omnes sententias sive excommunicationis sive suspensionis vel etiam interdicti a jure prolatas vel homine ex causa quacumque, notas etiam undecumque contractas, si quas vos aut vestrum aliquis sive aliqui seu ad hujusmodi magisterium assumendus forsitan incurristis, de plenitudine potestatis penitus revocamus, ita quod obstaculum aliquod electioni, quam de magistro sepedicti ordinis facietis, propterea nequeat interponi.

Sic ergo ad id prudenter incedite, sic provide percurratis ydoneos, sic in meliorem vestra consideratio dirigatur quod Deo propitio magister discretione vigens, pollens scientia, consilio providus, in sibi officio committendo fidelis, et exemplo vite ac regularis discipline observantia, quam inconcusse custodiri volumus, ordini fructuosus vestro ministerio subrogetur. Dat. Laterani, IIII nonas martii, anno primo [1]. »

1. Le registre ne donne pas de date. Mais Rippoll, qui a publié la pièce (*Bullarium ord. frat. Præd.*, II, 92) d'après une expédition originale, lui assigne la date du 7 mars.

2. Il paraît difficile de dater cette pièce du 7 mars comme la précédente, puisque la date de celle-ci a été omise. Je crois plus sage de la rapporter à la dernière date exprimée, c. a. d. au 3 mars; mais c'est sous toutes réserves.

1228 Au Latran, 10 mars 1304.

Fratribus ordinis Prædicatorum provinciæ Lombardiæ Inferioris conceduntur conservatores super executione constitutionis quæ incipit *Inter cunctas.* (n° 122, fol. 217 v°; Potth., n° 25388.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Ravennati et .. Bononiensi,.. Paduano et.. Firmano episcopis.* Super egenum nuper intendentes et pauperem et dantes operam animarum saluti, quandam inter prelatos, rectores parrochialium ecclesiarum et clerum secularem ex parte una, et fratres Predicatorum et Minorum ordinum ex altera, tam super predicationibus libere ab eisdem fratribus faciendis et audiendis confessionibus eis peccata sua confiteri volentium, quam super canonica portione et episcopali quarta de relictis ipsis fratribus sive in communi sive eorum singulis minime detrahenda, specialem constitutionem edidimus, prout in eadem constitutione que incipit *Inter Cunctas* hec et alia plenius et seriosius continentur.

Sed quia parum esset jura condere, nisi qui ea tuean-

1. Ripoll, qui publie cette lettre d'après une expédition originale des archives de l'Ordre de saint Dominique (*Bullarium ord. frat. Præd*, II, 97), lui donne une date toute différente : « Dat. Laterani, idibus aprilis, anno primo. » C'est une erreur évidemment. Le 13 avril Benoit XI n'était pas à Rome : son itinéraire en fait foi. Par conséquent il faut ou rejeter la date donnée par Ripoll, ou tout au moins la modifier. En effet, si l'on admet que la bulle a été donnée au Latran, on ne peut la rapporter au 13 avril; elle est du 8 au plus tard. Si au contraire on accepte comme exacte l'indication du 13 avril, on doit dater la pièce soit de Ronciglione, soit de Viterbe, comme l'a fait très judicieusement Potthast. Voy. la table chronologique et l'itinéraire de Benoît XI à l'*Introduction.* — J'ai adopté la date du registre, qui ne donne lieu à aucune difficulté.

tur existerent, nos volentes constitutionem predictam irrefragabiliter observari, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios fratribus dicti ordinis Predicatorum provincie Lombardie Inferioris efficacis defensionis presidio assistentes, ac facientes constitutionem eandem quoad omnia ejus capitula prout jacet firmiter observari, non permittatis contra tenorem ipsius memoratos fratres molestari a predictis prelatis, rectoribus et clero sive aliis, vel eis gravamina aut injurias irrogari, facturi ipsis fratribus de illatis eis injuriis, molestationibus et gravaminibus, ac de extorta ab eis canonica portione et quarta episcopali predictis contra tenorem eundem, de illis videlicet que judicialem requirunt indaginem per viam judicii, in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitie complementum, ita quod officium, potestas et jurisdictio vestra exnunc perpetua[ta] [1] censeantur, molestatores et injuriatores hujusmodi nec non contradictores et rebelles, quandocumque et quotienscumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo;

Non obstantibus tam de duabus dietis in Concilio generali, quam felicis recordationis Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, quarum prima cavetur ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis ad judicium evocetur; et aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis quam conservatoribus aut aliis editis, que vestre possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis quibuscumque et in quacumque forma verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta dicte jurisdictionis sive potestatis explicatio possint quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem.

Eandem insuper vobis eisdem modo et forma per omnia jurisdictionem et potestatem concedimus circa conservationem aliorum privilegiorum, que iidem fratres a nobis habent vel a Romanis pontificibus hactenus habuerunt. Dat. Laterani, VI idus martii, anno primo [2]. »

1. Cf. col. 81, 154, 598, 627, etc.

2. Potthast mentionne deux expéditions de cette bulle, qui ne figurent pas dans le registre du Vatican. La première est adressée à l'archevêque de Milan, aux évêques d'Asti, de Brescia et de Pavie (n° 25387, Latran 10 mars 1304); la seconde aux évêques de Lucques, Sienne, Pérouse et Rieti (n° 25388 *in e. m.* même date). Cf. à l'appendice les nos 1305, 1315 et 1313.

1229 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Scribitur in eundem modum conservatoribus infradictis pro fratribus ordinis Minorum provinciæ Datiæ. (*Ibid.*)

« In e. m. .. Roskildensi, .. Lincopensi et .. Stavangrensi episcopis. Super egenum, etc., ut supra usque : fratribus ordinis Minorum provincie Dacie efficacis defensionis presidio assistentes, etc., usque in finem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

1230 Au Latran, 12 mars 1304.

Ordinem fratrum Prædicatorum a jurisdictione quorumlibet prælatorum de novo eximit, decernens ordinem ipsum Apostolicæ Sedi et Romano pontifici nullo medio subjacere. (n° 123, fol. 218; Potth., n° 25396.)

« .. *Magistro, prioribus ac fratribus universis ordinis Predicatorum.* Inter ceteros ordines, quos Celestis Agricole summa benignitas in orto plantavit Ecclesie, sacrum vestrum ordinem jam per orbis provincias superna gratia propagante diffusum, dum minori fungeremur officio, sincera caritate dileximus, ad statum ejus feliciter promovendum sollicitis studiis intendentes; nec minuit utique sed auxit potius circa ipsum prehabite dilectionis affectum persone nostre subsecuta promotio ad apicem apostolice dignitatis, cum tanto propensius ad ipsius ordinis intendamus augmentum, quanto nobis facultas prestantior quanquam nostris non exigentibus meritis noscitur celitus attributa.

Licet igitur nonnulli Romani pontifices, predecessores nostri, prefatum ordinem a prelatorum jurisdictione quorumlibet prorsus exemerint ipsumque fore decreverint per ipsorum litteras speciales exemptum, nos tamen ordinem ipsum ob salutis fructus innumeros, qui ex ipso noscuntur animabus fidelium provenire, gerentes in visceribus caritatis et propterea nolentes omnino ut quisquam, cujuscumque sit ordinis, dignitatis, conditionis aut status, vos generaliter vel specialiter ac prefatum ordinem super exemptione ipsius ac aliis vestris dictique ordinis libertatibus et immunitatibus quibuscumque, sub quavis forma vel expressione verborum vobis et eidem ordini ab Apostolica Sede concessis, impugnare, impetere ac turbare valeat vel quomodolibet molestare, vos et ordinem ipsum ab omnium et singulorum quorumlibet prelatorum et personarum ecclesiasticarum omnimoda potes-

tate ac jurisdictione prorsus eximimus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod nec etiam ratione delicti commissi vel initi contractus nec rei site, posite, vel existentis, extra loca vestra exempta possitis coram eis non obstante constitutione felicis recordationis Innoc[entii] pape IIII, predecessoris nostri, in contrarium edita impeti, molestari seu quomodolibet conveniri, decernentes vos et ordinem supradictum immediate eidem Sedi et soli tantummodo Romano pontifici subjacere.

Ecclesias insuper, oratoria, domos et loca que tenetis et inhabitatis ad presens ac tenebitis et inhabitabitis in futurum, dum et quotiens vos illa tenere et inhabitare contigerit, exempta prorsus existere nulloque medio Sedi subesse decernimus prelibate. Nulli ergo, etc., nostre exemptionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, IIII idus martii, anno primo. »

1231 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Eadem concessio pro ordine fratrum Minorum. (*Ibid.*, Potth., nº 25414.)

« In e. m. .. generali ac provincialibus ministris et universis fratribus ordinis fratrum Minorum. Sub dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, anno primo. »

1232 Au Latran, 18 février 1304.

Gerardo de Pecoraria, nuntio suo ad partes Angliæ, Walliæ, Scotiæ et Yberniæ destinato, mandat ut totam pecuniam, quam in prædictis partibus nomine Ecclesiæ colligi contigerit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet. (nº 124, fol. 218.)

« *Gerardo de Pecoraria, canonico Remensi, capellano et nuntio nostro.* Cum te ad partes Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie pro decimis dudum impositis per Sedem Apostolicam ceterisque censibus, obventionibus et juribus debitis Romane Ecclesie vel Terre Sancte subsidio colligendis et recipiendis ac aliis ejusdem Ecclesie gerendis negotiis destinemus, ut pecuniam, quam ex premissis recipere te continget, habere possimus in promptu, discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus totam pecuniam, quam de predictis ad manus tuas vel illorum quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputabis provenire (*sic*) contigerit, nec non pecuniam ex hiis jam collectam, que aliquibus mercatoribus de mandato Sedis Apostolice nondum fuerit assignata, dilectis filiis Oliverio Lippo et Naddo Gerardini de Circulis ac Bonacurso Bon[en]contri [1], civibus et mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, camere nostre mercatoribus, seu eorum alicui vel eorum seu alterius eorumdem procuratori seu procuratoribus ad hoc ab eis vel eorum aliquo specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, assignes integraliter et per subcollectores a te deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, excepta tamen pecunia decime imposite per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, pro necessitatibus Ecclesie Romane, quam tam prefatis Circulis quam etiam mercatoribus de Clarentum et Bardorum societatibus pro equalibus portionibus volumus assignari, faciens de singulis assignationibus hujusmodi et valore monete, que ipsis assignabitur, videlicet ad quot florenorum auri valorem eadem moneta tempore hujusmodi assignationis ascendat, duo confici publica instrumenta, illa nobis penes te retentis similibus per fidelem nuntium transmissurus, ac nichilhominus significaturus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeris faciendum. Sic itaque in hac parte vigilanter et fideliter te habere procures quod possis exinde merito commendari. Dat. Laterani, XII kalendas martii, anno primo. »

1233 Au Latran, 20 février 1304.

Magistro Bonajuto de Casentino, nuntio suo ad partes Boemiæ, Ungariæ, Poloniæ et Moraviæ destinato, mandat ut totam pecuniam quam in prædictis partibus nomine Ecclesiæ colligi contigerit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet. (nº 125, fol. 218.)

« *Magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi, capellano et nuntio nostro.* Cum nos te ad Boemie et Ungarie regna, ducatum Polonie et marchionatum Moravie pro colligendis et exigendis ibidem decimis, censibus et obventionibus quibuscumque tam Romane Ecclesie quam subsidio Terre Sancte debitis destinemus, ut pecuniam quam ex premissis recipere te continget habere possimus in promptu, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus totam pecuniam, quam de premissis ad manus tuas vel illorum quos ad hujusmodi ministerium deputabis pervenire contigerit, dilectis filiis Oliverio Lippo, Naddo Gerardini de Circulis et Bonacurso Bonencontri, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, camere nostre mercatoribus, vel eorum alteri seu ipsorum vel alterius eorumdem procuratori seu pro-

1. Cf. les deux pièces suivantes et aussi col. 146 et 358.

curatoribus ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata qualibet difficultate, assignes integraliter et per subcollectores a te deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi, etc., ut supra usque : ascendat, duo similia confici publica instrumenta, illa nobis, etc., usque in finem. Dat. Laterani, x kalendas martii, anno primo. »

1234 Au Latran, 13 mars 1304.

Infradictis mandat ut sexcentas libras Januensium, quas parrochianus quidam ecclesiæ s. Sabinæ Januensis Ecclesiæ Romanæ legavit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia faciant assignari. (n° 126, fol. 218 v°.)

« .. *Priori sancte Sabine et fratri Henrico Amonnis ordinis fratrum Minorum Januensium.* Cum sicut accepimus quondam Henricus Compagnoni, parrochianus ecclesie sancte Sabine Januensis, pro restitutione eorum que acquisierat ex dampnato commercio contracto per eum cum Sarracenis de Alexandria contra inhibitionem Sedis Apostolice, legaverit Romane Ecclesie certam pecunie quantitatem, videlicet sexentas libras Januensium vel circa, hujusmodi summam depositam penes Nicolaum David civem et mercatorem Januensem relinquens, vosque sui executores constituerit testamenti, prout in instrumento publico inde confecto manu Johannis Michaelis notarii de Fundio, parrochiani ejusdem ecclesie, plenius dicitur contineri, nos volentes eandem pecuniam habere in promptu, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eam dilectis filiis Bonacurso Bonnincontri et ejus sociis, mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, nostre camere mercatoribus, seu eorum alicui vel ipsorum seu alterius eorumdem procuratori aut procuratoribus ad hoc ab eis vel eorum aliquo specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, integraliter assignetis per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, prefatum Nicolaum seu quoscumque alios ad id, si necesse fuerit, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Nos enim vobis faciendi dicto Nicolao quietationem de hiis que receperitis ab eodem et omnia que circa premissa videritis expedire plenam concedimus tenore presentium facultatem.

De assignatione autem hujusmodi et valore monete que predictis fuerit assignata, videlicet ad quot florenorum auri valorem ascendat, fieri faciatis duo publica instrumenta, quorum uno penes vos retento, alterum nobis per fidelem nuntium destinare curetis, significaturi nichilominus nobis per vestras litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeritis faciendum. Sic itaque in hac parte vigilanter et fideliter vos habere curetis, quod possitis exinde merito commendari. Dat. Laterani, III idus martii, anno primo. »

1235 Au Latran, 13 février 1304.

Busolo de Parma, capellano suo, committit ut ad monasterium Farfense, ordinis s. Benedicti, Sabinensis diocesis, personaliter se conferens, in eodem cœnobio nec non in ipsius membris, prioratibus et ecclesiis reformet atque visitet quæcumque visitationis et reformationis officio noverit indigere. Per hoc autem Benedictus XI non intendit irritare, minuere vel turbare jura Francisci s. Luciæ in Silice diaconi cardinalis, quem ad protectionem seu tuitionem dicti monasterii Bonifatius VIII quondam deputavit. (n° 127, fol. 218 v°.)

« *Busolo de Parma, canonico Tornacensi, capellano nostro.* De universis orbis — Dat. Laterani, idibus februarii, anno primo. »

1236 Au Latran, 16 mars 1304.

Gentili de filiis Ursi, senatori Urbis, concedit licentiam emendi vel alias acquirendi tam infra quam extra Urbem jura bonaque mobilia et immobilia. (n° 128, fol. 218 v°; Theiner, *Codex diplom. dominii temp. S. Sedis*, t. I, n° DLXXX.)

« *Gentili de filiis Ursi, senatori Urbis.* Merita tue probitatis et devotionis exposcunt, ut in hiis que tuos profectus respiciant favorabiles nos tibi sentias et benignos.

Volentes itaque personam tuam favore prosequi speciali, tibi, qui senatorie Urbis officium una cum dilecto filio nobili viro Luca de Sabello, consenatore tuo, geris ad presens, emendi et quocumque alias justo titulo acquirendi tam infra predictam Urbem quam extra bona et jura mobilia et immobilia a quibuscumque personis id facere tibi volentibus, et cum eis quoscumque super hiis iniendi et perficiendi contractus et illos cautionibus et firmitatibus debitis roborandi, quibuscumque inhibitionibus vel constitutionibus contrariis Romanorum imperatorum seu predicte Urbis nequaquam obstantibus, dummodo per Romanos pontifices alias id prohibitum non existat, plenam et liberam presentium auctoritate concedimus facultatem. Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

1237 Au Latran, 28 février 1304.

Episcopo Magalonensi committit ut certam pecuniæ quantitatem apud quosdam mercatores de Montepessulano depositam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia assignari procuret. (nº 129, fol. 218 vº.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Magalonensi.* Cum quondam Johannes Ferrandi de Salas, canonicus Burgensis, apud Sedem Apostolicam decesserit intestatus dictusque canonicus, dum adhuc viveret, penes dilectos filios Ugonem et Pontium Almandini, mercatores de Montepessulano, laicos tue diocesis, duo milia librarum Turonensium grossorum et centum nonaginta duplas aureas, quarum duplarum medietas fuerit de miro et altera de ralcheto justi ponderis et valoris, fiducialiter duxerit deponendas, prout in instrumento publico manu Raymundi Rodonis notarii ejusdem loci de Montepessulano confecto plenius continetur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, hujusmodi pecuniam nostro et Ecclesie predicte nomine per eosdem mercatores tibi dari faciens, illam alicui de mercatoribus de societate Circulorum de Florentia, qui sunt nostre camere mercatores, aut eorum vel alicujus ipsorum procuratori seu certo nuntio, has nostras litteras deferenti, assignare procures, per eos postmodum nobis apud Sedem Apostolicam ad nostrum beneplacitum exhibendam, ut disponamus de illa prout fuerit disponendum, prefatos mercatores de Montepesulano ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, faciens de hujusmodi assignatione duo confici publica instrumenta, quorum nobis unum penes te retento altero non differas destinare, significaturus nobis nichilominus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid actum fuerit in premissis.

Nos enim faciendi quietationem dictis mercatoribus de Montepesulano de hiis que receperis ab eisdem, et quecumque circa hec videris oportuna plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, III kalendas martii, anno primo. »

1238 Au Latran, 19 mars 1304.

Mercatoribus societatum Circulorum et Bardorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio concedit ut de pecunia, quam in provinciis infradictis pro Romana Ecclesia receperint, retineant usque ad summas quas olim mutuarunt rectoribus provinciarum earumdem. (nº 130, fol. 219.)

« *Dilectis filiis de Circulorum et Bardorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio societatibus camere nostre mercatoribus.* Cum vos de mandato facto vobis ex parte nostra per dilectum filium J[ohannem] electum Spoletanum, camerarium nostrum, cui id commisimus oraculo vive vocis, mutuaveritis, quelibet silicet societatum vestrarum pro tertia parte, infrascriptas pecuniarum summas videlicet: dilectis filiis nobilibus viris Deoteclerio de Logliano ducatus Spoletani octingentos, Rambaldo de Collalto Marchie Anconitane mille, Jacobo Quirini de Venetiis Patrimonii beati Petri in Tuscia octingentos, Theobaldo Brusciati de Brixia Romaniole duo milia, ac Thomasino de Inzola de Parma Campanie ac Maritime rectoribus quingentos in una parte et quinquaginta in alia florenos auri, pro Ecclesie Romane negotiis per rectores ipsos gerendis, nos volentes in hac parte vestris indempnitatibus precavere, presentium vobis tenore concedimus quod de pecunia, quam in ducatu, Marchia, Patrimonio, Romaniola et Campania predictis receperitis pro eadem Ecclesia, quelibet dictarum societatum usque ad summam que eam pro rata contigerit de summis predictis sibi licite retinere et ad restitutionem ipsius a nullo valeat coartari. Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

1239 Au Latran, 8 décembre 1303.

Testatur quod nuper a Conrado Auriæ, procuratore et nuntio regis Trinacriæ, recepit ligium homagium ac fidelitatis juramentum, quæ prædictus rex præstare debet summo pontifici et Ecclesiæ Romanæ pro insula Siciliæ et aliis circumadjacentibus insulis sibi concessis in feudum ab Apostolica Sede. (nº 131, fol. 219; Potth., nº 25315.)

« *Carissimo in Christo filio Friderico, regi Trinacrie illustri.* Ne rei geste memoriam diuturnitas temporis in posterum forsan obliteret, testamur tenore presentium quod dilectus filius nobilis vir Conradus Aurie, procurator et nuntius tuus, ligium homagium et fidelitatis juramentum nomine tuo presentialiter nobis, nomine nostro et Ecclesie Romane recipientibus, pro insula Sicilie ac aliis circumadjacentibus insulis, quas a nobis et ipsa Ecclesia ad vitam tuam tenes in feudum, fecit et prestitit in hac forma :

« Ego Conradus Aurie, magnifici principis domini mei
» domini F[riderici] regis illustris, sancte Romane Ecclesie
» fidelis et vassalli, procurator et nuntius, recognoscens
» et confitens nomine prefati domini mei quod quicquid
» in Sicilia et circumadjacentibus insulis habet et tenet,
» totum in vita sua tantummodo habet et tenet in feudum
» a predicta Romana Ecclesia ex sola gratia et mera libe-
» ralitate ipsius, ejusdem regis nomine et pro ipso, vobis

» sanctissime pater domine Benedicte undecime divina » providentia sacrosancte et universalis Ecclesie summe » pontifex, et ipsi Romane Ecclesie pro eo quod in Sici- » lie et aliis circumadjacentibus insulis predictis ipse » dominus meus rex habet et tenet ad vitam suam ligium » homagium facio, et fidelitatis presto in animam dicti » domini mei et meam solitum juramentum, videlicet : » quod ipse dominus meus rex ab hac hora in antea fide- » lis et obediens erit beato Petro et vobis vestrisque suc- » cessoribus canonice intrantibus sancteque Apostolice » Romane Ecclesie. Non erit in consilio aut consensu vel » facto ut vitam perdatis aut membrum, aut capiamini » mala captione. Consilium, quod sibi crediturі estis per » vos aut per nuntios vestros sive per litteras, ad vestrum » et eorum dampnum nemini pandet se sciente, et si » sciverit fieri vel procurari seu tractari aliquod quod sit » in vestrum vel aliorum dampnum, id pro posse impe- » diet, et si impedire non posset illud vobis et eis signi- » ficare curabit. Papatum Romanum et regalia sancti » Petri tam in predictis Sicilie et circumadjacentibus » insulis quam alibi existentia adjutor erit vobis et ipsis » ad retinendum et defendendum ac recuperandum et » recuperata manutenendum contra omnem hominem. » Sic eundem dominum meum dominum F[ridericum] re- » gem et me Deus adjuvet et hec que manibus meis teneo » sancta Dei Evangelia.

» Promitto insuper procuratorio nomine dicti domini » mei et pro ipso, quod ipse dominus meus rex, pro » omni eo quod sibi ut predicitur ex mera liberalitate » Romane Ecclesie ab ea in sepedictis Sicilie et circum- » adjacentibus insulis habet et tenet, vobis, successori- » bus vestris canonice intrantibus et Ecclesie Romane, » ubicumque vos et successores vestri Romani pontifices » fueritis, annuum censum trium millium unciarum auri » in beati Petri festo persolvet, ac servitium centum mi- » litum, convertendum quandoque in navale subsidium, » juxta formam et modum super hoc in conventionibus » initis habitos, vice sua tempore toto prestabit.

» Modus autem et forma hujusmodi prestationis in » conventionibus ipsis expressi hii sunt : quod quilibet » dictorum centum militum tres equitaturas ad minus » habeat sitque armis bene et decenter munitus ; quodque » dictum prestetur servitium per tres menses integros, » expensis dicti domini mei regis, computandos a die » quo iidem milites seu navale servitium egressi fuerint » aut egressum fines districtuum insularum dictarum, se- » mel in anno, quandocumque vos vel successores vestri » Romani pontifices, qui pro tempore fuerint, asserueritis » eodem servitio Romanam Ecclesiam indigere, ita quod » super indigentia hujusmodi vestro et predictorum suc- » cessorum vestrorum simplici verbo stetur ; idemque » servitium in navale subsidium, debita proportione ac » compensabili taxatione prehabita iisdemque modo et » forma, juxta vestrum, eorumdem successorum et Eccle- » sie beneplacitum convertetur ; quodque inimicos et » hostes dicte Romane Ecclesie pro hostibus et inimicis » habebit ; ac omnes ecclesias insularum dictarum plena- » rie restituet et restitui faciet, si forte adhuc restitute » non sint, ad omnia bona et jura ipsarum in quorum » possessione erant tempore quo insula Sicilie memorata » contra clare memorie dominum Carolum rebellavit, per » quoscumque prefata bona et jura ablata vel occupata » sint aut detineantur ad presens, nisi forsitan circa pre- » dictum tempus aliqua justa alienatio per personas auc- » toritatem habentes de predictis bonis et juribus rite et » rationabiliter facta esset ; et quod omnes predictas ec- » clesias et personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum » prefatus dominus meus rex libertatibus, privilegiis et » immunitatibus a sacris canonibus eis concessis, et spe- » cialiter quod immunes sint a collectis et talliis, gaudere » permittet et faciet ; quodque, Romanus populus cum » indigebit, idem dominus meus ejus vita durante, ad re- » quisitionem vestram et dictorum successorum vestro- » rum, de portubus Sicilie victualia et legumina deferenda » ad Urbem pro ipsorum usibus [extrahi permittet], cum » solutione tamen juris exiture quod per ejusdem domini » mei regis curiam fuerit ordinatum ; vosque et dicti » successores vestri, ejusdem domini mei vita durante, » quando indig[u]eritis aut prefata Ecclesia, precipue pro » subsidio Terre Sancte, anno quolibet hujusmodi ne- » cessitate durante, de prefate Sicilie partibus salmarum » decem milia libera a jure quolibet exiture et alterius » cujuscumque dirictus, ferenda quo vos vel Ecclesia » memorata mandabitis, extrahatis juxta vestrum bene- » placitum voluntatis et extrahi facere valeatis.

» Et quicquid in dictis Sicilie et circumadjacentibus » insulis idem dominus meus ut predicitur habet non » dividet absque Sedis Apostolice et dicti domini C[aroli] » regis Sicilie voluntate ; ac concordiam et pacem factas » et initas inter dominum Carolum regem Sicilie illus- » trem et dominum meum regem predictum, confirmatam » per bone memorie dominum B[onifatium] papam VIII, » predecessorem vestrum, ipse dominus meus rex gra- » tam et ratam habebit, et generaliter universas et sin- » gulas conventiones jam dudum inter dictam Romanam » Ecclesiam et felicis memorie dominum Carolum regem » Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, tam in » concessione regni Sicilie et totius terre citra Farum » usque ad confinia terrarum prefate Ecclesie Romane » sibi per eandem Ecclesiam olim facta, affirmative vel

» negative, de faciendo sive de non faciendo, quatinus » ipsum dominum meum F[ridericum] contingere possunt, » quam nuper in pace inter ipsum dominum meum et » pro parte ipsius et dominum serenissimum principem » dominum Carolum regem Sicilie illustrem et pro ipsius » parte, initas et habitas ac per Sedem eandem reformatas » et approbatas ac eisdem conventionibus additas, sicut » si specialiter et nominatim essent expresse in jura» mento et promissione presenti, plene et integre adim» plebit et inviolabiliter observabit tempore vite sue, nec » in aliquo veniet vel faciet contra eas ; quodque idem » dominus meus rex consentiet et volet quod, si ipse » predictum censum non solveret vel servitium non pres» taret, penas hoc ipso incurrat appositas in persona » inclite recordationis dicti domini Caroli et heredum » suorum circa census octo milium unciarum auri et ser» vitii trecentorum militum prestationem in conventioni» bus predictis inter dictam Romanam Ecclesiam et regem » Carolum memoratum olim habitis in regni concessione » prefati ; et quod per concordiam et pacem predictas » ejusque tractatum, confirmationem factam per prefatum » quondam dominum Bonifatium, ac domini C[aroli] regis » vel procuratorum suorum assensum, seu prestationem » et receptionem homagii vel dictorum census trium mi» lium unciarum auri et servitii militaris seu navalis, et » intitulationem qua dictus dominus meus Fridericus rex » utetur secundum pacem predictam, nullum prejudi» cium, mutilatio, vel diminutio conventionibus predictis » initis inter dictam Romanam Ecclesiam et prefatum » dominum quondam C[arolum] regem Sicilie, ac dicto » domino C[arolo] regi Sicilie ejusque heredibus et pos» teris afferatur, quin post obitum dicti domini mei » regis jamdicta insula Sicilie cum insulis circumadja» centibus omnibusque aliis pertinentiis suis ad unitatem, » integritatem et soliditatem alterius partis terre citra » Farum posite, sicut erat concessionis tempore facte per » Apostolicam Sedem prefato quondam C[arolo] Sicilie » regi, ipso jure et sine aliquo facto hominis juxta dicti » tractatus pacis seriem sic revertatur, quod liceat tunc » predicto domino C[arolo] regi Sicilie et legitimis here» dibus suis dictam insulam Sicilie cum insulis ei circum» adjacentibus aliisque juribus et pertinentiis suis ad » soliditatem et integritatem predicte terre alterius citra » Farum et unitatem totius regni Sicilie auctoritate pro» pria et sine jussu alicujus presidentis seu judicis revo» care, prefatis conventionibus inter Ecclesiam et quon» dam regem predictos habitis et pace predicta ejusque » tractatu in sua manentibus firmitate ; et quod per de» tentionem vel retentionem aut divisionem predictarum » insularum, jurium et pertinentiarum ipsarum facien» das juxta pacis predicte tenorem, jamque factas ad » vitam dicti domini mei per confirmationem prefatam, » post obitum ejus ipsis domino Carolo ejusque succes» soribus nullum in petitorio vel possessorio prejudicium » generetur aut ex possessione vel tenuta predictis alle» gari possit prescriptio vel opponi ; quodque hominibus » insularum ipsarum non possit aliquod afferri prejudi» cium in futurum, nec per hoc, insula ipsa ad predictas » unitatem, integritatem et soliditatem immediate post » ipsius domini mei regis obitum ut predicitur redeunte, » in functionibus publicis aliisque debitis prestationibus » gravetur in plus quam rationabilis et moderata pro» portio patietur.

» Et juro ut supra quod idem dominus meus rex pre» dicta per me promissa inviolabiliter observabit et fide» liter adimplebit. »

Dat. Laterani, VI idus decembris, anno primo. »

1240 A Saint-Pierre, 8 avril 1304.

Reclusis Urbis quendam visitatorem deputat. (n° 132, fol. 219 v°.)

« *Matheo Nicole, presbytero ecclesie sancti Silvestri de Arzoninis de Urbe*. Ex parte dilectarum in Christo filiarum Reclusarum Urbis fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum eedem Recluse multis molestiis et injuriis lacessite nequeant absque defensoris et visitatoris suffragio in sue paupertatis tranquillitate virtutum Domino famulari, providere eis super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos itaque earumdem Reclusarum supplicationibus inclinati, de discretione tua plenam in Deo fiduciam obtinentes, te prefatis Reclusis visitatorem duximus deputandum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, memoratas Reclusas ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram habens propensius commendatas, ipsas per te vel alium visites et earum confessiones audias eisque ministres ecclesiastica sacramenta et in observantia mandatorum Domini eas instruas et informes, ac nichilominus efficaci presidio defensionis assistens eisdem, non permittas eas ab aliquibus indebite molestari, molestatores, etc. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI idus aprilis, anno primo. »

1241 Au Latran, 16 mars 1304.

Episcopo Parmensi licentiam elargitur conferendi Gerardo Tertio, canonico Cremonensi in minoribus tantum ordinibus constituto, archipresbyteratum plebis s. Pancratii, Parmensis diocesis, ea tamen conditione apposita ut Gerardus prædictus se faciat ad sacerdotium promoveri. (n° 133, fol. 219 v°.)

« *Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario.* Cum sicut in nostra — Dat. Laterani, XVII kalendas aprilis, anno primo. »

1242 Au Latran, 19 mars 1304.

Statuit ut nulla monialium sub cura ordinis fratrum Prædicatorum viventium ad abbatiam vel regimen alicujus monasterii alterius professionis possit assumi absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. (nº 134, fol. 220 ; POTTH., nº 25403.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ut moniales secundum instituta et sub cura ordinis fratrum Predicatorum viventes, ad quas gerimus benivolentie specialis affectum, eo devotius in institutorum observantia predictorum virtutum Domino, cujus sunt obsequiis dedite, famulentur, quo magis ab aliis occupationibus fuerint expedite, apostolica auctoritate statuimus ut nulla earum ad abbatiam vel regimen alicujus monasterii alterius professionis possit assumi absque speciali licentia Sedis Apostolice faciente plenam et expressam de statuto hujusmodi mentionem, decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, etc., nostri statuti et constitutionis, etc. Dat. Laterani, XIIII kalendas aprilis, anno primo. »

1243 Montefiascone, 21 avril 1304. (?)

Mercatoribus cameræ apostolicæ concedit ut de pecunia, quam de proventibus terrarum Ecclesiæ pro ipsa Ecclesia receperint, retinere valeant usque ad certas summas, quas olim rectoribus Patrimonii et Romaniolæ de mandato Sedis Apostolicæ mutuarunt. (nº 135, fol. 220 ; THEINER, *Codex diplom. dom. temp. S. Sedis*, t. I, nº DLXXXII.)

« *Dilectis filiis de Circulorum et Bardorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio societatibus camere nostre mercatoribus.* Cum vos de mandato facto vobis ex parte nostra per dilectum filium Johannem electum Spoletanum, camerarium nostrum, cui id commisimus oraculo vive vocis, mutuaveritis, quelibet scilicet societatum vestrarum pro tertia parte, infrascriptas pecuniarum summas videlicet : dilectis filiis nobilibus viris Theobaldo Brusciati de Brixia Romaniole, quatuor milia, et Jacobo Quirini de Venetiis Patrimonii beati Petri in Tuscia rectoribus, quadringintos, pro Ecclesie Romane negotiis per rectores ipsos gerendis, ac centum florenos aureos pro stipendiariis custodientibus castrum Pereti, nos volentes in hac parte vestris indempnitatibus precavere, presentium vobis tenore concedimus quod de pecunia, quam de proventibus tam Patrimonii et Romaniole predictorum quam aliarum terrarum ejusdem Ecclesie pro eadem Ecclesia receperitis, quelibet dictarum societatum usque ad summam que eam pro rata contingit de summis predictis sibi licite retinere et ad restitutionem ipsius a nullo valeat coartari. Dat. apud Montemflascon[em], XVIII kalendas maii, anno primo [1]. »

1244 Pérouse, 8 mai 1304.

Restituitur abbas monasterii s. Johannis Parmensis ad administrationem ipsius cœnobii, quod olim Bonifatius VIII propter absentiam abbatis supradicti commendaverat episcopo Parmensi tenendum et gubernandum usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum voluntatis. (nº 136, fol. 220.)

« *Anselmo, abbati monasterii sancti Johannis Parmensis, ordinis sancti Benedicti.* Officii nostri debitum instanter exposcit, ut circa comoda ecclesiarum omnium tam religiosarum quam secularium, quarum cura nobis imminet generalis, paternis studiis intendamus.

Dudum siquidem cum tu tunc propter capitales inimicitias quas habebas in civitate Parmensi non posses absque periculo personaliter in tuo monasterio residere, propter quod ipsi monasterio non modicum dispendium imminebat, et Parmensis ecclesia gravibus premeretur oneribus debitorum, felicis recordationis Bonifatius papa VIII[us], predecessor noster, volens tam ipsi monasterio ut gubernatoris et defensoris munimine fulciretur, quam venerabili fratri nostro.. episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario, ut comodius posset hujusmodi debita solvere et incumbentia sibi onera supportare, de oportuno remedio providere, monasterium ipsum dicto episcopo usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis auctoritate apostolica commendavit, ac exercendi interim per se vel alium seu alios administrationem dicti monasterii plenam et liberam in spiritualibus et temporalibus tam in capite quam in membris,

1. Cette date est forcément inexacte. Le 18 des calendes de mai, c. a. d. le 14 avril, le pape ne se trouvait pas à Montefiascone, mais à Viterbe. Il faut donc dater la pièce de Viterbe, ou, si l'on préfère, la rapporter à un autre jour. Comme il est plus vraisemblable que le scribe s'est trompé sur le quantième du mois que sur le nom de lieu, j'incline à penser que la bulle a été effectivement donnée à Montefiascone. Reste à déterminer quel jour. En consultant la table chronologique, on verra que Benoît XI se rendait à cette époque de Rome à Pérouse, que du 14 au 18 avril il séjournait à Viterbe, que le 19 ou le 20 il en repartait pour Montefiascone où on le trouve le 21, et qu'enfin le 22 il était à Bolsena. Par conséquent c'est du 19, du 20 ou du 21 avril que l'on doit dater la pièce ci-dessus. Le 21 semble préférable, car c'est le seul jour où la présence de Benoît XI à Montefiascone soit attestée par les documents. (col. 477 et 519.)

ea extunc tibi penitus interdicta, et percipiendi fructus, redditus et proventus ejusdem monasterii et disponendi de illis, prout suis et dicti monasterii utilitatibus expedire videret, reservata de ipsis pro sustentatione tua et monachorum ac personarum dicti monasterii congrua portione, nec non precipiendi, statuendi et ordinandi que ad statum salubrem ipsius monasterii cognosceret pertinere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, plenam episcopo predicto concessit per suas litteras facultatem : idemque episcopus extunc litterarum predictarum auctoritate administrationem predictam exercuit in monasterio antedicto.

Nunc autem quia tu cessantibus eisdem inimicitiis ad monasterium rediisti predictum, nos attendentes quod tu decentius et comodius poteris administrationem predictam inibi exercere, ac propterea ipsius episcopi et tuis comoditatibus in hac parte providere volentes, dicti episcopi et tuis supplicationibus inclinati, commendam et concessionem hujusmodi factas ut predicitur ab eodem predecessore dicto episcopo auctoritate apostolica revocamus teque restituimus ad administrationem monasterii memorati, ut eam libere sicut ad te spectare dinoscitur et ante commendationem et concessionem predictas poteras valeas exercere. Dicto tamen episcopo pensionem ducentorum florenorum auri in eodem monasterio reservamus, quam ei singulis annis quoad vixerit volumus et mandamus per te et conventum dicti monasterii de bonis ejusdem monasterii exhiberi. Nulli ergo, etc., nostre revocationis, restitutionis et reservationis, voluntatis et mandati, etc. Dat. Perusii, VIII idus maii, anno primo. »

1245 Pérouse, 8 mai 1304.

Valeat Parmensis episcopus concedere abbati supradicto licentiam contrahendi mutuum usque ad summam mille florenorum auri. (n° 137, fol. 220.)

« *Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario.* Cum sicut accepimus — Dat. ut supra. »

1246 Pérouse, 10 mai 1304.

Executoribus infranominatis committit curam et potestatem absolvendi personas ecclesiasticas regni Franciæ, quæ sententias excommunicationis incurrerunt pro eo quod procurationes debitas cuidam Sedis Apostolicæ legato in statutis terminis non solverunt. (n° 138, fol. 220 v°.)

« .. *Ambianensis et.. sancti Severini Burdegalensis ecclesiarum decanis.* Exposuit nobis dilectus filius noster Johannes, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, quod dudum bone memorie Bo[nifatius] VIII^us, predecessor noster, eundem cardinalem pro urgentibus gravibusque negotiis sibi commissis ad Transmontanas partes fiducialiter destinando, recipiendi hujusmodi negotiorum sua prosecutione durante tam in presentia quam in absentia procurationes a venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis ac ecclesiasticis personis, religiosis et aliis, eorumque capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti et aliorum ordinum nec non magistris et preceptoribus domorum Militie et hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani in regno Francie constitutis, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, concessit eidem cardinali liberam per suas sub certa forma litteras facultatem.

Verum cum nonnulli ex prelatis, capitulis, conventibus et aliis supradictis, pro eo quod hujusmodi procurationes prout tenebantur in statutis terminis non solverunt, excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis sint earumdem litterarum auctoritate ligati, predictus cardinalis de ipsorum salute sollicitus adhiberi eis super hoc Apostolice Sedis remedium humiliter imploravit.

Nos igitur de vestra circumspectione plenam in Deo fiduciam obtinentes, absolvendi tales per vos vel alium seu alios juxta formam Ecclesie a sententiis supradictis, ac dispensandi cum illis ex eis, qui sic ligati divina officia non quidem in contemptum clavium celebrarunt vel immiscuerunt se ipsis, super irregularitate quam exinde contraxerunt, postquam satisfactionem plenam et integram super hoc duxerint impendendam, liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Perusii, VI idus maii, anno primo. »

1247 Pérouse, 25 mai 1304.

Dudum Azzo et Franciscus marchiones Estenses castrum Argentæ ad ecclesiam Ravennatem pertinens temere occuparunt, et adhuc licet contra eos diversi processus habiti sint detinent occupatum. Benedictus itaque mandat Firmano episcopo ut ad partes illas personaliter se conferens, possessionem dicti castri nomine Ecclesiæ apprehendat et castrum ipsum faciat fideliter a personis idoneis custodiri, donec Apostolica Sedes aliter duxerit ordinandum. Quod si præfatos marchiones mandatis et monitis suis obedientes invenerit, sententias et pœnas in eos et alios latas præmissorum occasione valeat relaxare. (n° 139, fol. 220 v°.)

« *Venerabili fratri A[lberico], episcopo Firmano.* Dudum nobiles viri Azzo et Franciscus, marchiones Estenses, sicut nobis extitit intimatum, castrum Argente, quod Ravennatis ecclesie fore dinoscitur speciale [demanium] [1], occuparunt, faciendo in eo parlamenta et congregationes gentium illudque per suos homines custodiri in grave ipsius ecclesie detrimentum; et licet felicis recordationis Bonifatius papa VIIIus, predecessor noster, eos moneri fecerit diligenter ut castrum ipsum infra certum terminum bone memorie O[bizoni], archiepiscopo Ravennati, expeditum et liberum restituerent vel restitui facerent, quia tamen ipsi quasdam excusationes frivolas pretendentes, monitioni hujusmodi minime paruerunt, dictus predecessor eis iterato mandavit ut infra alium certum terminum, predictis vel quibuscumque aliis exceptionibus non obstantibus, omni prorsus fictione et difficultate submota, castrum predictum, expeditum omnino prius ab ipsorum hominibus, custodibus, et officialibus quibuscumque, plene et libere restituere procurarent cum omnibus bonis, juribus, et pertinentiis suis, nec illud vel ejus pertinentias ingredi, nec in eo vel ejus pertinentiis seu districtu congregationem aliquam vel parlamentum fieri absque Apostolice Sedis licentia speciali, nec aliquam personam de civitatibus regimini eorum subjectis vel districtibus seu pertinentiis eorumdem vel alias undecumque in ipso ponere, vel ad illud destinare seu tenere presumerent ulterius aliquatenus in eodem, nullum quoque Sedis Apostolice vel ecclesie Ravennatis nuntiis aut familiaribus seu vassallis, adjutoribus, fautoribus vel amicis impedimentum vel obstaculum inferrent vel quomodolibet fieri facerent, quominus ipsum castrum plene et libere recuperare, ingredi, tenere, ac possidere et in eo moram contrahere, illudque juxta mandatum archiepiscopi qui pro tempore foret pro ipsa ecclesia custodire, ac de ipso sollicitam curam gerere possent, prout eis expediens videretur, mandans nichilominus venerabili fratri nostro .. episcopo Faventino ut, si hec dicti nobiles non implerent in termino constituto, contra eos et universos singulos alios, qui in predictis inobedientes essent vel rebelles, aut contra predicti archiepiscopi voluntatem in castro predicto et ejus pertinentiis moram contraherent, vel impedimentum aut obstaculum aliquod in premissis prestare presumerent, ad excommunicationis in personas et interdicti in terras ipsorum [ac] [2] eorum regimini subjectas nec non omnium feudorum, privilegiorum, indulgentiarum, immunitatum, cunctorumque bonorum et jurium, que a Romana vel Ravennati seu quibusvis aliis tenerent ecclesiis, privationis sententias seu penas appellatione remota et alias spiritualiter et temporaliter apostolica auctoritate procederet prout justitia suaderet.

Idemque episcopus, cum predicti nobiles mandatis hujusmodi non paruissent in termino eis ad hoc per episcopum memoratum statuto, excommunicationis in personas et interdicti in terras ipsorum ac eorum regimini subjectas nec non feudorum, privilegiorum, indulgentiarum, immunitatum, cunctorumque bonorum et jurium, que ab eadem Romana vel Ravennati seu quibusvis aliis tenebant ecclesiis, privationis sententias promulgavit, reservata sibi potestate procedendi spiritualiter et temporaliter contra eos et alios quoscumque, qui excessissent in premissis vel aliquo premissorum.

Ad hec mandatum extitit per eundem predecessorem venerabilibus fratribus nostris .. Paduano, .. Ferrariensi, et .. Regino episcopis quod, cum tam auctoritate apostolica quam prefati O[bizonis] archiepiscopi habiti forent diversi processus, excommunicationis, interdicti, privationis, jurium, jurisdictionum et bonorum sententias continentes et mulctas, et propterea forent nonnulle appellationes ad Sedem Apostolicam interjecte, dictique nobiles vellent super negotio dicti castri Argente se beneplacitis apostolicis coaptare, ipsi vel duo aut unus eorum Ponsardo militi et Manetto Mercatori de Pulicibus custodiam castri prefati per eos fideliter faciendam sub certa forma committerent, et postmodum premissas excommunicationum vel interdicti et quasvis alias spirituales et temporales sententias, penas seu mulctas contra dictos nobiles et quaslibet alias personas ac civitates et quecumque alia loca latas occasione hujusmodi relaxarent; que et fecisse dicuntur.

Sed postmodum vacante dicta ecclesia Ravennati per obitum ipsius archiepiscopi, dictus Azzo, licet dictum castrum nomine dicte Romane Ecclesie custodiretur a Ponsardo et Manetto predictis, reingressus castrum ipsum, illud occupavit et occupatum detinet faciens ipsum pro sue voluntatis libito custodiri.

Cumque deinde fuisset predicte Ravennati ecclesie de venerabili fratre nostro R[aynaldo], archiepiscopo Ravennati, olim episcopo Vicentino, provisum, nos eisdem nobilibus per nostras dedimus litteras in mandatis sub nominatis penis, quibus eos si mandata nostra in hac parte non implerent omnesque impedimentum prestantes quominus mandata hujusmodi implerentur irretiri voluimus ipso facto, quod idem Azzo castrum ipsum dilecto filio magistro Oddoni de Sermineto, canonico Xanctonensi, camere nostre clerico, quem illuc propterea duximus destinandum, nomine et vice dictorum R[aynaldi] archiepiscopi tunc electi et ecclesie Ravennatis

1. Cf. col. 801, n° 1277.
2. Cf. dix lignes plus loin.

recipienti, tenendum et custodiendum pro eisdem electo et ecclesia usque ad nostrum seu Sedis ejusdem beneplacitum liberum et expeditum, cum omnibus juribus, bonis, et pertinentiis suis, infra certum terminum post receptionem dictarum litterarum nostrarum, absque difficultatis obstaculo restituere procuraret, ac tam ipse quam dictus Franciscus dictis R[aynaldo] archiepiscopo tunc electo et ecclesie Ravennati de dampnis et injuriis super hiis eis illatis satisfactionem congruam exhiberent, et castrum ipsum vel bona aliqua dicte ecclesie Ravennatis per se vel alium occupare, invadere seu retinere, aut invadere vel occupare volentibus consentire, vel impedimentum quodcumque prestare quominus idem R[aynaldus] archiepiscopus tunc electus et ecclesia Ravennas ea possidere pacifice possent, quomodolibet attemptarent; alioquin penas et sententias incurrerent supradictas.

Licet autem dicti nobiles et precipue dictus Azzo quasdam excusationes et demum hanc solam pretenderent, quod ex eodem castro, si illud ad manus inimicorum suorum devenire contingeret, gravia sibi pericula imminebant, ac propterea predicta que ipsis in predictis litteris nostris mandabantur non duxerint hactenus adimplenda, nunc tamen sicut accepimus parati existunt se in hac parte nostris beneplacitis coaptare.

Quocirca fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus ad partes illas te personaliter conferens, eosdem nobiles et specialiter dictum Azzonem ex parte nostra moneas et inducas, ut castrum predictum et ejus fortillitiam cum suis juribus, territorio, districtu et pertinentiis omnibus tibi nomine dicte Romane Ecclesie restituant et assignent, tuque illud nomine predicto recipias, ac facias per personas ydoneas de quibus expedire videris fideliter custodiri usque ad dicte Sedis beneplacitum voluntatis.

Nos autem tibi presentium tenore concedimus ut, postquam castrum predictum, cum juribus, territorio, districtu, et pertinentiis antedictis, libere ac pacifice secundum modum prefatum tibi fuerit restitutum, tu tam predictos nobiles quam quoscumque alios, qui occasione hujusmodi excommunicationum sententiis sunt astricti, ab eisdem sententiis juxta formam Ecclesie absolvere, ac interdicta quibus eorum terre vel quecumque alie occasione [premissorum] subjacent, aliasque penas et mulctas quas ipsi nobiles aut quicumque alii propter hoc incurrerint, auctoritate nostra valeas relaxare.

De omnibus autem que in premissis et circa ea duxeris facienda confici facias ad cautelam publica instrumenta, ac nichilominus que in hiis acta fuerint nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. Perusii, VIII kalendas junii, anno primo. »

1248 Pérouse, 27 mai 1304.

Cum inter communia Venetiarum et Paduæ gravis discordia sit exorta, Firmanum episcopum ad partes easdem destinat, ut inter dictas civitates concordiam reformare studeat et materiam dissensionum amputare. (n° 140, fol. 221.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Firmano.* Regis pacifici qui regnat in celis vices quamvis insufficientibus meritis gerentes in terris, pacem inter Christi fideles ex intimis affectamus et ad submovendum dissensionum scandala libenter interponimus partes nostras, efficaciter laborando ut ponamus diffidentium fines pacem.

Cum itaque inter dilectos filios nobilem virum.. ducem et comune Venetiarum, Castellane diocesis, ex parte una, et.. potestatem, consilium et comune civitatis Paduane, ex altera, gravis discordia sit exorta, ex qua partes eedem ac regionum illarum [1] incole guerrarum discriminibus exponuntur, nos inter partes easdem, quarum utramque benivolentia paterna prosequimur, pacis consilia ponere cupientes, te, de cujus fide ac circumspectione plene confidimus, ad regiones illas providimus destinandum.

Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus illuc te personaliter conferens, utramque partium earumdem [2] intentis exhortationibus ad pacem tanquam pacis nuntius efficaciter moneas et inducas juxta tibi datam a Deo prudentiam, [et] sic tractare studeas concordiam inter eas et dissensionum materiam amputare, quod ipsis, divina favente clementia tuoque cooperante studio, discordiis profugatis, pax et concordia firma proveniat ac nos proinde tue sollicitudinis studium dignis in Domino laudibus attollamus. Dat. Perusii, VI kalendas junii, anno primo. »

1249 Pérouse, 27 mai 1304.

Duci et universitati Venetiarum de suprascripta epistola significat; eosdem hortatur ut Firmani episcopi monita et mandata devote recipiant et efficaciter adimpleant. — In eundem modum communi civitatis Paduanæ. (n° 141, fol. 221.)

« *Dilectis filiis nobili viro.. duci et universitati Venetiarum, Castellane diocesis.* Regis pacifici, etc., usque : fines pacem.

1. Ms : « illorum ».
2. Ms : « eorumdem ».

Sane de discordia, que inter vos ex parte una, et dilectos filios.. potestatem, consilium et comune civitatis Paduane ex altera est exorta, eo gravius mens nostra turbatur quo sinceriori vos et eos caritate complectimur, et ex eadem discordia, si quod absit! eam durare contingeret, majora pericula non solum vobis et ipsis sed et aliis conspicimus imminere, et propterea inter vos et ipsos pacis consilia ponere cupientes, venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Firmanum, de cujus fide ac circumspectione plene confidimus, ad regiones illas providimus destinandum.

Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus exhortationes, monita et mandata dicti episcopi devote recipere ac efficaciter adimplere ipsisque acquiescere taliter studeatis, quod pacis videamini amatores vobisque prout optamus, divina favente clementia et ipsius episcopi cooperante studio, discordiis profugatis, tranquillitatis status arrideat et nos devotionis vestre sinceritate[m] possimus dignis exinde laudibus in Domino commendare. Dat. ut supra. »

In e. m. .. potestati, consilio et comuni civitatis Paduane.

1250 Pérouse, 27 mai 1304.

Valeat Firmanus episcopus censuram ecclesiasticam exercere in omnes illos, qui monitis et mandatis ejus acquiescere noluerint. (nº 142, fol. 221.)

« *Venerabili fratri A[lberico], episcopo Firmano.* Cum te pro reformanda pace inter dilectos filios nobilem virum .. ducem et comune Venetorum, Castellane diocesis, ex parte una, et .. potestatem, consilium et comune Paduane civitatis, ex altera, super discordia inter eos exorta ad regiones illas tanquam pacis nuntium destinemus, volentes ut hujusmodi tractatus pacis et concordie optatum sortiatur effectum, fraternitati tue de qua fiduciam gerimus in Domino specialem presentium tenore committimus quod, si partes ipse vel ex eis aliqui exhortationibus, monitis et mandatis tuis in hac parte acquiescere forte noluerint, tu eos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita valeas cohartare, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica foret indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. ut supra. »

1251 Viterbe, 18 avril 1304.

Capellam regis Francorum, sitam in civitate Parisiensi, ab archiepiscopi Senonensis et cujuscumque alterius jurisdictione ac potestate totaliter liberat. Thesaurarius autem dictæ capellæ jurisdictionem obtineat in personas degentes in ea, quibus Benedictus XI concedit licentiam percipiendi insimul fructus omnium beneficiorum suorum. (nº 143, fol. 221; Morand, *Hist. de la Sainte Chapelle royale de Paris* [1], pr. p. 24, et Ad. Tardif, *Privilèges accordés à la couronne de France par le St. Siège* [2], p. 105.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri.* Licet omnes ecclesie per universalem orbem diffuse Sedi Apostolice, que super illas obtinet principatum, disponente Domino sint subjecte, Sedes tamen eadem nonnullas ex ipsis aliquando specialiter sibi subdit, eas ab aliorum quorumlibet eximens potestate ac statuens ipsas quadam honoris prerogativa fore liberas et exemptas.

Unde nos ad capellam tuam, quam in civitate tua Parisiensi obtines, apostolice considerationis intuitum convertentes illamque volentes tui contemplatione presidiis apostolicis communire ac gratiis honorare condignis, ut persone degentes in ea libentius ministeriis divinis intendant, dictamque Sedem eo majoris devotionis promptitudine studeant revereri quo ipsi et eadem capella majori fuerint liberalitate donati, capellam predictam cum personis in ea degentibus presentibus et futuris a venerabilium fratrum nostrorum.. episcopi Parisiensis, loci diocesani, ac.. archiepiscopi Senonensis, loci metropolitani, et successorum suorum qui pro tempore fuerint, nec non quorumlibet ordinariorum potestate et jurisdictione apostolica auctoritate prorsus eximimus et totaliter liberamus, districtius inhibentes ne episcopus, archiepiscopus, successores et alii ordinarii supradicti in capellam et personas easdem jurisdictionem aliquam exercere presumant, decernendo auctoritate predicta capellam et personas easdem nobis et dicte Sedi immediate subjectas ac irritum et inane si secus super hoc a quoquam contingeret attemptari.

Volumus insuper et eadem auctoritate statuimus, ut thesaurarius qui pro tempore fuerit dicte capelle omnium canonicorum, capellanorum et clericorum chori ejusdem capelle sollicite curam gerat ac jurisdictionem obtineat in eosdem.

Ut autem canonici, capellani et clerici supradicti tanto libentius divinis insistant ministeriis exequendis, quanto provide apostolicis gratiis per eandem Sedem se prospexerint confoveri, ipsis canonicis, capellanis et clericis

1. Paris, 1790, in-4º.
2. Collection des documents inédits de l'histoire de France. Paris, 1855, in-4º (d'après Morand).

dicte capelle presentibus et futuris tenore presentium indulgemus, quod dum in capella resederint personaliter supradicta fructus, redditus et proventus aliorum beneficiorum suorum cum cura vel sine cura, etiam si dignitas vel personatus existant, cum ea possint integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus illa obtinent personaliter residerent, et ad residendum in eis interim minime teneantur, neque ad id a quocumque valeant coartari ; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus illarum ecclesiarum [in quibus] beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis predicte vel quacumque firmitate alia roboratis seu quibuscumque litteris et indulgentiis apostolicis de quibus specialem in nostris litteris fieri oporteat mentionem, proviso quod eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur. Nulli ergo, etc., nostre exemptionis, liberationis, inhibitionis, constitutionis, statuti et indulgentie, etc. Dat. Viterbii, XIIII kalendas maii, anno primo. »

1252 Viterbe, 18 avril 1304.

Regi Francorum et ejus uxori quædam gratia conceditur super sepultura regum et reginarum Franciæ ac illorum qui eis sunt quarto consanguinitatis gradu conjuncti. (n° 144, fol. 221 v°; Tardif, *Ibid.*, p. 107.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi et carissime in Christo filie Johanne, ejus uxori, regine Francorum illustribus.* Magnitudo regalis excellentie promeretur ut Apostolica Sedes illi se exhibeat in gratiis liberalem, votis ipsius favorabiliter annuendo.

Licet autem ab olim in Ultramontanis partibus de antiqua consuetudine fuisset obtentum ut, si quisquam genere nobilis vel dignitatis titulo insignitus, presertim extra suarum partium limites, debitum nature persolveret in suis vel aliis partibus sepultura electa, propinqui aut familiares ipsius vel executores ab eo deputati ossa ejus a tegmine carnis excussa ad locum ubi dicta sepultura foret electa deferrent vel deferri facerent tumulanda, B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, hujusmodi consuetudinem improbans, statuit et etiam ordinavit eam de cetero non servandam, in transgressores hujusmodi statuti vel ordinationis ipsius excommunicationis sententiam proferendo.

Nos autem volentes quod statutum vel ordinatio hujusmodi ad vos et successores vestros, reges vel reginas Francorum, vel aliquos qui vobis aut eis quarto consanguinitatis gradu vel citra illum conjuncti fuerint, extendatur, vestris supplicationibus inclinati, vobis et eisdem successoribus ceterisque vobis et ipsis taliter conjunctis apostolica auctoritate concedimus ut, si quemquam vestrum in partibus adeo remotis a loco ubi elegerit sepeliri, quod ejus corpus integrum illuc comode deferri non possit, decedere forte contigerit, statuto et ordinatione predictis nequaquam obstantibus possint ejus ossa juxta predictam consuetudinem a carnibus separata deferri ad locum ubi ejus electa fuerit sepultura, ibidem cum solennitate debita tumulanda. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1253 Pérouse, 13 mai 1304.

Personas ecclesiasticas nec non barones nobilesque et laicos alios de regno Franciæ totaliter absolvit ab excommunicationum sententiis, quas propter captionem Bonifatii VIII vel alios excessus ex processibus ejusdem Bonifatii aut prædecessorum ipsius incurrerant. Absolutionem vero Guillelmi de Nogareto sibi et Apostolicæ Sedi specialiter reservat. (n° 145, fol. 221 v°; Potth., n° 25425.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Sancte matris Ecclesie multa benignitas filiorum salutem desideriis intimis vigilanter exquirens, ad ea toto posse diligenter intendit, conflat operas et labores exponit, ex quibus eis prosperitatis et pacis incrementa proveniant, molestis via precludatur eventibus et noxia subtrahantur. Nos autem, qui eidem Ecclesie quamvis insufficientibus meritis disponente Domino presidemus, ad universas fidelium nationes tanquam universalis eorum pater paterne dirigimus considerationis intuitum, illis quietis et salutis comoda quantum nobis ex alto permittitur procurando ; sed ad regnum Francorum ejusque regem et incolas tanto attentius aciem considerationis extendimus, quanto ferventius statum zelamus prosperum, quietem diligimus ac exaltationem ex intimis appetimus eorumdem.

Cum sicut accepimus tam archiepiscopi et episcopi quam alii ecclesiarum secularium et regularium prelati et alii clerici et ecclesiastice persone, religiose ac seculares, nec non barones, nobiles et alii laici de regno predicto excommunicationum sententiis, olim a B[onifatio] papa VIII et aliis predecessoribus nostris Romanis pontificibus in impedientes eos qui ad Sedem accedebant Apostolicam vel recedebant ab ea seu litteras deferebant ipsorum et ex aliis causis in suis processibus promulgatis nec non latis a canone, pro eo quod se culpabiles reddiderunt in captione ejusdem B[onifatii] predecessoris et nuntiorum ipsius et aliorum predecessorum predictorum,

teneantur astricti, quorum aliqui divina celebrarunt officia et immiscuerunt se illis ac receperunt ordines et beneficia ecclesiastica sic ligati, nos premissa omnia paterna meditatione pensantes ac attendentes utilitates et comoda, que ex eodem regno dum in ipsius Ecclesie devotione perstitit Ecclesie predicte provenerunt, quodque propter evitandum scandalum, presertim ubi multitudo delinquit, severitati est aliquid detrahendum, sperantes insuper quod rex et incole memorati tanto Deum et dictam Ecclesiam studebunt peramplius et devotius revereri, quanto eadem Ecclesia misericordius et gratiosius egerit cum eisdem, hujusmodi inducti considerationibus, archiepiscopos, episcopos, prelatos, clericos, personas, barones, nobiles et laicos predictos et quoscumque de dicto regno, qui hujusmodi sententiis B[onifatii] et aliorum predictorum predecessorum astringuntur, omnesque qui occasione hujusmodi captionis prefati Bo[nifatii] predecessoris et nuntiorum predictorum dicto vel facto, ope, opere vel favore quomodocumque in sententiam canonis inciderunt, Guillelmo de Nogareto milite, cujus absolutionem nobis et dicte Sedi specialiter reservamus, dumtaxat excepto, a sententiis predictis absolvimus, restituendo eos comunioni fidelium et ecclesiasticis sacramentis.

Cum illis insuper ex eisdem, qui predictis ligati sententiis ordines aut beneficia ecclesiastica receperunt, quod in ipsis ministrare ordinibus possint et eadem beneficia retinere, nec non cum eis, qui sic ligati divina celebrarunt officia vel immiscuerunt se illis, super irregularitate inde contracta auctoritate predicta de misericordia que superexaltatur judicio dispensamus. Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

1254 Pérouse, 13 mai 1304.

Omnes processus habitos a Bonifatio papa VIII contra regem Franciæ ac ejus regnum, consiliarios, familiares, officiales et fautores ipsius, nec non sententias et pœnas in eosdem promulgatas Benedictus XI revocat; ipsos reducit atque reponit in pristinum statum, Guillelmo de Nogareto dumtaxat excepto. (n° 146, fol. 222.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri.* Ad statum tuum et regni tui felicem paternis desideriis aspirantes, ad ea libenter intendimus per que status ipse submotis impedimentis quibuslibet votivis jugiter successibus prosperetur et salutaria dante Domino recipiat incrementa.

Dudum siquidem, prout ex parte tua fuit expositum coram nobis, Bo[nifatius] papa VIII^us, predecessor noster, nonnullos contra te ac regnum tuum, consiliarios, familiares, officiales, fautores et valitores tuos regni predicti processus fecit diversorum tenorum variasque sententias promulgavit; gratias, privilegia et indulta tibi et eis concessa suspendit; pluribus insuper nonnulla privilegia in tuam et regni predicti lesionem concessit; declarationes circa fines seu limitationes edidit dicti regni; ac nonnullos, qui tibi juramento fidelitatis et ex aliis vinculis et obligationibus tenebantur astricti, ab hujusmodi juramentis, vinculis et obligationibus prorsus absolvit in tuum et aliorum predictorum et ejusdem regni non modicum prejudicium et gravamen.

Nos autem qui regalem magnificentiam apud Deum et homines cupimus exaltari, volentes tibi, regno, consiliariis, familiaribus, officialibus, fautoribus, valitoribus et incolis prefatis, ne pretextu processuum, sententiarum, suspensionum, declarationum et absolutionum hujusmodi aliquod tuo seu eorum statui vel saluti dispendium spiritualiter aut temporaliter iminere valeat, providere, omnes et singulos processus habitos et sententias promulgatas, suspensiones et declarationes et absolutiones ut premittitur factas contra te, regnum, consiliarios, familiares, officiales et valitores prefata per eundem predecessorem in quacumque forma verborum, quibuscumque de causis, sive dicti processus et sententie, suspensiones, declarationes, et absolutiones fuerint publicati, sive non, sive verbo tantum, sive in scripturam redacti extiterint, auctoritate apostolica de apostolice plenitudine potestatis revocamus, annullamus et viribus vacuamus, teque ac regnum, consiliarios, familiares, officiales, fautores, valitores et incolas supradicta, Guillelmo de Nogareto milite, cujus absolutionem nobis specialiter reservamus, dumtaxat excepto, ad plenum reponimus et reducimus in eum statum, in quo eratis ante processus et sententias, suspensiones, declarationes et absolutiones predicta, ut ex eis vel eorum aliquo tibi vel eis aut tuo vel ipsorum statui aut saluti prejudicium nequeat provenire vel obstaculum aliquod interponi. Omnia quoque privilegia et indulgentias cuicumque genti, universitati vel loco seu singularibus personis, cujuscumque conditionis, status aut dignitatis existant, in tuum seu dicti regni prejudicium ab eodem predecessore post motam discordiam inter te et ipsum quomodocumque et in quacumque forma verborum concessa, eadem auctoritate cassamus, irritamus et exnunc viribus vacuamus, decernendo ea nullius existere firmitatis. Nulli ergo, etc., nostre revocationis, annullationis, vacuationis, reservationis, reductionis, cassationis, irritationis et constitutionis, etc. Dat. ut supra. »

1255 Viterbe, 18 avril 1304.

Decretum revocat quo Bonifatius VIII omnes de regno Franciæ potestatem habentes licentiandi magistros aut doctores in theologica facultate seu in jure canonico vel civili ab eadem potestate suspenderat. (nº 147, fol. 222.)

« *Eidem.* Ut eo magis erga Deum et Apostolicam Sedem regalis devotionis excrescat affectus, quo sibi gratiosiorem Sedem reppererit supradictam, votis tuis libenter annuimus tuasque petitiones quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus.

Dudum siquidem Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, certis ex causis omnes in regno tuo potestatem habentes licentiandi magistros aut doctores in theologica facultate seu in jure canonico vel civili ab hujusmodi potestate suspendit usque ad ejusdem Sedis beneplacitum voluntatis, decernens exinde irritum et inane si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum, suspensionem et decretum hujusmodi auctoritate apostolica revocamus, volentes ut omnes in eodem regno potestatem hujusmodi obtinentes ea utantur libere sicut prius. Quod si forsan aliqui, hujusmodi suspensione durante, in jure ac facultate predictis licentiati fuerint per eosdem, quod actum per eos extitit in hac parte ratum nichilominus sit et firmum ac si eadem suspensio nullatenus processisset. Dat. Viterbii, XIIII kalendas maii, anno primo. »

1256 Viterbe, 18 avril 1304.

Decretum revocat quo Bonifatius VIII provisionem omnium ecclesiarum cathedralium vel regularium, quæ tunc in regno Franciæ vacarent vel quas vacare contingeret in futurum, dispositioni Sedis Apostolicæ reservaverat. (nº 148, fol. 222; POTTH., nº 25423.)

« *Eidem.* Ut eo magis, etc., ut supra.

Dudum siquidem Bo[nifatius] papa VIII[us], predecessor noster, certis ex causis provisionem omnium cathedralium ecclesiarum et regularium tunc in regno vacantium vel quas tunc vacare contingeret dicte Sedis dispositioni reservans, duxit districtius inhibendum omnibus ad quos jus eligendi et postulandi prelatos in ipsis ecclesiis aut confirmandi electiones vel admittendi postulationes vel alias earumdem ecclesiarum provisio vel quevis alia dispositio pertineret, ne in hujusmodi dispositionibus dictarum ecclesiarum se intromittere, hujusmodi reservatione durante, quoquomodo presumerent, ac decrevit extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contingeret attemptari.

Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum, reservationem, inhibitionem et decretum hujusmodi apostolica auctoritate revocamus, volentes ut predicti omnes hujusmodi jure illis competente cum tempus ingruerit utantur libere sicut prius, et nichilominus provisiones et confirmationes electionum facte post reservationem, inhibitionem et decretum predicta in dictis ecclesiis, dummodo alias canonice fuerint, plenam obtineant [roboris] firmitatem, nec electiones aut postulationes facte postmodum in predictis ecclesiis ex eisdem reservatione, inhibitione ac decreto quin debitum sortiantur effectum possint quomodolibet impediri. Dat. ut supra. »

1257 Pérouse, 13 mai 1304.

Interdictum cui subjacet Appamiarum villa ex quodam decreto Bonifatii VIII, et excommunicationis sententiam quam idem pontifex tulerat generaliter in fautores comitis Fuxensis, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum suspendit. (nº 149, fol. 222.)

« *Eidem.* Cum dudum ad audientiam Bo[nifatii] pape VIII, predecessoris nostri, deductum fuisset quod quondam Rogerius, comes Fuxensis, pretextu quarumdam litterarum tuarum, quas super hoc senescallo tuo in partibus Carcassonensibus dirigi procurarat, villam Appamiarum et nonnulla bona monasterii sancti Antonini de eadem villa ibi existentia, consulibus et hominibus ejusdem ville sibi in hac parte faventibus, occuparat dictoque monasterio et venerabili fratri nostro B[ernardo] episcopo Appamiarum, tunc abbati dicti monasterii, plura alia dampna et injurias irrogarat, predecessor ipse occasione hujusmodi prefatam villam ecclesiastico supposuit interdicto ac obedientes extunc domino comiti excommunicationis sententia innodavit.

Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum, regiis supplicationibus inclinati, interdictum hujusmodi ac ex certa scientia et de apostolice plenitudine potestatis etiam prelibatam sententiam excommunicationis suspendimus usque ad ejusdem Sedis beneplacitum voluntatis.

Volumus insuper quod illorum corpora, qui predicta ligati sententia vel durante interdicto hujusmodi decesserint, si propter hoc ecclesiastica caruerint sepultura, dummodo in eis tempore mortis apparuerint signa penitentie manifesta, debito illis absolutionis beneficio juxta

Ecclesie formam impenso, exhumentur et in cimiterio tumulentur. Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

1258 Pérouse, 13 mai 1304.

Ecclesiasticum interdictum, cui Lugdunensis civitas subjacet, usque ad triennium suspendit. (n° 150, fol. 222 v°.)

« *Eidem.* Cum occasione discordie inter te et dilectos filios cives Lugdunenses ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Lugdunensem ex altera, certis ex causis dudum exorte civitas Lugdunensis ecclesiastico subjaceat interdicto, nos tuis supplicationibus inclinati, interdictum hujusmodi usque ad triennium suspendimus apostolica auctoritate ac volumus quod illorum corpora, qui durante interdicto hujusmodi decesserint, si propter hoc ecclesiastica caruerint sepultura, dummodo in eis, etc., ut supra usque in finem. »

1259 Pérouse, 13 mai 1304.

Omnibus prælatis, doctoribus et magistris regni Franciæ, qui olim vocati ad Apostolicam Sedem per certas Bonifatii VIII litteras non comparuerunt termino constituto, Benedictus XI remittit inobedientiam hujusmodi, contumaciam et contemptum. (n° 151, fol. 222 v°; POTTH., n° 25426.)

« *Eidem.* Dudum Bo[nifatius] papa VIIIus, predecessor noster, venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos et dilectos filios electos et capitula ecclesiarum cathedralium regni Francie ac doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili de regno eodem, ob certas causas in litteris suis super hoc [eis] directis expressas, ad suam presentiam convocavit, mandans districte in virtute obedientie ut coram ipso, certo eis ad hoc statuto termino, comparerent; quorum plures sicut ex parte tua fuit expositum coram predecessore predicto non comparuerunt termino prelibato.

Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum, predictis omnibus qui in hiis inobedientes fuerunt vel etiam contumaces remittimus hujusmodi inobedientiam, contumaciam et contemptum, ut exinde nullum possit ipsis imminere dispendium nullumque obstaculum interponi. Dat. ut supra. »

1260 Pérouse, 13 mai 1304.

Decretum revocat quo Bonifatius VIII [damnavit] memoriam Petri Flote, privavit filios ejus omnibus beneficiis, dignitatibus, officiis et gratiis, ipsosque ac posteritatem dicti Petri usque ad quartam generationem inhabiles reddidit ad ecclesiastica beneficia ulterius assumenda. (n° 152, fol. 222 v°.)

« *Eidem.* Illum ad regalem excellentiam gerimus sinceritatis affectum, ut votis ipsius quantum cum Deo possumus annuentes, libenter petitiones ejusdem ad exauditionis gratiam admittamus.

Dudum siquidem Bo[nifatius] papa VIIIus, predecessor noster, certis ex causis que in ipsius super hoc confectis litteris exprimuntur, quondam Petri Flote dampnavit memoriam ejusque filios, sive seculares clerici sive regulares existerent, ecclesiis, dignitatibus, personatibus [1], officiis, prebendis, pensionibus et beneficiis omnibus ecclesiasticis que obtinebant, quocumque nomine censerentur, cunctisque gratiis Apostolice Sedis, si quas quomodolibet haberent, privavit, ipsosque et alios ejus natos usque in quartam generationem ad obtinenda ecclesiastica beneficia inhabiles reddidit et indignos, ac ecclesiasticas dignitates, personatus [2], officia, prebendas, pensiones et beneficia predicta ea vice sue ac dicte Sedis dispositioni reservans, decrevit extunc irritum et inane si secus super hoc a quocumque scienter vel ignoranter attemptatum esset post conscientiam criminum in ipsis litteris expressorum, vel attemptari contingeret in futurum.

Quia vero ex parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut super hiis misericorditer dignaremur agere cum eisdem, nos regiis supplicationibus inclinati, dampnationem hujusmodi auctoritate apostolica revocamus, dictosque filios, sive seculares clerici sive regulares existant, ad predicta dignitates, personatus [3], officia, prebendas, pensiones et beneficia, dummodo aliis collata non fuerint, etiam si eorum aliquis ea post hujusmodi privationem tenuerit, restituimus, ac tam ab eis quam aliis predictis filiis et posteris dicti Petri omnem infamiam et inhabilitatis seu irregularitatis maculam sive notam [contractas] ex hujusmodi processibus dicti predecessoris, vel retentione beneficiorum quibus taliter privati fuerant, aut perceptione fructuum ex eisdem, quos etiam eis gratiose remittimus, abolemus, ac dispensamus cum eis quod etiam beneficia ecclesiastica que fuerunt postmodum assecuti, dummodo ea alias canonice sint adepti, licite valeant retinere, ipsosque omnes filios et posteros dicti Petri reducimus et reponimus in eum statum in quo erant tempore processuum predictorum de apostolice plenitudine potestatis, ut ulterius ex eisdem processibus nullum eis prejudicium iminere valeat nullumque obstaculum interponi. Dat. ut supra. »

1. Ms : « prioratibus. »
2. Ms : « prioratus. »
3. Ms : « prioratus. »

1261 Pérouse, 14 mai 1304.

Archiepiscopis, episcopis et personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus regni Franciæ notum facit se regi Francorum concessisse usque ad biennium decimam proventuum et reddituum ecclesiasticorum regni prædicti, ut exinde præfatus rex ad correctionem et reformationem monetæ quam cudi facit valeat procedere. (nº 153, fol. 222 vº.)

« Benedictus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum nec non prioribus, preceptoribus et magistris hospitalium sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Francie constitutis, salutem, etc.

Ex multiplici negotiorum varietate, que in amplum Romane Ecclesie alveum undique confluunt, jugiter hinc inde distrahimur, cogitationibus vexamur assiduis multumque nos agitat super vires terrenarum fluctuatio tempestatum, sed ad hoc principaliter nostra laborat intentio, vires tendunt et labores exponimus ut Christi fidelibus, quorum licet insufficientibus meritis ex divina sumus dispositione universalis pastor et pater, quietis comoda preparemus noxia subtrahendo. In eorum namque quiete quiescimus et anxietatibus anxiamur. Ideoque vias et modos exquirimus, ex quibus eis tam spiritualis quam temporalis prosperitatis fructus valeant provenire.

Sane dum diligenter attendimus quot et quante incommoditates et dampna ex diminutione monete maxime Turonensis et Parisiensis, quam cudi facit carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francorum illustris, que antiquo pondere et valore jam non modicum defraudatur, non solum ecclesiis, clericis et ecclesiasticis personis aliisque incolis illarum partium sed aliis provenire noscuntur, opem et operam libenter impendimus ut eadem moneta, considerato in hoc comuni dictorum fidelium comodo, ad valorem et pondus pristinum reducatur, in quo fuit tempore beati Ludovici avi, clare memorie Phylippi patris, et primis regni temporibus dicti regis.

Verum quia in hoc impense non modice requiruntur, nos congruum reputantes ut eidem regi, qui alias gravia sustinet onera expensarum, in hoc articulo subsidium prebeatur, illud a vobis decrevimus implorandum ut hujusmodi nostrum desiderium vobis et aliis tam necessarium, tam salubre, tam utile possit nobis auxiliantibus feliciter adimpleri. Quibus omnibus in considerationem adductis ac super hoc cum fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, de ipsorum consilio, decimam proventuum et reddituum ecclesiasticorum regni predicti, juxta taxationem de ipsis factam pro solvenda decima deputata subsidio Terre Sancte in generali Concilio Lugdunensi, per biennium a festo Nativitatis dominice proxime venturo in antea numerandum duximus concedendam, quam regi predicto in quatuor infrascriptis terminis volumus exhiberi : primo videlicet cum dicta moneta ad hujusmodi valorem et pondus redacta expendi et alia perdere incipiet cursum suum, secundo inde ad sex et tertio extunc ad alios sex, quarto vero abinde ad alios sex menses proximo numerandos.

Quocirca universitatem vestram attente monemus et affectuose rogamus ac obsecramus in Domino Jhesu-Christo, per apostolica vobis scripta mandantes et in remissionem peccaminum injungentes, quatinus ad hujusmodi subsidium in hoc articulo exhibendum promptis studiis exurgentes et onus hujusmodi nobis impositum in patientie virtute portantes, dictam decimam per idem biennium sic liberaliter omni difficultate cessante solvere procuretis, quod de obedientia et devotione tanquam benedictionis filii commendari nostramque et Sedis Apostolice gratiam ac dicti regis principis vestri favorem et benivolentiam exinde possitis uberius promereri ;

Non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris vobis aut vestrum aliquibus aut dignitatibus vel ordinibus seu locis vestris, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus impositionis vel solutionis dicte decime impediri valeat, et de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum ac propriis personarum, locorum et ordinum vestrorum nominibus in nostris litteris plena et expressa et specialis mentio sit habenda.

Ceterum clericos illos ad prestationem ipsius decime teneri nolumus, quorum ecclesiastici redditus et proventus summam septem librarum Turonensium parvorum ad valorem antiquum annis singulis non excedunt. Dat. Perusii, II idus maii, anno primo. »

In. e. m. .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Autissiodorensi ac Petro de Bellapertica, canonico Bituricensi, collectoribus decime imposite pro reductione monete regni Francie ad pondus et valorem debitum in eodem regno deputatis.

1262 Pérouse, 14 mai 1304.

Executoribus infrascriptis mandat ut fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum, quæ infra

triennium in regno Franciæ vacare contigerit, diligenter colligere et conservare ac dicto regi assignare procurent, ut exinde procedi possit ad reformationem monetæ, sicut plenius dicitur in epistola superiore. (nº 154, fol. 223.)

« *Venerabilibus fratribus .. Biterrensi et .. Meldensi episcopis ac dilecto filio .. thesaurario ecclesie Andegavensis.* Ex multiplici, etc., ut supra usque : subsidium prebeatur.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios omnes fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, que infra triennium a festo Nativitatis dominice proxime venturo in antea numerandum in eodem regno vacare contigerit, etiam si eadem beneficia personatus vel dignitates existant, diligenter colligere et conservare dictoque regi vel illis quos ipse ad hoc deputabit assignare curetis ; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum in quibus hujusmodi beneficia fuerint, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis ; aut si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ; et quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specialem in nostris litteris oporteat fieri mentionem, contradictores, etc. Dat. ut supra. »

1263 Pérouse, 13 mai 1304.

Beraldum dominum Mercorii, consiliarium et nuntium regis Franciæ, absolvit ab omnibus sententiis et pœnis, quas ex processibus Bonifatii VIII vel alias regi adhærendo prædicto forsan incurrerit. — In eundem modum pro Guillelmo de Plasiano. — In eundem modum pro Petro de Bellapertica. (nº 155, fol. 223.)

« *Dilecto filio nobili viro Beraldo domino Mercorii, Claromontensis diocesis.* Personam tuam obtentu carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, de cujus existis consilio quemve rex ipse pro suis apud nos promovendis negotiis ad nostram presentiam destinavit, paterna benivolentia prosequentes, ad ea libenter intendimus per que tuo statui et saluti salubriter consulatur.

Dudum siquidem B[onifatius] papa VIII[us], predecessor noster, contra regem predictum, consiliarios, familiares, officiales et valitores ipsius processus fecit diversorum tenorum variasque sententias promulgavit ; ac tam ipse quam alii predecessores nostri Romani pontifices in impedientes eos, qui ad Sedem Apostolicam accedebant et recedebant ab ea seu litteras deferebant ipsorum, excommunicationum protulerunt sententias et penas alias statuerunt ; multi quoque tam de consiliariis, familiaribus, officialibus et valitoribus antedictis quam alias de eodem regno occasione captionis dicti B[onifatii] predecessoris excommunicationis sententiam incurrisse dicuntur a canone promulgatam.

Nos autem volentes tuo statui ac saluti providere salubriter in hac parte, te ab omnibus hujusmodi sententiis, si quas ex premissis causis vel earum aliqua aut alias predicto adherendo regi forsan incurreris, prorsus absolvimus omnesque penas spirituales et temporales, in quas propter hoc incideris et quas infligi tibi propterea debeant omnino remittimus de gratia speciali, ut nullum ex eis tibi aut tuo statui vel saluti ulterius spiritualiter vel temporaliter prejudicium imminere valeat vel obstaculum aliquod interponi. Nulli ergo, etc., nostre absolutionis et remissionis, etc. Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

In e. m. Guillelmo de Plasiano, Vasionensis diocesis.

In e. m. Petro de Bellapertica, canonico Bituricensi.

1264 Bolsena, 22 avril 1304.

Reginæ Francorum indulget ut monasterium s. Claræ juxta Pruvinum cum liberis suis et aliquibus aliis personis intrare valeat, quibuscumque statutis vel consuetudinibus non obstantibus. (nº 156, fol. 223 vº.)

« *Carissime in Christo filie Johanne, regine Francorum illustri.* Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu ad monasterium sancte Clare juxta Pruvinum, ordinis ejusdem sancte, Senonensis diocesis, speciale geras devotionis affectum, nos tuis supplicationibus inclinati, ut monasterium ipsum cum liberis tuis et tribus vel quatuor fratribus ordinis Minorum et totidem militibus nec non decenti comitiva honestarum matronarum possis quotiens volueris causa devotionis intrare, ibique cum hujusmodi matronis comedere et etiam pernoctare, quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis monasterii et ordinis predictorum juramento, confirmatione Sedis Apostolice vallatis nequaquam obstantibus, dummodo ad id abbatisse et conventus ejusdem monasterii accedat assensus, serenitati tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. Vulsene, X kalendas maii, anno I°. »

1265 Bolsena, 22 avril 1304.

Eidem indulget ut quæcumque alia monasteria monialium seu sororum, cujuscumque ordinis, similiter intrare valeat. (n° 157, fol. 223 v°.)

« *Eidem.* Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu ad monasteria monialium, ob Illius reverentiam cujus eedem moniales obsequiis deputantur, devotionis affectum exhibeas specialem, nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut quecumque monasteria monialium seu sororum quorumcumque ordinum cum liberis tuis, etc., ut supra usque : intrare, quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis monasteriorum et ordinum predictorum juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus, dummodo ad id abbatissarum et conventuum dictorum monasteriorum accedat assensus, tuque ac liberi, fratres, milites ac matrone predicti non pernoctetis ibidem nec in communi refectorio comedatis. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1266 Bolsena, 22 avril 1304.

Liceat ejusdem reginæ confessori intrare monasteria monialium seu sororum, quorumlibet ordinum, ad quæ transmissus fuerit ab eadem regina. (n° 158, fol. 223 v°.)

« *Eidem.* Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tibi aliquando confessorem tuum certis ex causis ad nonnulla monasteria monialium seu sororum diversorum ordinum expediat destinare, nos tuis supplicationibus inclinati, confessori predicto apostolica auctoritate concedimus quod monasteria illa, ad que ipsum transmiseris, quorumcumque fuerint ordinum, intrare libere valeat, quibuscumque statutis et consuetudinibus monasteriorum et ordinum predictorum juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus, dummodo ad id abbatissarum seu priorissarum et conventuum dictorum monasteriorum accedat assensus, idemque confessor in monasteriis ipsis non comedat nec pernoctet. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, etc. Dat. ut supra. »

1267 Bolsena, 22 avril 1304.

Valeat confessor supradictus audire confessiones reginæ ac familiarium ejus utriusque sexus, ipsis pœnitentias injungere et absolutionis beneficium impertiri. (n° 159, fol. 223 v°.)

« *Eidem.* Ex caritatis dono tibi divinitus tradito provenit quod non solum de tua sed et familiarium tuorum procuranda salute te sollicitam exhibeas et intentam.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, confessori tuo quicumque pro tempore fuerit, cui [1] audiendi confessionem tuam teque absolvendi potestatem apostolica auctoritate concedimus, quod possit etiam familiarium tuorum utriusque sexus confessiones audire, ipsis penitentias injungere salutares, et absolutionis beneficium impertiri, nisi talia forte commiserint super quibus esset Sedes Apostolica requirenda. Nulli ergo, etc., nostre concessionis, [etc]. Dat. ut supra. »

1268 Pérouse, 18 mai 1304.

Citetur Trecensis episcopus ad comparendum coram Apostolica Sede. (n° 160, fol. 223 v°.)

« *Magistris Andree de Fontebliaudi,.. de canosancti Andree Carnotensis, et Miloni, canonico sancti Stephani Droecensis, Carnotensis diocesis.* Multa de venerabili fratre nostro Guichardo, episcopo Trecensi, si dici venerabilis mereatur, sunt nobis insinuata sinistra, que limam apostolice correctionis exposcunt ; ideoque nos illa nolentes prout etiam nec debemus, si veritate nitantur, relinquere incorrecta, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios eundem episcopum ex parte nostra peremptorie citare curetis ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi apostolico se conspectui personaliter representet, nostris beneplacitis et mandatis in hac parte plenarie pariturus. Diem autem citationis et formam, etc., usque : intimare curetis. Dat. Perusii, xv kalendas junii, anno primo. »

1269 Pérouse, 12 mai 1304.

Pœnam constitutionis Bonifatii VIII *Clericis laicos* restringit ad eos tantummodo, qui seculares exactiones ab ecclesiasticis personis exigere præsumpserint vel exigi procurarint. (n° 161, fol. 223 v° ; POTTH., n°s 25424 et 25427.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Quod olim per felicis recordationis Bo[nifatium] papam VIII, predecessorem nostrum, contra laicos exigentes sive recipientes a clericis et ecclesiasticis personis tallias, decimam, vel aliam quotam seu quantitatem aliquam de proventibus bonorum suorum aut ecclesiarum, nec non adversus solventes aut promittentes vel consentientes se soluturos penis adjectis statutum est, quantum ad penas ipsas ex causa

1. Ms : « qui ».

de consilio fratrum nostrorum restringimus ad exigentes tantummodo et ad exigendum dantes auxilium, consilium, vel favorem, non autem quo ad easdem penas in solventibus aut recipientibus a sponte dantibus deinceps vendicet sibi locum.

Ceterum attendant sollicite ecclesiarum prelati et alii clerici, quod Lateranense Concilium in hujusmodi subventionibus solum casum necessitatis aut comunis utilitatis, ubi laicorum ad id non suppetunt facultates, deliberatione provida noscitur excepisse, et deinde generale statuisse Concilium propter quorumdam imprudentiam etiam in hoc casu Romanum pontificem, cujus interest communibus providere utilitatibus, primitus consulendum. Attente [1] igitur caveant ne predictorum Conciliorum transgressores existant, aliquid in casu predicto, et multo magis si casus ipse non subsit, quoquomodo vel titulo, inconsulto Romano pontifice, occasione subventionum dictarum concedendo laicis vel etiam promittendo; alioquin tanquam canonum tam solennium Conciliorum temerarii transgressores, quas procul dubio Deo propitio idem infliget pontifex, gravissimas penas poterunt merito formidare. Nulli ergo, etc., nostre restrictionis, etc. Dat. Perusii, IIII idus maii, anno primo. »

1270 Pérouse, 13 mai 1304.

Cum Parmensis episcopus cupiat in ecclesia Baptisterii Parmensis cultum divinum et ministrorum numerum adaugeri, ei Benedictus indulget ut præfatæ ecclesiæ pro cultu et numero hujusmodi ampliandis aliquas de ecclesiis ad suam collationem spectantibus nec populum habentibus valeat concedere. (nº 162, fol. 223 vº.)

« *Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario.* Gerentes ad personam tuam tue fraternitatis exigentibus meritis benivolentie specialis affectum, quod pie deposcis a nobis tibi favorabiliter impertimur.

Cum itaque, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tu in ecclesia Baptisterii Parmensis ut ibi cultus augeatur divinus ministrorum numerum cupias adaugeri, nos volentes illam tibi gratiam gratiose concedere per quam hujusmodi pium tuum desiderium valeat adimpleri, tuis supplicationibus inclinati, concedendi dicte ecclesie de ecclesiis tue civitatis et diocesis ad tuam collationem spectantibus, populum non habentibus, quascumque et quotcumque tibi videbitur cum earum juribus et pertinentiis pro cultu et numero hujusmodi ampliandis, easque in augmentum cultus et numeri et usus proprios ministrorum hujusmodi deputandi, consensu capituli tui minime requisito, ita quod, cedentibus vel decedentibus rectoribus et clericis dictarum ecclesiarum vel eis quovis alio modo vacantibus, liceat tibi vel successori tuo Parmensi episcopo, qui pro tempore fuerit, nomine ecclesie Baptisterii predicte illarum possessionem apprehendere earumque fructus in augmentum et usus convertere supradictos, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coartare ac invocare ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis;

Non obstantibus si aliqui super provisione sibi facienda de ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis in illis partibus Apostolice Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, quibus quo ad alia ecclesias et beneficia nullum volumus prejudicium generari; aut si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem; et quibuslibet aliis litteris et indulgentiis apostolicis, per quas presentibus non expressas vel totaliter non insertas effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, plenam et liberam fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Perusii, III idus maii, anno primo. »

1271 Pérouse, 13 mai 1304.

Eidem episcopo concedit licentiam adaugendi in præfata ecclesia tam canonicorum quam aliorum ministrorum numerum, distinguendi quoque præbendas et statuta condendi in eadem. (nº 163, fol. 224.)

« *Eidem.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tu ad ecclesiam Baptisterii Parmensis ob reverentiam beati Johannis Baptiste, cujus est vocabulo insignita, specialem gerens devotionis affectum, illam tam in spiritualibus quam temporalibus cupias salutaria recipere incrementa, nos hujusmodi tuum pium desiderium favore benivolo prosequentes ac gerentes in hiis et aliis de circumspectione tua fiduciam in Deo pleniorem, fraternitati tue adaugendi cum tibi usui fuerit in eadem ecclesia, in qua licet sit senarius canonicorum numerus preposito computato prebendarum tamen distinctio non habetur, consideratis illius facultatibus, tam canonicorum quam aliorum servitorum numerum ipsumque determinandi, distinguendi quoque in ea prebendas, si id discretioni tue illius considerato statu expedie[n]s videatur, statuta insuper in eadem ecclesia condendi rationa-

1. Ms : « A tanto. » Une expédition originale conservée à Paris (Arch. Nat. J 712, nº 302[4]) porte *Attente*.

bilia et honesta, que ad statum salubrem ecclesie memorate pertineant, super hiis capituli tui consensu minime requisito, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica facultatem, auctoritate predicta nichilominus statuentes, quod prepositi et canonicorum, tam successorum illorum qui nunc in ea instituti sunt, que etiam ut asseris ad nullum alium pertinent, quam creandorum ibidem institutio et destitutio et prepositure ac prebendarum collatio, si eas distingui contigerit, in eadem ecclesia ad te successoresque tuos episcopos Parmenses, qui pro tempore fuerint, perpetuis futuris temporibus debeant pertinere. Nulli ergo, etc., nostre concessionis et statuti, etc. Dat. ut supra. »

1272 Pérouse, 28 mai 1304.

Eidem episcopo facultatem elargitur concedendi prædictæ ecclesiæ Baptisterii prioratum s. Mariæ de Pizzolesio et ecclesiam s. Blasii de Viarolo, Parmensis diocesis, pro ipsa ecclesia Baptisterii magnificanda et divino cultu ac numero ministrorum augmentandis in eadem. (nº 164, fol. 224.)

« *Eidem.* Officii nostri debitum instanter exposcit, ut ad ea que divini cultus augmentum respiciunt sollicitis studiis intendamus.

Sane in nostra proposuisti presentia constitutus, quod prioratus sancte Marie de Pizzolesio et ecclesia sancti Blasii de Viarolo, tue diocesis, ad monasterium sancti Michaelis de Clusa ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Benedicti, Taurinensis diocesis, pleno jure spectantes, in quo quidem prioratu abbas dicti monasterii priorem de monachis ipsius monasterii ponere et amovere pro sue voluntatis libito consuevit, tum propter incuriam ipsius abbatis et conventus dicti monasterii, tum propter malitiam et potentiam quorumdam querentium que sua sunt non que Christi, multum presertim in spiritualibus sunt collapsi.

Cum autem tu in ecclesia Babtisterii Parmensis, ad quam ob reverentiam beati Johannis Baptiste, cujus ipsa est vocabulo insignita, specialem geris devotionis affectum, divinum cultum et ministrorum numerum cupias adaugeri, nos volentes tibi et ipsi ecclesie Babtisterii de illa gratia, per quam hujusmodi tuum desiderium impleri valeat, providere, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue concedendi ipsi ecclesie Baptisterii prioratum et ecclesiam sancti Blasii supradictos cum eorum [bonis] [1], juribus et pertinentiis, pro hujusmodi cultu et numero augmentandis ipsaque ecclesia Baptisterii magnificanda, dummodo ad id eorumdem abbatis et conventus prius accedat assensus, et quod post concessionem hujusmodi a te faciendam tu vel successor tuus qui pro tempore fuerit, ab eodem prioratu priore qui nunc est ibidem amoto, ac rectore si quis in dicta ecclesia sancti Blasii forsan existat cedente vel decedente, vel alio quovis modo ecclesia sancti Blasii vacante predicta, alioquin similiter exnunc amoto ab ea quolibet illicito detentore, possis nomine ecclesie Baptisterii predicte prioratus et ecclesie sancti Blasii, bonorum, jurium et pertinentiarum predictorum possessionem, cujusquam assensu minime requisito, apprehendere, eorumque proventus in augmentum numeri et usus proprios ministrorum deputare et convertere predictorum, in ipsis prioratu et ecclesia sancti Blasii communiter censu viginti solidorum Imperialium dumtaxat in memoriam pristini juris solvendo annuatim infra octavam beati Johannis Baptiste dicto monasterio reservato, contradictores quoque, etc., usque : compescendi ac invocandi ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, vel quibuscumque privilegiis, litteris et indulgentiis apostolicis generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Perusii, v kalendas junii, anno primo. »

1. Cf. onze lignes plus loin.

1273 Pérouse, 23 mai 1304.

Magistro Gabrieli, collectori decimæ in partibus regni Alamaniæ infrascriptis, mandat ut totam pecuniam, quam pro Ecclesia Romana colligere potuerit, mercatoribus societatis Circulorum assignet seu faciat assignari. (nº 165, fol. 224.)

« *Magistro Gabrieli, plebano plebis de Valento, Pisane diocesis.* Cum felicis recordationis B[onifatius] papa VIII predecessor noster, te ad Maguntinam, Treverensem, Coloniensem, Bremensem, Magdeburgensem et Salzburgensem provincias ac earum et Eistatensem et Bambergensem civitates et dioceses in regno Alamanie et ejus partibus constitutas pro colligendis et exigendis ibidem decimis, censibus et obventionibus quibuscumque tam Romane Ecclesie quam subsidio Terre Sancte debitis duxerit destinandum, nos ut pecuniam quam ex premissis recipere te continget habere possimus in promptu, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus totam pecuniam, quam de premissis ad manus tuas

vel illorum quos ad hujusmodi ministerium deputabis pervenire contigerit, dilectis filiis Oliverio Lippo, Naddo Gerardini de Circulis et Bonacurso Bonincontri, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Circulorum, camere nostre mercatoribus, vel eorum alteri seu ipsorum vel alterius eorumdem procuratori seu procuratoribus ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, assignes integraliter et per subcollectores a te deputatos vel deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi et valore monete, que ipsis assignabitur, videlicet ad quot florenorum auri valorem eadem moneta tempore hujusmodi assignationis ascendat, duo confici publica instrumenta, illa nobis penes te retentis similibus per fidelem nuntium transmissurus, ac nichilominus significaturus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeris faciendum. Sic itaque in hac parte vigilanter et fideliter te habere procures quod possis exinde merito commendari. Dat. Perusii, x kalendas junii, anno primo. »

1274 Pérouse, 9 juin 1304.

Magistro Bosolo de Basolis, capellano suo, mandat ut ad partes diocesis Cæsanatis se personaliter conferens, sibi nomine Ecclesiæ faciat assignari aliqua castra, ad ecclesiam Ravennatem pertinentia, quæ communitas civitatis Cæsenæ dicitur occupasse. (nº 166, fol. 224 vº.)

« *Magistro Bosolo de Basolis, canonico Tornacensi, capellano nostro.* In provinciis universis, quas professio Christiane Religionis includit, libenter quietis et pacis commoda procuramus, sed provinciam Romaniole tanto desiderantius habere cupimus statum pacificum et tranquillum, quanto ipsa magis in sinu Sedis Apostolice constituta nobisque ac dicte Sedi spiritualiter et temporaliter est subjecta ; ideoque vias et modos exquirimus per quos eadem provincia dissentionum vepribus amputatis tranquillitatis commodo perfruatur.

Cum igitur occasione castri Raversani, Cesanatis diocesis, et quorumdam aliorum ad ecclesiam Ravennatem sicut asseritur pertinentium, que comune civitatis Cesene occupasse dicuntur, nec non illorum etiam que dicta ecclesia in eadem diocesi obtinet, scandala in dicta provincia sicut accepimus oriantur graviaque propter hoc timeantur discrimina provenire, nos hujusmodi discriminibus et periculis occurrere cupientes, te, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, ad partes illas pro illarum statu pacifico procurando providimus destinandum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad partes ipas te personaliter conferens, castrum predictum Reversan[i] tibi nomine Romane Ecclesie facias assignari tenendum et custodiendum per te nomine dicte Romane Ecclesie, donec cognoscatur de jure cui fuerit illius assignatio facienda.

Alia quoque castra dicte Ravennatis ecclesie, tam per dictos comune et ejus adherentes a tempore occupationis dicti castri Reversani ubicumque fuerint occupata, quam alias que dicta ecclesia Ravennas in dicta diocesi obtinet similiter, ad manus tuas recipias eaque nomine dicte Romane Ecclesie usque ad nostrum et dicte Sedis beneplacitum facias custodiri, pro quorum omnium custodia per eos qui nunc ea detinent tibi facias expensas necessarias ministrari, tam archiepiscopo quam comuni et eis adherentibus supradictis districtius inhibendo, ne alterutra ipsarum partium aliquid circa premissa in alterius prejudicium innovet vel attemptet, contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Perusii, v idus junii, anno primo. »

In e. m. .. potestati, .. capitaneo, octo defensoribus populi, consilio et comuni civitatis Cesenatis.

1275 Pérouse, 4 juin 1304.

Mathæo s. Mariæ in Porticu diacono cardinali capellam s. Vincentii de Urbe, sitam inter basilicam Principis Apostolorum et palatium papale, cum pertinentiis ejus in spiritualibus et temporalibus committit gubernandam. (nº 167, fol. 224 vº ; Potth., nº 25438.).

« *Matheo sancte Marie in Porticu diacono cardinali.* Providentie tue virtus — Dat. Perusii, ii nonas junii, anno primo. »

1276 Pérouse, 7 juin 1304.

Guillelmum de Nogareto, Renaldum de Supino, Sciarram de Columpna et eorum complices, qui scelestum flagitium in personam Bonifatii viii Anagniæ commiserunt, incurrisse denuntiat excommunicationis sententiam a canone promulgatam. Eos peremptorie citat ad comparendum coram Apostolica Sede. (nº 168, fol. 224 vº ; Potth., nº 25441 ; Theiner, *Codex diplom. dom. temp. S. Sedis*, t. I, nº dlxxxv.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Flagitiosum scelus et

sceleste flagitium, quod quidam sceleratissimi viri summum audentes nefas in personam bone memorie Bonifatii pape VIII, predecessoris nostri, non sine gravi perfidia commiserunt, puniendum prosequi ex justis causis huc usque distulimus, sed ulterius sustinere non possumus quin exurgamus, immo Deus in nobis exurgat ut dissipentur inimici ejus, et ab ipsius facie fugiant qui oderunt eum : dissipentur, dicimus, nisi vere peniteant sicut ad predicationem Jone Ninive conversa est, alias ut Jericho subvertantur.

Olim siquidem dum idem Bo[nifatius] Anagnie, proprie originis loco, cum sua curia resideret, ipsum nonnulli perditionis filii, primogeniti Sathane et iniquitatis alumpni, omni pudore postposito et reverentia retrojecta, prelatum subditi, parentem liberi et vassalli dominum, Guillelmus scilicet de Nogareto, Renaldus de Supino, Thomas de Morolo, Robertus filius dicti Renaldi, Petrus de Genazano, Stephanus filius ejus, Adenulphus et Nicolaus nati quondam Mathie, Giffridus Bussa, Orlandus et Petrus de Luparia, cives Anagnini, milites, Sciarra de Columpna, Johannes filius Landulfi, Gotifridus natus Johannis de Ceccano, Maximus de Trebis et alii factionis ministri armati hostiliter et injuriose ceperunt, manus in eum injecerunt impias, protervas erexerunt cervices ac blasphemiarum voces funestas ignominiose jactarunt. Eodem etiam facto et opera per ejusdem factionis complices et alios thesaurus Romane Ecclesie ablatus violenter extitit et nequiter asportatus.

Hec palam, hec publice, hec notorie et in nostris etiam oculis patrata fuerunt! In hiis lese majestatis, perduellionis, sacrilegii, legis Julie de vi publica, Cornelie de sicariis, privati carceris, rapine, furti et tot alia quot ex hujusmodi facto facinora secuta sunt crimina et fellonie etiam delictum commissa notamus. In hiis stupidi facti sumus ! Quis crudelis hic a lacrimis temperet? Quis odiosus compassionem non habeat ? Quis deses aut remissus judex ad procedendum non surgat? Quis pius sive misericors non efficiatur severus? Hic violata securitas, hic immunitas temerata ! Propria patria tutela non fuit, nec domus refugium ; summum pontificium deshonestatum est, et suo capto sponso Ecclesia quodammodo captivata ! Quis locus reperietur amodo tutus ? Que sancta, Romano violato pontifice, poterunt inveniri ? O piaculare flagitium, o inauditum facinus, o Anagnia misera, que talia in te fieri passa es ! Ros et pluvia super te non cadant ; in alios descendant montes ; te autem transeant, quia te vidente et prohibere valente fortis cecidit et accinctus robore superatus est ! O infelicissimi patratores, non imitati quem nos imitari volumus David sanctum, qui in christum Domini etiam inimicum, persecutorem et emulum suum, quia dictum erat : « Nolite tangere christos meos », manum extendere noluit et in extendentem irrui gladio juste fecit ! Infandus dolor, lamentabile factum, perniciosum exemplum, inexpiabile malum et confusio manifesta ! Sume lamentum Ecclesia ; ora tua fletibus rigent elegi, et in adjutorium debite ultionis filii tui de longe veniant et filie tue de latere surgant !

Verum quia scriptum est: « Feci judicium et justitiam, et honor regis judicium diligit, » nos in predictis sic judicium quod ad honorem nostrum pertinet facere cupimus, quod a justitia minime divertamus. Ideoque forma juris que, sicut hec sunt, servatur in notoriis observata, prefatos superius nominatim expressos ceterosque participes, qui hec in sepedictum Bonifatium in personis propriis exercuerunt Anagnie, omnesque qui in hiis dederunt auxilium, consilium vel favorem denuntiamus de fratrum nostrorum consilio, presente hac multitudine copiosa, promulgatam a canone excommunicationis sententiam incurrisse, ipsosque citamus peremptorie quatinus infra festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli proxime venturum personaliter compareant coram nobis, justam dante Domino nostram super premissis, que ut predicitur notoria sunt, audituri sententiam nostrisque mandatis et jussionibus humiliter parituri : alioquin eorum non obstante absentia contra eos via incedentes regia procedemus. Hanc autem citationem nostram, quam non sine causa ex certa scientia facimus, ipsos artare volumus, sicut si eorum quemlibet apprehendisset.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in ecclesie majoris Perusine appendi seu affigi ostiis sive superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod illi quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos processus talis non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Perusii, VII idus junii, pontificatus nostri anno primo. »

1277 Pérouse, 21 juin 1304.

Viterbiensibus districte mandat ut a repræsaliis, quas contra castrum Montisflasconis intendunt in proximo dirigere, prorsus abstineant. (n° 169, fol. 225.)

« *Dilectis filiis .. potestati, gubernatoribus, consilio et co-*

muni Viterbiensibus. Nuper ad nostrum non sine gravi admiratione pervenit auditum, quod vos postposito fidelitatis et reverentie debito, quo nobis et Ecclesie Romane tenemini, adversus castrum Montisflasconis, Balneoregensis diocesis, nostrum et ipsius Ecclesie speciale demanium, et ipsius castri homines occasione cujusdam prede vel alias [1] provocati preparatis vos et intenditis in proximo procedere hostiliter contra eos.

Cum igitur hoc, si quod absit! contingeret, in gravem nostram et ejusdem Ecclesie injuriam redundaret, nosque non possemus id sicuti nec deberemus conniventibus oculis pertransire, universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta sub excommunicationis in personas vestras, potestas [et] gubernatores, et aliarum singularium personarum civitatis vestre ac interdicti in vos, comune ac civitatem eandem et decem milium marcharum argenti penis et sententiis, quas exnunc ferimus et vos incurrere volumus si contra feceritis, districte precipiendo mandantes, quatinus ab hujusmodi preparatione ac proposito procedendi penitus desistentes, nullam contra prefatum castrum vel ejus homines per exercitum vel cavalcatam seu alias per vos vel alios faciatis noxiam novitatem sine nostra speciali licentia et mandato. Si quid autem juris vel actionis seu querele vultis proponere occasione hujusmodi contra eos, super hoc ad nos poteritis fiducialiter habere recursum, nam parati sumus exhibere vobis de ipsis favorabiliter justitie complementum. Super presentatione autem presentium facienda vobis, relationi portitoris earum fidem curabimus adhibere. Dat. Perusii, XI kalendas julii, anno primo. »

1278 Pérouse, 21 juin 1304.

Queritur de injuria quam Ostiensi episcopo, Sedis Apostolicæ legato, Florentini et Lucani nuper intulerunt; mandat autem ut infra certum terminum Florentiæ et Lucæ communia per procuratores idoneos, nec non quidam cives earumdem civitatum personaliter peremptorie compareant coram conspectu apostolico super præmissis parituri. (n° 170, fol. 225; POTTH., n° 25429 [2].)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Rex pacificus, qui pacis cogitationes cogitat non afflictionis, pro mundi pace venit in mundum, in ultimis dum transiturus esset ad patrem pacem nobis quasi proprio testamento relinquens. Id velut precipuum etiam in Veteri Testamento promittit, cum per Prophetam dicit : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis donec auferatur luna et Israel habitabit confidenter. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis et non erit qui exterreat. » In pace namque dies videntur boni, pacemque jubemur inquirere et persequi eam, unde scriptum est : « Dissidentes fratres sive clericos, seu laicos episcopi hortentur ad pacem, et quocumque odio aut longinqua inter se lite dissenserint et ad pacem revocari diuturna obstinatione nequiverint, a sacerdotibus civitatis primitus arguantur. Quod si inimicitias deponere perniciosas noluerint, de ecclesie cetu justissima excommunicatione pellantur. Mandant quoque seculares principes providendum, ut nulli populi seditiones faciant et omnem pacem habeant civitates. » Ad id constringit ratio, ad id exempla nos admonent, quia subditorum sanguis de prelatorum exigitur manibus et agricultor bonus agrum suum solicite colit et tribulis ac herbis nocivis diligenter expurgat. Odia autem, semen iniqui hominis, cum ex corde exeant coinquinant animas, et ideo, si ex illorum ad quos eorum cura pertinet negligentia non purgentur, hoc ab ipsis qui hujusmodi curam habent procul dubio requiretur.

Nuper siquidem dum Florentina civitas olim florida, quam dies verni, rosarum flores et lilia circumdabant convallium, deformis facta, odiis repleta mutuis, in se vertisset crudeliter gladium, suorum civium lamentaretur exilia, fleret cedes, et carceres de divite pauper, de felice misera deploraret, compatientes spiritualiter ei aliisque Tuscie civitatibus peste laborantibus simili, pie cogitavimus et ex debito pastoralis officii supradictis coacti necessario proposuimus tollere in eis favente Domino odia, inserere pacem et quietis dulcedinem ipsis salubriter preparare ; sicque de consilio fratrum nostrorum ad hec procuranda venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, in quo circumspectionem prudentie, puritatem fidei et constantie firmitatem longa experientia noscebamus et noscimus, ad illas partes transmisimus confidenter.

Nec desiderio nostro fuissemus fraudati nisi multorum perversorum iniquitas, qui se demeritis suis beneficio pacis reddiderunt indignos, nostris obviasset propositis, et mali, desiderantes ut Saul bonos semper opprimere et oppressos ad David fugientes repellere eisque refugii locum denegare propriam civitatem, pro sano consilium pravum nequiter assumpsissent.

Cum enim legatus ipse pacis negotium ceptum feliciter et jam fere in consumationem deductum vellet perficere, nonnulli Florentini cives ac certi Pratenses, emuli pacis, turbatores quietis et justitie inimici, quibus pax malorum suorum [operum] [1] que ut non egeant exercere cupiunt finis et bellum initium fore noscuntur, Lucanis

1. Ms : « alia. »
2. Potthast, 22 mai.

1. Cf. n° 1322, col. 827.

consciis, prout per litteras memorati legati accepimus, Prati, dum ibi idem legatus resideret, non reveriti faciem ejus nec Romanam respicientes Ecclesiam, cujus inanibus verbis honorantes labiis sed corde longinqui se jactant esse devotos, ad impedimentum prefate pacis seditionem cum impiis acclamationibus et tumultum non sine precedenti conjuratione fecerunt, Pratum ipsum nichilominus occupantes : propter quod sepefatus legatus de se suaque familia in quorum machinabantur vitam merito timens, et ne idem dicta Florentina civitas pateretur, redire Florentiam est compulsus, dictique Lucani seditiosis hujusmodi prebituri subsidium in equitum et peditum multitudine gravi accessere Ficechium. Sed cum pretactus legatus ab incepto pacis negotio propterea non cessaret, immo duodecim advocasset Florentinos extrinsecos et totidem intrinsecos elegisset, de modo pacis tractaturus cum eis finemque laudabilem negotio prebiturus, intestina bella, Lucanis eisdem Ficechii morantibus, per adversarios pacis quibus iidem favebant Lucani sunt mota; propter que sedanda dicti duodecim extrinseci Florentini de voluntate legati Florentia exiverunt.

Sed prodholor! non ex hoc sedata sunt, quinimo incaluerunt magis, et quasi statim Rosselinus de la Tosa, Pazzinus de Pazzis, Tegghia de Frescobaldis, milites, Synibaldus de Donatis, Buondelmontes, Tornaquinci, Rubei, Vicedomini, Cavicauli, Guadagni, Ferrutii, Bordoni, Acciaioli et Medici cum suis complicibus, Florentini cives, civitatem currentes cedes fecerunt et vulnera, et ex hoc tota est commota civitas et sub armis miserabiliter constituta, bella in locis diversis plurima commissa sunt, immissi ignes et homicidia perpetrata.

Interea autem Lucani de Ficechio cum exfortio maximo Florentiam propinquantibus, idem legatus, qui cum nocentibus innocens, cum dolosis rectus, cum duplicibus simplex, fidelis cum proditoribus, cum iniquis equus et cum injustis justus extiterat, vite sue, quam extinguere Lucani sitiebant, consulens exiit civitatem. Que post, paucis interjectis horis, completa bellis, suorum civium fedata sanguine, plena Lucanis effecta est, violata predis et incendiis deformata ; nobiles et populares viri, amatores pacis et legati fautores, ejecti sunt et relicta civitas in manibus ipsorum ; sicque Lucani propriorum sine causa (nisi temeritatis et superbie) occisores civium, Lucane et Lunensis destructores ecclesie, Tuscie incendium, qui paulo ante prope Pistorium dum ibi esset legatus multos Pistorienses occiderant, nec predictum fratrem nostrum pati potuerunt nominare legatum, quique hactenus versantes cuncta omniaque tentantes, paci predicta una cum Florentinis prefatis prebuerant propter conscientiam criminum suorum obstacula, sunt, nescimus quo Dei judicio, suum scelestum propositum executi, post idem impletum propositum ad palatium, in quo Florentie dictus degebat legatus, turmatim accedere minas blasphemiasque proferre nichilominus presumentes.

In hiis, ultra parricidium et fere cuncta facinora, gravissimum scelus, patrie proprie proditionem agnoscimus. In hiis non solum contra legatum nostrum, sed verius contra nos ac Romanam cui presidemus Ecclesiam in persona legati ejusdem intolerabile facinus et offensa commissa notamus. In hiis homicidii, vulnerum, cedis, violentie, rapine, incendii et tot alia quot ex hoc secuta sunt et sequuntur crimina perpetrata videmus. Non perfidior Catiline conjuratio, vix superior Syllana crudelitas, et Mariana ferocitas parum minor. Sunt hec, quesumus, fidelium opera? Sunt devotorum Ecclesie actiones? Quis infidelis, quis indevotus, aut quis sceleratus hec faceret, nisi qui in pace more solito grassari non posset vel de suis timeret sceleribus ultionem? Hec sunt desperatorum flagitia et in profunda scelera demersorum! An ergo qui egerunt talia sunt Ecclesie filii, an fideles, sive devoti? Certe istos indevotos, reliquos vero, qui passi sunt et ejecti cum in bono pacis sequerentur legatum, appellamus fideles. Miserabile dictu volunt hii etiam dum contra Ecclesiam agunt filii reputari! Numquid ista poterimus tolerare, quin in eos quos Dei timor a malo non revocat exurgamus, quin ipsorum in Dei cui adversantur virtute maxillas in freno constringamus et camo? Numquid ut mali quiescant, bonos vexari patiemur? Numquid inter improbos innocentiam permittemus perire? Absit a nobis, absit a Romano pontifice, absit a Christianorum omnium episcopo et pastore! Nam puniuntur mali ut boni quiete vivant, ac putrescunt palpata vulnera et impunitas audaciam deteriora committendi ministrat. O miserabilis Florentina civitas, quam triste de te prebuisti prebesque spectaculum! quia jam in te languerat justitie vigor, tepuerat animi fortitudo et tibi libertatis gustus modico tempore nauseam generaverat. Sub paucorum qui te devoraverunt et devorant sicut escam panis servitutis jugo redacta es, eorum fis victorie premium atque preda. Tibi terrori facti sunt a quibus consuevisti timeri. Facies tua quam non sol decoloravit sed ignis mutata est. Facta es tabida, data in sibilum et posita in derisum. Cecidisti Lucifer qui mane oriebaris. Urbs frequens et exultans civitas in merorem versa cognosceris; omnis lapis pretiosus quondam operimentum tuum, nunc autem para cilitium, induere sacco et aspergere cinere caput tuum, quia perdidisti filios et privigni quibus sua eo quod modica displicent aliena placent do·

minantur tibi. Narrent filii tui posteris tuis que passa es et a quibus, ut oblivioni quousque ulcta fueris non tradantur. Compatimur, condolemus, urget nos pastorale officium, angit honor Ecclesie, sceleratorum qui te fere strangulatam detinent habenda correctio cogit, ut pro te filia nostra capiamus consilium, morbo tuo apponamus remedium et Ecclesie injuriam vindicemus.

Citamus igitur de eorumdem fratrum nostrorum consilio, presente hac multitudine copiosa, civitatum Florentie et Luce comunia ut per procuratores idoneos, superius vero expressos nec non et Rossum de la Tosa, Cursum de Donatis, utrumque Nerium de Buondelmontibus, Gerardum de Tornaquincis, Paganum Bordonum, Florentinos, Orlandum Salamoncellum, Henricum de Bernarduciis, Orlandum dictum Malapresa, Parentem de Porcara, milites, et Nicolaum Maconis, Lucanos, personaliter infra octavas festivitatis beatorum apostolorum Petri et Pauli proxime venture peremptorie compareant coram nobis super premissis et aliis mandatis et jussionibus nostris humiliter parituri. Alioquin eorum non obstante absentia ad gravissimas penas tanquam super notorio contra eos auctore Domino spiritualiter et temporaliter procedemus.

Prohibemus insuper omnibus et singulis, cujuscumque status, dignitatis aut conditionis existant, civitatibus, universitatibus et locis quibuslibet ne predictis comunibus aut illa regentibus sive parti intrinsece civitatum dictarum dent auxilium, consilium vel favorem ; alias contra facientes similes penas poterunt merito formidare. Hanc autem citationem et prohibitionem nostram, quam non sine causa ex certa scientia facimus, ipsos omnes arctare volumus sicut si eorum quemlibet apprehendisset, non intendentes nec volentes per hec in aliquo derogari potestati dicti legati, quin possit ea uti sicut si ista per nos minime processissent. Ut autem hujusmodi noster processus, etc. Actum Perusii, XI kalendas julii, anno primo. »

1279 Pérouse, 17 juin 1304.

Fatetur quod de censu trium millium unciarum auri, quem rex Trinacriæ pro insula Siciliæ solvere tenetur annis singulis Romanæ Ecclesiæ, ipsius regis nuntii duo millia unciarum eidem Ecclesiæ persolverunt. (nº 171, fol. 226 ; POTTH., nº 25444.)

« *Carissimo in Christo filio Friderico, Trinacrie regi illustri.* De censu trium milium unciarum auri ad generale pondus insule Sicilie, in quo annis singulis pro ipsa insula in festo apostolorum Petri et Pauli persolvendo nobis et Ecclesie Romane teneris astrictus, fatemur quod dilectus filius frater Gerardus de Finoleriis, in dicta insula preceptor domus Militie Templi, et judex Santorus de Salvo Messanensis, tue celsitudinis nuntii, per manus dilecti filii Gerardi Lanfredini, mercatoris camere nostre de societate Bardorum de Florentia, decem milia florenorum pro duobus milibus unciarum auri pro dicto Apostolorum festo proxime transacto anni M CCC III nobis et ipsi Ecclesie tuo nomine persolverunt ; sicque adhuc mille uncie ad idem pondus restant a te solvende pro census dicti anni solutione complenda.

Nos autem per hanc particularis dicti census receptionem conditionibus et obligationibus inter dictam Ecclesiam et te habitis et formatis nolumus nec intendimus in aliquo derogari, has litteras magnificentie regie ad cautelam tuam et rei geste memoriam concedentes. Dat. Perusii, XV kalendas julii, anno primo. »

FIN DU REGISTRE DE BENOIT XI.

NOTE ÉCRITE AU VERSO DU DERNIER FEUILLET DU REGISTRE.

Ista XXVII folia [1] scribit Bartholdus,
Quodlibet folium continet IIII^XX et VI lineas,
Et comput[ando] pro folio centum linearum tres
Solidos, ascendunt ad summam XXXIIII grossorum cum dimidio.

1. Les feuillets 199-226 sur lesquels sont copiées les lettres curiales.

APPENDICE.

On trouvera dans cet appendice quarante-huit lettres de Benoît XI qui ne figurent pas dans le manuscrit du Vatican. Vingt-six d'entre elles sont conservées dans différents dépôts d'archives sous forme d'expéditions originales ou de copies authentiques; les vingt-deux autres nous sont connues par les publications des savants dont M. Potthast a dépouillé les ouvrages. Ces pièces ne sont probablement pas les seules qui devraient prendre place dans ce supplément. Bien que nos recherches aient été assez étendues, nous ne saurions prétendre avoir recueilli toutes les bulles de Benoît XI, que la chancellerie a négligé d'enregistrer. — Les documents qui suivent sont placés dans l'ordre chronologique, sauf l'exception indiquée en tête du n° 1283. *Les cinq n*os 1280, 1282, 1308, 1320 *et* 1323 *sont des pièces dont le texte n'a pas été publié par les auteurs qui les signalent, et sur lesquelles on n'a que des indications sommaires. Nous les avons fait précéder d'un astérisque* (*).

1280 Au Latran, 5 novembre 1303.

* Littera domini Benedicti papæ XI directa Carolo regi Siciliæ, continens qualiter in præsentia domini papæ et cardinalium, quando ligium homagium et fidelitatis juramentum legeretur pro parte dicti regis, facta fuit protestatio, quod rex ipse per promissionem et juramentum per ipsum faciendum et præstandum non intendebat se obligare ad solvendum 50 000 marcharum Sterlingorum, præcipue cum patri suo per prædecessores papæ alias fuerint remissa. Quam protestationem papa non recepit aliter, nisi quantum secundum justitiam et veritatem ipsum regem juvare posset. « Dat. Laterani, nonis novembris, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25292.)

1281 Au Latran, 22 novembre 1303.

Abbati monasterii s. Abundii Cumani committit decidendam causam vertentem inter abbatem conventumque monasterii Disertinensis, ordinis s. Benedicti, Curiensis diocesis, et [Sifridum] episcopum Curiensem, qui illis ab omni jurisdictione sua exceptis mandaverat, ut sibi eunti ad curiam regis Alemanniæ et moranti ibidem quandam pecuniæ quantitatem pro expensarum subsidio exhiberent. « Significarunt nobis abbas — Dat. Laterani, x kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo. » (Potth. n° 25305.)

1282 Au Latran, 7 décembre 1303.

* Inhibet, ne canonici residentes, qui horis canonicis minime interfuerint, vel a communi refectorio vel dormitorio se duxerint communis refectionis aut dormitionis temporibus absentandos, extra mensam de cotidianis distributionibus percipiant, etc. (Potth., n° 25313.)

*Les quinze bulles qui suivent (n*os 1283 *à* 1297*) sont tirées de la même collection, concernent le même objet, et sont conçues pour la plupart dans les mêmes termes. Il nous a paru nécessaire de les réunir en une seule série, bien que cette disposition ne fût pas rigoureusement conforme à l'ordre chronologique. Trois pièces, les n*os 1298, 1299 *et* 1300, *se trouvent ainsi reportées un peu plus loin que leur date l'eût exigé. Nous en avertissons le lecteur.*

1283 Au Latran, 5 janvier 1304.

Abbati monasterii s. Michaelis de Podio s. Donati Senensis mandat, ut ea quæ de bonis hospitalis s. Mariæ Senensis alienata illicite vel distracta invenerit ad jus et proprietatem ipsius hospitalis legitime revocet. (Cf. n° 1289. — Sienne, Archivio di Stato, Diplomatico, *Spedale Santa Maria della Scala.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii sancti Michaelis de Podio sancti Donati Senensis salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris et fratrum hospitalis sancte Marie Senensis precibus inclinati, presentium tibi aucto-

ritate mandamus quatinus ea que de bonis ipsius hospitalis alienata inveneris illicite vel distracta ad jus et proprietatem ejusdem hospitalis legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1284 Au Latran, 11 janvier 1304.

In eundem modum episcopo Florentino. (Cf. n° 1290. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Florentino, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris — Dat. Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1285 Au Latran, 11 janvier 1304.

In eundem modum abbati monasterii de Spineto, Clusinæ diocesis. (Cf. n° 1291. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii de Spineto, Clusine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris — Dat. Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1286 Au Latran, 12 janvier 1304.

In eundem modum episcopo Vulterano. (Cf. n° 1292. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Vulterano, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris — Dat. Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1287 Au Latran, 12 janvier 1304.

In eundem modum episcopo Grossetano. (Cf. 1293. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Grossetano salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris — Dat. Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1288 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eundem modum priori de Fonte Rutoli, Fæsulanæ diocesis. (Cf. n° 1294. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. priori de Fonte Rutoli, Fesulane diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. rectoris — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1289 Au Latran, 11 janvier 1304.

Mandatum datur super eodem in alia forma supradicto abbati monasterii sancti Michaelis de Podio. (Cf. n° 1283.— *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii sancti Michaelis de Podio sancti Donati Senensis salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilecti filii .. rector et fratres hospitalis sancte Marie Senensis, quam predecessores eorum terras, domos, vineas, possessiones, prata, pascua, casalia, nemora, molendina, redditus, jura, jurisdictiones et quedam alia bona ad hospitale ipsum spectantia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus et penis adjectis, in gravem ejusdem hospitalis lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo, ad firmam vel sub censu annuo concesserunt ; quorum aliqui super hiis litteras confirmationis in communi forma dicuntur a Sede Apostolica impetrasse.

Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea que de bonis ipsius hospitalis per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, juramentis, penis, renuntiationibus et confirmationibus supradictis, ad jus et proprietatem ejusdem hospitalis legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes

autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1290 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eandem formam episcopo Florentino. (Cf. n° 1284. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Florentino salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1291 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eandem formam abbati monasterii de Spineta. (Cf. n° 1285. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii de Spineta (*sic*), Clusine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1292 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eandem formam episcopo Wulterano. (Cf. n° 1286. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Wulterano salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1293 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eandem formam episcopo Grossetano. (Cf. n° 1287. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Grossetano salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1294 Au Latran, 13 janvier 1304.

In eandem formam priori de Fonte Rutoli, Fæsulanæ diocesis. (Cf. n° 1288. — *Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. priori de Fonte Rutoli, Fesulane diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1295 Au Latran, 11 janvier 1304.

In eandem formam plebano plebis s. Johannis in Vescona, Aretinæ diocesis. (*Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. plebano plebis sancti Johannis in Vescona, Aretine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram — Dat. Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1296 Au Latran, 29 janvier 1304.

Eidem plebano mandat ut causam vertentem inter rectorem fratresque hospitalis s. Mariæ Senensis et quosdam laicos Clusinæ diocesis fine debito decidat. (*Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. plebano plebis sancti Johannis in Ves[c]ona, Aretine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis .. rector et fratres hospitalis sancte Marie Senensis quod Benvenutus, rector ecclesie de Balneo de Vignone, Bertus magistri Jacobi, Vannes Cambii dictus Busamac, Conte Pulciani, Veccius Peni, Baroncellus Assaluti, Paganucius Maffei, Bettinus Bovaciani de Rocca, laici Clusine diocesis, super quadam quantitate frumenti, terris, debitis, possessionibus, et rebus aliis ad hospitale ipsum spectantibus injuriantur eisdem.

Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Laterani, IIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1297 Au Latran, 29 janvier 1304.

In eundem modum eidem plebano super alia causa similiter decidenda. (*Ibid.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. plebano plebis sancti Johannis in Vescona, Aretine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis .. rector et fratres hospitalis sancte Marie Senensis, quod Vincius Naldi, Vocius Contis, Bartholinus Gratie de Rocca, laici Clusine diocesis, super quadam quantitate frumenti, terris, possessionibus et rebus aliis ad hospitale ipsum spectantibus injuriantur eisdem.

Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Laterani, IIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de chanvre. Bulle.)

1298 Au Latran, 10 janvier 1304.

Episcopo Auximano mandat, ut donationes, obligationes, collationes, *etc.*, quas tempore detentionis Rambotti episcopi Camerinensis et nonnullorum clericorum per potestatem et cives Camerinenses factæ in præjudicium dicti episcopi repererit temere attemptatas, in statum debitum legitime revocet. « Ex insinuatione venerabilis — Dat. Laterani, IV idus januarii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. col. 101 n° 109. — Potth., n° 25338.)

1299 Au Latran, 23 janvier 1304.

Archidiacono Nisicensi in ecclesia Misnensi mandat, ut causam vertentem inter præpositum conventumque monasterii s. Affræ Misnensis, ordinis s. Augustini, ex parte una, et Fredericum marchionem Misnensem et Berhardum de Kamentz militem Misnensis diocesis, ex altera, litigantes super terris, debitis et rebus aliis debito fine decidat. « Conquesti sunt nobis — Dat. Laterani, X kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. col. 814, n° 1296, même formule. — Potth., n° 25345.)

1300 Au Latran, 25 janvier 1304.

Archidiacono Goslariensi causam inter abbatissam capitulumque sæcularis ecclesiæ in Gandersem ex parte una, et Aschwinum et Henricum de Wallmode milites, Thidericum eorumdem fratrem armigerum et Henricum dictum Nurenberg laicum Hildesemensis diocesis ex altera, super quadam pecuniæ summa vertentem committit terminandam. « Conqueste sunt nobis — Dat. Laterani, VIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. col. 814, n° 1296, même formule. — Potth., n° 25346.)

1301 Au Latran, 4 février 1304.

Plebano plebis de Massa del Cozile, Lucanæ diocesis, mandat ut abbatissæ et conventui monasterii de Gattaiola, diocesis ejusdem, nec non Guillelmo Opizonis de Luca clerico diem dicat ad comparendum coram Apostolica Sede super possessione quam obtinent hospitalis de Altopasso causam acturis et recepturis quod ordo dictaverit rationis. (Lucques, Archivio di Stato, Diplomatico, *San Romano*.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. plebano plebis de Massa del Cozile, Lucane diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum .. prioris et .. lectoris ordinis fratrum Predicatorum Lucanorum ac .. rectoris hospitalis de Altopasso, Lucane diocesis, executorum testamenti quondam Rufini archiepiscopi Mediolanensis, nobis exhibita continebat, quod idem archiepiscopus dum viveret quoddam hospitale de bonis ad eum ratione persone sue spectantibus prope castrum Ficechi, dicte diocesis, construxit pariter et dotavit, in eo pauperes et infirmos recipi faciendo ; et demum condito testamento per manus dictorum executorum in hospitali predicto hujusmodi pauperes et infirmos recipi ac hospitalitatem servari mandavit. Et licet tam dictus archiepiscopus adhuc vivens, quam predicti executores dictum hospitale tenuerint et in eo hospitalitatem hujusmodi aliquandiu servaverint pacifice et quiete, tamen .. abbatissa et conventus monasterii de Gattaiola, ordinis sancte Clare, dicte diocesis, eosdem executores possessione dicti hospitalis et omnium bonorum ejus contra justitiam spoliari fecerunt per potentiam secularem, dictumque hospitale Guillelmo nato Opizonis de Luca clerico, de facto, cum de jure non possent, pro sue voluntatis libito contulerunt, qui pretextu collacionis hujusmodi predictum hospitale et omnia jura ipsius occupavit et adhuc ea detinet occupata ; propter quod pia ipsius testatoris intentio defraudatur. Quare iidem executores nobis humiliter supplicarunt, ut eis super hiis apud Sedem Apostolicam faceremus exhibere justitie complementum.

Nos itaque negotium pauperorum et infirmorum cordi gerentes ac volentes ut apud Sedem predictam finem debitum sortiatur, dilectum filium magistrum Symonem

de Marvilla, thesaurarium ecclesie Metensis, capellanum nostrum ac palatii nostri auditorem causarum, super hiis quamquam negotium hujusmodi per appellationem non sit ad Sedem Apostolicam devolutum nec de sui natura apud Sedem ipsam tractari debeat vel etiam terminari, concessimus partibus auditorem.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem abbatissam et conventum ac dictum Guillelmum et omnes alios qui sua crediderint interesse, per te vel per alium aut alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium ipsum contingentibus per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Dat. Laterani, II nonas februarii, pontificatus nostri anno primo [1]. »

(Orig.)

1302 Au Latran, 5 février 1304.

Abbati et conventui monasterii s. Mariæ Sanæ Vallis de Fullina, Cisterciensis ordinis, Cenetensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones exactionum sæcularium confirmat. « Solet annuere Sedes — Dat. Laterani, nonis februarii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. la pièce qui suit. — Potth., n° 25355.)

1303 Au Latran, 15 février 1304.

Abbati et conventui monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones sæcularium exactionum eidem monasterio concessas confirmat. (Rome, Arch. di Stato, Collezione delle Pergamene, *Pergam. di incerta provenienza.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia seu alias indulgentias vobis et monasterio vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et monasterio predicto indultas, sicut eas juste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Laterani, xv kalendas martii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Attaches de soie jaune et rouge.)

1304 Au Latran, 7 mars 1304.

Priori et conventui monasterii de Porcilia extra muros Paduanos, ordinis sancti Benedicti, indulget, ut familiarium et servitorum suorum, qui in eodem monasterio commorantur, audiant confessionem et ministrent ipsis cætera ecclesiastica sacramenta. « Cum ad vos — Dat. Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25385.)

1305 Au Latran, 10 mars 1304.

Deputantur conservatores super executione constitutionis quæ incipit *Inter cunctas.* (Cf. col. 756-758 les nos 1228 et 1229 et col. 822 les nos 1313 et 1314. — Florence, Arch. di Stato, Diplomatico, *Santa Maria Novella*; Potth., n° 25388.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. Lucano, .. Senensi, .. Perusino et .. Reatino episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Super egenum nuper — Dat. Laterani, VI idus martii, pontificatus nostri anno primo. »

(Copies [1].)

1306 Au Latran, 11 mars 1304.

Potestatem, consilium et commune civitatis Tuscanellæ monet et hortatur ut rectori et fratribus hospitalis quod dicitur Domus Dei de Viterbio, secundum instituta et sub cura fratrum Prædicatorum viventibus, de damnis et injuriis illatis satisfa-

1. A cette pièce est cousu un petit morceau de parchemin, sur lequel on lit ces mots d'une écriture du xive siècle : « Precepto cogente ego frater Nicolaus de Scorno, Pisanus, dico non affirmans sed ex auditu plurimorum fratrum comprehendens, quod culpa amissionis nostri hospitalis de Fiscecchio reputatur rectoris, quia dicitur quod hora debita noluit ire cum priore ad eligendum hospitalarium. »

1. Deux copies, datées l'une d'Orviéto 8 octobre 1309, l'autre de Florence 13 septembre 1317.

ciant. « Ex parte dilectorum — Dat. Laterani, v idus martii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25392.)

1307 Au Latran, 11 mars 1304.

Episcopo Viterbiensi de superiore epistola significat et mandata dat. « Ex parte dilectorum — Dat. Laterani, v idus martii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25393.)

1308 Au Latran, 11 mars 1304.

Decano ecclesiæ Treverensis mandat, ut ea quæ de bonis monasterii de Mariendal, [Treverensis diocesis], per concessiones illicite alienata invenerit vel distracta ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. « Dat. Laterani, v idus martii, anno primo. » (Potth., n° 25395.)

1309 Au Latran, 12 mars 1304.

Ordinis Prædicatorum fratrum apud Tolosam in generali capitulo congregatorum, quos laudibus celebrat, piis se commendat precibus. « Ex horto delicioso — Dat. Laterani, iv idus martii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25389.)[1]

1310 Au Latran, 14 février — 15 mars 1304.

Abbati monasterii s. Burkardi, Herbipolensis diocesis, mandat, ut ea quæ de bonis monasterii s. Petri in Wilzeburc, ordinis s. Benedicti, Eystetensis diocesis, alienata invenerit illicite vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. « Dilectorum filiorum abbatis — Dat. Laterani, martii [2], pontificatus nostri anno primo. » (Cf. col. 810 n° 1283, même formule. — Potth., n° 25400.)

1311 A Saint-Pierre, 25 mars 1304.

Regem Franciæ uxoremque et filios ejus ab omnibus excommunicationum sententiis, quibus ex quacumque causa forsitan astricti tenentur, penitus absolvit. (Paris, Archives Nationales, *Trésor des Chartes*, J 702, n° 139.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Tunc navis Petri, cujus sumus permissione divina successor, recte gubernacula regimus dum quantum in nobis est extra illam nullos qui in ea fuerunt manere permictimus, dum ocasiones exeundi subtraimus et intus invitos si possumus retinemus. Nam, cum dicat Scriptura « nisi in navi manseritis, vos salvi fieri non potestis », certum est foris hanc navem salutem non esse et vitiorum mergi fluctibus qui navis istius carina minime substentatur. Et ideo ex debito pastoralis officii ad nos pertinere probatur, ut opem impendamus et operam ne navem supradictam quis exeat et ut extra factus in eam salubriter reducatur.

Sane, dilectissime fili, te nonnulli dicunt variis excommunicationum sententiis innodatum ; quare si ita esset nemini veniret in dubium quin extra navem hujusmodi noscereris. Quapropter volentes tibi, uxori etiam et liberis tuis de illo remedio providere per quod in navi memorata consistas, te eosdemque uxorem et liberos ab omnibus excommunicationum sententiis, quibus ex quacumque causa tu et ipsi forsitam astricti tenemini, absolvimus easque penitus amovemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis et amotionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se, noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, viii kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo [1]. »

(Orig. Attaches de soie jaune et rouge. Bulle.)

1312 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Regem Franciæ, quem nuper absolvit ab omnibus excommunicationum sententiis, paterne monet ut Apostolicæ Sedis gratiam velut obedientiæ filius suscipiat et ad obedientiam matris Ecclesiæ se convertat. (*Ibid.*, J 490 n° 768 ; Potth. n° 25418 [2].)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quanta nos, fili carissime, ad tui directionem sollicitudo impulerit pastoralis officii, quantave paterne pietatis dilectio ad salutem tuam super te viscera mansuetudinis nostre commoverit, absolutio, quam tibi nuper absenti et non petenti ab

1. Cette pièce a été publiée par Martène, Ripoll et Fontana d'après différentes copies. Martène lui assigne la date du 12 mars, Ripoll et Fontana celle du 10, qui a paru préférable à Potthast puisqu'elle est attestée par deux auteurs. Or on trouve dans l'ouvrage de Scoti (*Memorie del beato Benedetto* xi, Trivigi, 1737, in-4°, p. 240) ce même document daté du 12 mars d'après une expédition originale conservée autrefois au monastère de Saint Nicolas à Trévise. Nous adoptons par conséquent la date du 12.

2. Pas de date de jour ; de plus le texte imprimé porte *maii* au lieu de *martii*, ce qui est inconciliable avec les mots « Dat. Laterani. » La correction « martii » a été faite par Potthast; nous la lui empruntons.

1. Archives Nationales. J 940 (s. n°.) vidimé de cette bulle par l'official de l'évêché de Paris, en date du samedi 16 octobre 1305.

2. Potthast, 5 avril.

omnibus excommunicationum sententiis, quibus ex quacumque causa forsitan tenebaris astrictus, in tuorum nunciorum presentia te in benedictione dulcedinis prevenientes impendimus, manifestat.

Id ne sanguis tuus de nostris requiratur manibus fecisse letamur; id egisse non penitet; et, quod plus est, illud etiam facere debebamus. Sumus namque Illius vicarius, qui dixit hominem illum qui fecit cenam magnam servo suo dixisse : « Exi in vias et sepes et compelle intrare ut impleatur domus mea ». In hoc parabolam illam implevimus, secundum quam habens centum oves, relictis nonagintanovem in deserto, vadit ad illam quam deviasse putabat donec inveniat eam, et inventam imponit in humeros suos gaudens. Numquid igitur te etiam si nolles non cogemus intrare ? Numquid tantam ovem quanta tu es, sic nobilem, precipuam et preclaram, relinquemus quin impositam nostris humeris reducamus ? Absit quantum in nobis sit negligentia talis! absit ommissio tam dampnosa ! Nempe, si corporum medici quandoque invitis apponunt medicamenta salutis, quanto magis nos qui animarum omnium curam divina dispositione suscepimus hoc implere tenemur! Porro quis superbus episcopum urbis et orbis de humilitate redarguet? Quis superstitiosus eum, cui sicut scriptum est « sanctitas ignoscendi dereliquit gloriam », si indulget reprehendet? Quis preterea adeo rigidus tam salubrem clementiam in sua contineret ira vel sevitia conderet ? Certe nullus, qui pacem diligat, qui quietem subjectorum desideret et Ecclesie tranquillitatem exquirat.

Hanc itaque nostram, imo Dei cujus in terris legatione fungimur, devote velut obedientie filius gratiam suscipe, humilis sicut prudens ex ea efficere, nobis patri tuo crede, et ad obedientiam matris Ecclesie tibi salutiferam et honorabilem te converte, firmissime sperans quod a te nichil aliud quam tuam salutem et regni tui gloriam affectamus. Considera, fili, quod Joas rex Juda gloriosus vixit et recta operatus est, donec consilio et doctrina Joiade summi sacerdotis est usus, quo cessante ignominia affectus est et occisus gladiis servorum propriorum occubuit. Ausculta ergo patrem tuum et in ejus parabolas tuas aures inclina. Sic Deo propitio tuum stabilietur regnum et gloriaberis in terra sublimis. Ad hec nuntios tuos predictos leti recepimus et litteras tuas libenter vidimus, quas nobis iidem nuntii ex parte tue celsitudinis presentarunt. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig. Ni attaches ni bulle [1]).

1. Cette pièce n'a jamais été scellée. Elle a dû être envoyée dans une lettre close.

1313 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

Deputantur conservatores super executione constitutionis quæ incipit *Inter cunctas*. (Cf. col. 756-758 les n° 1228 et 1229, col. 818 le n° 1305, et ci-dessous le n° 1314. — FLORENCE, Arch. di Stato, Diplomatico, *SS. Annunziata*.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus.. patriarche Aquilegensi ac.. Paduano et.. Mantuano episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Super egenum nuper — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo. »

(Copie [1].)

1314 A Saint-Pierre, 2 avril 1304.

In eundem modum scribitur aliis conservatoribus. (Cf. le n° précédent. — FLORENCE, ibid., *Santa Croce*.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Pisano et.. Florentino ac.. Senensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Super egenum nuper — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig.)

1315 A Saint-Pierre, 3 avril 1304.

Processum factum contra illos falsos et impios Christianos qui cum Sarracenis communicant in Christiani populi et Terræ Sanctæ dispendium (Cf. n° 1101, col. 659) duci, consilio ac communi Venetiarum transmittit, eis districte mandans ut processum ipsum observent et a subditis suis faciant observari. (VENISE, Arch. di Stato, *Commemoriali* I, fol. 13, n° 26; R. deputazione Veneta di storia Patria, 1ª Serie, Documenti. *Diplomatarium Veneto-Levantinum*, t. v, p. 19.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobili viro.. duci, consilio et communi Venetiarum salutem et apostolicam benedictionem. Cedit nobis ad letitie cumulum et suavitatis odorem, dum vos et civitatem vestram in devotione sincera et fidei puritate matris Ecclesie perstitisse ferventer et persistere preterita gesta vestra commemorant presentiaque testantur. Hec profecto civitas, solita claris splendere meritis et camdem matrem assidue filialibus revereri studiis, in ipsius matris constituta precordiis, sic se placidam exhibet, sic devota placiditate deservit sicque nostris conformatur affec

1. Copie datée de Vérone 16 novembre 1324.

tibus, quod per eam nobis et eidem Ecclesie nihil posse credimus evenire dispendii, quam velut inclitam Apostolice Sedis filiam ad quelibet nostra et ipsius beneplacita, ubi specialiter negotium Christi versatur, speramus potius invenire paratam. Hi sunt filii benedictionis et gratie, devotionis eximie claritate prefulgidi, qui ad Deum et prefatam Ecclesiam ac Terram Sanctam devotionis et reverentie filialis precipuum gerentes affectum, se pro illorum servitiis exposuere ferventer et in quibus prelibata Ecclesia secura tranquillitate quiescit.

Cum itaque nuper, in die Cene Domini, pro ipsius Terre Sancte favore ac ad inimicis crucis Christi presidium subtrahendum quendam processum, quem vobis sub bulla nostra transmittimus, contra portantes prohibita Sarracenis innovandum duximus et etiam faciendum [1], universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta districtius injungentes, quatenus pro divina et Apostolice Sedis ac nostra dicteque Terre Sancte reverentia, ad Terram ipsam prostratam proh dolor! fedatorum pedibus pium gerentes affectum ac ejus dispendiis obviantes, processum ipsum conscribatis in cartulariis vel capitularibus vestris, et que injunguntur in eo observetis firmiter et faciatis a vestris subditis firmiter observari, sic vos in his devote et efficaciter habituri quod exinde vobis et eidem civitati apud Deum et homines salutis, honoris, et laudis proveniat incrementum, ac nos et dicta Sedes devotionis vestre promptitudinem condignis gratiarum actionibus persequi merito debeamus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo [2]. »

1. Le *processus* dont parle ici Benoît XI doit être le n° 1101 (col. 659) de la présente publication. Dans le registre du Vatican cette pièce ne porte point de date ; elle n'en porte pas non plus dans les *Commemoriali* de Venise où elle est copiée. Nous l'avions rapportée par conjecture au 18 novembre 1303, date de la pièce qui la précède dans le manuscrit du Vatican. Mais le pape dit ici assez clairement qu'elle a été donnée le jour du Jeudi saint (*in die Cene Domini*) c. a. d. le 26 mars 1304. Cela soulève une très grave question, qui ne peut être traitée en cet endroit avec les développements nécessaires. Nous renvoyons le lecteur à la deuxième partie de l'Introduction : *Le manuscrit du Vatican*, § De la date des pièces.

2. Je crois devoir donner ici le texte de deux documents extraits du même recueil que cette bulle ; ils lui serviront de commentaire et de complément.

Rome, 8 avril 1304.

« Noverint universi presentes litteras inspecturis quod ego » frater Henricus, prior fratrum ordinis Predicatorum in con- » ventu Veneto, in presentia fratris Florii Veronensis, capellani » et familiaris sanctissimi patris et domini domini Benedicti » pape XI, audivi et intellexi manifeste a dicto domino summo » pontifice quod placet sibi et sufficiens esse judicat quod res pro- » hibitas, que in ejus litteris bullatis ad dominum ducem Veneto- » rum et ejus consilium vel comune directis continentur, juxta » quod sonat textus litterarum ipsarum ad terras Alexandrie vel » Egipti seu ad partes Babilonie soldano subjectas nullatenus » transmittant seu mitti permittant, cetera vero que in dictis lit- » teris non continentur expressa, portari possint vel mittere ad » terras predictas. Audivi etiam a dicto domino nostro quod sibi » non videtur quod panni et indumenta in nomine victualium in- » cludantur. In cujus rei testimonium tam frater Florius predictus, » quam ego frater Henricus sigillum nostrum duximus presenti- » bus apponendum. Rome apud Sanctum Petrum, VIII die aprilis » MCCC IIII°. » (*Commemoriali* I, fol. 47, n° 129. — Cf. plus haut [col. 362] le n° 545.)

3 octobre 1317.

« Cum tempore sanctissimi patris domini pape Benedicti mi- » sissemus ad eum religiosum virum fratrem Henricum de Ari- » mino de ordine Predicatorum ad petendum et requirendum su- » pradicta, et ipse dominus papa in presentia dicti fratris Henrici » et fratris Florii de dicto ordine dixit oretenus quod cum rebus » supra expressis nos ad dictas partes poteramus licite navigare, » et sic suo tempore extitit observatum. » (*Commemoriali* II, fol. 12 v°, n° 30.) — Ce passage est tiré d'une lettre du doge Giovanni

1316 Monterosi, 10 avril 1304.

Petitioni Florentinorum annuens, eis potestatem pro sex mensibus eligit ac nominat. Ipsos insuper hortatur ut pro reformatione status pacifici civitatis Florentiæ Ostiensi episcopo, Sedis Apostolicæ legato, efficaciter assistant. (FLORENCE, Arch. di Stato, Diplomatico, *Santa Maria Novella.*)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, prioribus artium, .. vexillifero justitie, consilio, populo et comuni civitatis Florentie salutem et apostolicam benedictionem. Sicut per vestras quas recepimus litteras evidenter apparet, vos priores et vexillifer et quatuordecim sapientes, ad id juxta morem vestre civitatis electi, nobis hac vice eligendi vobis potestatem, pro sex mensibus a kalendis julii proxime venturis in antea computandis, concessistis unanimiter facultatem. Licet autem cotidiana omnium ecclesiarum sollicitudo et universalis regiminis pastoralis cura, que ex debito servitutis apostolice necessario nobis incumbunt, adeo mentem nostram variis cogitatibus premant grandiumque negotiorum expeditio impresentiarum se nostris sensibus offerat, quod sine reprehensione voluntarios poteramus nunc declinare labores, tamen superat, dilectissimi filii, caritas quam ad vestram devotionem habemus, vincit bene initiate pacis vestre desiderium quod cordi nostro spetialiter inest, angit paterna pietas in filios, ut votis vestris in hac parte cum Dei auxilio salubriter annuamus et per nos voluntati vestre in hiis et etiam aliis, quantum honeste poterimus, satisfiat. Florentinus namque populus, devotione electus, fide conspicuus et elemosinarum largitione preclarus, in suis desideriis gratiam et favorem apostolicos promeretur.

Ideoque, a vobis predicta facultate recepta, nominamus et eligimus vobis primo loco in potestatem vestram pro sex mensibus memoratis nobilem virum dilectum filium Antonium de Fisceraga de Laude, et si ille non esset, ad idem nominamus et eligimus secundo loco Guidottinum de Bonghis de Pergamo, et si hic non haberet, tertio loco nominamus et eligimus ad potestariam hujusmodi Martinum de la Turre de Mediolano, quod si forsitan nollet, Guillielmottum de Brusciatis de Novara quarto loco ad hoc eligimus et etiam nominamus.

Recipictis ergo et tractabitis, prout vos docet, hujusmodi potestatem. Ad hec, quia Illius in terris vices gerimus qui dicit : « Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis », vos totis affectibus nostris hortamur ad pacem. Venerabili fratri nostro N[icolao], episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato, cujus fidei puritatem, circumspectionem prudentie et constantie firmitatem longis retro temporibus ab experto didicimus, in dicte pacis negotio credite ; ejusdem pacis emulos, si qui sunt, quod sperare nolumus, taliter cohibete quod optata pax nullum sentiat detrimentum. Sine pace enim non erit justicia, quia sicut scriptum est « justicia et pax copulate sunt et leges siluere coacte » ; et absque justicia, prout scitis et prohodolor! estis experti, in libertate, quam super omnia mundana vobis si boni estis debetis defendere, non sistetis. Sic igitur expergiscimini et lumbos vestros accingite ; sic animi fortitudinem sumite ; sic manus vestras viriliter confortate, quod incepta pax sortiatur effectum, ex qua quies, quod vehementer optamus, a preteritis laboribus vestris, erumpnis, rapinis, incendiis atque cedibus vobis adveniat et in justicia ac salubri libertate vivatis. Dat. apud Montem Rosolum, IIII idus aprilis, pontificatus nostri anno primo [1]. »

(Orig. Attaches de chanvre.)

1317 Pérouse, 7 mai 1304.

Vertente dudum gravia discordia inter commune Venetiarum et Aquilegensem patriarcham super interpretatione cujusdam compositionis, fuit ab eisdem partibus in Bonifatium papam VIII et postea in Benedictum XI compromissum. Qui quidem Benedictus per præsentes litteras mandat patriarchæ Gradensi, ut partibus supradictis diem dicat ad comparendum per procuratores idoneos coram Apostolica Sede recepturis quod justitia suadebit : moneat tamen partes ipsas ut pendente lite ab omnibus novitatibus prorsus abstineant. (Venise, Arch. di Stato, *Commemoriali* I, fol. 52, nº 148.)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. patriarche Gradensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum inter venerabilem — Dat. Perusii, nonis madii, pontificatus nostri anno primo [1]. »

1318 Pérouse, 23 mai 1304.

Decano ecclesiæ Frankenvordensis mandat, ut ea quæ de bonis monasterii monialium de Reteres, Præmonstratensis ordinis, Maguntinæ diocesis, per concessiones illicite alienata invenerit vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. « Ad audientiam nostram — Dat. Perusii, X kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. col. 812 nº 1289, même formule. — Potth., nº 25430.)

1319 Pérouse, 23 mai 1304.

Eidem decano simile dat mandatum super bonis monasterii de Thron, [Treverensis dioecesis], illicite alienatis et ad proprietatem dicti monasterii revocandis. « Ad audientiam nostram — Dat. Perusii, X kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. » (Cf. la pièce précédente. — Potth., nº 26631, d'après une expédition originale inédite des archives d'Idstein [2].)

Soranzo à Bertrando della Torre, ministre des Frères-Mineurs de la province d'Aquitaine, en ce moment légat du pape Jean XXII. Le doge prie ce religieux d'obtenir du souverain pontife, qu'il permette aux Vénitiens de faire le commerce avec les Musulmans, dans la mesure que Benoit XI avait autorisée autrefois.

1. Cette pièce a été signalée par M. Isidoro del Lungo, *Dino Compagni e la sua Cronica*, II, 275. (Firenze, 1879, in-8º.)

1. L'arbitrage, dont il est question dans cette pièce, fut confié à Benoît XI en vertu d'un accord attesté par les deux documents qui suivent. Le premier est la proposition, faite au doge par les représentants du patriarche d'Aquilée, de remettre au pape la solution du différend. Le second est la réponse du doge qui accepte.

Décembre 1303 (*Sans date de lieu.*)

« Requirunt a magnificentia vestra Gregorius Biffa archipresbyter Montissilicis, et Valterius Aquilegensis canonicus, ambaxiatores reverendi patris et domini domini O[ttoboni] sancte sedis Aquilegensis patriarche, an vobis placeat compromittere in sanctissimum patrem et dominum dominum Benedictum summum pontificem super juribus et jurisdictione provincie vestre sub eadem forma sub qua in felicis recordationis dominum Bonifatium papam octavum fuerat compromissum, cum per ejus obitum expiraverit compromissum idemque dominus patriarcha pro parte sua compromittere sit paratus. » (*Commemoriali* I, fol. 42, nº 122.)

[Décembre 1303]. (*S. l. n. d.*)

« Super primo capitulo inter cetera continente an placeat domino duci compromittere in sanctissimum patrem dominum Benedictum summum pontificem super juribus et jurisdictionibus Ystrie sub forma sub qua hactenus fuit compromissum in dominum Bonifatium papam octavum, respondet dominus dux quod sibi placet servari ipsam formam et servari pacem et pacta inter dominum ducem et dominum patriarcham inita et firmata et sic contentus est facere et requirit quod fiat. » (*Ibid.*, nº 143.)

2. Prusse, Nassau.

1320 Pérouse, 24 mai 1304.

* Confirmat Minoritis in Lindovia privilegia sua super confessione audienda et funeralibus, quæ illis jam olim papa Bonifacius concesserat. (Potth., nº 25431.)

1321 Pérouse, 28 mai 1304.

Abbati monasterii Fuldensis, Maguntinæ diocesis, mandat ne permittat ut magistra et conventus de Retcres, Præmonstratensis ordinis, Maguntinæ diocesis, a prædonibus et invasoribus indebite molestentur. « Pium esse dinoscitur — Dat. Perusii, v kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., nº 25434.)

1322 Pérouse, 29 mai 1304.

De injuria quam nuper Pratenses intulerunt episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ legato, vehementer queritur, mandans districte civibus Florentinis ut injuriatores eosdem et quoscumque alios pacis impeditores viriliter compescant. (Florence, Arch. di Stato, Diplomatico, *Santa Maria Novella* [1].)

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, prioribus, .. vexillifero justitie, consilio et communi Florentie salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostrum nuper pervenit auditum quod nonnulli vestri cives ac certi Pratenses, emuli pacis, turbatores quietis et justitie inimici, quibus pax malorum suorum operum, que ut non egeant exercere cupiunt, finis et bellum initium fore noscuntur, Prati, dum ibi esset venerabilis frater noster N[icolaus] episcopus Ostiensis, Apostolice Sedis legatus, non reveriti faciem ejus nec Romanam respitientes Ecclesiam, cujus inanibus verbis se jactant esse devotos, seditionem cum impiis acclamationibus et tumultum non sine precedenti conjuratione fecerunt; propter que legatus ipse, in cujus et familie ejus macchinabantur vitam, merito timens ne vestra civitas simile pateretur, nec non aliqui de Prato nobiles, hujusmodi sceleratorum declinantes impetum, Florentiam sunt venire coacti, nec adhuc scelerati predicti ad mandata de tanto excessu redierе legati, etsi Pratum, ut dicitur, detinere desierint occupatum.

Hec autem audivisse nos pudet, hec vos vidisse commissa vehementer debuit contristasse; sed timemus ne in vobis languerit justitie vigor, animi tepuerit fortitudo, et libertatis gustus in modico tempore vestris mentibus nauseam generav[er]it. Et si vos amor rei publice vestre non excitet, debuerunt tamen et debent vestra pericula, que vobis in eorum victoria imminent, excitare. Creditis forsitan sub servitutis jugo paucorum, qui vos lacerant vosque devorant sicut escam panis, quibusque sua quia modica sunt displicent et aliena placent, tuti vivere? creditis sub hiis, quibus omnia per injuriam facere in libidine est, in quiete morari? Desipitis si sic sapitis. Si vincant, eorum eritis preda. Vincunt autem, nisi vestra compressi potentia ad mandata veniant inermes, supplices misericordiam petant et satisfaciant de commissis. Alias nostris litteris super hiis hortati vos sumus, sed ignavia vestra, non dicimus timor, quia si viri sitis potentes estis, illi vero imbecilles, auribus vestris offecit. Reserate igitur aures, erigite animos, vos malis opponite, sic vos ipsos et libertatem vestram defendite, sic dictos nefarios et alios impeditores pacis compescite, et obedite legato, quod bene cepta pax sortiatur effectum, pravorum coherceatur audatia, et inter improbos innocentia tuta fiat.

Alioquin injuriam Romane Ecclesie, nobis, dictoque legato in predictis excessibus inrogatam dissimulare non poterimus, quin contra eos, civitatem vestram et vos, si in nostris implendis monitis negligentes fueritis, per saysinam bonorum vestrorum undique et personarum detentionem ac alias penas temporales et spirituales, eam indefessa sollicitudine prosequamur. Dat. Perusii, iiii kalendas junii, pontificatus nostri anno primo. »

(Orig.)

1. Del Lungo (*loc. cit.*, 279 et 289) a signalé ce document.

1323 Pérouse, 5 juin 1304.

* Abbati et conventui s. Michaelis prope muros Bambergenses, quibus Otto Slavorum et Cassubiæ dux, Caminensis diocesis, jus patronatus s. Jacobi in Stettin, in Gustow, in Schune ac s. Spiritus et s. Michaelis juxta muros Stettinenses ecclesiarum et villam de Mandelcow cum terris contulit, hanc collationem confirmat. « Dat. Perusii, nonis junii, anno primo. » (Potth., nº 25440.)

1324 Pérouse, 13 juin 1304.

Abbati Præmonstratensi ejusque coabbatibus, præpositis et conventibus universis Præmonstratensis ordinis omnes libertates, immunitates et privilegia confirmat. « Solet annuere Sedes — Dat. Perusii, idibus junii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., nº 25443.)

1325 Pérouse, 13 juin 1304.

Thesaurario s. Floriani de Confluentia mandat, ut abbati monasterii de Marienstatt, [Coloniensis diocesis], in perceptione reddituum ipsius monasterii diligenter assistat. « Significarunt nobis — Dat. Laterani, idibus junii, pontificatus nostri anno

primo. » (Potth., n° 26632, d'après une expédition originale inédite des archives d'Idstein [1].)

1326 Pérouse, 24 juin 1304.

Leonardo, episcopo Albanensi, mandat ut fratres Prædicatorum de Narnia in corporalem possessionem ecclesiæ s. Mariæ Majoris de Narnia inducat. « Sacre religionis merita — Dat. Perusii, viii kalendas julii, pontificatus nostri anno primo. » (Potth., n° 25446.)

1327 Sans date [2].

Roberto comiti Nivernensi, primogenito [Guidonis] comitis Flandriæ, scribit de laboribus suis circa negotium pacis inter Philippum regem Franciæ et Navarræ et patrem Roberti, ejus fratres cæterosque Flandrenses; addit se patri ejus super hoc litteras dirigere speciales [2], inducentes eundem ut consideret jam suam provectiorem ætatem, cujus dies ad occasum proclivior propinquet ad vesperam, *etc.* Hortatur eum inducat patrem salubribus inductionibus, ut excellentium personarum consilia minime detrectet, sed acquiescat eisdem nec in dubio eventu guerrarum spem sibi suisque hæredibus successus prosperi repromittat, *etc.* « Dilecto filio nobili viro R[oberto] comiti Nivernensi, primogenito dilecti filii nobilis viri.. comitis Flandrie, salutem. Eximie devotionis... » (Potth., n° 25448.)

1. Prusse, Nassau.

2. Cette lettre que Martène a publiée (*Ampliss. Collect.* ii, 1305) ne porte ni suscription ni date. Martène l'attribue par conjecture à Benoît xi, mais en observant qu'elle peut émaner tout aussi bien de l'un des prédécesseurs de ce pape : « Conjicimus hanc epistolam a Benedicto xi... aut ab aliquo ex precedentibus pontificibus datam fuisse. » Malgré une étude attentive du texte, je n'ai pu déterminer avec précision la date de cette bulle. Toutefois, à en juger d'après les formules et le style, j'ai peine à croire qu'elle soit sortie de la chancellerie de Benoît xi. Il n'est pas inutile d'ajouter que dans la correspondance du pape avec le roi de France, il n'y a pas trace de cette intervention du souverain pontife dans les démêlés de Philippe le Bel avec Guy de Dampierre.

1. Cette lettre n'est pas reproduite dans Martène; elle n'existe pas plus que la précédente dans le registre du Vatican.

FIN DE L'APPENDICE.

TABLE ANALYTIQUE.

Nous reproduisons ci-dessous la table des matières qui figure dans le manuscrit du Vatican, et dont on trouvera une description détaillée à l'Introduction du présent ouvrage[1]. *Cette table laisse beaucoup à désirer. Elle devrait contenir la liste complète des documents insérés dans le Registre et l'analyse fidèle de chacun d'eux. Or elle présente de nombreuses lacunes et la rédaction des analyses n'a pas toujours été faite avec soin. Toutefois, grâce aux additions et aux corrections que nous y avons introduites, on pourra la consulter utilement. Les additions sont précédées d'une croix* (†), *les corrections importantes indiquées en note ou entre crochets. Quant aux rectifications de détail, qu'on a pu faire en toute assurance d'après le texte du manuscrit, il ne nous a pas paru nécessaire de les signaler au lecteur. Le numéro qui accompagne chaque analyse se réfère au numéro d'ordre que porte la pièce correspondante dans la publication.*

LETTRES COMMUNES.

N°. 1	Littera coronationis missa per mundum.
2	Ranerio electo Vercellensi. Quod possit recipere munus consecrationis.
3	Johanni episcopo Auximano, vicario nostro in Urbe. Super causa quam habent .. preceptor et fratres Sancti Spiritus de Urbe cum Jacobo Henrici de Paparescis, cive Romano.
4	Confertur prioratus Asisinatis ecclesie Guidoni Pucii.
5	Bartholomeo electo Pistoriensi. Preficitur in episcopum Pistoriensem.
6	Committitur comiti de Cercaldo rectoria Campanie et Maritime in spiritualibus.
7	Angelo episcopo Mothonensi. Committitur sibi ecclesia Mothonensis.
8	Luce electo Castrensi. Preficitur in episcopum Castrensem.
9	Confertur Pontio de Alayraco prioratus monasterii sancti Bartholomei de Benavento, Lemovicensis diocesis.
N°. 10	Conceditur Dithero archiepiscopo Treverensi, quod possit conferre beneficia ecclesiastica que tanto tempore vacaverunt in sua civitate et diocesi, quod eorum collatio est ad Sedem Apostolicam devoluta.
11	.. Episcopo Papiensi. Super construendo quodam monasterio sancte Clare in civitate Laudensi.
12	Mandatur provideri de abbatissa monasterio sancte Marie de Baxiliano, ordinis sancti Benedicti, Mediolanensis diocesis.
13	Committitur monasterium sancte Clare Ravellensis .. generali et .. provinciali ordinis fratrum Minorum Terre Laboris.
14	Committitur Guidoni abbati monasterii Belli Loci, Cluniacensis ordinis, Virdunensis diocesis cura preficiendi ecclesie Potentine virum idoneum in pastorem.
15	Quod cedente vel decedente magistro ordinis Predicatorum, generalis procurator ordinis possit uti libere procuratorio sibi ante concesso.

1. Deuxième partie : *Le manuscrit du Vatican*, § Les Tables.

N°. 16 Luce electo Castrensi. Quod possit recipere munus consecrationis.

17 Confertur Egidio de Barben prebenda Virdunensis cum dignitate quam duxerit acceptandam.

18 Indulgetur Thome de Bailliaco[1], canonico Parisiensi, quod possit facere deserviri per vicarium in prebenda sua.

19 Pontio de Alayraco. Quod possit retinere canonicatum ecclesie Uticensis una cum prioratu monasterii sancti Bartholomei de Benavento.

20 Confertur Octaviano, nato quondam Manni Judicis de Massa[2], plebanatus plebis de Trecafi, Massanensis diocesis.

21 Suspenditur constitutio super quarta obventionum et sepultura usque ad Apostolice Sedis beneplacitum in civitate Metensi.

22 Conceditur Guidocto de Mediolano, canonico Paduano, quod possit adoptare prebendam in eadem ecclesia.

23 .. Priori sancti Quintini in Monticello, Lucane diocesis. Quod non permittat monasterium seu oratorium construi infra spatium ducentarum cannarum contiguum loco ordinis Predicatorum Lucanorum.

24 Conceditur Bartholomeo de Capua, regni Sicilie logothete, quod possit facere celebrari sibi et familie sue in locis ecclesiastico suppositis interdicto.— † In e. m. pro aliis.

25 Conceditur Bartholomeo comiti Thelesie quod possit eligere sibi confessorem. — † Eidem, quod habere valeat altare portatile. Ejus uxori similia conceduntur.

26 .. Archiepiscopo Lundensi, Suetie primati. Super dispensatione super irregularitate cum clericis regni Datie.

1. Et non *Bailliato*, comme le porte le ms. et comme je l'ai transcrit col. 23.
2. Cette leçon paraît préférable à celle que j'ai adoptée col. 25 : « quondam Manni, judicis de Massa. »

N°. 27 Eidem. Super absolutione Erici regis Datie et aliorum de regno et relaxando interdicto.

28 Licentia de mutuo contrahendo pro Nicolao episcopo Albinganensi.

29 Scribitur judicibus quod reducant in possessionem .. magistrum et fratres domus Militie Templi monasterii sancti Justini de Arno, ordinis sancti Benedicti, Perusine diocesis.

30 Dispensatio super matrimonio regis Datie.

31 Dispensatio super fructibus percipiendis in studio.

32 Dispensatio super fructibus [percipiendis] studendo in curia.

33 Conceditur licentia studendi in theologica facultate Alexandro [Bonino] de Alexandria.

34 Bonohomini de Sublacu. Reservatur sibi dignitas seu personatus in ecclesia Cameracensi.

35 Confertur Nicolao nato Mathie Pancie prebenda Pisana cum dispensatione.

36 Dithero[1] archiepiscopo Treverensi. Quod relaxet suspensionis et interdicti sententias latas in capitulum et ecclesiam Treverensem.

37 Indulgentia concessa cuidam capelle in civitate Neapolitana.

38 Venerabili fratri .. episcopo Tullensi. Quod impendat munus consecrationis Thome electo Virdunensi.

39 Conceditur Sibotono electo Spirensi, quod possit recipere munus consecrationis a quocumque maluerit antistite.

40 Conceditur Guillelmo de Cuciaco prebenda sancti Pauli Narbonensis cum dignitate, si vacat; alioquin, etc.

41 Dispensatio super matrimonio in civitate Parmensi.

1. Col. 46, l. 15, lire *Dilhero* et non « Dichoro. »

N°. 42	Citatio personalis ad instantiam magistri Armanni Mantelli, canonici ecclesie Modoctiensis.
43	Confertur Leoni Francisci de filiis Ursi archidiaconatus Bisuntinus.
44	Conceditur Johanni episcopo Reatino quod possit facere recipi in sancti Johannis Reatini et sancti Eleutherii ecclesiis singulas personas ydoneas [in canonicos].
45	Eidem. Quod possit facere visitari per alium [suam civitatem et diocesim].
46	Indulgetur nobili mulieri Beatrici comitisse Drocensi, quod sex clerici sui possint usque ad quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum.
47	Eidem. Quod possit facere celebrari in locis ecclesiatico suppositis interdicto. — † Eidem. Quod aliqua monasteria et loca religiosorum ordinum ingredi valeat.
48	Raynaldo episcopo olim Vicentino, in archiepiscopum Ravennatem electo. Preficitur in archiepiscopum Ravennatem.
49	Mandatur fieri permutatio de archipresbyteratu ecclesie Viterbiensis et prebenda ecclesie Civitatensis, Viterbiensis diocesis.
50	Conceditur Francisco sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, quod possit conferre in sancti Bartholomei Leodiensis et in Nivellensi, Leodiensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas, etc.
51	Conceditur tabellionatus officium Nicolao Raynulfi de Fractis.
52	.. Archidiacono et capitulo ecclesie Narbonensis. Quod possint percipere fructus primi anni beneficiorum vacantium in civitate et diocesi Narbonensi usque ad quinquennium.
53	Confirmatur .. rectori et scolaribus domus in Puketoft Ripensi parrochialis ecclesia Hacning, Ripensis diocesis.
N°. 54	Confertur Francisco Cortivecke [Lambertucii] beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Lucana.
55	Commictitur cura .. priorisse et sororum monasterii sancti Pauli de Urbeveteri .. magistro Predicatorum et .. priori provinciali Romane provincie.
56	Super eodem.
57	Venerabili fratri .. episcopo Firmano. Super constitutione quam edidit Bo[nifatius] papa VIII super quarta obventionum, etc.
58	Ingeranno episcopo Morinensi. Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria sue civitatis et diocesis.
59	Conceditur .. abbati monasterii sancti Germani de Pratis juxta Parisius quod possit habere altare portatile.
60	.. Archiepiscopo Lugdunensi. Super faciendo restitui libertati Gaufridum priorem monasterii sancti Petri Matisconensis.
61	Indulgetur nobili viro Roberto duci Calabrie, quod quatuor clerici sui possint percipere usque ad sex annos fructus beneficiorum suorum.
62	Eidem. Quod possit facere celebrari cum pervenerit ad loca ecclesiastico supposita interdicto. — † Eidem. Quod sibi possit eligere confessorem.
63	Fernando Alvari canonico Legionensi. Dispensatio super defectu et super pluralitate.
64	.. Episcopo Legionensi. Quod dispenset super irregularitate cum clericis archidiaconatus de Majorica in ecclesia Legionensi.
65	Conceditur indulgentia centum dierum plebi de Retena, Aretine diocesis.
66	Indulgentia de fructibus percipiendis ad quinquennium pro Johanne preposito ecclesie Turicensis, Constantiensis diocesis.

Nº. 67	Indulgetur Alberto regi et E[lisabet] ejus uxori regine Romanorum, quod possint facere celebrari in locis ecclesiastico suppositis interdicto.
68	Dispensatio super matrimonio.
69	Dispensatio super matrimonio.
70	Dispensatio super matrimonio.
71	Confirmatur quedam ordinatio facta per dominum Bonifatium papam VIII in ecclesia Anagnina.
72	Super eodem.
73	Raymondo episcopo Tarviensi. Quod possit exercere officium visitationis per alium.
74	Conceditur .. abbatisse et conventui monasterii de Grecal, Metensis diocesis, ecclesia de Wylre, dicte diocesis.
75	Indulgentia ad fabricam pro ecclesia sancti Piati Sicliniensis, [Tornacensis diocesis].
76	Confirmatur Francisco Judicis Angeli Petri Mathei de Urbe ruralis ecclesia sancte Fidis, Appamiarum diocesis.
77	Citatur personaliter .. episcopus Valvensis.
78	Indulgentia de fructibus percipiendis pro Corrado, preposito ecclesie Verdensis, Coloniensis diocesis.
79	Isarno archiepiscopo Lundensi. Quod possit conferre tribus personis officium tabellionatus.
80	† Confertur magistro Huguitioni de Vercellis canonicatus in ecclesia Leodiensi.
81	† Executoria super fructibus ministrandis Johanni sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali.
82	† Reservatur Berardo Sui Sari canonicatus cum beneficio in ecclesia Neapolitana.
Nº. 83	.. Priori et conventui heremi sancte Crucis Fontis Avellane. Quod possint facere asportari res eis necessarias sine solutione pedagii.
84	Dispensatio super matrimonio in civitate Tullensi.
85	Conceditur canonicis ecclesie Cathalaunensis quod fructus primi anni omnium beneficiorum vacantium in civitate et diocesi Cathalaunensi [possint percipere].
86	.. Priori fratrum Predicatorum Januensi. Quod possit absolvere xx et duas personas a sententiis excommunicationum [quas incurrerunt] accedendo in Alexandriam, etc.
87	Leonardo episcopo Albanensi. Quod possit conferre scolastriam ecclesie Spirensis.
88	Quedam pensio concessa Johanni de Cipro laico.
89	Reservatio facta pro Laurentio de Circulis de beneficio in civitate vel diocesi Perusina.
90	Mandatur absolvi Petrus dictus Vulpes de Venetiis laicus pro eo quod portavit res prohibitas Sarracenis.
91	.. Episcopo Urbevetano. Quod moneat Urbevetanos super represaliis concessis contra homines de Bulseno.
92	Cambio abbati monasterii sancti Salvatoris Reatini. Preficitur in abbatem dicti monasterii.
93	Confertur Conrado de Lorche prebenda Maguntina.
94	Dispensatur cum nobili viro Bertoldo filio comitis de Cazenelinbogen super pluralitate. — † Gratia eadem conceditur alii filio dicti comitis.
95	Dispensatio super matrimonio.

1. Col. 94, l. 23, au lieu de *consecrationis*, lire : « benedictionis. »
2. Col. 102, cette pièce doit être datée du 27 *novembre*, et non du 27 décembre.

N°. 127 Indulgentia concessa ecclesie sancti Dominici in Serzana, Lunensis diocesis.

128 .. Episcopo Uticensi. Super quadam capella erecta in civitate Uticensi.

129 Reservatur Peponi de Circulis beneficium quod duxerit acceptandum in Florentina vel Fesulana civitatibus vel diocesibus.

130 Mandatur provideri monasterio sancte Marie de Alfiolo, Eugubine diocesis.

131 Regnaudo de Vallibus confertur prebenda Autissiodorensis.

132 Super dispensatione matrimonii.

133 Dispensatur super defectu natalium cum Francisco nato Manfredi comitis de Pupio, Aretine diocesis.

134 Monetur O[rosius] rex Servie ad unitatem matris Ecclesie properare.

135 Dispensatio super defectu natalium cum fratre Peregrino de Ratispona.

136 Confertur magistro Bernardo Bedocii prebenda Biterrensis.

137 Licentia de mutuo pro Isarno archiepiscopo Lundensi.

138 Mandatur provideri monasterio Jotrensi, Meldensis diocesis, de abbatissa.

139 Conceditur monasterio de Gordiano, ordinis sancte Clare, Valvensis diocesis, ruralis ecclesia sancti Donati prope monasterium predictum.

140 Reservatur Guidoni Bosonis de Eugubio beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Perusina[1].

141 Conceditur Augustino episcopo Zagabriensi quod non teneatur ad solutionem alicujus decime sive collecte.

1. Col. 117, l. 34, lire *Perusina* au lieu de « Pisana. »

N°. 142 Eidem. Quod possit condere testamentum.

143 †Eadem gratia concessa .. episcopo Reatino.

144 Commictitur monasterium sancte Marie de Altaripa Jadrensis .. magistro ordinis Predicatorum et priori provinciali provincie Jadrensis.

145 Super eodem.

146 Marino archiepiscopo Antibarensi. Quod recipiat resignationem Stephani episcopi Scutarensis. — † Eidem. Super resignatione .. Suatinentis episcopi similiter recipienda.

147 Magistro Ranucino de Murro archidiacono Vernecensi in ecclesia Burgensi. Quod possit visitare per alium archidiaconatum suum.

148 Franciscbino de Ziliano. Dispensatur cum eo super defectu natalium.

149 Dispensatur super eodem cum Nicolao Bombari, clerico Cenetensi.

150 † Indulgentia centum dierum pro ecclesia sancti Stephani Cathalaunensis.

151 † Indulgentia unius anni pro ecclesia fratrum Predicatorum de Serzana, Lunensis diocesis.

152 Dispensatio super matrimonio in Urbe[1].

153 Mandatur citari personaliter Guido episcopus Trajectensis ad petitionem Octaviani Calliboconi civis et mercatoris Romani.

154 Dispensatio super matrimonio in Parma.

155 Dispensatio super defectu natalium cum Jacobo Leonis de Malacapellis clerico Paduano.

156 Confertur Johanni, nato Guidonis marchionis de Monte sancte Marie, prebenda Ebroicensis quam duxerit acceptandam.

1. Col. 124, l. 14, rétablir *idus* à la date.

Nº. 157	Octobono electo Ferrariensi. Preficitur in episcopum Ferrariensem.
158	Mandatur inquiri contra Angelum Romei qui se gerit pro abbate monasterii sancti Eugenii prope Senas.
159	Dispensatur super defectu etatis cum Bandino de Romena, clerico Aretine diocesis.
160	Marino archiepiscopo Antibarensi. Quod possit corrigere et reformare circa personas ecclesiasticas in regno Servie et aliis terris ibi adjacentibus, etc., ut in littera.
161	Dispensatio super matrimonio in insula Cipri.
162	Conceditur quod possit construi monasterium monialium in ecclesia sancte Marie in Petrocio de Urbe.
163	Mandatur absolvi Bernardus Giraldi, laicus Agathensis diocesis, pro eo quod portavit res vetitas Sarracenis.
164	Mandatur poni in possessionem prioratus de sancta Columba, Appamiarum diocesis, frater Nicolaus Aurioli, capellanus domini pape.
165	Commictitur L[uce] sancte Marie in Via Lata diacono cardinali [cura et protectio] de Marola et de Campagnola monasteriorum, Reginensis diocesis.
166	† Indulgentia concessa ecclesie sancti Angeli Viterbiensis.
167	Licentia de mutuo contrahendo pro Uberto episcopo Bononiensi.
168	Indulgetur eidem episcopo, ut duo clerici sui possint usque ad quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum.
169	Mandatur citari frater Benignus ordinis Predicatorum ad instantiam Mascate de Masceris civis Paduani.
Nº. 170	Mandatur denuntiari absolutus Bodoinus natus Johannis de Cremona militis, clericus Ispalensis.
171	Mandatur conferri magistro Gentili de Piczulo abbatia secularis ecclesie sancti Silvestri [de Collebrizono] Aquilensis.
172	Indulgetur .. priorisse et sororibus monasterii sancte Agnetis de Bononia, quod non teneantur ad prestationem decimarum.
173	Commictuntur .. priorissa et sorores monasterii sancti Dominici Foroliviensis cure .. magistri et .. prioris provincialis Lombardie Inferioris ordinis Predicatorum.
174	† Super eodem.
175	Dispensatur super pluralitate cum Symone de Pellizonis de Taurino.
176	Dispensatur super eodem cum Peregrino rectore ecclesie de Coverna, Treverensis diocesis.
177	Dispensatur super defectu natalium cum Albertino nato Jacobi de Carraria, clerico Paduano.
178	Mandatur provideri Sergio Siginulfi de uno vel duobus beneficiis in civitate, diocesi vel provincia Salernitana.
179	Confirmatur monasterio Mediolicensi, Treverensis diocesis, ecclesia de Wadrella, dicte diocesis.
180	Manuelli de Orlandis notario, clerico Placentino. Confertur sibi officium tabellionatus.
181	Super facto decime.
182	Indulgetur Manfredo de Nordiglis canonico Imolensi quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.
183	† Nicolao Neapoleonis de filiis Ursi, archidiacono de Famenna in ecclesia Leodiensi. Quod possit facere visitari per alium archidiaconatum suum.

N°. 184 Mandatur conferri Leoni de Cornea plebanatus plebis sancte Marie de Paiacio, Perusine diocesis[1].

185 † .. Episcopo Bononiensi. Quod possit condere testamentum.

186 † .. Episcopo Auximano. Super eodem.

187 Confirmatur Tucio Lotoringi domus de Asello sita in territorio Castri Florentini,

188 Confertur Bernabono[2] Bergognoni de Riczolo prebenda Baiocencis, quam duxerit acceptandam.

189 Confertur Laurentio de Capocinis de Urbe prebenda Lincolniensis, quam duxerit acceptandam.

190 Executoria de mutuo contrahendo pro Mauritio archiepiscopo Cassellensi.

191 Confirmatur fratri Andree prioratus sancti Martini Tervisini[3].

192 Confertur Johanni nato Mathei Vicecomitis de Mediolano prebenda Lincolniensis, quam duxerit acceptandam.

193 Conceditur officium tabellionatus Petro Johannis de Trivio, civi Bononiensi.

194 Super discordia que vertitur inter .. episcopum ex parte una, et .. decanum et capitulum Ambianenses ex altera, super confirmatione electionis quondam Philippi electi in abbatem monasterii sancti Acheoli siti juxta civitatem Ambianensem.

195 Mandatur citari .. episcopus Wratislaviensis.

196 Confirmatur mense capitulari Cesaraugustane ecclesia de Pina, Cesaraugustane diocesis.

1. A la date de cette pièce lire *novembre* au lieu de « décembre. »
2. Col. 150, l. 1, lire *Bernabono* au lieu de « Bernavo. »
3. A la date de cette pièce lire IIII *nonas* au lieu de « III nonas. »

N°. 197 Mandatur citari .. archiepiscopus Mediolanensis.

198 Mandatur provideri Petriolo Benvenuti de Bectonio, laico Asisinatis diocesis, de certa quantitate frumenti in quibusdam ecclesiis predicte diocesis.

199 Confertur prebenda Aquensis Jouselino[1] nato quondam Guifredi comitis de Lomello.

200 Confirmantur quedam possessiones Lamberto Guidonis de Polenta.

201 Dispensatur super defectu natalium cum Bertuco[2] Nicolai Quirini de Venetiis.

202 Dispensatur super eodem cum Petro Guidonis de Bonacolsis.

203 Dispensatur super eodem cum Flasambene[3] nato Guidonis predicti.

204 Commictitur rectoria civitatis Beneventane Riccardo Mathie Pancie de Anibaldis de Urbe.

205 Reservatur Meliori Masii de Abbatibus[4] beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Florentina.

206 Conceditur B[artholomeo] episcopo Eduensi quod possit facere visitari per alium suam civitatem et diocesim.

207 Mandatur provideri Thome Pandulfi de prebenda sancti Eleutherii Reatini.

208 Confertur Neapoleoni Fortibrachie prebenda cum personatu quem duxerit acceptandum in ecclesia Remensi.

209 Jacobo archimandrite monasterii sancti Elie de Carbone, ordinis sancti Basilii. Preficitur in archimandritam ejusdem monasterii.

1. Col. 199, l. 18, lire *Joucelino* au lieu de « Joncelino. »
2. Col. 170, l. 36, *Bertuco* au lieu de « Bercuco. »
3. Col. 171, l. 4, *Flasambene* au lieu de « Nasambene. »
4. Col. 172, l. 1, *Abbatibus* au lieu de « Alberibus. »

N°. 210 Confertur Johanni quondam Mathie de sancto Eustachio de Urbe prebenda ecclesie Baiocensis, quam duxerit acceptandam.

211 Indulgentia de fructibus percipiendis pro Stephano de Pileo archidiacono Suessionensi.

212 Guillelmo electo Salernitano prorogatur tempus consecrationis.

213 Confertur Alexandro Michaeli Maurecino de Venetiis prebenda Cameracensis cum personatu.

214 Providetur Egidio Guidalocti de Perusio de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Perusina.

215 Confertur prebenda Caturcensis cum dignitate Raynerio de Pistorio.

216 Mandatur provideri Bartholomeo Jacobi Zacarie de beneficiis ad collationem .. archiepiscopi Neapolitani spectantibus usque ad summam, etc.

217 Executoria de mutuo pro Nicolao episcopo Albinganensi.

218 Johanni electo Spoletano. Preficitur in episcopum Spoletanum.

219 Theobaldo episcopo Dolensi. Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Dolensi.

220 .. Priori et fratribus Predicatorum Novariensibus. Quod possint recipere de usuris et male ablatis usque ad summam V^c florenorum auri.

221 † Indulgentia pro ecclesia eorumdem fratrum.

222 Confertur magistro Michaeli de Appogniaco prebenda Senonensis cum dignitate.

223 Jacobo electo Mantuano. Preficitur in episcopum Mantuanum.

N°. 224 Bartholomeo episcopo Tridentino. Preficitur in episcopum Tridentinum.

225 Angelo episcopo Mothonensi. Restituitur ad ecclesiam Mothonensem.

226 Albertino Moratinno de Venetiis. Quod possit habere altare portatile.

227 † Indulgentia pro ecclesia sancte Marie Nove Uticensis. .

228 Guillelmo Bernardini de Polenta. Dispensatur cum eo super defectu natalium.

229 † Conservatoria pro capitulo ecclesie sancti Martini Turonensis.

230 Mandatur provideri de abbate monasterio sancti Martini Canigonensis, Elnensis diocesis.

231 Confertur Manueli de Spinolis prebenda Belvacensis cum dignitate.

232 Reservatur Francisco Vallutii beneficium sine cura quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Tudertina.

233 Bertuldo electo Agrigentino. Preficitur in episcopum Agrigentinum.

234 Rogerio electo Montisregalis. Preficitur in archiepiscopum Montisregalis [1].

235 Titio electo Panormitano. Preficitur in archiepiscopum Panormitanum.

236 Jacobo electo Cephaludensi. Preficitur in episcopum Cephaludensem.

237 Guidotto electo Messanensi. Preficitur in archiepiscopum Messanensem.

238 Dominico electo Siracusano. Preficitur in episcopum Siracusanum.

239 Fulconi electo Mazariensi. Preficitur in episcopum Mazariensem.

1. Col. 186, l. 14, lire *archiepiscopum* au lieu de « episcopum. »

N°. 240	G[uillelmo] electo Salernitano. Super collectione decime.
241	Commictitur R[aynaldo] in archiepiscopum Ravennatem electo quod possit providere de pastore in ecclesia Foropopuliensi.
242	Conceditur Matheo Carazulo quod possit visitare per alium archidiaconatum suum in ecclesia Rothomagensi.
243	Commictitur rectoria provincie Romaniole Theobaldo de Brusiato, civi Brixiensi.
244	† Commictitur rectoria ejusdem provincie in spiritualibus Uberto de Notis de Mediolano.
245	Carissimo in Christo filio A[lberto] regi Romanorum illustri. Quod habeat recommendatum Batholomeum Tridentinum episcopum.
246	Altegrado electo Vicentino. Quod possit providere de canonicatibus et prebendis in quibusdam ecclesiis sue diocesis.
247	† Dispensatio super irregularitate.
248	Dispensatio super matrimonio.
249	† Indulgentia concessa ecclesie beatorum apostolorum Philippi et Jacobi de Arcubus de Janua.
250	† Indulgentia concessa ecclesie monasterii sancte Crucis Venetiarum.
251	Confertur Petro de Imola beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Imolensi.
252	Indulgentia ad fabricam pro ecclesia sancti Johannis Baptiste Taurinensis.
253	† Indulgentia pro visitantibus eandem ecclesiam.
254	Dispensatio super matrimonio.
N°. 255	.. Decano et capitulo ecclesie Tullensis. Quod possint exercere censuram ecclesiasticam in malefactores eorum.
256	Indulgetur Guillelmo Accursii de Bononia, quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.
257	Eidem. Quod possit visitare per alios archidiaconatus suos.
258	Conceditur Bonanno de Crescentionibus de Urbe, quod possit visitare per alium archipresbyteratum suum ecclesie Turonensis.
259	Super relaxatione interdicti in civitate Lugdunensi.
260	† Super eodem.
261	Magistro Armanno Mantelli canonico Parmensi. Quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.
262	Berardo electo Ferentinati. Preficitur in episcopum Ferentinatem.
263	Mandatur dispensari super defectu natalium cum Octone de Gevel, Bambergensis diocesis.
264	Quedam gratia concessa .. episcopo Pataviensi.
265	† .. Episcopo Eduensi. Quod possit compellere abbates, priores et conventus sue diocesis, quod in prioratibus sibi subjectis teneant competentem numerum monachorum.
266	† Eidem. Quod possit compellere rectores parrochialium ecclesiarum sue diocesis ad faciendum residentiam.
267	† .. Episcopo Matisconensi. Quod possit compellere abbates, etc., ut supra in secunda superiori.
268	.. Priorisse et conventui monasterii sancte Marie de Ripalta Jadrensis. Quod possint uti privilegiis concessis ordini Predicatorum.

N°. 300	Licentia de mutuo contrahendo pro Fernando archiepiscopo Ispalensi.
301	Guillelmo de Madagoto, canonico Nemausensi, ordinis sancti Augustini. Quod possit audire jus canonicum.
302	Magistro Antonio de Laveza confertur prebenda Wellensis.
303	Nobili viro Nicolao de Lucio, civi Paduano. Confirmantur sibi quedam decime.
304	Bartholomeo abbati monasterii sancti Nicolai de Litore Venetiarum. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii.
305	.. Priori et fratribus ordinis Predicatorum de Ripatransonis, Firmane diocesis. Quod possint recipere de male ablatis.— † Eadem gratia pro fratribus Recanatensibus.
306	Remictitur quedam pensio .. magistro ordinis Humiliatorum.
307	Confirmatur ecclesia de Pina, Cesaraugustane diocesis, mense capituli Cesaraugustani.
308	Mandantur concedi eisdem quedam decime prediales.
309	Dispensatur super defectu natalium cum Berengario Raymundi Fulconis [vicecomitis de Cardona], Urgellensis diocesis.
310	Dispensatur super eodem cum Heylimanno de Herbipoli, monacho Eystetensis diocesis.
311	Confertur Pilato Almerici de Forra beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Cenetensi.
312	Confertur Alberto Antonii de Galluciis beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas vel personatus existat, in civitate vel diocesi Bononiensi.
313	Confertur Manfredo Johannis de Calcina prebenda Bononiensis, etc.
N°. 314	Reservatur magistro Johanni ad Clavas prebenda Cathalaunensis cum personatu, etiam si apud Sedem Apostolicam vacet.
315	Leonardo electo Cathaniensi. Quod possit conferre duabus personis canonicatum ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis.
316	Super receptione quorumdam fratrum de ordine Carmelitarum ad ordinem Predicatorum.
317	Mandatur recipi magister Radulphus de Marla in ecclesia Parisiensi.
318	Fratri Jacobino electo Mantuano. Super relaxandis quibusdam statutis et processibus.
319	Venerabili fratri G[uichardo] episcopo Trecensi. Quod possit conferre uni persone ydonee officium tabellionatus.
320	Eidem. Quod possit per alium visitare, etc.
321	Conceduntur .. priori et fratribus Predicatorum Narniensibus quedam domus que fuerunt quorumdam hereticorum.
322	Dispensatur cum Lupo Petri de Vrinza, canonico ecclesie Pampilonensis, quod non obstante defectu natalium possit ad administrationes sui ordinis assumi.
323	Dispensatio super matrimonio.
324	Dispensatio super eodem.
325	Francisco Bartollucii militi Anagnino. Conceditur sibi molendinum de Vallerano sub censu XX^ti^ florenorum auri.
326	Venerabili fratri E[gidio] archiepiscopo Bituricensi. Quod possit exercere per alium officium visitationis.
327	Indulgentie concesse quibusdam ecclesiis ordinis Predicatorum.

1. Col. 242, l. 36 et 40, lire : *Tricastrino.*

1. Col. 252, corrigez la date. La pièce a été donnée à Saint-Pierre et non au Latran, comme je l'ai imprimé inexactement.

N°. 357 Rogerio de Armanniaco. Quod possit visitare per alium archidiaconatum suum Agennensem.

358 † Executoria super eodem.

359 Dispensatio super matrimonio.

360 Dispensatur cum magistro Johanne de Ancona phisico super pluralitate.

361 Fratri Jacobo de Orto ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini. Efficitur magister in theologia.

362 .. Episcopo Astensi. Quod provideat de loco fratribus Predicatoribus in civitate Astensi.

363 Dispensatio super defectu natalium pro Theobaldo de Archo, Tridentine diocesis.

364 Dispensatio super eodem pro Fernando Garsie de Calatambio.

365 Dispensatio super pluralitate pro Tancredo [1] plebano plebis de Buriano, Grossetane diocesis.

366 Indulgentia pro hospitali pauperum leprosorum [sancti Antonii prope muros civitatis Aquinatis.]

367 Octoni episcopo Vigintimiliensi. Preficitur in episcopum Vigintimiliensem.

368 Confirmatur quoddam relictum factum domui sancti Johannis de Alexandria, ordinis Humiliatorum.

369 Conceditur officium tabellionatus Francisco Petri Aliate, civi Ferrariensi.

370 .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Paduanis. Quod possint recipere de male ablatis usque ad summam M florenorum auri.

371 Indulgentia concessa ecclesie monasterii monialium sanctorum Gervasii et Protasii Belunensis.

1. Une faute d'impression m'a fait écrire (col. 256) : *Tanordo*.

372 Ludovico archiepiscopo Lugdunensi. Quod possit facere recipi duos nepotes suos in ecclesia Lugdunensi.

373 Leoni episcopo Cumano. Quod possit facere recipi octo personas in octo collegiatis ecclesiis suarum civitatis et diocesis.

374 Reservatur Andree Nicolai de Galluciis beneficium, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Lucana.

375 .. Potestati, .. capitaneo et comuni Cesenatibus. Quod possint recipere pedagium pro quodam ponte construendo.

376 Venerabili fratri N[icolao] episcopo Ostiensi. Quod provideat de abbate monasterio de Nonantula, Mutinensis diocesis.

377 Dispensatio super matrimonio.

378 .. Episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato. Quod inhibeat comuni Pistoriensi quod non vexent Baldum Raynerii.

379 Bonifacio episcopo Sedunensi. Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Sedunensi.

380 Reservatur Petro de Treva prebenda Metensis cum dignitate.

381 Conceditur locus Saccorum de Senis pro quadam capella construenda.

382 Reservatur Petro de Narbona prebenda Carnotensis cum dignitate.

383 Dispensatio super matrimonio.

384 Mandatur dispensari super defectu natalium cum Thomasino [1] Armanni, Paduane diocesis.

385 † Electo Vicentino. Super confirmatione primicerii ecclesie sancti Marci de civitate Candide.

1. Col. 266, l. 1, lisez *Thomasino* au lieu de « Thomasio ».

Nº. 386	Confertur Giffredo Grimerii de Pecoraria prebenda Sarisbiriensis.
387	.. Priorisse et conventui sancti Sixti de Urbe. Quod non teneantur ad decimas vel collectas, etc.
388	Andree electo Noviomensi. Quod possit recipere munus consecrationis.
389	Petro episcopo Baiocensi. Quod possit per alium visitare.
390	Conceditur ordini Humiliatorum quod eo ipso quod magister eorum fuerit in concordia electus possit ministrare.
391	Frederico episcopo Brandeburgensi. Quod possit cum quibusdam clericis sue civitatis et diocesis dispensare.
392	† Quod tres clerici ejusdem episcopi fructus beneficiorum suorum percipere possint.
393	† Eidem. Quod possit conferre quatuor archidiaconatus in ecclesia Halberstadensi.
394	Eidem. Quod possit facere recipi unam in sancte Marie et in sancti Pauli ecclesiis Halberstadensis aliam personas in canonicos et in fratres.
395	Theoderico de Bertekowe [1], rectori ecclesie sancti Georgii in Woceke, Caminensis diocesis. Super pluralitate.
396	† Siffrido de Hoyem, rectori ecclesie sancti Bartholomei in majori Orden, Halberstadensis diocesis. Super eodem.
397	Baldeberto cantori ecclesie Bambergensis. Dispensatur [cum eo] super pluralitate.
398	.. Archiepiscopo Ebredunensi. Super provisione de abbatissa in monasterio sancti Laurentii Avinionensis, ordinis sancti Benedicti.
Nº. 399	Frederico Guidonis archipresbytero plebis sancti Stephani de Barbiano, Imolensis diocesis. Super pluralitate.
400	† .. Episcopo Faventino. Quod possit condere testamentum.
401	Venerabili fratri .. patriarche Gradensi. Quod tres clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.
402	† Eidem. Quod possit missarum solennia celebrare ac proponere verbum Dei in omnibus ecclesiis exemptis de Venetiis.
403	Michaeli electo Strigoniensi. Quod dispenset super irregularitate cum Beda presbytero Vesprimiensis diocesis.
404	† .. Episcopo Bononiensi. Super executione cujusdam testamenti.
405	Mandatur dispensari super defectu natalium cum Lanfranco nato Corradi comitis de Panico diacono.
406	Mandatur citari personaliter Symon decanus monasterii Herfeldensis, Maguntine diocesis.
407	Johanni episcopo Lingonensi. Quod possit per alium visitare suam civitatem et diocesim.
408	Eidem. Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Lingonensi.
409	Eidem. Quod duo clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.
410	Reservatur Alexandro Michaelis Mauretini de Venetiis prebenda Cameracensis cum dignitate.
411	Eidem Alexandro Michaelis. Super eodem de vacante prebenda.
412	Jacobo Mathei Ursi. Quod possit visitare per alium archidiaconatum suum Senonensem.

1. Ms : « Berthelowe. »

N°. 413 Indulgentia concessa monasterio sancte Agnetis prope Urbemveterem.

414 † Indulgentia concessa plebi sancti Angeli de Castelione, Aretine diocesis.

415 .. Abbati monasterii Sancti Spiritus prope Panormum. Super prioratu sancte Marie de Ustica, Panormitane diocesis, restituendo monasterio Casemarii, etc.

416 Mandatur ministrari fructus beneficiorum suorum Berardo de Podio Bastonis, canonico Reatino, studenti in theologia.

417 Dispensatur super defectu cum Vanuzulo Manentis de Trevio, Spoletane diocesis.

418 † .. Priori et conventui fratrum Predicatorum Ferrariensibus. Quod possint recipere de male ablatis usque ad certam summam.

419 Indulgentia ad fabricam concessa monasterio sancti Memmii Cathalaunensis.

420 Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia. Super quadam constitutione edita per Bonifatium papam VIII.

421 Confertur Cintio Johannis Arletti prebenda Turonensis cum personatu.

422 .. Priori et conventui monasterii sancti Orientii Auxitani. Super construendo quodam oratorio.

423 .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Parmensibus. Super concessione quarumdam domorum [ipsis facta] ab .. abbate et conventu monasterii Fontisvivi, Parmensis diocesis.

424 .. Abbati et conventui monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis. Super eodem.

425 Papiniano episcopo Parmensi. Super predictis.

426 Wlvingo episcopo Bambergensi. Preficitur in episcopum Bambergensem.

N°. 427 Dispensatio super matrimonio.

428 Dispensatio super defectu natalium.

429 Mandantur citari personaliter .. abbas monasterii sancti Ausardi[1], Caturcensis diocesis, et quidam alii, etc.

430 .. Archiepiscopo Maguntino. Quod consecret ecclesiam monasterii monialium de Clarendale, ordinis sancte Clare, sue diocesis.

431 Mandatur restitui Radulphus ad prioratum de Flawigneio, Tullensis diocesis.

432 Confertur Stephano Andree Garreti prebenda Lexoviensis.

433 Petro Baudrici presbytero. Conceditur sibi quod possit retinere ecclesiam beate Marie de Beceda, Appamiarum diocesis.

434 † Indulgentia concessa ecclesie beate Marie de Podio Serdani, Urgellensis diocesis.

435 † Indulgentia concessa ecclesie beate Marie Virginis de Caritate de Arena Paduane.

436 Eximitur hospitale constructum prope ecclesiam sancte Marie ad Gradus Viterbiensis, ordinis fratrum Predicatorum, a jurisdictione .. episcopi et capituli Viterbiensium.

437 Commictitur predictum hospitale .. priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum sancte Marie predicte.

438 † Fratribus ordinis Predicatorum Astensibus. Quod possint recipere de male ablatis usque ad certam summam.

439 Dispensatur super defectu natalium cum Georgio nato Guillelmi Alferii, clerico Astensi.

440 Indulgentia generalis pro ordine Predicatorum.

1. Col. 290 et 291 lisez *Ausardi* et non « Ansardi. »

1. Col. 296, l. 28, lire « sancti Petri *martyris.* »

1. Col. 304, l. 6, lire *Casagentino* au lieu de « Casagentium. »
2. Ms : « Fraapanen. »

N°. 469	.. Generali et universis prioribus et fratribus Servorum sancte Marie, ordinis sancti Augustini. Approbatur regula eorum.
470	Magistro Jacobo de Ispania canonico Londoniensi. Quod non teneatur comparere coram .. archiepiscopo Cantuariensi, etc., ut in littera.
471	Dispensatio super defectu natalium pro Multobono [1] Ymelde Veugnan., clerico Bononiensis diocesis.
472	† .. Electo Vicentino. Quod duo clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.
473	Hugolino de Marciano. Quod possit visitare per alium archidiaconatum suum, quem obtinet in ecclesia Xanctonensi.
474	Fratri Symoni inquisitori heretice pravitatis in Romana provincia. Super facto inquisitionis et relaxationis.
475	Stephano diacono, rectori ecclesie de Jussiaco, Autissiodorensis diocesis. Quod non currat sibi tempus pro eo quod non suscepit ordinem presbyteratus infra tempus statutum.
476	Privilegium pro monasterio Sancti Spiritus de Sulmone, Valvensis diocesis.
477	Dispensatio super matrimonio.
478	Humberto de Monte Olivo, rectori ecclesie de Falzeto, Terraconensis diocesis.
479	Licentia de mutuo pro Olavo, episcopo Roskildensi.
480	Mandatur procedi contra Octonem et Conradum marchiones Brandeburgenses et officiales ipsorum.
481	.. Archiepiscopo Gneznensi. Super discordia que vertitur inter Mirozlaum archidiaconum Glogoviensem et Henricum episcopum Wratislaviensem.

1. Col. 313, l. 12, lisez *Multobono* au lieu de « Mulcobono. »

N°. 482	Nicolao electo Milevitano. Preficitur in episcopum Milevitanum.
483	Executoria de mutuo contrahendo pro Nicolao electo Milevitano.
484	.. Priori et fratribus Predicatorum Esculanis. Quod possint recipere de male acquisitis usque ad mille florenos auri.
485	Roderico Calaguritano et Calciatensi episcopo. Preficitur in episcopum earumdem [ecclesiarum].
486	Mandatur inquiri in monasterio sancti Benedicti de Gualdo, Nucerine diocesis.
487	Statuitur certus canonicorum numerus in ecclesia sancte Marie de Castello Januensis.
488	Super permutatione beneficiorum.
489	Olavo episcopo Roskildensi. Preficitur in episcopum Roskildensem.
490	Conservatoria pro .. abbate et conventui monasterii Carevallis, Cisterciensis ordinis, Mediolanensis diocesis.
491	Conservatoria pro Jacobo Mathei Ursi, archidiacono Senonensi.
492	Mandatur dispensari super defectu natalium cum Manino Judicis Samarii, subdiacono Vigiliensis diocesis.
493	Conceditur .. abbati et conventui monasterii sancti Pauli de Urbe quod possint relocare feuda, etc.
494	.. Abbati monasterii sancti Pauli de Urbe. Super resignatione monasterii sancti Clementis Tiburtini recipienda.
495	Conservatoria pro .. magistro et fratribus domus Militie Templi.
496	.. Priori generali fratrum Heremitarum. Quod possit absolvere fratres sui ordinis.

N°. 497 .. Preceptori et fratribus hospitalis pauperum de Perpiniano. Quod possint habere capellam seu oratorium.

498 † Magistro Frederico de Borgorellis. Confirmatur sibi archipresbyteratus plebis de sancto Genesio, Parmensis diocesis.

499 Quedam gratia concessa Thome electo Virdunensi.

500 † Eidem. Quod possit concedere duabus personis tabellionatus officium.

501 † Eidem. Quod possit dispensare cum quibusdam clericis super irregularitate.

502 † Eidem. Quod compellat nonnullos clericos sue diocesis ad residendum.

503 Indulgentia concessa ecclesie sancte Christine de Vulsena.

504 Citatio ad instantiam Daynesii de Casalia.

505 Reservatur Oliverio Cabrii de Modoetia beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Mediolanensi.

506 Conceduntur .. archiepiscopo et capitulo Lugdunensibus fructus primi anni omnium beneficiorum que vacabunt usque ad triennium in civitate, diocesi ac provincia Lugdunensibus.

507 † .. Archiepiscopo Barensi. Quod possit concedere officium tabellionatus.

508 Super facto inquisitionis heretice pravitatis in partibus Vicentinis.

509 † Super eodem.

510 Gratie concesse ordini Humiliatorum, ab isto capitulo usque ad capitulum CCCCXLIII (*sc. n° 516*).

517 † Indulgentia pro quadam capella Morinensis diocesis.

N°. 518 Johanni episcopo Forosinfroniensi. Preficitur in episcopum Forosinfroniensem.

519 Johanni episcopo Vestano. Preficitur in episcopum Vestanum.

520 Indulgentia ad fabricam pro ecclesia Lemovicensi.

521 Mandantur citari aliqui ad instantiam .. abbatis et conventus monasterii Vallis Serene, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis.

522 Fernando archiepiscopo Ispalensi. Quod possit providere de beneficiis que tanto tempore vacaverunt, etc.

523 † Eidem. Quod possit absolvere nonnullos clericos et dispensare cum eis.

524 Confertur Laurentio de Levanto, Lunensis diocesis, beneficium quod duxerit acceptandum ad collationem capituli ecclesie Januensis.

525 Petro olim episcopo Cassanensi. Committitur sibi ecclesia Larinensis.

526 Francisco electo Satrianensi. Preficitur in episcopum Satrianensem.

527 † Eidem. Quod possit recipere munus consecrationis.

528 Quedam gratia concessa hospitali de Brolio Mediolanensi.

529 † Super eodem.

530 † Monasterio monialium sancte Margarite Vercellensis quedam bona confirmat.

531 Mandatur inquiri in monasterio sancti Nicasii Remensis.

532 .. Archiepiscopo Lundensi. Super provisione de pastore in ecclesia Othoniensi.

533 Mauro abbati monasterii sancti Benedicti de Padolirono, Mantuane diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii.

N°. 534	Super facto decime.
535	† Indulgentia pro ecclesia sancti Bartholomei Tervisini.
536	Confertur magistro Symoni de Guibervilla prebenda Baiocensis.
537	Petro de Salis. Quod possit licite retinere prioratum de Verziano, Cluniacensis ordinis, Brixiensis diocesis.
538	† Dispensatio super matrimonio.
539	Mandatur citari personaliter frater Clarus monachus monasterii sancti Morentii, Forosinfroniensis diocesis.
540	Conceditur officium tabellionatus cuidam persone.
541	† In e. m. pro aliis.
542	† In e. m. pro alia persona.
543	† Indulgentia concessa ecclesie monasterii sancti Syxti de Urbe.
544	Michaeli de Encra, canonico Atrebatensi, clerico et familiari nostro. Quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.
545	.. Potestati, .. capitaneo, consilio et comuni Pisanis. Super quadam revocatione de hiis que [edicta sunt contra eos qui] portant res prohibitas Sarracenis.
546	† In e. m. comuni Januensi.
547	Super quadam permutatione beneficiorum.
48	Guidoni episcopo Xanctonensi. Quod possit visitare per alium.
549	Eidem. Quod possit facere recipi magistrum Petrum Radulfi in ecclesia Xanctonensi.
550	.. Magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis. Quod possint percipere de rapinis usque ad summam mille florenorum auri.
N°. 551	† Indulgentia pro eodem hospitali.
552	Indulgentia pro ecclesia sancti Pauli Narbonensis.
553	Confertur Oberto de Vicecomitibus prebenda ecclesie Constantiensis.
554	Super instituendo certo monachorum numero in monasterio sancti Mansueti Tullensis.
555	† Conservatoria pro .. episcopo Trecensi.
556	Super revocatione cujusdam pensionis concesse per Bo[nifatium] papam VIII Hugolino Rustichelli de Massa Pisana.
557	Efficitur Gaspar de Montasia [1] rector in spiritualibus in Campania [et Maritima].
558	.. Priori et fratribus ordinis Predicatorum de Cherio, Taurinensis diocesis. Quod possint recipere de male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri.
559	Mandatur provideri de abbate in monasterio sanctorum Gorgonii et Viti Pisane civitatis.
560	Reservatur Bartholomeo de Cazago beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Brixiensi.
561	.. Decano et capitulo Morinensibus. Quod possint convertere duo milia librarum Parisiensium relicta per H[enricum] episcopum Morinensem in reparationem ecclesie Morinensis.
562	Deodato abbati monasterii sancti Petri de Latigniaco [1], Parisiensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii.
563	Super non observanda quadam consuetudine in civitate et diocesi Tarviensi.

1. Ms : « Montanea. »
2. Col. 370, l. 38, lisez *Latigniaco*, au lieu de « Latignaco. »

N°. 592 Consilio et comuni castri Matellice. Quod possint sibi assumere potestates et officiales.

593 Magistro Petro de Reate providetur de prebenda et dignitate in ecclesia Eduensi.

594 Frederico archiepiscopo Rigensi. Preficitur in archiepiscopum Rigensem.

595 Guillelmo abbati monasterii sancti Winnoci Bergensis, Morinensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii.

596 Statuitur certus numerus canonicorum in ecclesia Vicentina.

597 Confertur Jacobo Bartholomei de Senis archipresbyteratus plebis de Colle, Wlterane diocesis.

598 Mandatur provideri Geraldo Jaqueti de aliquo beneficio ecclesiastico spectante ad collationem episcopi Carcassonensis.

599 Mandantur recipi quedam persone, quas Matildis comitissa Atrebatensis duxerit nominandas, una in Atrebatensi et alia in sancti Audomari ecclesiis.

600 .. Episcopo Constantiensi. Quod reducat fratres Predicatores ad locum quem habebant in castro Zovingen., sue diocesis.

601 † .. Priori et conventui ordinis Predicatorum Argentinensibus. Quod possint percipere de rapinis usque ad certam summam. — In e. m. pro aliis.

602 † Petro episcopo Signino. Quod ecclesie sue curam gerat sollicitam.

603 Antonio episcopo Dunelmensi. Quod possit contrahere mutuum.

604 Providetur Armanino de Pomponesco, clerico Cremonensi, de beneficio ecclesiastico in civitate vel diocesi Aquilegensi.

N°. 605 Rogero [1] de Waltham rectori ecclesie de Langenenton, Dunelmensis diocesis. Super pluralitate.

606 Mandatur provideri de archipresbyteratu ecclesie Paduane alicui persone ydonee.

607 Mandatur provideri Johanni dicto Alegre, canonico Barchinonensi de aliqua prepositura, que *mensata* vulgariter appellatur.

608 Gratie concesse Petro episcopo quondam Noviomensi in archiepiscopum Arelatensem electo, ab isto capitulo usque ad capitulum DXVIII (*sc. n° 616.*)

617 Carissimo in Christo filio C[arolo] regi Sicilie illustri. Super creatione prebendarum et dignitatum in ecclesia civitatis Sancte Marie olim vocate *Lucerie*.

618 † Ponzello quondam Ursi de filiis Ursi. Quod possit habere altare portatile.

619 Mandatur citari comune Lucanum super eo quod occupaverunt nonnulla castra, terras et loca ad [Lunensem] episcopum et ecclesiam spectantia.

620 Submictitur monasterium monialium de Rosindal, Cisterciensis ordinis, Treverensis diocesis, .. abbati monasterii Claustri [de] Hymmeroch, ejusdem ordinis, dicte diocesis.

621 Conceditur Tiberio Gufredi [2] de Laturre beneficium cum dignitate in civitate vel diocesi Aquilegensi.

622 † Electo Tharsensi pallium destinatur.

623 † Beatricem de Sabaudia sub Apostolice Sedis protectione suscipit.

624 Dispensatio super matrimonio.

1. Ms : « Rogerio. »
2. Ms : « Gaufredi. »

N°. 625	Ordinatio facta super discordia que vertebatur inter .. priorem et conventum fratrum Predicatorum Majoricenses ex parte una, et .. episcopum Majoricensem et capitulum ex altera.
626	.. Cancellario ecclesie Parisiensis. Super concedenda licentia regendi duobus in theologica facultate.
627	Huguitioni electo Novariensi. Preficitur in episcopum Novariensem.
628	Radulfo patriarche Jerosolimitano. Quod possit conferre duabus personis officium tabellionatus.
629	†.. Priori de Roda, Ilerdensis diocesis. Super executione cujusdam sententie late contra moniales monasterii de Zizena, dicte diocesis.
630	Andree electo Noviomensi. Quod possit recipere munus consecrationis.
631	† .. Priori et conventui ordinis Predicatorum Papiensibus. Quod possint recipere de rapinis usque ad certam summam.
632	† .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Nivernensibus. Super quadam compositione cum comite Nivernensi.
633	.. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Papiensibus. Super permutatione loci.
634	.. Episcopo Dunelmensi. Quod possit providere Hugoni Bibliensi episcopo de prioratu de Goldingham, Sancti Andree diocesis.
635	Petro Rigardi[1] de Chambariaco[2]. Quod possit recipere fructus ecclesie sue de Mansaco, Tholosane diocesis.
636	Mandatur exhiberi Leonardo electo Cathaniensi fructus prebende quam obtinebat in ecclesia Cameracensi.

1. Ms : « Rigaudi. »
2. Ms : « Chamberiaco. »

N°. 637	Conceditur Matildi comitisse Atrebatensi quod tres clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.
638	Super constituenda quadam canonia in villa Dole, Bisuntine diocesis.
639	Dispensatio super matrimonio.
640	Executoria de mutuo pro Olavo episcopo Roskildensi.
641	Mandatur provideri Aynulfo de Robiate, laico Mediolanensis diocesis, de aliqua superstancia.
642	Capitulo ecclesie Lateranensis. Super certo canonicorum et beneficiatorum ac acolitorum numero.
643	† Magistro Bernardo Royardi. Super visitatione archidiaconatus sui Suessionensis.
644	Confertur Zoemio de Loglano beneficium sine cura quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Veronensi.
645	† Magistro Neapoleoni de filiis Ursi, archidiacono de Maiorica Legionensi. Super visitatione archidiaconatus sui.— In e. m. eidem pro archidiaconatu suo Stadiensi in ecclesia Cathalaunensi.
646	Guidoni electo Ferrariensi. Preficitur in episcopum Ferrariensem.
647	† Confirmantur indulgentie concesse ecclesie fratrum ordinis Predicatorum civitatis Padue.
648	Dispensatur super defectu natalium cum Raynaldo Manfredi Scrovegni clerico Paduano.
649	Johanni episcopo Tusculano. Super confirmatione quorumdam castrorum.
650	Dispensatio super matrimonio.

N°. 651 Dispensatio super defectu pro Eberhardo Henrici [de Alecho] acolito Pataviensis diocesis.

652 Dispensatio super defectu natalium cum Francisco monacho monasterii Mosacensis, Aquilegensis diocesis.

653 † Rudolfo duci Austrie. Quod possit facere celebrari in locis suppositis interdicto.

654 † Johanni episcopo Pactensi. Quod ecclesie sue curam sollicitam gerat.

655 Mandatur dispensari cum Johanne de Reiganeri[1] subdiacono Coloniensis diocesis.

656 † .. Rectori provincie Romaniole. Quod possit in locis interdictis audire divina.

657 Mauricio archiepiscopo Cassellensi. Super absolvendis quibusdam de suis civitate, diocesi et provincia.

658 † Indulgentia concessa ecclesie monasterii sancti Petri martiris de Bononia.

659 .. Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum de Clugia. Confirmatur eis locus quem construxerunt in Clugia.

660 † Confirmantur indulgentie concesse ecclesie fratrum Predicatorum civitatis Esculane.

661 Mandatur dispensari cum Beltrando Maustini, canonico monasterii beate Marie prope muros civitatis Carpentoratensis.

662 Octobono de Carreto preposito ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis. Quod possit providere quinque clericis in ecclesia Brugensi.

663 Percivallo de Carreto archidiacono Leodiensi. Super visitatione archidiaconatus sui.

664 Mandatur quod non fiat novitas per comune Pistoriense contra Baldum de Floraventis civem Pistoriensem.

1. Ms: « Beigenari. »

N°. 665 Civibus Beneventanis. Super eligendis consulibus et officialibus.

666 Mandatur quod .. guardianus et conventus fratrum ordinis Minorum Aquenses possint remanere in loco suo.

667 Dispensatio super matrimonio.

668 Conceditur ordini Cartusiensi ecclesia sancti Ciriaci in Termis de Urbe.

669 Dispensatio super matrimonio.

670 Conservatoria pro monasterio sancti Andree Vercellensis.

671 † .. Episcopo Dunelmensi. Super taxatione fructuum et proventuum ecclesie sancti Andree de Cestratona, Elyensis diocesis, occasione solutionis decime.

672 Octobono de Carreto preposito ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis. Quod duo clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.

673 † Dispensatio super matrimonio.

674 Mandatur absolvi Petrus Malocelli pro eo quod portavit nonnulla mercimonia in Alexandriam.

675 Eracleo de sancto Nectereo[1] canonico ecclesie Brivatensis, Claromontensis diocesis. Reservatur sibi dignitas in eadem ecclesia.

676 Reservatur dignitas seu personatus magistro Phylippo de Mornayo, canonico Baiocensi, in eadem ecclesia.

677 Mandatur conferri Jacobo Parisii de Bononia feudum in territorio castri Orcle, Viterbiensis diocesis.

678 Conservatoria pro .. priorissa et conventu monasterii sancte Marie de Revello, Taurinensis diocesis.

1. Col. 431, l. 3, lisez *Nectereo* au lieu de « Nercereo ».

N°. 679 Indulgentia pro hospitali sancti Martini de Castrosa, Feltrensis diocesis.

680 Conservatoria pro eodem hospitali.

681 Super restitutione quorumdam de Vercellis ad statum et honores.

682 Confertur Petro dicto Nannetis [1] prebenda Nannetensis cum personatu.

683 Pandulfo de Sabello, notario nostro. Quod possit percipere fructus omnium beneficiorum suorum.

684 Commictitur monasterium sancte Marie Magdalene extra muros Spirenses cure .. magistri et .. prioris provincialis provincie Theotonie ordinis fratrum Predicatorum.

685 Commictitur monasterium de Pruliano, Appamiarum diocesis, .. magistro et .. priori provinciali provincie Tholosane [ejusdem ordinis].

686 Confirmantur eidem monasterio quedam ecclesie parrochiales gubernande, etc.

687 † .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Caturcensibus. Quod possint percipere de rapinis usque ad certam summam.

688 † In c. m. pro fratribus Tholosanis ordinis ejusdem.

689 .. Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Appamiarum. Super loco eis concesso in civitate Appamiarum.

690 † Conservatoria pro monasterio sancte Marie de Pruliano, Appamiarum diocesis.

691 † Indulgentia pro ecclesia fratrum Predicatorum in civitate Caturcensi.

692 Confirmatur quedam ecclesia .. priorisse et conventui monasterii Vallis sancte Marie, Treverensis diocesis.

2. Ms : « Petro de Nannetis. »

N°. 693 † .. Priori provinciali et fratribus ordinis Predicatorum in Theotonia. Super receptione quorumdam fratrum de Penitentia Jhesu-Christi ad ordinem Predicatorum.

694 Philippo regi Francorum illustri. Quod habeat Robertum episcopum Cabilonensem et ecclesiam commendatos.

695 Johanni priori ecclesie sancte Marie in Pesolis Narniensis. Super certo numero canonicorum.

696 Carissimo in Christo filio A[lberto] regi Romanorum illustri. Preces pro G[erardo] archiepiscopo et ecclesia Maguntina.

697 Dispensatio super matrimonio.

698 Nobili viro Tagino de Boncosis [1] civi Mantuano. Confirmantur sibi quedam decime, quas ecclesia Veronensis habet in loco de Benesisis [2], Veronensis diocesis.

699 Dispensatio super matrimonio [3].

700 Dispensatio super matrimonio.

701 Dispensatur cum diversis super defectu natalium [4] (*usque ad 704*).

705 † .. Abbatisse et conventui monasterii sante Marie Monacharum Aquinatis. Quod non teneantur ad solutionem cujuslibet decime.

706 Super quodam statuto in ecclesia Xanctonensi removendo.

707 Dispensatio super matrimonio.

708 Executoria de mutuo contrahendo pro Antonio episcopo Dunelmensi.

709 Confirmatur episcopali mense Nucerine ecclesia sancti Savini de Airone, Nucerine diocesis.

1. Ms : « Bonceis. »
2. Ms : « Benefisis. »
3. Col. 443, l. 5, lisez *Garvagni*, au lieu de « Carmeyni. »
4. Ibid., l. 22, lisez *Regine* au lieu de « Reginensis. »

N°. 710 Roberto abbati monasterii de Bello Loco, Macloviensis diocesis. Confirmatur electio sua.

711 Gerlaco de Wetflaria [1], preposito ecclesie in Volkenmarche, Salzburgensis diocesis. Super [irregularitate et] pluralitate.

712 .. Potestati, .. capitaneo, antianis, consilio et comuni Bononiensibus. Quod revocent statuta contra .. episcopum Bononiensem et ecclesias ac personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Bononiensis.

713 Venerabili fratri E[gidio] archiepiscopo Bituricensi. Quod possit providere hac vice de abbate monasterio beate Marie Exoldunensis, ordinis sancti Benedicti, sue diocesis.

714 † Eidem. In e. m. pro monasterio Fontis Gobaudi, dicte diocesis.

715 .. Episcopo Corosopitensi. Quod possit facere recipi unam personam ydoneam in ecclesia Corosopitensi.

716 Providetur Guillelmo, [nato Oberti] Fulgosii civis Placentini, de prebenda ecclesie Burgensis cum personatu seu dignitate.

717 Magistro Bernardo Roiardi archidiacono Xanctonensi. Quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.

718 Magistro Stephano Rebuffe canonico Pictavensi. Providetur sibi de personatu vel dignitate, decanatu excepto, in ecclesia Pictavensi.

719 Lazare moniali monasterii sancti Francisci Paduani, ordinis sancti Benedicti. Dispensatur super defectu natalium, etc.

720 Conceditur Pontio de Castillione, canonico ecclesie Carcassonensis, ecclesia cum cura vel sine cura quam duxerit acceptandam in civitate vel diocesi Carcassonensi.

3. Col. 451, l. 14 et 23, lisez *Wetflaria* au lieu de « Wetslaria. »

N°. 721 Officium tabellionatus conceditur diversis personis (*usque ad 725*).

726 .. Abbati et conventui monasterii sancti Andree Vercellensis. Super fructibus percipiendis.

727 Confertur Uberto de Canturio beneficium, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Salzeburgensi.

728 Magistro Bernardo preposito ecclesie Suessionensis. Super fructibus percipiendis.

729 Waltero de Radragia rectori ecclesie de Raundes, Lincolniensis diocesis. Dispensatur cum eo super pluralitate.

730 .. Abbati et conventui monasterii sancti Antonii, Viennensis diocesis. Super reconciliatione ecclesiarum et cymiteriorum eorum, etc.

731 Super loco Predicatorum instituendo in civitate Tholonensi et in castro Dreguiniani, Forojuliensis diocesis.

732 † .. Episcopo Sistaricensi. Quod possint .. abbas, monachi et conversi monasterii de Lura in comitatu Forkalkerii, ordinis de Callesio, ad ordinem Predicatorum admitti et ad monasterium sancte Marie de Nazareth Aquensis [1] se transferre.

733 Petro episcopo Baiocensi. Quod possit conferre quatuor beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura quatuor personis.

734 † Eidem. Quod possit conferre beneficia ecclesiastica quatuor clericorum suorum cedentium vel decedentium.

735 Magistro Guidoni archidiacono Bononiensi. Super visitatione.

736 Eidem. Quod possit percipere fructus beneficiorum suorum.

1. Col. 462, l. 33, lisez « s. Marie *de Nazareth* Aquensis. »

1. Col. 474, l. 25, lisez *Raymundo* au lieu de « Raymondo. »

2. Ce nom est douteux. La table du ms. porte *Avezacco*, la rubrique de la bulle *Avezuto* ou *Avezaco*.

N°. 778 .. Priorisse et conventui monasterii sancte Marie Matris Domini Pergamensis. Super quadam unione.

779 .. Priori et conventui ordinis Predicatorum Pergamensibus. Super quadam ordinatione facta ab .. episcopo Pergamensi.

780 Radulfo Johlario clerico Constantiensis diocesis. Dispensatur cum eo super defectu natalium.

781 † Stephano de Malolacu. Confirmatur sibi quedam ecclesia.

782 Dispensatio super matrimonio.

783 Mandatur dispensari super defectu natalium cum Friderico Henrici de Sytansteten., Pataviensis diocesis.

784 Quedam gratie concesse .. abbati et conventui monasterii sancti Antonii, Viennensis diocesis, ab isto capitulo usque ad capitulum DCXXXVIII (*sc. n° 787*).

788 Mandatur provideri Marino Carazulo de Neapoli de beneficiis usque ad summam X unciarum auri in civitate vel diocesi Capuana.

789 In e. m. mandatur pro Johanne de Riso, clerico Neapolitane diocesis.

790 Dispensatio super matrimonio.

791 Super permutatione quarumdam ecclesiarum.

792 Compositio super quadam discordia inter .. archiepiscopum Cantuariensem et .. abbatem et conventum monasterii sancti Augustini Cantuariensis.

793 † .. Priori ecclesie Cantuariensis. Quod possit dispensare cum quibusdam clericis dicte diocesis.

N°. 794 Mandatur provideri Wlskero [1] dicto Ssober de Hamburt, Pataviensis diocesis, de beneficio cum dignitate in civitate vel diocesi Pataviensi.

795 Providetur Gabrieli de Monte Silice de beneficio cum dignitate in civitate vel diocesi Paduana.

796 Quedam gratie concesse G[uillelmo] archiepiscopo Ebredunensi. [Super visitatione].

797 † Quod possit facere recipi duas personas in canonicos in ecclesia Ebredunensi.

798 † .. Priori et conventui fratrum Predicatorum Cremonensibus. Super quodam loco vendendo vel alias distrahendo.

799 Dispensatio super matrimonio.

800 Amblardo [2] episcopo Maurianensi. Quod possit dispensare cum nonnullis clericis et laicis suarum civitatis et diocesis super injectione manuum.

801 † Indulgentia pro ecclesia beate Marie Virginis in civitate Tarviensi.

802 Eustachio de Ays, canonico ecclesie sancti Petri Casletensis. Dispensatur cum eo super defectu natalium et super pluralitate.

803 † .. Magistro domus Militie Templi. Quod possit venire ad Sedem Apostolicam.

804 Johanni dicto Grame, rectori parrochialis ecclesie in Bokenem [3], Hildesemensis diocesis. Super pluralitate.

805 Providetur Jordano Merle de prebenda Baiocensi cum dignitate.

806 † Dispensatio super defectu natalium.

1. Col. 492, l. 2, lisez *Wlskero* au lieu de « Wulskero. »
2. Ms : « Abublardo. »
3. Ms : « Bokernem. »

1. Ms : « Henguigdon. »

N°. 835	† Inquisitoribus heretice pravitatis in eodem regno. Quod officium suum exerceant tam citra quam ultra Farum.
836	.. Priori et fratribus Predicatorum Monopolitanis. Quod possint de rapinis percipere usque ad certam summam.
837	Recipiuntur sub protectione .. priorissa et conventus monasterii sancte Marie de Nazareth Aquensis.
838	.. Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Cremonensibus. Confirmatur eis ecclesia sancti Martini in loco civitatis Cremonensis.
839	Conceditur monasterio sancte Marie de Bridelington [1], Eboracensis diocesis, quedam parrochialis ecclesia Lincolniensis diocesis.
840	Episcopo Lascurrensi [2]. Super dispensatione matrimonii.
841	† .. Marchioni Brandeburgensi. Super celebratione divinorum officiorum non obstante interdicto.
842	Confirmatur .. preposito et fratribus domus sancti Petri de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, quedam gratia facta per Radulfum regem Romanorum.
843	Super permutatione quarumdam possessionum concessa monasterio sancti Juliani Ariminensis.
844	.. Episcopo Pergamensi. Quod possit dispensare cum nobili viro Ponrino de Pirmardis, cive Cremonensi.
845	Aymerico archidiacono de Citravada in ecclesia Baiocensi. Super visitatione.
846	Dispensatur super defectu cum Petro nato Raymundi Fulconis, Urgellensis diocesis.

1. Ms : « Brindelyngton. »
2. Ms : « Lausanensi. »

N°. 847	.. Archiepiscopo Ebredunensi. Quod non permictat molestari nobilem mulierem Beatricem de Sabaudia.
848	.. Archiepiscopo Ebredunensi. Quod decernat prebendam debitam Guillelmo Ala saudi in ecclesia Carpentoratensi.
849	† Indulgentia pro ecclesia Omnium Sanctorum de Monteflorino juxta Grationopolim.
850	† .. Priori et fratribus domus ordinis beate Marie de Monte Carmeli Messanensibus. Quod possint transire ad alium locum.
851	† Confertur prebenda Andegavensis magistro Alano Venatoris capellano domini pape.
852	.. Abbati monasterii sancti Petri de Latigniaco, Parisiensis diocesis. Reservatur sibi prioratus sancti Genii extra muros Lectorenses.
853	Mandatur visitari in prioratu ecclesie Dunelmensis.
854	Efficitur de ecclesia sancte Marie de Monasterio in Brienzonesio, Ebredunensis diocesis, prioratus ordinis sancti Benedicti.
855	Petro de Colingeburn. [1], rectori ecclesie de Kemesene, Wigorniensis diocesis. Super dispensatione.
856	Confertur Petro de Bellapertica prebenda Parisiensis cum dignitate.
857	Super statuendo certo numero monachorum in monasterio sancti Florentini de Bonavalle, Carnotensis diocesis.
858	Dispensatio super matrimonio.
859	.. Priori et conventui monasterii de Porcilia extra muros Paduanos. Super confirmatione cujusdam arbitrii.
860	.. Priori provinciali fratrum Predicatorum in Ungaria. Super mictendis fratribus ad certas provincias.

1. Ms : « Colingerburn. »

N°. 902 † Confirmatur constitutio Bonifatii VIII super libertatibus et juribus ordinis fratrum Predicatorum.

903 Conceduntur .. abbati et conventui monasterii sancti Benedicti in Petraficta ecclesia et hospitale sancti Thome sita in suburbio civitatis Perusine.

904 Mandatur concedi officium tabellionatus Laurentio Giroldi civi Beneventano.

905 Dispensatur super defectu cum Guione de Comitibus clerico Paduano.

906 .. Priori et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini Ortanis. Quod possint mutare locum in civitate Ortana.

907 Indulgentie super fructibus percipiendis concesse diversis personis (*usque ad 910*).

911 .. Episcopo Agathensi. Quod largiatur licentiam .. abbati et conventui monasterii de sancto Tiberio, Agathensis diocesis, quod possint locare seu vendere quasdam terras seu possessiones incultas.

912 Andree archiepiscopo Brundusino in archiepiscopum Capuanum electo. Preficitur in archiepiscopum Capuanum.

913 .. Episcopo et capitulo Osloensibus. Quod possint conferre beneficia que tanto tempore vacaverunt, etc.

914 Conceditur capella sancti Thome de Arena conventui sancti Petri martiris ordinis Predicatorum de Neapoli.

915 Quedam sorores secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventes commictuntur cure .. magistri et priorum provincialium regni Sicilie et Romane provinciarum ejusdem ordinis.

916 † De eodem.

N°. 917 † .. Priori et conventui fratrum ordinis Predicatorum Alexandrinis, Aquensis diocesis. Quod possint recipere de male ablatis usque ad certam summam.

918 Eisdem. Donatur eis census tam pro preterito tempore quam futuro usque ad centum florenos auri de censu quem comunitas Alexandrie Romane tenetur solvere Ecclesie.

919 Conservatorie concesse .. magistro et fratribus domus Militie Templi Jerosolimitani (*usque ad 921*).

922 Conservatorie concesse .. magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie Theotonicorum.

923 Conservatorie concesse abbatibus et abbatissis Cisterciensis ordinis.

924 .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Fanensibus. Quod possint recipere usque ad certam summam de male ablatis.

925 Quedam gratie concesse .. priori et conventui fratrum Predicatorum Imolensibus. [Quod possint recipere usque ad certam summam de male ablatis].

926 † Eisdem. Conceditur eis ecclesia sancti Nicolai Imolensis.

927 Indulgentia concessa plebi de Amburgo, Pataviensis diocesis.

928 † Indulgentia concessa capelle hospitalis sancte Marie Virginis de Alpibus Jovis, Florentine diocesis.

929 Fratri Johanni Oliverii de Parma, monacho monasterii Leonensis, Brixiensis diocesis. Super dispensatione.

930 Antonio episcopo Dunelmensi. Quod possit conferre duabus personis tabellionatus officium.

N°. 931	Super quodam monasterio ordinis sancte Clare fundato in civitate Coloniensi.
932	Confertur prepositura ecclesie sancti Bartholomei Leodiensis Johanni Palmerii de Turre.
933	Confertur Bonifatio Hugolelli de Turilia prebenda Placentina.
934	Dispensatur super defectu cum Johanne Guillelmi Servat, clerico Londoniensi.
935	† .. Patriarche Jerosolimitano. Quod possit condere testamentum.
936	Venerabili fratri B[artholomeo] episcopo Eduensi. Quod possit conferre duabus personis officium tabellionatus.
937	Eidem. Quod possit facere recipi singulas personas in Eduensi ac Belnensi, de Vergeyo et de Castrocensorio, sue diocesis, ecclesiis.
938	Dispensatio super matrimonio.
939	† Henrico de Hertelyaigton, Eboracensis diocesis. Quod possit habere altare portatile. — Carolo Nicolai de Flisco eadem gratia conceditur [1].
940	Episcopo Portuensi. Super quodam orto conventui fratrum Predicatorum Urbevetano vendendo.
941	Conceditur .. priorisse et sororibus monasterii sancti Petri Urbevetani tam presentibus quam futuris, quod non teneantur exhibere annuum censum earum diocesanis episcopis nec non pedagia, tholonea et alias exactiones nec etiam ad dandum procurationes, etc.
942	Providetur Pandulfo Capotie de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Balneoregensi.

1. Col. 562, corrigez la date de cette pièce. Elle est du 20 *mars* et non du 20 mai ; au lieu de XIII kal. junii, il faut lire XIII kal. *aprilis*.

N°. 943	Dispensatur super defectu natalium cum Johanne de Kelles, nato Godefridi de Brabantia, clerico Leodiensis diocesis.
944	Radulfo patriarche Jerosolimitano. Commendatur sibi ecclesia Brundusina.
945	Commendatur P[agano] episcopo Paduano usque ad duos annos monasterium de Pratalia, ordinis sancti Benedicti, Paduane diocesis.
946	Dispensatio super defectu natalium cum Alvaro Nunii, scolari Burgensis diocesis.
947	Venerabili fratri A[ldeberto] episcopo Vivariensi. Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Vivariensi.
948	Confertur prepositura ecclesie sancti Salvatoris de Lavania, Januensis diocesis, Facino dicto cardinali.
949	Providetur Bartholomeo Giani de Circulis de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Aretina.
950	Providetur Petro Consilii de Circulis de beneficio, ut supra, in Florentina vel Fesulana civitatibus vel diocesibus.
951	Providetur Phylippo Nicole de Cerchiis de beneficio, ut supra, in civitate vel diocesi Pistoriensi.
952	Corrado rectori ecclesie parrochialis in Ahusen, Eystetensis diocesis. Super pluralitate.
953	Alvaro Gonsalvi presbytero, canonico Egitaniensi. Super pluralitate.
954	Providetur Galeatio de Salodo, clerico Brixiensi, de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Veronensi.
955	Providetur Angelo Be[n]venuti de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Tudertina.

Nº. 956 † .. Episcopo Carnotensi. Quod possit ordinare de fratribus ordinis Vallisscolarium quandam ecclesiam Carnotensis diocesis.

957 Bartholomeo episcopo Fuliginati. Quod possit condere testamentum.

958 Armenis domus Sancti Spiritus Anconitani. Recipiuntur sub protectione. — † Quod non possint excommunicari, suspendi vel etiam interdici nisi a Sede ipsa.

959 † Conservatoria pro eisdem.

960 Conservatoria pro monasterio Senevalli de Fulina, Cisterciensis ordinis, Cenetensis diocesis.

961 Indulgetur nobili mulieri Blance ducisse Austrie et Stirie, quod quatuor clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum.

962 Eidem. Quod possit eligere confessorem. — † Quod possit facere celebrari solennia non obstante interdicto.

963 .. Decano et capitulo ecclesie Laudunensis. Quod possint exercere censuram ecclesiasticam in injuriatores eorum, [non obstantibus indulgentiis seu privilegiis aliquibus concessis].

964 . Eisdem. Contra invasores.

965 Alexandro Feltrensi et Bellunensi episcopo. Quod possit facere recipi duas personas in Feltrensi et totidem in Bellunensi ecclesiis.

966 Dispensatio super matrimonio.

967 Gometio Consalvi portionario ecclesie de Vimaranis, Bracharensis diocesis. Dispensatio super defectu natalium et super pluralitate.

968 Confertur Bernardino de Foliano prepositura ecclesie de Carpineto, Regine diocesis.

Nº. 969 .. Abbati et conventui monasterii sancti Christofori de Bergamasco, Aquensis diocesis [1]. Confirmatur eis quidam prioratus.

970 .. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Ragusinis. Quod possint recipere usque ad certam summam de usuris et rapinis.

971 † Indulgentia pro ecclesia monasterii sancti Florentini de Bonavalle, Carnotensis diocesis.

972 Hermanno preposito Ymbrie, Othoniensis diocesis. Super pluralitate.

973 Mandatur provideri, ad preces nobilis viri Johannis ducis Britanie, in Andegavensi, Cenomanensi et Abrincensi ecclesiis de prebendis singulis personis idoneis.

974 Super quadam prava consuetudine in ducatu Britanie, ab isto capitulo usque ad capitulum DCCLXXIIII (*sc. nº 976.*)

977 Providetur Wlvingo de Pramperh de beneficio quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Salzeburgensi.

978 Dispensatio super matrimonio.

979 Dispensatio super matrimonio.

980 Dispensatur super defectu natalium cum Laurentio de sancto Stephano, clerico Suessionensis diocesis.

981 Comuni civitatis Velletrensis. Absolvuntur a quibusdam bannis et condempnationibus.

982 Conceditur palleum G[uillelmo] electo Salernitano.

983 Mandatur citari Paulus episcopus Melfitensis.

984 Providetur Gottifrido de Chremsa de beneficio in civitate vel diocesi Pataviensi.

1. Col. 577, l. 43, lisez *Aquensis* au lieu de « Taurinensis. » Col. 578, l. 3, lisez : predicti ordinis, Taurinensis diocesis.

1. Ms: « Jandra. »

N°. 1012	Magistro Martino de Medunta canonico Baiocensi. Super pluralitate.
1013	Quedam gratie concesse Antonio episcopo Dunelmensi. [Quod possit dispensare super pluralitate cum octo clericis suis crucesignatis].
1014	† Eidem. Quod possit dispensare super eodem cum quatuor aliis clericis suis.
1015	Mandatur inquiri super quibusdam possessionibus ecclesie Cretensis venditis per L[eonardum] patriarcham Constantinopolitanum.
1016	Conceditur hospitali de Egra, Ratisponensis diocesis, cimiterium.
1017	Conceduntur Thome de Anasto prebenda et decanatus Andegavensis.
1018	.. Priori et conventui ordinis Predicatorum Perusinis. Confertur eis capella sancti Stephani de Castellari loco eorum vicina.
1019	Carisio archipresbytero ecclesie de Carleta, Faventine diocesis. Super dispensatione.
1020	Raynaldo de Roy, laico Noviomensis diocesis. Quod possit edificare tres capellas in loco qui dicitur Pontis Episcopi, Noviomensis diocesis.
1021	Quedam gratie concesse nobili viro Johanni domino de Castro Villano, Lingonensis diocesis (*usque ad 1022*).
1023	† Benedicto de Aquino, notario domini pape. Quod possit condere testamentum.
1024	Conservatorie pro monasterio sancti Antonii, Viennensis diocesis.
1025	† Magistro Parisio quondam Benvenuti de Altedo conceditur tabellionatus officium.
1026	† Conceditur .. abbati monasterii Cistercii, Cabilonensis diocesis, quod possit in locis sui ordinis quandam indulgentiam elargiri.
N°. 1027	Venerabili fratri Friderico archiepiscopo Rigensi. Quod possit concedere duabus personis tabellionatus officium.
1028	Venerabili fratri B[artholomeo] episcopo Eduensi. Quod possit exercere censuram ecclesiasticam in manifestos injuriatores suos vel ecclesie Eduensis.
1029	Mandatur provideri de abbate monasterio sancte Marie de Trianis, Legionensis diocesis.
1030	Mandatur citari personaliter Finus Donati de Aretio monachus monasterii Camaldunensis, Aretine diocesis.
1031	Johanni subdiacono rectori ecclesie de Eyaurrieta, Pampilionensis diocesis. Super dispensatione.
1032	Petro nato Jacobi de Cazulis canonico Pisano. Super dispensatione.
1033	Confertur Gaucerando de Calomonte rectoria ecclesie sancti Petri de Avist, Albiensis diocesis.
1034	Petro Pagani, rectori ecclesie sanctorum Quirici et Julite, Albiensis diocesis. Super dispensatione.
1035	Confertur Hugueto de Carmeyno prebenda et thesauraria ecclesie Nimociensis.
1036	Conservatoria pro Huguitione episcopo Novariensi.
1037	† Eidem episcopo. Quod ecclesiam Novariensem sollicite gubernet.
1038	Johanni dicto Loterel rectori ecclesie de Holin, Eboracensis diocesis. Super dispensatione.
1039	Eidem. Quod possit percipere fructus ejusdem ecclesie usque ad quinque annos studendo in theologica facultate.

1. Ms : « Manihauto. » Cf. col. 629, l. 29 même leçon; mais je crois préférable de lire *Mavihauto*. Ce nom s'est conservé jusqu'à nos jours sous cette dernière forme dans certaines parties de la France.

1. Ms : « Calanconia. »

Nº. 1079 Dispensatio super defectu natalium cum Johanne Wenceslai de Brunna, Olomucensis diocesis.

1080 Mandatur vendi quidam ortus .. priori et conventui ordinis Predicatorum de Urbeveteri.

1081 Gratie concesse Guidotto electo Messanensi, ab isto capitulo usque ad capitulum DCCCLXIIII (*sc. nº 1084*).

1085 Confertur magistro Oddoni de Sermineto prebenda sancti Donatiani Brugensis, Tornacensis diocesis.

1086 Magistro Andree Rolandi physico, clerico Januensi. Dispensatur cum eo super oculo amisso.

Nº. 1087 Indulgentia super fructibus percipiendis pro Alexandro Michaelis Mauretini de Venetiis, canonico Cameracensi.

1088 Confertur magistro Celestino Jacobi de Pastrengo prebenda Regina.

1089 Reservatur Cipriano de Alexandris de Pergamo prebenda Leodiensis cum dignitate.

1090 Quedam gratie concesse T[itio] archiepiscopo Panormitano, ab isto capitulo usque ad capitulum DCCCLXXVI (*sc. nº 1096*).

1097 Confertur magistro Cinthio de Cancellariis de Urbe prebenda Parisiensis.

1098 † Confertur magistro Silvestro de Adria prebenda Rosnacensis, Cameracensis diocesis.

LETTRES CURIALES.

Nº. 1099 Processus contra illos qui habuerunt de bonis thesauri.

1100 Processus super eodem.

1101 Processus contra illos qui portant mercimonia ad terram Sarracenorum.

1102 Processus contra illos qui capiunt et impediunt venientes ad curiam Romanam et redeuntes ab ea.

1103 Revocatio de beneficiis vacaturis.

1104 Committitur Francisco sancte Lucie in Silice diacono cardinali ecclesia sanctorum Laurentii et Damasii de Urbe.

1105 Jacobo sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali. Super quibusdam bonis ecclesie Acherontine.

1106 Conservatoria pro Johanne archidiacono Andegavensi, camerario domini pape.

Nº. 1107 Reservatur donationi Sedis Apostolice archidiaconatus ecclesie Vercellensis cum prebenda.

1108 Conceditur G[uillelmo] sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, quod possit conferre archidiaconatum predictum.

1109 Conceditur Amannatis quod possint secure venire ad curiam.

1110 Pandulfo de Sabello notario nostro. Quod possit habere altare portatile.

1111 C[arolo] regi Sicilie illustri. Super facto census.

1112 Carissimo in Christo filio Frederico regi Trinacrie illustri. Super denominatione regni.

1113 Johanni tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali. Confirmantur collationes beneficiorum facte per eum in regno Francie.

N°. 1114 Committitur rectoria Marchie Anconitane Rembaldo de Tervisio.

1115 Committitur eidem rectoria masse Trabarie et terre sancte Agathe.

1116 Committitur eidem rectoria civitatis et comitatus Urbini.

1117 Committitur Deoteclerio de Logliano rectoria [rocce de Cesis], terre Arnulphorum ac Vallistopini.

1118 Committitur eidem rectoria ducatus Spoletani.

1119 Mittitur magister Bernardus Roiardi archidiaconus Xanctonensis in Campaniam pro recuperandis de bonis thesauri.

1120 Super eodem.

1121 Committitur Guillelmo archiepiscopo Ebredunensi rectoria comitatus Venaysini.

1122 Friderico regi Trinacrie illustri. Super facto census.

1123 Jacobo sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali. Quod possit providere de scolastria et prebenda Tullensi.

1124 Reservatur ecclesia Vicentina.

1125 † In e. m. pro ecclesia Zagabriensi.

1126 † Reservatur ecclesia Mantuana.

1127 Altegrado electo Vicentino. Preficitur in episcopum Vicentinum.

1128 Reservatur vicedominatus ecclesie Remensis.

1129 Guillelmo sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali. Quod possit conferre vicedominatum predictum.

1130 Riccardo sancti Eustachii diacono cardinali. Quod possit providere duabus personis in ecclesia sancti Eustachii.

N°. 1131 Mandatur citari personaliter Aldigerius presbyter Parmensis.

1132 Magistro Cursio de sancto Geminiano. Efficitur procurator Ecclesie Romane.

1133 Committitur rectoria comitatus Sabinie J[ohanni] episcopo Reatino.

1134 Committitur eidem rectoria civitatis Interamnensis, castrorum Utriculi et Strunconis ac tenimenti campi de Rusco. — † In e. m. eidem pro castro Mirande.

1135 Restituuntur Columpnenses ad certa.

1136 Mittitur .. electus Cephaludensis ad Fridericum regem Trinacrie pro certis complendis.

1137 Conceduntur Johanni de Cusignano quedam possessiones in castro Montisflasconis.

1138 Conceditur eidem molendinum de Vallerano.

1139 Conceditur Nicolao de Tervisio castellania castri Paliani.— † Conceditur Petro de Mota de Tervisio castellania castri Perete.

1140 Conceditur Alberto de Cusignano castellania castri Egiptii.

1141 Conceditur Gerardo de Fodenovo castellania castri Orcle.

1142 Conceditur Jacobo Quirini rectoria Patrimonii in temporalibus.

1143 Conceditur cuidam alii in spiritualibus.

1144 † Conceditur Johanni de Guarcino rectoria in spiritualibus ducatus Spoletani.

1145 † Conceditur Gabrieli de Patientibus rectoria in spiritualibus Marchie Anconitane.

1146 Committitur cuidam potestaria Viterbiensis.

Nº. 1147 Suspenduntur statuta Marchie Anconitane.

1148 Super dispositione prepositure ecclesie Albensis, [Vesprimiensis diocesis].

1149 Conceditur quidam ortus monasterio monialium sancti Pauli de Tervisio.

1150 Reservatur ecclesia Tridentina.

1151 Conceditur securitas mercatoribus Amannatorum.

1152 Mandatur citari personaliter Johannes archiepiscopus Capuanus.

1153 Quod possint fratres Predicatores edificare locum in villa de Genoliacho, Uticensis diocesis.

1154 Grimerio de Lacrocta jurisperito. Efficitur auditor in criminalibus.

1155 Quedam littere concesse magistro Bonajuto de Casentino super collectione decime in Boemie et Ungarie regnis, ducatu Polonie et marchionatu Moravie, ab isto capitulo usque ad capitulum LVIIII (*sc. nº 1162*).

1163 † Roberto sancte Pudentiane presbytero cardinali. Committitur eidem cura monasterii sancti Andree de Fractis de Urbe.

1164 † Magistro Bonajuto de Casentino. Quod possit conferre duabus personis officium tabellionatus.

1165 Confirmatio cujusdam compositionis inter Predicatores ex parte una et Minores ex altera.

1166 Super eodem.

1167 Statuuntur duo priores provinciales de ordine Predicatorum in Lombardia.

1168 Super quadam pensione concessa Luce sancte Marie in Via Lata diacono cardinali a .. priore et capitulo ecclesie Wintoniensis.

Nº. 1169 Conservatoria pro domo scolarium Choleti Parisiensi. — † In e. m. pro domo Cardinalis Parisiensi.

1170 Littera « Inter cuntas » super revocatione littere « Super cathedram ».

1171 Legatio domini N[icolai] episcopi Ostiensis, ab isto capitulo usque ad capitulum CII (*sc. nº 1205*).

1206 Revocatio quarumdam gratiarum concessarum quibusdam in ducatu Spoletano.

1207 Papiniano episcopo Parmensi sancte Romane Ecclesie vicecancellario. Super permutatione quarumdam possessionum.

1208 Conservatoria super eodem.

1209 Conservatoria pro Guidone episcopo Astensi.

1210 Dispensatio super matrimonio in diocesi Yporiensi.

1211 Conceditur .. abbatisse et conventui monasterii sancti Francisci Taurinensis ruralis ecclesia sancti Bernardi prope Taurinum.

1212 Mandatur recipi Thomasia Antonii de Tranna puella in domo sororum ordinis Humiliatorum Taurinensium.

1213 Littere concesse Gerardo de Pecoraria canonico Remensi, misso in Anglia et Scotia et Ibernia pro negotiis Ecclesie Romane, ab isto capitulo usque ad capitulum CXVIII (*sc. nº 1222*).

1223 Conceditur certis conventibus ordinis fratrum Predicatorum quod possint recipere de male ablatis usque ad certam summam (*usque ad 1225*).

1226 Reservatur provisio ecclesie Aquensis.

1227 Super electione magistri ordinis Predicatorum.

Nº. 1228	Super observatione constitutionis « Inter cunctas. »
1229	† Super eodem.
1230	Super exemptione ordinum Predicatorum et Minorum.
1231	† Super eodem.
1232	Gerardo de Pecoraria canonico Remensi, nuntio nostro. Super assignanda pecunia mercatoribus de Circulis de Florentia.
1233	Magistro Bonajuto de Casentino canonico Aquilegensi. Super assignatione pecunie eisdem mercatoribus.
1234	.. Priori sancte Sabine et fratri Henrico Amonnis ordinis fratrum Minorum Januensium. Super sexcentis libris Januensibus assignandis predictis mercatoribus [1].
1235	Mandatur inquiri in monasterio Farfensi, Sabinensis diocesis, prioratibus et membris ejus.
1236	Gentili de filiis Ursi senatori Urbis. Quod possit emere tam in Urbe quam extra Urbem.
1237	.. Episcopo Magalonensi. Super certa pecunia assignanda mercatoribus de societate Circulorum de Florentia.
1238	Cautela mercatorum camere de certis pecuniarum summis solutis rectoribus provinciarum.
1239	Homagium fidelitatis Friderici regis Trinacrie.
1240	Conceditur visitator Reclusis Urbis.
1241	Mandatur concedi archipresbyteratus plebis de sancto Pancratio, Parmensis diocesis.

1. Col. 761, cette pièce doit être datée du 28 *février* et non du 13 mars. Lisez à la date (col. 762, l. 8) *kalendas* au lieu de « idus ».

Nº. 1242	Quod moniales sub cura ordinis fratrum Predicatorum viventes non possint ad abbatiam vel regimen alicujus monasterii alterius professionis assumi.
1243	Cautela mercatorum camere de quibusdam pecuniarum summis solutis rectoribus provinciarum et aliis.
1244	Restituitur Anselmus ad administrationem monasterii sancti Johannis Parmensis.
1245	Mandatur concedi licentia de mutuo contrahendo eidem Anselmo.
1246	Mandantur absolvi certi qui non solverunt procurationes Johanni tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali.
1247	Venerabili fratri A[lberico] episcopo Firmano. Super receptione castri Argente.
1248	Eidem. Super pace tractanda inter comune Venetiarum et comune Paduane civitatis.
1249	Super eodem.
1250	Super eodem.
1251	Gratie concesse Philippo regi Francorum illustri, ab isto capitulo usque ad capitulum CLVIIII (*sc. nº 1267*).
1268	† Mandatur citari personaliter .. episcopus Trecensis.
1269	† Super observatione constitutionis « Clericis Laicos. »
1270	Quedam gratie concesse Papiniano episcopo Parmensi, sancte Romane Ecclesie vicecancellario, pro ecclesia Baptisterii Parmensis.
1271	Super eodem.
1272	Super eodem.

N°. 1273	Magistro Gabrieli plebano plebis de Valento, Pisane diocesis. Super assignatione pecunie collecte in regno Alamanie mercatoribus de societate Circulorum.	N°. 1276	Processus contra illos qui fuerunt culpabiles in captione domini Bonifatii pape VIII.
1274	Super assignatione castri Raversani, Cesanatis diocesis.	1277	Mandatur Viterbiensibus quod non procedant contra castrum Montisflaconis.
1275	Committitur ecclesia sancti Vincentii de Urbe Matheo sancte Marie in Porticu diacono cardinali.	1278	Processus contra Florentinos et Lucanos.
		1279	Cautela de certa parte census soluti ex parte Friderici regis Trinacrie pro anno M°CCCIII°.

Cette Table n'étant que la reproduction de celle qui accompagne le manuscrit du Vatican, les pièces qui composent notre Appendice n'y sont nécessairement pas comprises.

FIN DE LA TABLE ANALYTIQUE.

TABLE CHRONOLOGIQUE.

1303 Octob. 28	Laterani.	Ranerio diacono, electo Vercellensi, indulget ut sacerdotalem ordinem et munus consecrationis insimul recipiat.	Col. 4	No. 2
» 30	»	Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam seu capellam Salvatoris, in Neapolitana civitate nuper erectam, devote visitaverint in certis festivitatibus, quadraginta dierum indulgentiam elargitur.	47	37
» 31	»	Archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis ejus notum facit se, a cardinalibus in papam concorditer electum XI kalendas MCCCIII°, Petri cathedram conscendisse; eos rogat insuper et hortatur, ut pro ipso pias orationes ad Dominum fundant.	1	1
» 31	»	Vacante plebanatu plebis de Trecafi, Massanensis diocesis, per obitum Manganelli dicti Philippi, qui nuper apud Sedem Apostolicam decessit, Octavianus natus quondam Manni Judicis [1] de Massa eidem plebi præficitur in plebanum ac pastorem.	25	20
» 31	»	Nuper cum Carolus rex Siciliæ certam pecuniæ quantitatem solvere teneretur Romanæ Ecclesiæ, quandam super hujusmodi solutione facienda dilationem a Bonifatio VIII meruit obtinere : dilationem istam usque ad festum Natalis Domini proxime venturum Benedictus XI prorogat de gratia speciali.	667	1111
Novem. 2	»	Vicario suo in Urbe scribit de controversia dudum exorta inter fratres hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, ex parte una, et Jacobum Henrici de Paparescis civem Romanum, ex altera, occasione divisionis quorumdam castrorum, terrarum atque bonorum inter ipsas partes communium : eidem mandat ut divisionem prædictam nomine Sedis Apostolicæ, prout justum fuerit, confirmet controversiamque, si ejus cognitio ad forum ecclesiasticum pertineat, fine debito terminet; alioquin curiæ senatorum Urbis decidendam relinquat.	5	3
» 2	»	Confirmat quasdam Bonifatii VIII litteras, quibus idem pontifex prioratum Asisinatis ecclesiæ Guidoni Pucii contulerat.	6	4
» 2	»	Bartholomæus ecclesiæ Pistoriensis præpositus, quem Bonifatius VIII nuper eidem ecclesiæ tunc vacanti præfecerat, in episcopum Pistoriensem confirmatur.	8	5

1. Col. 25, l. 11 et 14, lisez *Judicis* au lieu de « judicis. »

1303				
Novem. 2	Laterani.	Angelus olim Fæsulanus ac postmodum Larinensis episcopus, quem Bonifatius VIII ad ecclesiam Mothonensem duxerat transferendum, in episcopum Mothonensem confirmatur.	Col. 10	No. 7
» 2	»	Pontius de Alayraco, quem Bonifatius VIII monasterio s. Bartholomæi de Benavento, ordinis s. Augustini, Lemovicensis diocesis, præfecerat, in ejusdem monasterii priorem confirmatur.	13	9
» 2	»	Archiepiscopo Treverensi indulget ut de beneficiis in sua civitate vel diocesi vacantibus, quorum collatio propter eorum diuturnam vacationem devoluta est ad Apostolicam Sedem, disponere libere possit.	14	10
» 2		Episcopo Papiensi mandat ut quasdam domos, quas Antonius de Fuxiraga pro ordine s. Claræ in civitate Laudensi construi fecit, recipiat, et statuat ut ibi per moniales dicti ordinis perpetuis temporibus Domino serviatur.	15	11
» 2	»	Priori fratrum Prædicatorum et guardiano Minorum Mediolanensibus mandat ut, juxta tenorem quarumdam litterarum Bonifatii VIII, electionem abbatissæ monasterii s. Mariæ de Baxiliano, Mediolanensis diocesis, diligenter examinent, ac, si eam invenerint de persona idonea canonice celebratam, confirment.	16	12
» 2	»	Abbatissam et conventum monasterii s. Claræ Ravellensis, ordinis ejusdem sanctæ, generali et provinciali ordinis fratrum Minorum Terræ Laboris committit.	18	13
» 2	»	Ordini fratrum Prædicatorum indulget ut, cum et quandiu magisterium ordinis vacare contigerit, generalis procurator ordinis ejusdem procuratorio sibi ante concesso sine qualibet confirmatione vel renovatione uti valeat.	20	15
» 2	»	Quasdam Bonifatii VIII litteras confirmat, statuens ut juxta tenorem litterarum earumdem Pontius de Alayraco retinere possit una cum prioratu monasterii s. Bartholomæi de Benavento, Lemovicensis diocesis, canonicatum Uticensis ecclesiæ.	23	19
» 2	»	Confirmat quasdam litteras Bonifatii VIII, quæ post obitum ejusdem in apostolica cancellaria nondum bullatæ repertæ sunt, mandatque executoribus per ipsas litteras deputatis ut Nicolaum Panciæ, cui canonicatum et præbendam in ecclesia Pisana supradictus Bonifatius contulerat, in possessionem inducant eorumdem canonicatus et præbendæ.	43	35
» 2	»	Archiepiscopo Treverensi [1] facultatem concedit relaxandi quasdam suspensionis ac interdicti sententias olim in ecclesiam Treverensem et capitulum promulgatas, nec non absolvendi canonicos et personas ejusdem ecclesiæ ab excommunicationum sententiis quas hujusmodi occasione incurrerant.	46	36

1. Col. 46, l. 15, lisez *Dithero* au lieu de « Dichoro. »

1303 Novem. 2	Laterani.	Archiepiscopo Lugdunensi districte mandat ut priorem monasterii s. Petri Matisconensis, quem aliqui familiares ipsius archiepiscopi nequiter detinent captivatum, restitui faciat libertati ac ei postmodum debitam satisfactionem impendi procuret. Sacrilegos autem dicti prioris aggressores excommunicatos denuntiet.	Col. 66	No. 60
» 2	»	Priori sancti Eutropii Xanctonensis mandat, ut statutum quoddam editum a certis personis et canonicis Xanctonensis ecclesiæ super divisione possessionum ac bonorum ipsius ecclesiæ, prout viderit justum et expediens auctoritate apostolica revocare procuret, statuatque ut prædicta bona ac possessiones inter eosdem canonicos et personas, sicut antea solitum fuerat, dividantur.	445	706
» 2	»	Litteras quasdam Bonifatii papæ VIII confirmat, quibus idem pontifex concesserat Jacobo s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali licentiam petendi et recipiendi bona mobilia, quæ tempore obitus Gentilis fratris ejus ad eundem Gentilem pertinebant ratione administrationis ecclesiæ Acherontinæ vel quovis alio titulo.	663	1105
» 3	»	Supplicante Landulfo tituli s. Angeli diacono cardinali, reservatur Berardo Sui Sari, ejus nepoti, canonicatus in ecclesia Neapolitana cum beneficio quod in eadem ecclesia *diaconatus* vulgariter nuncupatur.	81	82
» 4	»	Magistro Thomæ de Bailliaco [1] canonico Parisiensi indulget ut, quandiu rexerit in theologica dictæ urbis facultate, possit per idoneum vicarium præbendæ suæ facere deserviri.	23	18
» 4	»	Licentia audiendi divina in locis ecclesiastico suppositis interdicto Bartholomæo de Capua, regni Siciliæ logothetæ, concessa. — Similis licentia concessa Bartholomæo prædicti regni camerario et ejus uxori.	28	24
» 4	»	Eidem Bartholomæo et ejus uxori indulget ut sibi possint eligere confessorem. — Eisdem, ut habere valeant altare portatile.	28	25
» 4	»	Michaelem episcopum quondam Zagabriensem ad archiepiscopatum Strigoniensem transfert eumque dictæ ecclesiæ præficit in archiepiscopum.	104	112
» 4	»	Archidiaconatum, canonicatum et præbendam, quæ Ranerius Vercellensis electus in eadem Vercellensi obtinet ecclesia, dispositioni Sedis Apostolicæ reservat cum per consecrationem ipsius electi sive quovis alio modo vacaverint.	665	1107
» 4		Grimerius de Lacrocta jurisperitus constituitur judex ac auditor generalis appellationum, quas de terra Ecclesiæ super sententiis et processibus causarum criminalium ad Sedem Apostolicam deferri contigerit.	699	1154

1. Col. 23, l. 14 et 18, lisez *Bailliaco* au lieu de « Balliato » et « Bailliato. »

1303 Novem. 5	Laterani.	Bonohomini de Sublacu personatum vel dignitatem reservat in ecclesia Cameracensi.	Col. 42	No. 34
» 5	»	Littera domini Benedicti papæ XI directa Carolo regi Siciliæ, continens qualiter in præsentia domini papæ et cardinalium, quando ligium homagium et fidelitatis juramentum pro parte dicti regis legeretur, facta fuit protestatio quod rex ipse per promissionem et juramentum per ipsum faciendum et præstandum non intendebat se obligare ad solvendum 50 000 marcharum Sterlingorum, præcipue cum patri suo per prædecessores papæ alias fuerunt remissa. Quam protestationem papa non recepit aliter, nisi quantum secundum justitiam et veritatem ipsum regem juvare posset.	809	1280
» 6	»	Cassat et irritat potestatem certis executoribus a Bonifatio VIII concessam in negotio discordiæ, quæ inter clerum parochialem ex parte una, et fratres Prædicatorum Minorumque ordinum Metensis civitatis ex altera vertebatur occasione constitutionis *Super Cathedram :* totum negotium ad examen apostolicum revocat, eisdem executoribus eorumque subdelegatis mandans ne se ulterius de his quomodolibet intromittant.	25	21
» 6	»	Valentino canonico Cathalaunensi indulget ut, scholasticis insistens disciplinis in loco ubi vigeat studium generale, fructus, redditus ac proventus suos ecclesiasticos libere percipiat. — Similis concessio pro quodam Oddoneto canonico Laudunensi.	39	31
» 6	»	Archidiaconatum, canonicatum et præbendam, quæ per consecrationem Renaldi Metensis episcopi vacant ad præsens in ecclesia Bisuntina, Leoni Francisci de filiis Ursi confert ac providet de illis.	51	43
» 6	»	Invehit contra illos nefarios et sceleratos homines, qui nuper Anagniæ, dum ibidem Bonifatius VIII cum Romana curia resideret, domum pontificis armata manu invadentes, thesaurum Romanæ Ecclesiæ et bona ad ipsum papam nec non ad cardinales et curiales alios pertinentia diripere ac nequiter asportare ausi sunt. Omnes et singulos, penes quos aliqua de thesauro vel bonis prædictis existunt, monet ut ea infra certum terminum sub excommunicationis pœna integraliter restituant. Alii vero fideles ad hujusmodi restitutionem sub pœna eadem opem et operam exhibeant efficacem.	657	1099
» 6	»	Omnes collationes, provisiones, reservationes et concessiones de beneficiis vacaturis a Bonifatio papa VIII vel ejus auctoritate factas quibuscumque personis in quibuslibet ecclesiis penitus revocat.	661	1103
» 6	»	Francisco s. Luciæ in Silice diacono cardinali curam et administrationem ecclesiæ ss. Laurentii et Damasii de Urbe committit.	662	1104
» 7	»	Archiepiscopo Luudensi mandat, ut dispenset cum aliquibus clericis regni Datiæ super irregularitate, quam incurrerunt pro eo quod non servaverant interdictum cui subjectæ erant terræ Erici regis Datiæ et Christofori fratris ejus.	29	26

1303 Novem. 7	Laterani.	Eidem archiepiscopo plenam concedit facultatem absolvendi regem Datiæ ejusque fratrem nec non eorum fautores, qui pro violenta injectione manuum in Lundensem archiepiscopum et Lundensis ecclesiæ præpositum ac pro eorumdem illicita detentione olim excommunicationis sententiam incurrerant.	Col. 30	No. 27
» 7	»	Eidem archiepiscopo mandat ut, postquam rex Datie ab excommunicationis sententia qua nunc ligatur fuerit absolutus, eidem regi et ejus uxori licentiam concedat remanendi in matrimonio illicite contracto.	38	30
» 7	»	Guillelmo de Cuciaco confertur canonicatus præbendaque ac dignitas seu personatus vel officium reservatur in ecclesia sæculari s. Pauli Narbonensis.	48	40
» 7	»	Comitissæ Drocensi indulget ut sex clerici, qui ejus insistunt obsequiis, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum percipere, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, usque ad quinquennium valeant.	55	46
» 7	»	Eidem comitissæ indulget ut, cum ipsam ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, liceat ei facere celebrari ac audire divina. — Eidem, ut claustra monasteriorum Cisterciensis, Cartusiensis ac s. Claræ ordinum in diversis regni Franciæ diocesibus constitutorum, cum duabus honestis matronis, bis in anno intrare valeat.	56	47
» 8	»	Frater Lucas ordinis Prædicatorum quem ecclesiæ Castrensi Bonifatius VIII nuper præfecerat, in Castrensem episcopum confirmatur.	12	8
» 8	»	Egidio de Barben confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Virdunensi.	21	17
» 8	»	Bonifatio VIII adhuc vivente, Neapoleo Fortibrachiæ de Romangia, domini papæ capellanus, auctoritate litterarum dicti pontificis in Remensem canonicum receptus est, præbenda sibi in eadem ecclesia reservata. Sed priusquam præbendam eandem fuit assecutus, Bonifatius a sæculo migravit et paulo post Benedictus XI omnes provisiones de beneficiis vacaturis a prædecessore suo factas penitus irritavit. Qui, precibus capellani supradicti inclinatus, effectum irritationis hujusmodi in hac parte suspendens, collationem prædictorum canonicatus ac præbendæ renovat et confirmat de gratia speciali.	172	208
» 10	»	Comitem de Cercaldo Campanie et Maritimæ rectorem in spiritualibus instituit.	10	6
» 10	»	Potentina vacante ecclesia per obitum Francisci episcopi ac per dissensionem ortam inter illos ad quos futuri pastoris spectabat electio, mandatur abbati monasterii Belli Loci, Virdunensis diocesis, ut eidem ecclesiæ virum idoneum præficiat in episcopum et pastorem.	18	14

1303 Novem. 10	Laterani.	Magistro Guidocto de Mediolano capellano suo indulget ut, donec Sedis Apostolicæ obsequiis institerit, jure optandi præbendas in ecclesia Paduana cujus existit canonicus uti libere valeat, contrario statuto non obstante.	Col. 26	No. 22
» 10	»	Mandat episcopo Bononiensi moneat et inducat Jacobum quondam Acursii Cuticæ clericum Mediolanensem, ut præbendam, quam illicite detinet in ecclesia Modoetiensi, magistro Armanno Mantelli ad quem præbenda pertinet eadem dimittat libere et quiete. Alioquin citetur dictus Jacobus ad comparendum coram Apostolica Sede.	50	42
» 12	»	Quandam sententiam olim latam contra invasores monasterii s. Justini de Arno ad fratres Militiæ Templi Jerosolimitani pertinentis, Perusinæ diocesis, executioni demandat.	32	29
» 12	»	Monaldo de Tuderto archipresbyteratum quem obtinet in ecclesia Viterbiensi, ac Percivallo Symeonis de Urbe canonicatum quem ex dispositione Bonifatii VIII in ecclesia Civitatensi adeptus est, liceat ad invicem permutare.	57	49
» 12	»	Nicolao Raynulfi de Fractis tabellionatus officium conceditur.	60	51
» 12	»	Roderico Didaci conferuntur canonicatus, præbenda et archidiaconatus cum præstimoniis vacantes in ecclesia Salamantina per promotionem Gondisalvi ad episcopatum Zamorrensem.	100	107
» 13	»	Dispenset Legionensis episcopus cum quibusdam clericis diocesis suæ super irregularitate, quam contraxerunt divina officia in ecclesiis seu locis interdictis celebrando.	70	64
» 13	»	Indulgentia centum dierum pro visitantibus plebem de Retena, Aretinæ diocesis.	71	65
» 13	»	Provisionem ecclesiæ Vicentinæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservat.	680	1124
» 15	»	Electus Spirensis munus consecrationis recipere valeat.	48	39
» 16	»	Electus Castrensis munus consecrationis recipere valeat.	20	16
» 16	»	Archidiacono et capitulo ecclesiæ Narbonensis licentiam elargitur percipiendi fructus, redditus et proventus primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum in Narbonensi civitate vel diocesi vacantium, in consummationem fabricæ cathedralis ecclesiæ quæ dudum est incœpta convertendos.	61	52
» 16	»	Valeat abbas monasterii s. Germani de Pratis, Parisiensis diocesis, habere altare portatile.	66	59

1303 Novem. 16	Laterani.	Fernando Alvari, cum quo fuerat olim dispensatum super natalium defectu, licentia conceditur retinendi canonicatum Legionensis ecclesiæ, non obstante quod litteras sibi concessas super hujusmodi dispensatione casu fortuito amisit, quodque alium patitur in ætate defectum.	Col. 69	No. 63
» 16	»	Johanni cancellario aulæ regis Romanorum indulget ut fructus, proventus, ac redditus beneficiorum suorum, quandiu obsequiis dicti regis institerit, percipere valeat, licet in ecclesiis ubi beneficia illa obtinet personalem non faciat residentiam.	72	66
» 16	»	Regi et reginæ Romanorum concedit ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia faciant celebrari.	72	67
» 16	»	Dispensat cum Radulfo Saxoniæ duce et Juta sorore marchionis Brandeburgensis ut, ad sedandas inimicitias inter prædictos ducem et marchionem, matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	72	68
» 16	»	Archiepiscopo Maguntino mandat, ut dispenset cum filio comitis de Cazenelinbogen et filia comitis de Marchia super matrimonio illicite contracto, prædictumque matrimonium non obstante quarto consanguinitatis gradu confirmans prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam nuntiet.	73	69
» 16	»	Licentia percipiendi fructus et redditus beneficiorum suorum per quinque annos Corrado clerico regis Romanorum concessa.	79	78
» 16	»	Conrado de Lorche clerico regis Romanorum canonicatus cum prebenda confertur in ecclesia Maguntina.	90	93
» 16	»	Obtentu et consideratione regis Romanorum, indulget Bertoldo, filio comitis de Cazenelinbogen, ut plures ecclesias, quamvis sit clericus in minoribus ordinibus constitutus, retinere valeat, constitutione Concilii Lugdunensis non obstante. — Gratia similis pro Gerardo ejusdem comitis filio.	91	94
» 16	»	Obtentu et consideratione regis Romanorum, archiepiscopo Maguntino mandat, ut cum Bertoldo filio Eberardi comitis de Cazenelinbogen et Aleyda nata Johannis comitis de Syene, Maguntinæ diocesis, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, super matrimonio illicite contracto dispenset. — Idem mandatum datur archiepiscopo Coloniensi pro aliis.	91	95
» 16	»	Archiepiscopo Maguntino mandat, ut ecclesiam monasterii monialium de Clarendale, ordinis s. Claræ, quod Adolphus rex et Imagina regina Romanorum olim construxerint et dotaverint, ad requisitionem ipsius regine sine difficultate consecret. — Quod si facere distulerit mandatum illud impleat archiepiscopus Treverensis.	292	430

1303				
Novem. 16	Laterani.	Ejectis e Luceria Sarracenis, rex Siciliæ cathedralem ecclesiam ejusdem urbis pia intentione ditavit, ut in ea divinus cultus de novo floreret: unde Benedictus cupiens dicto regi gratiam exhibere specialem, ei facultatem elargitur præsentandi episcopo prædictæ civitatis (quæ nomen Sanctæ Mariæ nuper accepit) personas idoneas ad decanatum, archidiaconatum et cantoriam, nec non conferendi vice apostolica medietatem præbendarum ipsius ecclesiæ.	Col. 394	No. 617
» 17	»	Episcopus Tullensis electo Virdunensi munus consecrationis impendat.	48	38
» 17	»	Vacante ecclesia Cassellensi per decessum Stephani quondam ejusdem ecclesiæ archiepiscopi, Mauricius diaconus, Cassellensis electus, dictæ ecclesiæ præficitur in pastorem.	108	121
» 17	»	Petrus Johannis de Trivio, civis Bononiensis, creatur notarius.	157	193
» 18	»	Episcopo Reatino concedit liberam facultatem faciendi recipi personas idoneas in ecclesiis si Johannis Reatini et s. Eleutherii, Reatinæ diocesis, videlicet singulas in singulis, in canonicos et in fratres ac providendi eis de vacantibus præbendis.	53	44
» 18	»	Eidem episcopo indulget, ut diocesim suam per vicarium idoneum faciat visitari.	54	45
» 18	»	Episcopo Albanensi facultatem concedit conferendi personæ vel personis idoneis scholastriam, canonicatum et præbendam quæ in ecclesia Spirensi in proximo vacabunt per consecrationem Sybotonis Spirensis electi.	85	87
» 18	»	Elenam reginam Serviæ et ejus regnum cum civitatibus, castris, terris, villis et bonis aliis sub b. Petri et sua protectione suscipit.	109	125
» 18	»	Archiepiscopo Antibarensi concedit facultatem instituendi et destituendi rectores in ecclesiis parochialibus de Bristonia, de Rudinico, de Rogosna, de Trepizo et de Grazaniza in regno Serviæ constitutis.	110	126
» 18	»	Eidem archiepiscopo concedit facultatem recipiendi resignationem Stephani Scutarensis episcopi. — Alia littera similis super resignatione fratris Gregorii Suatinensis episcopi.	121	146
» 18	»	Eidem archiepiscopo committit ut personas ecclesiasticas in regno Serviæ terrisque adjacentibus constitutas corrigere et reformare possit.	129	160
» 18	»	Stephano de Pileo archidiacono Suessionensi indulget ut per quinquennium, sive in Romana curia, sive autem in scholis ubi studium generale vigeat commoretur, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum integre percipiat, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis.	174	211

1303				
Novem. 18	Laterani.	Processum nuper factum (*6 nov.*) super recuperatione thesauri Romanæ Ecclesiæ ac bonorum Bonifatii VIII et cardinalium innovat, excommunicatos denuntians omnes et singulos qui prædicto parere processui potuerunt nec fecerunt.	Col. 659	No. 1110
» 18	»	Sententias excommunicationis aliasque pœnas et multas, quas generale et Lugdunense Concilia ac postmodum Nicolaus papa IIII contra illos qui cum Sarracenis indebite communicant tulisse noscuntur, innovat et ad quosdam alios extendit [1].	659	1101
» 18	»	Sententiam excommunicationis olim latam contra illos, qui accedentes ad Apostolicam Sedem capere seu rebus quas deferunt spoliare præsumpserint, de novo promulgat.	661	1102
» 18	»	Pandulfo de Sabello, notario suo, indulget ut habere valeat altare portatile.	667	1110
» 19	»	Raynaldum episcopum olim Vicentinum, nunc Ravennatem electum, ad ecclesiam Ravennatem transfert.	57	48
» 19	»	Capitulo Cathalaunensis ecclesiæ indulget ut fructus proventusque ac redditus primi anni omnium beneficiorum, quæ in eadem civitate et diocesi usque ad unum annum vacaverint, libere percipiant in consummationem operis cathedralis ecclesiæ Cathalaunensis totaliter convertendos.	83	85
» 19	»	Provisionem Zagabriensis ecclesiæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservat.	681	1125
» 20	»	Ne infra ducentarum cannarum spatium circa fines loci fratrum Prædicatorum Lucanæ civitatis ulla domus regularis, ullum monasterium seu oratorium ædificetur vel transferatur.	27	23
» 20	»	Episcopo Albinganensi licentia conceditur contrahendi mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri pro suis et Albinganensis ecclesiæ negotiis expediendis.	31	28
» 20	»	Dispensat cum quibusdam tertio et quarto gradu consanguinitatis conjunctis, ut matrimonium invicem contrahere valeant.	49	41
» 20	»	Rectori et scholaribus domus in Pukctoft Ripensi, quam Castiarnus episcopus Ripensis ad usum pauperum scholarium de facultatibus et redditibus suis construxerat et dotaverat, parochialem ecclesiam de Haening ab eodem episcopo eis concessam confirmat.	62	53
» 20	»	Episcopo Constantiensi mandat ut super matrimonio, quod Nicolaus de Scercenbach et quædam Anna, diocesis Constantiensis, quarto duplicis affinitatis gradu conjuncti contraxerunt, dispenset.	74	70

1. Voy. la note 1 de la col. 823.

1303 Novem. 20	Laterani.	Dispensetur cum Bernardino de Polenta clerico Ravennati super defectu natalium, ut ad omnes ordines promoveri beneficiumque ecclesiasticum adipisci valeat.	Col. 106	No. 117
» 20	»	Licentia dispensandi cum Gregorio Hondedei, clerico Aretinæ diocesis, ut possit in minoribus ordinibus ministrare et ecclesiasticum beneficium sine cura tamen obtincre, non obstante quod olim in defensione cujusdam castri, ubi moram trahebat, unum ex oppugnantibus occidit.	107	119
» 20	»	Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam s. Stephani Cathalaunensis in certis festivitatibus.	122	150
» 20	»	Dispensat cum Guillelmo Bernardini de Polenta clerico Ravennati, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri atque beneficium obtincre.	183	228
» 21	»	Francisco s. Mariæ in Cosmedin diacono cardinali concedit, ut canonicatus et præbendas, quæ vacant ad præsens in Nivellensi et s. Bartholomæi Leodiensis ecclesiis per mortem cujusdam capellani dicti cardinalis, conferre possit.	59	50
» 21	»	Roberto duci Calabriæ indulget ut quatuor clerici, qui ejus obsequiis insistunt, possint usque ad sex annos percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum.	69	61
» 21	»	Eidem concedit ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina facere celebrari ac audire possit. — Eidem, ut sibi confessorem eligat.	69	62
» 21	»	Abbatissæ et conventui monasterii de Grecal, Metensis diocesis, confirmat ecclesiam de Wylre, diocesis ejusdem, quam Metenses episcopi eidem monasterio concesserant.	76	74
» 21	»	Indulgentia quadraginta dierum conceditur fidelibus, qui ad refectionem ecclesiæ s. Piati Sicliniensis, Tornacensis diocesis, manum adjutricem porrexerint.	77	75
» 21	»	Regi Siciliæ indulget ut duodecim clerici, qui obsequiis ejus insistunt, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum integraliter usque ad decennium percipiant, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis.	109	123
» 21	»	Thomæ quondam Pandulfi canonico sæcularis ecclesiæ s. Eleutherii Reatini assignetur præbenda in eadem ecclesia.	172	207
» 21	»	Obtentu Albertini Maurecini de Venetiis, Alexandro Michaeli Maurecino, ejus nepoti, canonicatus et præbenda conferuntur in ecclesia Cameracensi.	175	213
» 21	»	Obtentu Albertini Mauretini de Venetiis pro Alexandro nepote suo supplicantis, dicto Alexandro confertur canonicatus in ecclesia Cameracensi et reservatur præbenda non sacerdotalis quam primum ibidem vacatura.	277	410

1303				
Novem. 21	Laterani.	Guillelmo s. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali concedit ut archidiaconatum, canonicatum et præbendam Vercellensis ecclesiæ, quæ per superiorem epistolam (*4 nov.*) Sedis Apostolicæ donationi fuerunt reservata, cuilibet personæ idoneæ possit conferre.	Col. 666	No. 1108
» 22	»	Mandat ut cuidam Henrico studenti in theologica facultate apud Sedem Apostolicam erecta, ejus proventus ecclesiastici per quenquennium ministrentur, juxta formam constitutionum ab Honorio III [1] et Innocentio IV editarum.	41	32
» 22	»	Valeat episcopus Tarviensis diocesim suam per alium facere visitari.	76	73
» 22	»	Johannis ss. Marcellini et Petri presbyteri cardinalis precibus inclinatus, decernit ut decem clerici, quibus olim idem cardinalis auctoritate Bonifatii VIII præbendas in diversis regni Franciæ ecclesiis reservaverat, easdem expectare ac obtinere possint, non obstante generali revocatione nuper edita super provisionibus factis a prædicto Bonifatio sive ejus auctoritate de beneficiis vacaturis.	670	1113
» 22	»	Jacobo s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali concedit ut, cum scholastria, canonicatus et præbenda, quæ Thomas Virdunensis electus in Tullensi obtinet ecclesia, per consecrationem ipsius electi seu quovis alio modo vacaverint, de eisdem libere disponere valeat.	680	1123
» 22	»	Vicedominatum, canonicatum et præbendam, quæ Thomas Virdunensis electus in Remensi obtinet ecclesia, per consecrationem ipsius electi in proximo vacaturos Sedis Apostolicæ donationi reservat.	683	1128
» 22	»	Cursius quondam Bonajuntæ de s. Geminiano, Vulteranæ diocesis, constituitur generalis procurator Romanæ Ecclesiæ.	685	1132
» 22	»	Abbati monasterii s. Abundii Cumani committit decidendam causam vertentem inter abbatem conventumque monasterii Disertinensis, ordinis s. Benedicti, Curiensis diocesis, et [Sifridum] episcopum Curiensem, qui illis ab omni jurisdictione sua exceptis mandaverat, ut sibi eunti ad curiam regis Alemanniæ et moranti ibidem quandam pecuniæ quantitatem pro expensarum subsidio exhiberent.	809	1281
» 23	»	Assignetur Leoni quondam Guidonis de Cornea, rectori ruralis ecclesiæ s. Galgani de Pazano, Clusinæ diocesis, plebatus plebis s. Mariæ de Paiacio, Perusinæ diocesis, vacans per obitum Theobaldi ipsius plebis plebani. Dispensatur quoque cum eodem Leone super pluralitate beneficiorum ac super defectu quem patitur in ordinibus et ætate [2].	147	184

1. Col. 41, l. 11 et 20, lisez *Honorius III* au lieu de « Honorius IV. » — Ibid., l, 13, lisez « Venerabili fratri .. *episcopo* Ripensi. »
2. Col. 147, dater cette pièce du 23 *novembre* et non du 23 décembre.

1303 Novem. 24	Laterani.	Indulgentia quadraginta dierum concessa fidelibus, qui ecclesiam s. Pauli de Moraleia de Gomez, Abulensis diocesis, in certis festivitatibus annuatim visitaverint.	Col. 93	No. 100
» 24	»	Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit eis, qui ecclesiam monasterii s. Petri martiris de Bononia in ipsius sancti festivitate devote visitarint.	417	658
» 24	»	Guillelmo s. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali concedit ut, cum vicedominatus, canonicatus et præbenda, quæ in ecclesia Remensi Thomas Virdunensis electus obtinet, per consecrationem ipsius electi vel quovis alio modo vacaverint, de eis libere disponere valeat.	684	1129
» 25	»	Sergio Siginulfi, filio Johannis Neapolitani militis ac nepoti comitis Thelesiæ regis Siciliæ camerarii, reserventur in civitate vel diocesi Salernitana unum vel duo ecclesiastica beneficia, cujus vel quorum annui redditus summam decem unciarum auri non excedant.	144	178
» 25	»	Quosdam conservatores hortatur, ut Johannem archidiaconum Andegavensem nec non camerarium apostolicum adversus molestatores quoscumque tueantur.	665	1106
» 26	»	Guillelmo de Monte Lauro archidiacono Tornacensi indulget ut se ad ordines majores promoveri faciat.	105	116
» 26	»	Episcopo Silvanectensi mandat ut, facta prius inquisitione diligenti, si electionem Agnetis de Gloisiis in abbatissam monasterii Jotrensis, ordinis s. Benedicti, Meldensis diocesis, invenerit de persona idonea fuisse celebratam, eam auctoritate apostolica confirmet et admittat.	116	138
» 26	»	Archiepiscopum Ebredunensem constituit rectorem in spiritualibus et temporalibus comitatus Venaysini.	677	1121
» 26	»	Riccardo s. Eustachii diacono cardinali facultatem elargitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in ecclesia s. Eustachii de Urbe, ac eisdem de communibus proventibus ipsius ecclesiæ portionem integram exhiberi.	684	1130
» 27	»	Episcopo Morinensi concedit ut ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, effusione sanguinis vel seminis violata, per aliquam personam idoneam reconciliari facere possit.	65	58
» 27	»	Concessionem ruralis ecclesiæ s. Fidis, Apamiarum diocesis, quam Bernardus episcopus Apamiarum cuidam Francisco clerico contulerat, se ratam et gratam habere declarat.	77	76
» 27	»	Archiepiscopo Lundensi licentia conceditur conferendi tribus personis officium tabellionatus.	79	79

1303 Novem. 27	Laterani.	Dispensat cum duabus personis Januæ civitatis, quarto affinitatis gradu conjunctis, ut in matrimonio contracto licite remanere possint.	Col. 94	No. 101
» 27	»	Archiepiscopo Lundensi curam committit exigendi et recipiendi nomine Ecclesiæ quasdam pecuniæ summas, quas nonnulli regni Datiæ crucesignati, votum suum implere nequeuntes, pro redemptione ipsius voti in suis ultimis voluntatibus legaverunt vel solvere cupiunt in subsidium Terræ Sanctæ.	97	104
» 27	»	Eidem archiepiscopo facultatem concedit dispensandi cum nonnullis provinciæ suæ clericis super irregularitate, inhabilitate et macula, quas incurrerunt pro eo quod, majorum excommunicationum sententiis astricti, divina nihilominus officia celebrarunt etiam in locis interdictis, sacros ordines receperunt, vel plura beneficia insimul absque licentia Sedis Apostolicæ retinuerunt, percipiendo fructus et redditus ex eisdem [1].	102	110
» 27	»	Eidem archiepiscopo curam committit dispensandi super infamia et inhabilitate, quas nonnulli provinciæ suæ clerici contraxerunt, personatus, dignitates, ecclesias et alia beneficia, quorum collatio ad Sedem Apostolicam spectabat, temere occupando. Concedit insuper dicto archiepiscopo ut, amotis exinde quibuscumque detentoribus illicitis, possit eadem beneficia, ecclesias, dignitates ac personatus sive eisdem clericis, sive personis aliis apostolica auctoritate conferre.	103	111
» 27	»	Magistro Ranucino de Murro archidiacono Vernecensi in ecclesia Burgensi indulget, ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam usque ad triennium visitari facere possit.	121	147
» 27	»	Indulgentia unius anni et quadraginta dierum concessa cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Mariæ Novæ Uticensis in ipsius Mariæ Virginis festivitatibus devote visitaverint annuatim.	182	227
» 27	»	Electo Vicentino mandat ut præsentationem factam de quodam clerico Castellanæ diocesis, quem dux Cretensis in primicerium ecclesiæ s. Marci civitatis Candidæ institui postulat, diligenter examinet, et si dictam præsentationem canonicam dictumque clericum ad hoc idoneum invenerit, eundem recipi faciat in officium antedictum.	266	385
» 27	»	Lantæ Agolantis civi et mercatori Pistoriensi mandat ut cum duobus sociis suis de societate Amannatorum se apostolico conspectui repræsentet expositurus et petiturus ea quæ pro utilitate societatis prædictæ et remedio creditorum ipsius viderit exponenda.	666	1109
» 28	»	Confertur Francisco nato Cortivecke Lambertucii clerico Pisano beneficium quoddam ecclesiasticum in civitate vel diocesi Lucana.	63	54

1. Col. 102, dater cette pièce du 27 *novembre* et non du 27 décembre.

1303 Novem. 29	Laterani.	Alexandro Bonino de Alexandria, ordinis fratrum Minorum, Aquensis diocesis, concedit licentiam docendi, legendi, disputandi ac determinandi Parisiis et ubique locorum.	Col. 41	No. 33
» 29	»	Consideratione Lapi de Circulis civis Florentini, reservatur Peponi ejus filio beneficium ecclesiasticum in Florentina aut Fæsulana diocesibus.	110	129
» 29	»	Cum frater Benignus ex ordine Prædicatorum, qui se asserit in Vicentina atque Paduana civitatibus inquisitorem hæreticæ pravitatis, diversos processus fecisset contra quendam civem Paduanum ac in eum excommunicationis sententiam promulgasset, fuit super hoc ab eodem cive ad summum pontificem appellatum. Concesso igitur partibus auditore, Benedictus mandat executoribus infradictis, ut præfato inquisitori diem dicant ad comparendum coram Apostolica Sede causam acturo de præmissis.	135	169
» 29	»	Tempus consecrationis electi Salernitani usque ad festum apostolorum Petri et Pauli proxime venturum prorogat, indulgetque eidem electo ut non obstante prorogatione prædicta administrationi suæ diocesis valeat interim consulere.	174	212
» 30	»	Suspendit quasdam excommunicationis et interdicti sententias ab episcopo Firmano et ejus delegato in fratres Prædicatorum et Minorum ordinum Esculanos promulgatas occasione discordiæ, quæ vertebatur inter eosdem et clerum parochialem Esculanæ civitatis super observatione constitutionis *Super Cathedram*. Totum negotium ad examen apostolicum revocat.	64	57
» 30	»	Bartholomæo priori sæcularis ecclesiæ s. Mariæ de Corneto, Viterbiensis diocesis, reserventur in ecclesia Capuana unum vel duo beneficia ecclesiastica, cujus vel quorum redditus valorem annuum duodecim unciarum auri non excedant.	109	122
» 30	»	Precibus Ursi de filiis Ursi annuens, magistro Bernardo Bedocii de s. Genesio canonicatum ac præbendam confert in ecclesia Biterrensi.	115	136
» 30	»	Frederico regi Trinacriæ opprobrat quod in litteris suis, quas summo futuro pontifici per specialem nuntium destinaverat, se regem Siciliæ nominat et in data litterarum earumdem annum regni sui octavum computat et describit.	669	1112
Decem. 1	»	Priori et conventui heremi s. Crucis Fontis Avellanæ ordinis s. Benedicti, Eugubinæ diocesis, concedit facultatem faciendi deferre et extrahi de provinciis Sedi Apostolicæ subjectis res pro victu et vestitu suo ac familiæ suæ necessarias, absque contradictione aliqua et cujusvis solutioue pedagii.	82	83
» 1	»	Dispensatio super defectu natalium Nicolao Bombari clerico Cenetensi concessa.	122	149

1303				
Decem. 1	Laterani.	Guillelmo Accursii de Bononia legum doctori, capellano suo, indulget ut, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, fructus, redditus ac proventus beneficiorum suorum integre percipiat.	Col. 199	No. 256
» 1	»	Valeat insuper idem Guillelmus Accursii archidiaconatum, quem obtinet in ecclesia Toletana, per vicarium idoneum facere visitari. — Licentia similis eidem Guillelmo concessa pro archidiaconatu suo de Lavanza, Palentinæ diocesis.	200	257
» 1	»	Rembaldum de Tervisio constituit rectorem in temporalibus Marchiæ Anconitanæ.	672	1114
» 1	»	Eundem constituit rectorem in temporalibus massæ Trabariæ ac terræ s. Agathæ.	673	1115
» 1	»	Eidem committit rectoriam in temporalibus civitatis et comitatus Urbini.	673	1116
» 1	»	Deoteclerio de Logliano rectoriam roccæ de Cesis, terræ Arnulphorum ac Vallistopini committit.	674	1117
» 1	»	Eidem committit rectoriam in temporalibus ducatus Spoletani.	674	1118
» 1	»	Jacobum Quirini constituit rectorem in temporalibus Patrimonii b. Petri in Tuscia.	692	1142
» 2	»	Universis fidelibus Senensis, Florentinæ et Aretinæ diocesium, qui hospitali s. Gregorii Senensis manum porrexerint adjutricem, indulgentiam quadraginta dierum elargitur.	98	105
» 2	»	Confirmat quasdam litteras, quibus ipse olim, tunc episcopus Ostiensis existens, auctoritate Bonifatii VIII concesserat fratri Andreæ monacho monasterii s. Zenonis Veronensis licentiam retinendi prioratum s. Martini Tervisini sibi collatum ab abbate dicti monasterii, non obstante quod forsitan in receptione prioratus ejusdem vitium intervenerit canonicum, vel quod ipse Andreas fuerit postmodum excommunicatus aut suspensus seu dicto prioratu privatus ab abbate prælibato [1].	154	191
» 3	»	Ad instantiam abbatis monasterii s. Mariæ de Quinquemiliis, quem Valvensis episcopus capi fecit et adhuc sine causa rationabili diro carceri mancipatum detinet, Benedictus mandat, ut idem abbas sub fida custodia ad Sedem Apostolicam transmittatur citeturque præfatus episcopus ad comparendum coram conspectu apostolico super præmissis responsurus.	78	77
» 4	»	Cambium, in abbatem monasterii s. Salvatoris Reatini per viam compromissi canonice electum, eidem monasterio auctoritate apostolica præficit.	89	92

1. Col. 157, à la date de cette pièce, lire IIII nonas, au lieu de III nonas.

1303 Decem. 4	Laterani.	Indulgentia quadraginta dierum conceditur cunctis fidelibus, qui ad consummationem fabricæ ecclesiæ s. Dominici in Serzana, ordinis fratrum Prædicatorum, Lunensis diocesis, manum porrexerint adjutricem.	Col. 110	No. 127
» 4	»	Indulgentia unius anni pro visitantibus eandem ecclesiam in diebus infradictis.	123	151
» 4	»	Episcopo Pataviensi committit facultatem dispensandi cum quodam diocesis suæ clerico, qui acolythatus et subdiaconatus ordines eadem die indebite recepit, ita ut in ipsis ordinibus ministrare valeat et ad superiores etiam promoveri.	204	264
» 4	»	Quasdam decimas ad ecclesiam Vicentinam spectantes, quas olim Vicentinus episcopus Guidoni de Lucio civi Paduano et ejus hæredibus sub certis conditionibus concesserat, Nicolao de Lucio confirmat.	225	303
» 4	»	Francisco Malcaciæ, capellano Albanensis episcopi, canonicatum confert in ecclesia Capuana, mandans insuper executoribus super hoc deputatis ut beneficium unum vel plura, cujus vel quorum annui redditus valorem quindecim unciarum auri non excedant, eidem Francisco in prædicta diocesi Capuana faciant assignari.	298	448
» 4	»	Episcopo Reatino rectoriam comitatus Sabiniæ tam in spiritualibus quam in temporalibus committit.	686	1133
» 4	»	Eidem episcopo rectoriam civitatis Interamnensis, castrorum Utriculi, Strunconis, ac tenimenti campi de Rusco committit. — Eidem rectoriam castri Mirandæ committit.	686	1134
» 5	»	Petentibus priorissa et sororibus s. Pauli de Urbe Veteri, ordinis s. Benedicti, eas et earum monasterium magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali Romanæ provinciæ ipsius ordinis atque eidem ordini committit, statuens ut sub magisterio et doctrina magistri et prioris Prædicatorum debeant de cætero permanere.	64	55
» 5	»	Magistro et priori provinciali Romanæ provinciæ ordinis Prædicatorum mandat, ut ejusdem monasterii s. Pauli de Urbe Veteri curam suscipiant.	64	56
» 5	»	Quandam divisionem bonorum et reddituum inter episcopum et capitulum Anagniæ civitatis a Bonifatio papa VIII factam ordinatamque confirmat.	74	71
» 5	»	Castrum Villæ Magnæ, quod usibus mensæ capituli Anagninæ ecclesiæ Bonifatius VIII deputaverat, eidem capitulo confirmatur.	76	72
» 5	»	Johanni de Cipro laico quædam pensio de bonis monasteriorum s. Pauli de Urbe et Criptæ Ferratæ, diocesis Tusculanæ, ministretur annuatim.	86	88

1303 Decem. 5	Laterani.	Cum quibusdam civitatis Januæ, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, super matrimonio absque apostolica licentia contracto dispensat.	Col. 92	No. 97
» 5	»	Indulgentia centum dierum concessa eis qui ecclesiam s. Petri de Coronata, Januensis diocesis, in certis festivitatibus devote visitaverint.	93	99
» 5	»	Episcopo, præposito et capitulo Anagninis indulget, ut per generales litteras Sedis Apostolicæ vel legatorum ejusdem ad receptionem alicujus vel aliquorum in canonicos seu provisionem in beneficiis ecclesiasticis minime teneantur.	105	115
» 5	»	Vertente quondam gravi discordia inter episcopum et decanum canonicosque Ambianenses super certis juribus, Bonifatius papa VIII, cui negotium per appellationem et compromissum fuerat devolutum, quandam ordinationem edidit, quam partes ipsæ, donec per diffinitivam sententiam quæstio decisa foret ac fine debito terminata, deberent pro bono pacis firmiter observare : et postmodum super hoc concessit eisdem partibus auditorem. Coram quo pendente adhuc controversia, Benedictus præfatam ordinationem executioni demandat.	157	194
» 5	»	Mathæo Carazulo de Neapoli, archidiacono Majoris Caleti in ecclesia Rothomagensi, indulget ut per quinquennium scholasticis insistens disciplinis valeat archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari.	191	242
» 5	»	Ordinationem, quam ipse tunc episcopus Ostiensis et Gentilis tituli s. Martini in Montibus presbyter cardinalis de mandato Bonifatii papæ VIII super distantia cœnobiorum fratrum Prædicatorum Minorumque ordinum sanxerant, auctoritate apostolica confirmat.	707	1165
» 5	»	De eodem. Archiepiscopo Burdegalensi mandat ut suprascriptam ordinationem firmiter faciat observari.	711	1166
» 6	»	Laurentio de Circulis beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi Perusina reservatur.	87	89
» 6	»	Priori generali fratrum Heremitarum ordinis s. Augustini indulget, ut cum quodam presbytero dicti ordinis possit super defectu natalium dispensare.	108	120
» 6	»	Confirmat concessionem ecclesiæ de Pina, Cæsaraugustanæ diocesis, quam quondam diocesanus episcopus ad inopiam canonicorum ecclesiæ suæ relevandam propriis eorum usibus auctoritate ordinaria applicavit.	165	196
» 7	»	Episcopo Tullensi curam committit dispensandi cum duabus personis civitatis suæ, quarto affinitatis gradu conjunctis, quæ matrimonium absque dispensatione debita contraxerunt.	83	84

1303 Decem. 7	Laterani.	Regnaudo de Vallibus, capellano domini Gentilis tituli s. Martini in Montibus presbyteri cardinalis, canonicatus et præbenda conferuntur in ecclesia Autissiodorensi.	Col. 112	No. 131
» 7	»	Bodoinum clericum Ispalensis ecclesiæ ab excommunicationis sententia quam incurrerat absolvit; dispensat etiam cum eo super irregularitate contracta, mandatque abbati monasterii s. Salvatoris Ispalensis, ut eidem Bodoino canonicatum et præbendam assignet in supradicta ecclesia.	136	170
» 7	»	Magistro Gentili de Piczulo, capellano cardinalis s. Adriani, assignatur abbatia sæcularis ecclesiæ s. Silvestri de Collebrizono Aquilensis, quæ per obitum Jonathæ abbatis vacare dicitur; dispensatur insuper cum eodem Gentili ut dictam abbatiam cum aliis suis beneficiis, uno tamen dimisso, retinere valeat.	138	171
» 7	»	Abbati majoris monasterii Turonensis mandat ut decanum et capitulum ecclesiæ s. Martini civitatis ejusdem a molestatoribus sollicite tueatur.	183	229
» 7	»	Magistro Johanni de Anchona physico licentiam concedit retinendi præter canonicatum ac præbendam nec non perpetuum beneficium, quæ in Tornacensi et Aquilegensi obtinet diocesibus, quæcumque alia beneficia sibi canonice collata, non obstantibus defectu alterius oculorum vel statutis aut consuetudinibus contrariis.	253	360
» 7	»	Magistro Silvestro de Adria scriptori apostolico conferuntur canonicatus et præbenda, quæ tempore Bonifatii VIII per obitum Guillelmi de Hesdin in ecclesia Rosnacensi, Cameracensis diocesis, apud Apostolicam Sedem vacaverant.	656	1098
» 7	»	Magistrum Bernardum Roiardi, capellanum suum in Campaniam mittit ad inveniendum et recuperandum thesaurum Romanæ Ecclesiæ aliaque bona Bonifatii VIII et personarum curiæ, quæ cum idem pontifex Anagniæ resideret a quibusdam sceleratis hominibus temere ac nequiter fuerunt asportata.	675	1119
» 7	»	Personis ecclesiasticis tam regularibus quam sæcularibus nec non universis fidelibus per Campaniam constitutis significat de suprascriptis. Ipsos præterea rogat et hortatur ut magistrum Bernardum Roiardi benigne recipiant et ei ac ejus familiæ efficaciter assistant.	676	1120
» 7	»	Inhibet, ne canonici residentes, qui horis canonicis minime nterfuerint, vel a communi refectorio vel dormitorio se duxerint communis refectionis aut dormitionis temporibus absentandos, extra mensam de cotidianis distributionibus percipant, etc.	809	1282
» 8	»	Rectorem Marchiæ Anconitanæ monet et hortatur, ut ad reformationem status civitatis Camerinensis operam exhibeat efficacem.	101	109

1303 Decem. 8	Lateranі.	Testatur quod nuper a Conrado Auriæ, procuratore et nuntio regis Trinacriæ, recepit ligium homagium ac fidelitatis juramentum, quæ prædictus rex præstare debet summo pontifici et Ecclesiæ Romanæ pro insula Siciliæ et aliis circumadjacentibus insulis sibi concessis in feudum ab Apostolica Sede.	Col. 764	No. 1239
» 9	»	Priori fratrum Prædicatorum Januensi facultatum concedit absolvendi viginti duas personas, cum ab eis fuerit humiliter requisitus, ab excommunicationum sententiis quas incurrerunt deferendo arma, ferrum aut merces ad partes Sarracenorum contra prohibitiones Sedis Apostolicæ.	84	86
» 9	»	Fratribus ordinis Prædicatorum Januensibus facultatem concedit recipiendi usque ad summam mille librarum Turonensium parvorum de usuris et aliis illicite acquisitis.	92	98
» 9	»	Augustinum electum Zagabriensem præficit ecclesiæ Zagabriensi in episcopum et pastorem.	105	113
» 9	»	Sententiam excommunicationis quam rex Trinacriæ incurrisse noscitur et ecclesiasticum interdictum cui subjacet insula Siciliæ, pro eo quod dictus rex censum trium millium unciarum auri Romanæ Ecclesiæ debitum statuto tempore solvere non euravit, misericorditer relaxat, terminum solutionis census prædicti usque ad kalendas maii proximo venturas prorogando.	678	1122
» 9	»	Altegradus archipresbyter ecclesiæ Paduanæ nec non notarius domini papæ auctoritate apostolica præficitur vacanti ecclesiæ Vicentinæ.	681	1127
» 10	»	Absolvatur Petrus dictus Vulpes de Venetiis laicus ab excommunicationis sententia, qua ligatus est pro eo quod indebite communicavit cum Sarracenis.	87	90
» 10	»	Quandam capellam nuper in civitate Uticensi sub b. Mariæ Virginis vocabulo erectam confirmat.	110	128
» 10	»	Valeat episcopus Salamantinus dispensare cum Johanne Fernando milite et Johanna Nunii suæ diocesis, ut non obstante quarto affinitatis gradu in matrimonio dudum contracto remanere possint.	114	132
» 10	»	Dispensat cum Francisco nato Manfredi comitis de Pupio clerico Aretino, ut non obstante natalium defectu valeat ad omnes ordines promoveri beneficiumque obtinere.	114	133
» 10	»	Dispensat cum Peregrino de Ratispona monacho Cisterciensi, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordinis sui præaturas admitti.	115	135
» 10	»	Precibus annuens episcopi Aretini pro Bandino nepote suo supplicantis, dicto Bandino comitis Aghinolfi de Romena filio facultatem concedit recipiendi ac retinendi quoddam beneficium ecclesiasticum, non obstante defectu quem patitur in ordinibus et ætate.	128	159

1303 Décem. 10	Laterani.	Obtentu Jacobi de Carraria pro Albertino filio suo humiliter supplicantis, dicto Albertino conceditur ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri ac duo ecclesiastica beneficia insimul retinere.	Col. 144	No. 177
» 10	»	Decano et capitulo Tullensis ecclesiæ concedit, ut in manifestos occupatores bonorum et in notorios malefactores personarum ipsius ecclesiæ sententias excommunicationis vel suspensionis aut interdicti valeant promulgare.	198	255
» 11	»	Dispensat cum fratre Hugone de Hermo monacho monasterii de s. Theorfredo, Aniciensis diocesis, super irregularitate, infamia, inhabilitate et macula, quas olim contraxit pro eo quod contra constitutionem Concilii Turonensis leges civiles audivit et legit ac etiam recepit magisterium in eisdem.	196	247
» 12	»	Abbatissæ et conventui monasterii de Gordiano, ordinis s. Claræ, Valvensis diocesis, ruralem ecclesiam s. Donati sitam juxta monasterium antedictum in usus proprios deputat.	117	139
» 12	»	Episcopo Reatino conceditur licentia condendi testamentum.	118	143
» 12	»	Concessionem ecclesiæ de Wadrella, Treverensis diocesis, quam olim archiepiscopus quidam Treverensis abbati et conventui cœnobii Mediolicensis, ordinis s. Benedicti, diocesis ejusdem, in usus proprios deputaverat ad eorum inopiam relevandam, auctoritate apostolica confirmat.	144	179
» 12	»	Episcopo Lubicensi mandat ut Herricum filium Bogusii comitis de Pogorella restitui faciat ad possessionem scholastriæ, canonicatus ac præbendæ Wratislaviensis ecclesiæ, quibus ab episcopo Wratislaviensi privatus est indebite.	163	195
» 12	»	Hospitali prope ecclesiam s. Mariæ ad Gradus Viterbiensis, ordinis fratrum Prædicatorum, quod nobilis vir Visconta dictus Gattus miles Viterbiensis sub vocabulo domus Dei de bonis propriis fecit construi, confirmat privilegia eidem a Bonifatio VIII concessa atque ampliat.	295	436
» 12	»	Quandam apostolicam dispositionem confirmat, qua Bonifatius VIII priorem et conventum cœnobii s. Mariæ ad Gradus Viterbiensis, ordinis Prædicatorum, a jurisdictione et potestate diocesani episcopi exemptos declaravit, statuens ut de cætero fratribus ejusdem ordinis Astensibus subjaceant. Ipsos monet et hortatur ut ad prosperum statum prædicti cœnobii diligenter intendant.	295	437
» 12	»	Omnibus et singulis per Patrimonium b. Petri in Tuscia constitutis mandat, ut hospitali supradicto efficaciter assistant neque idem ab aliquibus injuriis affici vel alias injuste molestari permittant.	306	460

1303 Decem. 12	Laterani.	Provisionem ecclesiæ Mantuanæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservat.	Col. 681	No. 1126
» 13	»	Vetat ne cives Urbevetani repræsalias contra homines de Bulseno exerceant.	87	91
» 13	»	Jacobo Leonis de Malacapellis clerico Paduano indulget ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere.	126	155
» 13	»	Episcopo Bononiensi concedit ut duo clerici, qui ejus obsequiis insistunt, possint usque ad quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum.	135	168
» 13	»	Eidem episcopo conceditur licentia condendi testamentum.	149	185
» 13	»	Magistro Michaeli de Appogniaco capellano domini papæ conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Senonensi.	179	222
» 13	»	Oddoni de Sermineto cameræ papalis clerico canonicatus et præbenda conferuntur in ecclesia s. Donatiani Brugensis, Tornacensis diocesis.	650	1085
» 14	»	Confertur Johanni quondam Mathiæ de s. Eustachio de Urbe canonicatus cum præbenda in ecclesia Baiocensi. Valeat insuper idem Johannes plura beneficia insimul retinere.	174	210
» 14	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Bononiensibus confirmat omnia bona mobilia et immobilia, quæ eis in ultima voluntate legavit Salumbriensis episcopus.	382	587
» 15	»	Lucas s. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis constituitur protector monasteriorum de Marola et de Campagnola, ordinis s. Augustini, Reginensis diocesis.	133	165
» 15	»	Priorissæ et conventui monasterii s. Syxti de Urbe indulget ut ad præstationem decimarum vel ad contribuendum in aliquibus talliis seu collectis minime teneantur.	267	387
» 15	»	Conservatores deputat super negotio epistolæ suprascriptæ.	306	461
» 15	»	Obtentu Bartholomæi Vulcani de Neapoli militis pro Marino Carazulo de Neapoli affine suo in hac parte supplicantis, Benedictus mandat certis executoribus ut dicto Marino conferant unum vel plura ecclesiastica beneficia in civitate vel diocesi Capuana, cujus vel quorum valor annuus summam decem unciarum auri non excedat.	488	788
» 15	»	Obtentu ejusdem militis simile mandatum mittitur eisdem executoribus, ut Johanni de Riso clerico Neapolitano provideant de beneficio vel beneficiis in Aversana civitate seu diocesi.	488	789

1303 Decem. 17	Laterani.	Cuidam clerico archiepiscopi Lundensis indulget, ut non obstante natalium defectu beneficium ecclesiasticum possit in Lundensi diocesi obtinere et cum canonicatu, quem in eadem ecclesia adeptus est, licite retinere.	Col. 97	No. 103
» 17	»	Reservatur Sedis Apostolicæ dispositioni provisio Tridentinæ ecclesiæ.	697	1150
» 18	»	Certis executoribus mandat ut jura Johannis, tituli ss. Marcellini et Petri presbyteri cardinalis nec non ecclesiæ Baiocensis decani, sollicite tueantur et fructus redditusque beneficiorum, quæ in Baiocensi, Ambianensi atque Parisiensi obtinet ecclesiis, eidem cardinali faciant inviolabiliter ministrari.	80	81
» 18	»	Dispensat cum Francischino de Ziliano scholari Placentino, ut non obstante defectu natalium ad omnes ordines promoveri valeat beneficiumque ecclesiasticum obtinere. — Dispensatio similis pro Emanuele de Ziliano clerico Placentino.	122	148
» 18	»	Priorissam et sorores monasterii s. Dominici Foroliviensis, ordinis s. Augustini, in ordinem Prædicatorum et provinciam Lombardiæ Inferioris cooptatas declarat.	141	173
» 18	»	Rectori ecclesiæ de Coverna, Treverensis diocesis, qui dictam ecclesiam diaconus tantum existens olim assecutus non se fecit infra annum, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari, indulget ut eandem ecclesiam de cætero retinere valeat, dummodo se faciat statutis temporibus ad sacerdotium promoveri.	143	176
» 18	»	Obtentu Mathæi Vicecomitis de Mediolano, Johanni ejus filio assignatur canonicatus cum præbenda in ecclesia Lincolniensi.	157	192
» 18	»	Cuidam Bartholomæo filio Jacobi Zachariæ militis provideatur de duobus tribusve beneficiis ecclesiasticis sine cura, ad collationem archiepiscopi Neapolitani spectantibus, quorum anni redditus valorem viginti unciarum auri non excedant.	176	216
» 18	»	Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Ferrariensibus indulget, ut de usuris, rapinis, aliisque male ablatis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant.	280	418
» 18	»	Episcopo Albanensi mandat ut Bertrandum Maustini canonicum monasterii b. Mariæ prope muros civitatis Carpentoratensis, de quo fuit olim prioratui s. Mariæ de Paternis, ejusdem ordinis et diocesis, tunc priore carenti provisum, in priorem dicti prioratus confirmet non obstantibus infradictis.	419	661
» 18	»	Johannes de Guarcino canonicus Albanensis constituitur rector in spiritualibus ducatus Spoletani.	693	1144

1303				
Decem. 19	Laterani.	Fratrem Martinum, ordinis Humiliatorum, quem nuper Lucas s. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis monasteriis de Marola et de Campagnola, ordinis s. Benedicti, Reginensis diocesis, auctoritate apostolica præfecit in abbatem, confirmat. — Eidem abbati mandat, ut se ad sacerdotium statutis temporibus faciat promoveri ac munus benedictionis [1] recipiat.	Col. 94	No. 102
» 19	»	Quædam possessiones et jura, quæ abbas et conventus monasterii s. Mariæ in Cosmedin de Ravenna sub certis conditionibus jure emphyteutico concesserunt Lamberto filio Guidonis de Polenta, eidem Lamberto præsentibus confirmat.	169	200
» 19	»	Electo Vicentino concedit liberam facultatem faciendi recipi in quibusdam suæ diocesis ecclesiis personas idoneas in canonicos ac providendi eis de præbendis vacantibus.	195	246
» 20	»	Confertur magistro Huguitioni de Vercellis canonicatus cum præbenda in ecclesia Leodiensi.	80	80
» 20		Certis executoribus mandat ut Adigerio de Adigheriis presbytero Parmensi, qui perpetuum beneficium in ecclesia s. Apolinaris Parmensis contra justitiam occupat et canonice monitus illud dimittere contumaciter non curavit, diem dicant ad comparendum coram Apostolica Sede.	684	1131
» 20		Perolino de Turre Longa militi Tervisino regimen seu potestariam civitatis Viterbiensis committit.	694	1146
» 21	»	Magistro et priori provinciali Lombardiæ Inferioris ordinis Prædicatorum committit curam priorissæ ac sororum monasterii s. Dominici Foroliviensis.	141	174
» 21	»	Episcopo Auximano conceditur facultas condendi testamentum.	149	186
» 22	»	Mariæ de Paparescis et Egidiæ Petri Scoti relictæ, mulieribus Romanis, confirmatur concessio ecclesiæ s. Mariæ in Petrocio de Urbe ipsis facta sub certis conditionibus ab abbate et conventu monasterii s. Gregorii in Clivo Scauri, ut inibi monasterium monialium ordinis s. Benedicti ædificetur.	130	162
» 22	»	Albertino Moratinno de Venetiis licentiam concedit habendi altare portatile.	182	226
» 22	»	Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur fidelibus, qui ecclesiam monasterii s. Crucis Venetiarum, Cluniacensis ordinis, devote visitaverint in Parascevæ et s. Crucis festivitatibus.	197	250
» 22	»	Priorissæ et conventui monasterii s. Mariæ de Ripalta Jadrensis concedit, ut omnibus privilegiis ordini Prædicatorum concessis vel in futurum concedendis libere gaudeant et utantur.	206	268

1. Col. 94, l. 23, lisez *benedictionis* au lieu de « consecrationis. »

1303				
Decem. 22	Laterani.	Henricus plebanus plebis s. Stephani de Campis, Florentinæ diocesis, constituitur rector in spiritualibus Patrimonii b. Petri in Tuscia.	Col. 692	No. 1143
» 23	»	Regem Serviæ monet et hortatur ut ad unitatem fidei orthodoxæ properet.	114	134
» 23	»	Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuor millium florenorum auri archiepiscopo Lundensi concessa.	116	137
» 23	»	Priorissam et sorores monasterii b. Mariæ de Altaripa juxta Jadram, ordinis s. Augustini, magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali Jadrensis provinciæ committit, statuens ut sub magisterio et doctrina eorumdem debeant de cætero permanere.	118	144
» 23	»	Priorissæ et sororibus supradictis scribit de eodem argumento. Eisdem insuper indulget ut ad præstationem decimarum vel quorumcumque subsidiorum minime teneantur easque ab archiepiscopi Jadrensis jurisdictione ac potestate prorsus eximit.	119	145
» 23	»	Vacante Spoletana ecclesia per translationem Nicolai episcopi ad episcopatum Ostiensem, dictæ ecclesiæ præficitur in pastorem Johannes Andegavensis archidiaconus, domini papæ camerarius.	177	218
» 23		Olim quidam Octo de Gevel, clericus Bambergensis diocesis illegitime natus, fuit absque dispensatione solita in subdiaconum ordinatus et in eodem ordine paulisper ministravit. Cum autem nuper super hoc ad Sedem duxerit recurrendum, Benedictus episcopo Wratislaviensi mandat ut, facta prius inquisitione de meritis ac idoneitate dicti subdiaconi, eidem prout sibi videbitur licentiam tribuat recipiendi minores ordines et beneficium ecclesiasticum obtinendi, non obstante prædicta illegitimatis macula.	204	263
» 23	»	Abbatissam et sorores monasterii s. Silvestri de Capite de Urbe, quas Bonifatius VIII excommunicaverat pro eo quod statutum quoddam ab ipso editum minime observaverant, absolvit statutumque prædictum revocat.	209	272
» 23	»	Quondam Bonifatius VIII monasterium s. Silvestri de Capite de Urbe, ordinis sororum Minorum inclusarum, in ordinem s. Claræ cooptatum declaravit, curam ejus committens Mathæo s. Mariæ in Porticu diacono cardinali. Qui quidem illius ordinationis prætextu dudum fructus, redditus ac proventus dicti monasterii ab officialibus suis recolligi facit et etiam conservari. Asserentibus autem sororibus, quod occasione præmissorum gravia sustinuerant et adhuc patiebantur detrimenta, Benedictus statutum prædecessoris sui revocans, mandat episcopo Portuensi ut prædictos fructus, redditus ac proventus sic collectos et conservatos abbatissæ et conventui faciat assignari.	216	289

1303 Décem. 23	Laterani.	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum de s. Severino, Camerinensis diocesis, concedit ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri libere recipiant. — Indulgentia unius anni et quadraginta dierum concessa visitantibus ecclesiam eorumdem fratrum in die consecrationis ejus; illis vero, qui ad eam accesserint in b. Mariæ, ss. Apostolorum, s. Dominici ac s. Petri martyris festivitatibus, centum dies de injunctis eis pœnitentiis relaxat.	Col. 242	No. 331
» 23	»	Aliquas ex sententiis olim latis a Bonifatio papa VIII contra Jacobum atque Petrum de Columpna s. Romanæ Ecclesiæ cardinales, nec non contra omnes alios ejusdem domus de Columpna ac posteritatem, fautores, adjutores et receptatores ipsorum penitus tollit et viribus vacuat.	687	1135
» 24	»	Episcopus Sutrinus statuitur vicarius in Urbe.	91	96
» 24	»	Conceditur archiepiscopo Cassellensi licentia contrahendi mutuum usque ad summam trecentarum marcharum argenti. — In e. m. eidem pro eadem quantitate.	99	106
» 24	»	Fiat inquisitio super regimine et vita Angeli Romei, qui se gerit pro abbate monasterii s. Eugenii prope Senas, ordinis s. Benedicti.	128	158
» 24	»	Laurentio quondam Processi Capotii de Capocinis de Urbe confertur canonicatus cum præbenda non sacerdotali in ecclesia Lincolniensi.	150	189
» 24	»	Cunctis fidelibus, qui ecclesiam bb. apostolorum Philippi et Jacobi de Arcubus in civitate Januensi devote visitaverint annis singulis in ipsorum Apostolorum et ss. Undecim Millium Virginum festivitatibus, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	197	249
» 25	»	Fratribus ordinis Prædicatorum de Ripatransone, Firmanæ diocesis, concedit ut de usuris et aliis illicite acquisitis usque ad summam quingentorum florenorum auri recipere possint. — Eadem gratia pro fratribus dicti ordinis Recanatensibus.	227	305
» 25	»	Johanni de Cusignano, ostiario et familiari suo, quasdam domos, vineas, possessiones et alia bona, quæ in castro Montisflasconis habet Romana Ecclesia, sub certo annuo censu usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum concedit.	689	1137
» 25	»	Eidem molendinum de Vallerano situm in districtu castri Palliani, Civitatis Papalis diocesis, similiter concedit.	690	1138
» 26	»	Dispensat cum Petro filio Guidonis de Bonacolsis civis Mantuani, ut ad omnes ordines promoveri et quæcumque beneficia obtinere possit, non obstante natalium defectu.	170	202

1303 Decem. 26	Laterani.	Monasterio s. Heliæ de Carbone, ordinis s. Basilii, Anglonensis diocesis, per mortem Pellagii archimandritæ vacanti auctoritate apostolica præficitur Jacobus monachus monasterii Criptæ Ferratæ, Tusculanæ diocesis.	Col. 173	No. 209
» 27	»	Augustino episcopo Zagabriensi indulget, ut ad solutionem alicujus decimæ seu collectæ vel cujuslibet exactionis pecuniariæ minime teneatur.	118	141
» 27	»	Eidem committit curam et potestatem absolvendi Bernardum Giraldi de Florenzaco laicum Agatheusis diocesis ab excommunicationum aliisque sententiis, quas incurrerat communicando cum Sarracenis.	131	163
» 27	»	Manfredo de Nordiglis canonico Imolensi indulget ut insistens scholasticis disciplinis vel residens in ecclesia Faventina, in qua canonicatum et præbendam obtinet, possit usque ad quinquennium percipere fructus ac redditus præbendæ suæ Imolensis.	146	182
» 28	»	Episcopo Bononiensi concedit, ut tam pro suis necessariis quam ecclesiæ suæ negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahat.	135	167
» 28	»	Ricardo Mathiæ Panciæ de Anibaldis de Urbe militi committitur rectoria civitatis Beneventanæ ejusque districtus.	171	204
» 28	»	Egidio quondam Guidalocti de Perusio rectori ecclesiæ s. Martini juxta Claves, Clusinæ diocesis, reservatur beneficium quoddam ecclesiasticum in ecclesia Perusina.	176	214
» 28	»	Francisco Vallutii de Chiaravallis, clerico Tudertino, reservatur beneficium quoddam sine cura in civitate vel diocesi Tudertina.	184	232
» 28	»	Cunctis fidelibus, qui hospitali novo de Spoleto, ordinis s. Augustini, manum porrexerint adjutricem, septimam partem de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxat. Prædictum autem hospitale sub sua et b. Petri protectione suscipit.	211	278
» 28	»	Omnes archiepiscopos, episcopos, abbates aliosque monasteriorum et ecclesiarum prælatos monet et hortatur ut, cum fratres ejusdem hospitalis ad loca quæcumque pro eleemosynis accesserint colligendis, eos benigne recipientes et honeste tractantes, ipsis liberam facultatem concedant populum in ecclesiis ammonendi dictasque ibidem eleemosynas colligendi. Domos insuper et jura ac privilegia supradicti hospitalis tueantur ac conservent, caveantque ne illi qui ad ipsum hospitale veniant ab aliquibus injuste molestentur.	212	279
» 28	»	Eisdem mandat ut compescant presbyteros, qui fratres ejusdem hospitalis in negotio collectionis eleemosynarum impediunt, vel qui ab eis dictarum eleemosynarum partem exigere seu extorquere non verentur, aut qui ea quæ dictis fratribus in testamento relicta sunt retinere et sibi applicare propria temeritate præsumunt.	212	280

1303				
Decem. 28	Laterani.	Eosdem rogat moneant et inducant parrochianos suos ut, ad substentationem infirmorum et pauperum, eleemosynas ac pia subsidia nuntiis hospitalis ejusdem largiantur. Concedant quoque dictis nuntiis honestum hospitium in domibus propriis.	Col. 213	No. 281
» 28	»	Eisdem mandat ut prædictum hospitale, jura, bona, domos personasque ipsius a vexantibus et malefactoribus sollicite tueantur.	214	282
» 28	»	Cunctis fidelibus eleemosynas et subsidia erogantibus prædicto hospitali indulgentiam quadraginta dierum concedit.	214	283
» 28	»	Consideratione electi Vicentini, concedit Theobaldo quondam Frederici de Archo ejusdem electi nepoti, ut defectu natalium non obstante possit ad omnes ordines promoveri et unum vel plura beneficia ecclesiastica obtinere.	256	363
» 28	»	Nicolao de Tervisio castellaniam castrorum de Paliano et de Serrono ac districtuum ipsorum, Civitatis Papalis diocesis, committit. — Castellaniam castri Peretæ ac districtus ipsius Petro de Mota de Tervisio committit.	690	1139
» 29	»	Rectori Marchiæ Anconitanæ mandat ut inter partes Esculanæ civitatis pacem reconciliet, cives qui dudum exulant ab urbe prædicta in eandem revocet, civitatem denique ipsam et ejus districtum ad meliorem tranquillioremque statum reducat.	101	108
» 29	»	Ut possit frater Wlfrannus [1] electus Bethleemitanus recipere munus consecrationis.	109	124
» 30	»	Archiepiscopo Colocensi nuntiat se Augustino Zagabriensi episcopo consecrationis munus propriis manibus impendisse, eumque rogat ut personam ejusdem Augustini affectu benivolo et opportuno favore prosequatur.	105	114
» 30	»	Eidem Augustino concedit licentiam condendi testamentum.	118	142
» 30	»	Jouselino [2] quondam Guifredi comitis de Lomello confert canonicatum et præbendam in Aquensi ecclesia dispensatque cum eodem super pluralitate beneficiorum.	169	199
» 30	»	Dispensat cum Bertuco [3] filio Nicolai Quirini de Venetiis, ut ad omnes ordines promoveri et quæcumque beneficia obtinere possit, non obstante natalium defectu.	170	201
» 31	»	Dispensat cum duabus personis loci de Ibellino in insula Cipri, ut non obstante quarto consanguinitatis gradu matrimonium invicem contrahere valeant.	129	161

1. Col. 109, l. 25 et 27, lisez *Wlfrannus* au lieu de « Vulfrannus. »
2. Col. 169, l. 15 et 18, lisez *Jouselino* au lieu de « Jonselino. » Corrigez la note 1 de la col. 848 d'après la rectification ci-dessus.
3. Col. 170, l. 36, lisez *Bertuco* au lieu de « Bercuco. »

1303 Decem. 31	Laterani.	Priorissæ et sororibus monasterii s. Agnetis de Bononia, ordinis s. Augustini, indulget ut ad præstationem decimarum vel ad exhibendum personis sæcularibus exactiones aut ad dandum legatis seu nuntiis Apostolicæ Sedis procurationes minime teneantur.	Col. 140	No. 172
» 31	»	Manuelli de Orlandis clerico Placentino conceditur tabellionatus officium.	145	180
» 31	»	Nicolao Neapoleonis de filiis Ursi concedit, ut archidiaconatum suum de Famenna in ecclesia Leodiensi per vicarium idoneum visitari faciat.	147	183
1304 Januar. 1	Laterani.	Obtentu nobilis viri Bosonis de Eugubio pro Guidone filio suo humiliter supplicantis, eidem Guidoni reservatur beneficium quoddam ecclesiasticum in Perusina [1] civitate vel diocesi.	117	140
» 1	»	Meliori de Abbatibus [2] clerico Florentino reservatur beneficium quoddam in ecclesia Florentina.	171	205
» 1	»	Raynerio de Pistorio capellano domini papæ conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Caturcensi. Dispensatur quoque cum eo super pluralitate beneficiorum.	176	215
» 1	»	Alberto de Cusignano castellaniam castri Egiptii ac districtus ipsius, Viterbiensis ac Tuscanensis diocesium, committit.	691	1140
» 1	»	Gerardo de Fodenovo castellaniam castri Orclæ et districtus ipsius, Viterbiensis diocesis, committit.	691	1141
» 1	»	Executoribus quibusdam mandat ut Lucæ s. Mariæ in Via Lata diacono cardinali quandam pensionem a priore et capitulo Wintoniensis ecclesiæ annis singulis faciant exhiberi.	712	1168
» 2	»	Quandam Bonifatii VIII dispositionem confirmat, ex qua Rogerio olim abbati monasterii s. Michaelis de Pasignano, Fæsulanæ diocesis, nuper autem ad administrationem monasterii Vallis Umbrosæ translato, committebatur cura prædicti cœnobii s. Michaelis usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum retinenda.	106	118
» 2	»	Priori fratrum Prædicatorum et guardiano Minorum Eugubinis mandat ut, si electionem celebratam de fratre Ventura Pauli in abbatem monasterii s. Mariæ de Alfiolo, ordinis s. Benedicti, Eugubinæ diocesis, canonicam invenerint, illam auctoritate apostolica confirment : alioquin ipsa rite cassata, ad aliam electionem a monachis dicti monasterii procedi faciant.	111	130

1. Col. 117, l. 34, lisez *Perusina* au lieu de « Pisana. »
2. Col. 172, l. 1, lisez *Abbatibus* au lieu de « Alberibus. »

1304				
Januar. 2	Laterani.	Quibusdam executoribus mandat ut mille quingentos florenos auri, quos Octavianus Calliboconus, civis et mercator Romanus, olim episcopo Trajectensi qui tunc erat mutuavit, dicto mercatori infra certum terminum faciant integraliter exiberi cum damnis legitimis : alioquin episcopum qui nunc est citent ad comparendum coram Sede Apostolica.	Col. 124	No. 153
» 2	»	Dispensat cum duabus personis Parmæ civitatis ut ad sedandas quasdam discordias, quæ in dicta urbe olim invaluerant, matrimonium contrahere possint non obstante quarto consanguinitatis gradu.	125	154
» 2	»	Johanni filio marchionis de Monte s. Mariæ canonicatum ac præbendam confert in ecclesia Ebroicensi dispensatque cum eodem, ut plebanatum plebis de Ronci, quem obtinet in diocesi Castellana, valeat insimul retinere.	126	156
» 2	»	Dispensat cum Flasambene [1] filio Guidonis de Bonacolsis super defectu natalium.	171	203
» 2	»	Angelo Eleutherii et Mariæ Johannis Ciceris, civibus Velletrensibus, indulget ut ad sedandas inimicitias inter utriusque parentes exortas matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	239	323
» 3	»	Magalonensi et Agathensi episcopis mandat ut electionem Arnaldi de Corbiaco in abbatem monasterii s. Martini Canigonensis, Elnensis diocesis, diligenter examinent et prout justum fuerit illam confirment.	183	230
» 3	»	Obtentu archiepiscopi et capituli Lugdunensis conceditur personis aliquibus licentia contrahendi matrimonium, non obstante quarto gradu consanguinitatis.	196	248
» 3	»	Obtentu Imolensis Cambii de Imola, confertur Petro ejus filio beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Imolensi.	197	251
» 3	»	Olim gravi vertente discordia inter regem Franciæ civesque Lugdunenses ex una parte, et archiepiscopum capitulumque civitatis ejusdem ex altera, occasione appellationum seu *resorti*, fuit Lugdunensis civitas ecclesiastico supposita interdicto. Nunc autem Benedictus negotium ipsum ad examen apostolicum evocans, mandat archiepiscopo Viennensi et archidiacono Vivariensi ut præfatum interdictum suspendant citentque prædictos archiepiscopum, canonicos et cives ad comparendum coram Apostolica Sede, super præmissis recepturos quod justitia suadebit.	201	259
» 3	»	Archiepiscopo Bisuntino et duci Burgundiæ de littera suprascripta significat, eisdem mandans ut, lite pendente coram Apostolica Sede, appellationes prædictas et custodiam civitatis Lugdunensis ad manus proprias assumant, redditusque ac proventus exinde percipiendos archiepiscopo et capitulo Lugdunensibus faciant assignari.	202	260

1. Col. 171, l. 2 et 4, lisez *Flasambene* au lieu de « Nasambene. »

1304 Januar. 3	Laterani.	Quandam bonorum donationem priorissæ et conventui monasterii s. Margaritæ Vercellensis factam confirmat.	Col. 354	No. 530
» 4	»	Recipiatur magister Radulfus de Marla in canonicum ecclesiæ Parisiensis nec non in officialem curiæ Parisiensis episcopi non obstantibus oppositione, sententiis aut processibus, quæ contra eum fecerunt vel tulerunt tam certi coadjutores episcopi supradicti quam aliqui ejusdem ecclesiæ canonici.	232	317
» 5	»	Cum quondam Bonifatius VIII vacantem prioratum de s. Columba, Apamiarum diocesis, fratri Nicolao Aurioli, capellano suo, auctoritate apostolica contulisset, fuit super hoc a quibusdam contradictoribus ad Sedem appellatum. Benedictus autem appellationem istam non admittens, certis executoribus mandat ut præfatum capellanum in possessionem dicti prioratus inducant, amotis exinde quibuslibet obstaculis vel detentoribus illicitis.	132	164
» 5	»	Vacante ecclesia Vigintimiliensi per obitum Johannis episcopi, Octo canonicus a capitulo per viam compromissi in episcopum electus eidem ecclesiæ præficitur.	257	367
» 5	»	Archiepiscopo Ebredunensi mandat, ut super dissensione orta inter Avinionensem episcopum et moniales monasterii s. Laurentii Avinionensis occasione electionis abbatissæ ipsius diligenter inquirat, statuatque in dicto negotio quidquid de jure fuerit statuendum.	270	398
» 5	»	Inquisitione facta super statu monasterii s. Benedicti de Gualdo, Nuccrinæ diocesis, citentur abbas et monachi ejusdem monasterii, inter quos quædam discordia vertitur, ad comparendum coram Apostolica Sede facturi et recepturi in dicto negotio quod justitia suadebit.	325	486
» 5	»	Gabriel de Patientibus constituitur rector in spiritualibus Marchiæ Anconitanæ.	693	1145
» 5	»	Abbati monasterii s. Michaelis de Podio s. Donati Senensis mandat, ut ea quæ de bonis hospitalis s. Mariæ Senensis alienata illicite vel distracta invenerit ad jus et proprietatem ipsius hospitalis legitime revocet.	810	1283
» 6	»	Dispensat cum Francisco Bonaventuræ et Johanna Processi Capotii de Capotinis, civibus Romanis, ut matrimonium invicem non obstante quarto consanguinitatis gradu contrahere valeant. [1]	123	152
» 6	»	Consideratione Guillelmi s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, concedit Guillelmo de Longis de Pergamo, nepoti et capellano cardinalis ejusdem, ut dum in Romana curia vel in loco ubi viget studium generale commorabitur, archidiaconatum suum Drocensem in ecclesia Cartonensi per aliquam personam idoneam visitari faciat.	245	344

1. Col. 124, l. 14, à la date de cette pièce lire *idus*.

1304 Januar. 6	Laterani.	Nuntiat regi Trinacriæ se ad regiam præsentiam Cephaludensem electum destinasse, quasdam apostolicas litteras deferentem. Ipsum rogat et obsecrat ut ea quæ sibi erga Romanam Ecclesiam incumbunt sollicite compleat.	Col. 688	No. 1136
» 7	»	Obtentu Johannis de Calcina doctoris decretorum, ambaxiatoris communis Bononiensis, Manfredo ejus filio confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Bononiensi.	231	313
» 7	»	Franciscus quondam Petri Aliatæ civis Ferrariensis creatur notarius.	259	369
» 7	»	Episcopo Zagabriensi mandat ut præposituram Albensis ecclesiæ, Vesprimiensis diocesis, alicui personæ idoneæ de regno Ungariæ oriundæ conferat et assignet.	695	1148
» 8	»	Obtentu Comatii de Galluciis, ambaxiatoris communis Bononiensis, confertur Alberto ejus fratri beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Bononiensi.	230	312
» 8	»	Moneatur Uticensis episcopus ut sententias, quas in priorem et fratres ordinis Prædicatorum de Genoliacho promulgavit, provide revocet per se ipsum, nullam deinceps eisdem fratribus super eorum loco de Genoliacho molestiam illaturus.	698	1153
» 9	»	Octobonus Tongrensis archidiaconus, quem nuper ecclesiæ Ferrariensi Bonifatius VIII præfecerat, in episcopum Ferrariensem confirmatur.	127	157
» 9	»	Universis Christi fidelibus, qui altare s. Mariæ Virginis ac s. Katerinæ in ecclesia s. Angeli Viterbiensis erectum devote certis diebus visitarint indulgentiam centum vel quadraginta dierum elargitur.	134	166
» 9	»	Domum de Asello sitam in territorio Castri Florentini, quam magister Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani concessit Tucio Lotoringi sub certis conditionibus et censu quoad vixerit retinendam, dicto Tucio confirmat.	149	187
» 9	»	Quædam annua pensio ministretur Petriolo Benvenuti de Bectonio laico Asisinatis diocesis.		198
» 9	»	Indulget Eduensi episcopo ut possit diocesim suam usque ad quinquennim per aliquam personam idoneam facere visitari.	172	206
» 9	»	Obtentu et consideratione Jacobi de Normannis notarii apostolici, quandam Bonifatii VIII gratiam confirmat, qua Manueli Raynaldi de Spinolis præbenda fuerat in ecclesia Belvacensi reservata.	184	231
» 9	»	Bonanno de Crescentionibus de Urbe indulget ut usque ad triennium, dummodo obsequiis quorumdam cardinalium insistens apud Sedem Apostolicam immoretur, possit archipresbyteratum quem obtinet in ecclesia Turonensi per aliquam personam idoneam facere visitari.	200	258

1304				
Januar. 9	Laterani.	Bernardum de Monte Acuto canonicum Auxitanum, quem canonici Conseranensis ecclesiæ in episcopum elegerunt, eidem ecclesiæ præficit in pastorem, mandans archiepiscopo Auxitano ut dicto Bernardo munus consecrationis impendat. — In e. m. eidem archiepiscopo pro Arnaldo Raymundi in episcopum Baionensem electo.	Col. 220	No. 295
» 9	»	Dispensat cum quodam monacho Cisterciensi, ut ad omnes prælaturas ordinis sui promoveri valeat non obstante defectu natalium.	230	310
» 9	»	Valeat Tricastrinus [1] episcopus, propter discrimina guerrarum in illis partibus ingruentia, diocesim suam usque ad triennium per aliquam personam idoneam facere visitari.	242	332
» 9	»	Episcopo Aurelianensi committit curam et potestatem dispensandi cum Guillelmo Drugnemant, clerico diocesis ejusdem, ut non obstante illegitimitatis macula sacros ordines recipere ac beneficium assequi valeat. Dictus autem clericus, postquam beneficium obtinuerit antedictum, personalem in eo residentiam facere teneatur. — Idem mandatum datur episcopo Morinensi pro Johanne de Dohem clerico Morinensi.	244	341
» 9	»	Episcopo Tricastrino facultas testandi conceditur.	250	354
» 9	»	Electo Arelatensi mandat ut, si hoc viderit expedire, Petro de Thofaliis et Petro de Both clericis Caturcensibus, nec non Raynaldo de Setia canonico ecclesiæ s. Caprasii Agennensis, licentiam concedat permutandi adinvicem quædam beneficia.	363	547
» 9	»	Consideratione et obtentu Eduensis episcopi nec non Jacobi de Normannis apostolici notarii, confertur magistro Petro de Reate canonicatus in ecclesia Eduensi præbendaque ibidem reservatur. Dispensatur insuper cum eodem Petro, ut præter præbendam supradictam alia sua beneficia retinere valeat, duobus tamen dimissis.	385	593
» 9	»	Dispensatur cum Alvaro Gonsalvi canonico Egitaniensi, super inhabilitatis macula, quam contraxit retinendo insimul per plures annos canonicatum cum præbenda in ecclesia Egitaniensi et ecclesiam s. Petri de Coveliana, ejusdem diocesis. Ipsi quoque conceditur ut eadem beneficia de cætero licite retinere valeat.	569	953
» 9	»	Roberto tituli s. Pudentianæ presbytero cardinali committit curam in temporalibus et spiritualibus monasterii s. Andreæ de Fractis de Urbe, ordinis s. Augustini.	706	1163
» 10	»	Certis executoribus mandat moneant et inducant Mediolanensem archiepiscopum, ut Mathæo de Vicecomitibus, Mediolanensis ecclesiæ cimiliarchæ, de quibusdam injuriis et damnis satisfaciat competenter. Alioquin dictum archiepiscopum peremptorie citent ad comparendum coram Apostolica Sede super præmissis responsurum.	165	197

1. Col. 242, l. 36 et 40, lisez *Tricastrinus* au lieu de « Tricastinus ».

1304				
Januar. 10	Laterani.	Episcopo Dolensi facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in Dolensi ecclesia ac providendi eisdem de vacantibus præbendis.	Col. 179	No. 219
» 10	»	Frater Jacobus ex ordine Prædicatorum auctoritate apostolica præficitur ecclesiæ Mantuanæ in episcopum et pastorem.	180	223
» 10	»	Tridentina vacante ecclesia, Bartholomæus Novariensis episcopus ipsi Tridentinæ ecclesiæ præficitur in pastorem.	181	224
» 10	»	Bertuldus canonicus Carnotensis, capellanus domini papæ, præficitur in episcopum ecclesiæ Agrigentinæ.	184	233
» 10	»	Rogerius archidiaconus de Bautesio in ecclesia Constantiensi, subdiaconus et capellanus domini papæ, præficitur ecclesiæ Montisregalis in archiepiscopum [1] et pastorem.	186	234
» 10	»	Vacante dudum Panormitana ecclesia, Benedictus, ne dicta ecclesia diutius viduitatis subjaceat incommodis, eidem præficit in archiepiscopum Titium capellanum suum, archipresbyterum ecclesiæ de Colle, Vulterranæ diocesis.	187	235
» 10	»	Vacante dudum ecclesia Cephaludensi per amotionem Junctæ episcopi, quem olim Gerardus Sabinensis episcopus tunc in illis partibus Sedis Apostolicæ legatus sede sua privavit, Jacobus archidiaconus de Benavento in ecclesia Ovetensi, capellanus domini papæ, præficitur supradictæ ecclesiæ in episcopum.	188	236
» 10	»	Vacante ecclesia Messanensi per translationem Francisci archiepiscopi, quem ad Mediolanensem sedem Bonifatius VIII destinavit, Guidottus Pergamensis archidiaconus, capellanus domini papæ in diaconatus tantum ordine constitutus, præficitur dictæ ecclesiæ Messanensi in archiepiscopum.	188	237
» 10	»	Vacante dudum ecclesia Siracusana per obitum Symonis episcopi, frater Dominicus ex ordine Prædicatorum, capellanus et pœnitentiarius domini papæ, præficitur dictæ sedi in episcopum.	188	238
» 10	»	Vacante dudum ecclesia Mazariensi per obitum Johannis episcopi, Fulco decanus Legionensis nec non familiaris domini papæ eidem ecclesiæ præficitur in episcopum.	189	239
» 10	»	Regem Romanorum hortatur ut Bartholomæum Tridentinum episcopum benigne recipiat et propensius commendatum habeat. Rogat insuper prædictum regem ut bona Tridentinæ ecclesiæ, quæ a ducibus Carinthiæ detineri pro magna parte dicuntur, eidem episcopo restitui faciat.	194	245
» 10	»	Vacante ecclesia Ferentinati per obitum Landulphi episcopi, Berardus eidem ecclesiæ præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem.	204	262

1. Col. 186, l. 14, lisez *archiepiscopum* au lieu de « episcopum, »

1304 Januar. 10	Laterani.	Vacante per obitum Gentilis electi ecclesia Cathaniensi, Leonardus Brugensis præpositus in ecclesia Tornacensi, domini papæ capellanus, eidem ecclesiæ præficitur in episcopum.	Col. 209	No. 274
» 10	»	Cum priorissa et conventus monasterii s. Agnetis Reatini, ordinis s. Augustini, ecclesiam de Maccaversana et capellam s. Nicolai de Collevitelli propriis sumptibus reparare proponant, in quibus capellanos instituere cupiunt ibidem Domino servituros, episcopo Reatino committitur ut, inquisita prius veritate de præmissis, si hoc sibi videatur utiliter expedire, dictas ecclesiam et capellam dictis monialibus auctoritate apostolica concedat.	218	291
» 10	»	Vacante monasterio s. Nicolai de Litore [1] Venetiarum, ordinis s. Benedicti, per promotionem Francisci abbatis ipsius ad episcopalem dignitatem, dicto monasterio Bartholomæus prior claustralis ejusdem præficitur auctoritate apostolica in abbatem et pastorem.	226	304
» 10	»	Episcopo Oscensi committit ut, inquisitione præhabita, episcopo et capitulo Cæsaraugustanis quandam licentiam tribuat super concessione proventuum decimarum prædialium.	229	308
» 10	»	Pilato quondam Almerici de Canneti de Forra clerico confertur beneficium, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Cenetensi.	230	311
» 10	»	Valeat Ilerdensis episcopus usque ad biennium diocesim suam per vicarium idoneum facere visitari.	241	328
» 10	»	Episcopo Auximano mandat, ut donationes, obligationes, collationes, *etc.*, quas tempore detentionis Rambotti episcopi Camerinensis et nonnullorum clericorum per potestatem et cives Camerinenses factæ in præjudicium dicti episcopi repererit temere attemptatas, in statum debitum legitime revocet.	815	1298
» 11	»	Symoni de Pellizonis de Taurino, capellano et consanguineo Parmensis episcopi, remittit fructus minus juste perceptos ex beneficiis indebite retentis; omnem infamiæ vel inhabilitatis maculam in prædicto Symone occasione hujusmodi obortam penitus abolet, dispensatque cum eodem ut plura beneficia possit insimul retinere.	141	175
» 11	»	Cuidam Bernabono [2] Bergognoni de Riczolo filio confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Baiocensi.	149	188
» 11	»	Alberto Johannis Stephani de Normannis et Andree Petri de Comite, civibus Romanis, concedit ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	239	324

1. Col. 226, l. 13, lisez *Litore* au lieu de « Littore. »
2. Col. 149, l. 40, et col. 150, l. 1, lisez *Bernabono* au lieu de « Bernavo. »

1304				
Januar. 11	Laterani.	Episcopo Florentino mandat, ut ea quæ de bonis hospitalis s. Mariæ Senensis invenerit alienata illicite vel distracta ad jus et proprietatem ipsius hospitalis legitime revocet.	Col. 811	No. 1284
» 11	»	In e. m. abbati monasterii de Spineto, Clusinæ diocesis.	811	1285
» 11	»	Mandatum datur super eodem in alia forma abbati monasterii sancti Michaelis de Podio s. Donati Senensis.	812	1289
» 11	»	In e. f. plebano plebis s. Johannis in Vescona, Aretinæ diocesis.	814	1295
» 12	»	Archiepiscopo Gneznensi mandat, moneat et inducat episcopum Wratislaviensem ut infra unius mensis spatium relaxet excommunicationis sententiam, quam in magistrum Mirozlaum archidiaconum ecclesiæ Glogoviensis sine causa rationabili promulgavit, et dictum magistrum ad officia et possessiones ejus plene restituat.	324	481
» 12	»	Episcopo Vulterano mandatum datur ut supra super bonis hospitalis s. Mariæ Senensis (11 *jan. nº 1284.*)	811	1286
» 12	»	In e. m. episcopo Grossetano.	811	1287
» 13	»	Episcopo Massiliensi, collectori decimæ dudum a Bonifatio VIII impositæ in Aquensi et Arelatensi diocesibus, mandat ut pecuniam occasione hujusmodi collectam et in antea colligendam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia eorumve procuratoribus assignet seu per subcollectores suos faciat assignari. — Aliæ litteræ similes directæ archiepiscopo Ebredunensi et archidiacono Gandensi, collectoribus ejusdem decimæ in aliis partibus.	145	181
» 13	»	Fratribus ordinis Prædicatorum Novariensibus concedit ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam quingentorum florenorum auri recipere valeant.	179	220
» 13	»	Universis Christi fidelibus, qui ecclesiam fratrum Prædicatorum de Novara in s. Dominici ac s. Petri martyris festivitatibus annis singulis visitaverint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	179	221
» 13	»	Electo Ravennati curam committit præficiendi ecclesiæ Foropopuliensi tunc vacanti personam idoneam in episcopum et pastorem.	191	241
» 13	»	Theobaldum de Brusiato civem Brixiensem provinciæ Romaniolæ, civitatis et diocesis Bononiensis ac comitatus Brectenorii rectorem in temporalibus constituit.	192	243
» 13	»	Abbati et conventui monasterii s. Pauli de Urbe concedit licentiam locandi quædam feuda ad monasterium ipsum legitime devoluta, non obstantibus quibuslibet contrariis consuetudinibus vel statutis.	216	288

1304				
Januar. 13	Laterani.	Priori claustrali monasterii s. Georgii majoris de Venetiis curam committit exercendi visitationis officium in monasterio s. Mariæ de Virginibus ejusdem loci de Venetiis, ordinis s. Marci Mantuani.	Col. 218	No. 293
» 13	»	Cunctis fidelibus, qui ecclesiam monasterii ss. Gervasii et Protasii Belunensis, Cisterciensis ordinis, visitaverint annuatim in certis festivitatibus, indulgentiam centum dierum promittit.	259	371
» 13	»	Indulgentia quadraginta dierum pro visitantibus plebem s. Angeli de Castelione, Aretinæ diocesis.	278	414
» 13	»	Dispensat cum Nicolao nato Adalgerii de Glemona, clerico diocesis Aquilegensis ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficia obtinere.	290	428
» 13	»	Restituatur Radulphus olim prior prioratus de Flawigneio, Tullensis diocesis, ad administrationem dicti prioratus, a qua remotus fuerat sine rationabili causa.	293	431
» 13	»	Raymundo de Carcassona, cum quo fuit quondam dispensatum ut non obstante natalium defectu beneficium ecclesiasticum adipisci valeret, conceditur ut, si ecclesiam quam nunc obtinet in diocesi Ilerdensi forte dimiserit, loco ipsius aliud beneficium recipere ac retinere possit.	381	582
» 13	»	Indulgentia unius anni et quadraginta dierum pro visitantibus Vivariensem ecclesiam in s. Vincentii atque Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis b. Mariæ Virginis festivitatibus.	381	583
» 13	»	Valeat Vivariensis episcopus per vicarium seu vicarios idoneos diocesim suam facere visitari.	532	875
» 13	»	Cunctis fidelibus, qui capellam hospitalis s. Mariæ Virginis de Alpibus Jovis, Florentinæ diocesis, in ipsius Virginis festivitatibus devote visitarint, indulgentiam elargitur.	558	928
» 13	»	Episcopo Feltrensi ac Bellunensi concedit licentiam faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in Feltrensi et totidem in Bellunensi ecclesiis, ac providendi eisdem de præbendis.	575	965
» 13	»	Gometio Consalvi clerico Bracharensis diocesis, indulget ut cum portione perpetua et præstimoniis, quæ in ecclesia de Vimaranis, supradictæ diocesis, obtinet, beneficium aliud insuper recipere ac retinere valeat.	576	967
» 13	»	Vacante præpositura ecclesiæ de Carpineto, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Reginæ diocesis, in præpositum ipsius ecclesiæ Bernardinus de Foliano electus est; qui propter negligentiam procuratoris, quem ad Sedem Apostolicam destinaverat pro negotio hujusmodi prosequendo, confirmationem electionis præfatæ obtinere non valuit. Ista autem electio per præsentes litteras approbatur.	577	968

1304				
Januar. 13	Laterani.	Feltrensi ac Bellunensi episcopo mandat, moneat et inducat priorem et fratres domus Heremitarum de Tervisio ut quendam hortum monialibus monasterii s. Pauli civitatis ejusdem vendant pro pretio competenti et inter domum ac monasterium prædicta clausuram ædificent.	Col. 696	No. 1149
» 13	»	Priori de Fonte Rutoli, Fæsulanæ diocesis, mandat ut ea quæ de bonis hospitalis s. Mariæ Senensis invenerit alienata illicite vel distracta ad jus et proprietatem ipsius hospitalis legitime revocet.	812	1288
» 13	»	Mandatum datur super eodem in alia forma episcopo Florentino.	813	1290
» 13	»	In e. f. abbati monasterii de Spineta, Clusinæ diocesis.	813	1291
» 13	»	In e. f. episcopo Wulterano.	813	1292
» 13	»	In e. f. episcopo Grossetano.	813	1293
» 13	»	In e. f. priori de Fonte Rutoli, Fæsulanæ diocesis.	814	1294
(Januar. 13 Mart. 25) [1]	»	Johanni de Chalona, collectori decimæ dudum impositæ a Bonifatio VIII in quibusdam diocesibus, mandat ut pecuniam jam collectam occasione hujusmodi vel in antea colligendam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet nec non per subcollectores suos faciat assignari.	357	534
Januar. 14	»	Dispensat cum Petro nato Leonardi de Galbo, clerico Tervisino, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et quæcumque beneficia ecclesiastica obtinere.	218	292
» 14	»	Indulget electo Vicentino ut duo clerici, ejus obsequiis insistentes, possint per quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum.	313	472
» 14	»	Quædam Marchiæ Anconitanæ statuta, quæ Bonifatius VIII cardinalium irrequisito consensu ediderat, totaliter suspendit.	694	1147
» 15	»	Cum Angelus quondam Mothonensis episcopus, nuper autem ad Pactensem ecclesiam translatus, omne jus quod sibi competebat ex hujusmodi translatione certis ex causis libere resignaverit, ipsum Benedictus restituit ad Mothonensem sedem eumque dictæ ecclesiæ præficit iterum in pastorem.	181	225
» 15	»	Cum quondam Bonifatius papa VIII decimam in regno Siciliæ imposuisset pro guerra et negotio dicti regni prosequendis, archiepiscopum Capuanum dictæ decimæ collectorem instituit. Quo quidem nuper ab hujusmodi officio certis ex causis amoto, loco ipsius deputatur collector Salernitanus electus.	189	240

1. Voy. la note 2 de la col. 358.

1304 Januar. 15	Laterani.	Archiepiscopo Lundensi curam committit dispensandi cum Henrico Ubbisun et Elena dicta Slewicen., suæ diocesis, ut non obstante quarto consanguinitatis gradu valeant in matrimonio illicite contracto remanere, prolem inde susceptam nec non suscipiendam legitimam nuntiando.	Col. 198	No. 254
» 15		Episcopo Tridentino concedit ut quatuor clerici, qui ejus insistunt obsequiis, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum usque ad quadriennium libere percipere valeant. — Eidem committit ut fructus eosdem dictis clericis ipse faciat assignari.	219	294
» 15		Cuidam mulieri concedit licentiam habendi altare portatile.	222	297
» 15	»	Indulgentia centum dierum conceditur fidelibus, qui ecclesiam s. Pauli Narbonensis in duabus festivitatibus dicti sancti devote visitarint.	364	532
» 15		Citetur Capuanus archiepiscopus, olim collector decimæ per Bonifatium papam VIII in regno Siciliæ impositæ, ad comparendum coram Apostolica Sede, rationem super negotio collectionis hujusmodi plenarie redditurus.	698	1152
» 16		Petro nato Leonardi de Galbo, clerico Tervisino, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in Tridentina civitate vel diocesi.	214	284
» 16	»	Plebano plebis s. Johannis de castro Pennæ, Firmanæ diocesis, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in diocesi supradicta.	215	287
» 16	»	Lantæ Agolantis et ejus sociis de societate Amannatorum de Pistorio mandat, ut aliquos ex ipsis ad Apostolicam Sedem transmittant cum quibus de reformatione status societatis prædictæ ac indemnitate creditorum ipsius tractari possit.	697	1151
» 17	»	Quibusdam executoribus mandat, ut ad restitutionem certis loco et tempore faciendam sexcentarum marcharum argenti, quas archiepiscopus Cassellensis de licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit a mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio, diligenter intendant.	150	190
» 17	»	Jacobo de Orto ex ordine fratrum Heremitarum s. Augustini licentiam concedit docendi, legendi, disputandi et determinandi Parisiis et ubique locorum in theologica facultate.	254	361
» 17	»	Dispensat cum duabus personis civitatis Tudertinæ, ut ad sedandas discordias inter consanguineos ipsarum exortas matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	265	383
» 17	»	Cum in civitate et diocesi Tarviensi quædam vigeat prava consuetudo, cujus occasione clerici et religiosæ personæ illarum partium a dominis temporalibus eorumque officialibus contra justitiam sæpius molestantur, Benedictus mandat Olorensi episcopo ut præfatam consuetudinem denuntiet circa clericos et personas ecclesiasticas fore nullatenus observandam.	372	563

1304				
Januar. 18	Laterani.	Armanno Mantello capellano suo indulget ut, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, fructus ac redditus beneficiorum suorum integre percipiat. — Eadem licentia conceditur Socino de Overgnachis, alii domini papæ capellano.	Col. 203	No. 261
» 18	»	Moneat rector Patrimonii b. Petri in Tuscia quosdam invasores castri Jovis, Ameliensis diocesis, ut dictum castrum legitimo domino sine mora restituant et de damnis ibidem illatis plenarie satisfaciant.	207	270
» 18	»	Lupo Petri de Vrinza presbytero, canonico ecclesiæ Pampilonensis, cum quo fuerat antea dispensatum ut non obstante natalium defectu posset sacros ordines recipere et beneficium adipisci, nunc insuper conceditur ut ad omnes administrationes ordinis s. Augustini assumi valeat.	239	322
» 18	»	Licentiam elargitur construendi Tholosæ in burgo s. Saturnini oratorium seu capellam in honorem s. Orientii.	282	422
» 18	»	Episcopo Aretino dat licentiam conferendi cuidam Bandino Fructi civi Aretino officium tabellionatus.	302	453
» 18	»	Civibus Beneventanis, quos Martinus papa IV privaverat jure eligendi consules et alios officiales, Benedictus eosdem consules et officiales restituit habendos et creandos juxta morem antiquum, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum voluntatis. Eis insuper facultatem elargitur condendi statuta quibus regantur, ac percipiendi sub certo annuo censu omnes redditus, quos Ecclesia Romana in civitate et districtu Beneventanis habere dinoscitur.	422	665
» 19	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Monopolitanis concedit, ut a quodam Marolditio cive Monopolitano recipere valeant de usuris et aliis male ablatis usque ad summam quingentorum florenorum auri.	509	836
» 19	»	Priorissam et conventum monasterii s. Mariæ de Nazareth Aquensis atque monasterium ipsum sub sua et b. Petri protectione suscipit.	509	837
» 20	»	Certis executoribus mandat ut ad restitutionem quingentorum florenorum auri, quos episcopus Albinganensis ex licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit a mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio, diligenter intendant.—Eadem littera mittitur aliis executoribus super mutuo, quod contraxerat Lundensis archiepiscopus.	176	217
» 20	»	Ubertum de Notis de Mediolano doctorem decretorum provinciæ Romaniolæ, civitatis et diocesis Bononiensis et comitatus Brectenorii rectorem in spiritualibus constituit.	193	244
» 20	»	Episcopo Trecensi concedit, ut duo clerici commensales ejus ac domestici valeant usque ad quadriennium fructus redditusque et proventus beneficiorum suorum integraliter percipere, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis.	244	338

1304 Januar. 20	Laterani.	Valeat Faventinus episcopus condere testamentum.	Col. 273	No. 400
» 20	»	Cum Vanuzulo, nato Manentis de Trevio, clerico Spoletanæ diocesis dispensat, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et beneficia ecclesiastica obtinere.	280	417
» 20	»	Quandam Bonifatii VIII dispositionem confirmat super concessione facta ordini fratrum Prædicatorum ad instantiam regis Siciliæ de ecclesia s. Maximini ac de loco de Balma, Aquensis diocesis.	505	829
» 21	»	Valeat Trecensis episcopus concedere cuidam personæ tabellionatus officium.	237	319
» 21	»	Eidem conceditur ut usque ad triennium possit ecclesiam suam per aliquem vicarium idoneum facere visitari.	238	320
» 21	»	Conservatores infradictos rogat et hortatur ut Stephano de Pileo archidiacono Suessionensis ecclesiæ efficaciter assistentes, ipsum faciant beneficiorum, quæ in Suessionensi, Carnotensi, Senonensi et de s. Audomaro Morinensi obtinet ecclesiis, pacifica possessione gaudere. — Littera eadem archiepiscopo Patracensi, ut jura dicti Stephani in Atheniensi et Corinthiensi ecclesiis, quarum existit canonicus, similiter tueatur.	243	333
» 21	»	Episcopo Trecensi conceduntur executores super gratia suprascripta (*21 jan., n° 320*).	244	339
» 21	»	Eidem episcopo facultatem concedit faciendi recipi in canonicos in ecclesia sua cathedrali duas personas idoneas ac providendi eisdem de præbendis.	244	340
» 21	»	Patriarchæ Gradensi concedit ut tres clerici, obsequiis ejus insistentes, possint per quinquennium fructus beneficiorum suorum percipere.	273	401
» 21	»	Eidem indulget ut apud Venetias, ubi nunc commoratur, possit in omnibus exemptis ecclesiis missarum solemnia celebrare ac populo proponere verbum Dei, absque licentia episcopi Castellani.	274	402
» 21	»	Christi fidelibus, qui capellam in honorem s. Mariæ Virginis in ecclesia s. Petri Ferrentinatis erectam devote visitarint in singulis ipsius Virginis festivitatibus, indulgentiam centum dierum promittit.	307	462
» 22	»	Andreæ Philippi Sapiti civi Florentino conceditur tabellionatus officium. — Eadem concessio facta Andreæ Palmerii clerico Spoletano.	211	277

1304 Januar. 22	Laterani.	Renovat et confirmat quandam Bonifatii VIII gratiam, qua concessa fuerat archiepiscopo Lugdunensi licentia faciendi recipi duos nepotes suos in canonicos ecclesiæ Lugdunensis ac eisdem de communibus ejusdem ecclesiæ proventibus sicut aliis canonicis provideri.	Col. 259	No. 371
» 22	»	Priori fratrum Prædicatorum Senensi committit, ut locum quendam in civitate Senensi positum, ad ordinem fratrum Saccorum pertinentem, in quo nobilis mulier Contessa uxor Musciatti de Senis ecclesiam seu capellam ædificare desirat et exposcit, dictæ Contessæ apostolica auctoritate concedat et insuper eidem mulieri licentiam largiatur prædictam ecclesiam seu capellam ibidem extruendi.	264	381
» 23	»	Caveat Eduensis episcopus, ne priores aut abbates et conventus monasteriorum suæ diocesis prioratus ad dicta monasteria pertinentes in proprios usus retineant vel ad firmam concedant, ipsos prioratus debitis obsequiis defraudando.	205	265
» 23	»	Compellat idem episcopus quosdam rectores parrochialium ecclesiarum suæ diocesis ad faciendum in ipsis ecclesiis residentiam personalem.	205	266
» 23	»	Caveat episcopus Masticonensis, ne priores aut abbates et conventus monasteriorum suæ diocesis prioratus ad dicta monasteria pertinentes ad firmam concedant vel in proprios usus retineant, ipsos prioratus debitis obsequiis defraudando.	206	267
» 23	»	Rogerono de Loria et Ysabellæ filiæ regis Trinacriæ licentiam concedit contrahendi matrimonium, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	208	271
» 23	»	Consideratione fratris Johannis Pruni litterarum apostolicarum bullatoris, mandat ut Paulo Nicholai dicto Quantapoi unum vel plura beneficia conferantur in diocesi Verulana, cujus vel quorum annui redditus valorem viginti quinque florenorum auri non excedant.	210	275
» 23	»	Cunctis fidelibus subsidia erogantibus pro ædificatione cathedralis ecclesiæ Aquilensis indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit.	241	329
» 23	»	Episcopo Aquilensi facultatem concedit faciendi recipi tres personas idoneas in canonicos in ecclesia sua cathedrali et in duabus collegiatis suæ diocesis, nec non eisdem providendi de beneficiis vacantibus vel quam primum vacaturis. Eidem indulget ut quartam partem decimarum et mortuariorum, quam nonnulli episcopi Aquilenses dudum a rectoribus et clericis suæ diocesis exigere negligenter omiserunt, de cætero valeat petere ac recipere ab eisdem.	241	330
» 23	»	Reservatur Philippo de Quinto de Advocatis canonico Vercellensi personatus seu dignitas in Mediolanensi civitate vel diocesi.	243	334

1304 Januar. 23	Laterani.	Valeat Lincolniensis episcopus ecclesias et cœmeteria suæ diocesiæ quæ violata fuerint, per se vel per alium reconciliare.	Col. 245	No. 342
» 23	»	Dispensat cum duabus personis Florentinæ diocesis, ut non obstante quarto affinitatis gradu in matrimonio illicite contracto remanere valeant.	253	359
» 23	»	Cuidam Tancredo, [1] quem nuper in præpositum ecclesiæ Grossetanæ episcopus et capitulum elegerunt, conceditur facultas retinendi cum eadem præpositura plebem de Buriano, diocesis ejusdem, cujus plebanus existit.	256	365
» 23	»	Indulgentia decem dierum pro erogantibus eleemosynas et subsidia domui leprosorum s. Antonii prope muros civitatis Aquinatis.	257	366
» 23	»	Indulgentia quadraginta dierum pro fidelibus, qui capellam domus leprosorum s. Antonii prope muros civitatis Aquinatis in festivitatibus Nativitatis et Resurrectionis Domini et per octo dies festivitates ipsas sequentes devote visitarint.	308	463
» 23	»	Abbatem monasterii s. Mansueti Tullensis rogat et hortatur, ut Trecensi episcopo efficaciter assistens, eundem a vexantibus sollicite tueatur.	365	555
» 23	»	Archidiacono Nisicensi in ecclesia Misnensi mandat, ut causam vertentem inter præpositum conventumque monasterii s. Affræ Misnensis, ordinis s. Augustini, ex parte una, et Fredericum marchionem Misnensem et Berhardum de Kamentz militem Misnensis diocesis, ex altera, litigantes super terris, debitis et rebus aliis debito fine decidat.	815	1299
» 24	»	Tano quondam Ubaldini de Loglano, domini papæ domicello, conceduntur sub certo annuo censu cameræ apostolicæ persolvendo omnes terræ et possessiones, quas in territorio castri Medicinæ possidet Romana Ecclesia.	207	269
» 24	»	Dispensatur cum Baldeberto, capellano cardinalis s. Georgii ad Velum Aureum, super pluralitate beneficiorum.	249	352
» 24	»	Cantori Bambergensis ecclesiæ remittit fructus, quos indebite percepit ex beneficiis suis postquam fuerat suspensus ab ipsis : omnem insuper maculam vel inhabilitatem in eo obortas occasione hujusmodi penitus abolet.	270	397
» 24	»	Monasteria s. Pontiani, s. Bartholomæi, s. Fridiani et s. Georgii civitatis Lucanæ liberat totaliter et absolvit a solutione cujusdam pensionis, quam ex dispositione Bonifatii VIII Hugolino Rustichelli de Massa Pisana, domicello et familiari dicti pontificis, annuatim exhibere tenebantur.	366	556
		Col. 256, l. 31 et 35 lisez *Tancredo* au lieu de « Tanordo. »		

1304				
Januar. 25	Lateranі.	Jacobo Mathæi Ursi de filiis Ursi archidiacono Senonensi, capellano domini papæ, conceditur ut archidiaconatum suum per vicarium idoneum faciat visitari.	Col. 278	No. 412
» 25	»	Christi fidelibus, qui ad refectionem ecclesiæ monasterii s. Memmii Cathalaunensis, ordinis s. Augustini, nimia vetustate consumptæ manum porrexerint adjutricem, indulgentiam quadraginta dierum elargitur.	280	419
» 25	»	Archiepiscopo Remensi et episcopo Virdunensi mandatur ut Jacobum Mathæi Ursi de filiis Ursi, capellanum domini papæ, in juribus et bonis quæ in Senonensi et Cathalaunensi obtinet ecclesiis a vexantibus sollicite tueantur.	329	491
» 25	»	Indulgentia quadraginta dierum pro devote visitantibus ecclesiam monasterii s. Memmii Cathalaunensis in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis b. Mariæ Virginis ac ss. Memmii, Donatiani et Domiciani festivitatibus atque in die dedicationis ejusdem ecclesiæ.	381	584
» 25	»	Archidiacono Goslariensi causam inter abbatissam capitulumque sæcularis ecclesiæ in Gandersem ex parte una, et Aschwinum et Henricum de Wallmode milites, Thidericum eorumdem fratrem armigerum et Henricum dictum Nurenberg laicum Hildesemensis diocesis ex altera, super quadam pecuniæ summa vertentem committit terminandam.	815	1300
» 26	»	Supplicante Parmensi episcopo, indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur cunctis fidelibus, qui ad reædificationem ecclesiæ s. Johannis Baptistæ Taurinensis vetustate consumptæ pia erogaverint subsidia.	197	252
» 26	»	Eadem indulgentia pro visitantibus ecclesiam supradictam in Nativitatis et Decollationis s. Johannis Baptistæ festivitatibus.	198	253
» 26	»	Episcopo Narniensi mandat ut certas domos sitas in civitate Narniensi, quæ fuerunt olim quorumdam damnatorum de hæresi, quorum bona sunt Romanæ Ecclesiæ confiscata, priori et fratribus ordinis Prædicatorum urbis ejusdem concedat et assignet.	238	321
» 26	»	Bernardo Tardini presbytero diocesis Apamiarum, indulget ut quasdam ecclesias, quarum possessionem dudum obtinet illicite, de cætero libere valeat retinere. Ipsi quoque remittit fructus quos percipit indebite ex eisdem ecclesiis.	310	468
» 27		Episcopo Ruthenensi facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ Ruthenensis ac providendi eisdem de præbendis vacantibus.	215	285
» 27	»	Cum ad recuperationem bonorum ac jurium ecclesiæ suæ debeat episcopus Ruthenensis intendere, ei conceditur ut diocesim suam per alium seu alios faciat visitari.	218	290

1304 Januar. 27	Laterani.	Dispensat cum Berengario, nato Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri ac beneficium ecclesiasticum obtinere.	Col. 230	No. 309
» 27	»	Indulget ut quinque fratres olim ordinis Carmelitarum professores, qui se in ordine Prædicatorum recipi procurarunt, in eodem libere remaneant. Inhibet tamen ne ullus frater prædicti ordinis Carmelitarum ad eundem ordinem Prædicatorum transire de cætero præsumat.	231	316
» 27	»	Cunctis fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ fratrum Prædicatorum de Messana manum porrexerint adjutricem indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. — Eadem indulgentia pro visitantibus ecclesiam antedictam in b. Mariæ Virginis, s. Dominici et s. Petri martyris festivitatibus.	241	327
» 27	»	Cunctis fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ s. Flaviani de Monteflascone, Balneoregensis diocesis, manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	246	347
» 27	»	Præposito et fratribus domus s. Johaunis de Alexandria, ordinis Humiliatorum, indulget ut quasdam possessiones, quas Raynerius de Karolo de Alexandria eis in ultima voluntate legavit pro ædificando hospitali ad opus infirmorum et pauperum, vendere possint ac de ipsarum pretio domum congruam extruere, residuum si quod fuerit in usus pauperum convertendo.	258	368
» 27	»	Andreæ nato Nicolai de Galluciis canonico Bononiensi reservatur beneficium quod duxerit acceptandum in civitate Lucana vel diocesi.	261	374
» 27	»	Duabus personis Caturcensis diocesis, quarto gradu affinitatis invicem se contingentibus, permittit ut ad sedandas inimicitias inter earum parentes exortas matrimonium contrahere valeant.	262	377
» 27	»	Episcopo Baiocensi concedit ut, cum senex et valetudinarius existat, possit usque ad triennium ecclesiam suam per vicarium idoneum facere visitari.	268	389
» 27	»	Episcopo Brandeburgensi potestatem tribuit dispensandi cum quibusdam diocesis suæ clericis super infamia sive nota, quas contraxerunt pro eo quod parochiales ecclesias adepti non se fecerunt infra annum, prout tenebantur ex constitutione Concilii Lugdunensis, ad sacerdotium promoveri.	268	391
» 27	»	Eidem concedit ut similiter dispenset cum aliis clericis super infamia, quam contraxerunt plura beneficia curam animarum habentia absque Sedis Apostolicæ dispensatione insimul retinendo.	269	392
» 27	»	Eidem licentia conceditur conferendi personis idoneis plures archidiaconatus vacantes in Halberstadensi ecclesia per ipsius promotionem ad episcopatum Brandeburgensem.	269	393

1304 Januar. 27	Laterani.	Eidem conceditur, ut duas personas idoneas recipi faciat in canonicos in ecclesiis s. Mariæ ac s. Pauli civitatis Halberstadensis, eisque provideat de præbendis.	Col. 269	No. 394
» 27	»	Rectori ecclesiæ s. Georgii in Woceke, Caminensis diocesis, qui dictam ecclesiam olim assecutus non se fecit infra annum, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari, indulget ut eandem ecclesiam de cætero retinere valeat, dummodo se faciat statutis temporibus ad sacerdotium promoveri.	269	395
» 27	»	Similis gratia pro rectore ecclesiæ s. Bartholomæi in majori Orden, Halberstadensis diocesis.	269	396
» 27	»	Valeant custos ecclesiæ s. Castoris in Confluentia, diocesis Treverensis, et canonicus quidam ecclesiæ s. Paulini extra muros Treverenses, custodiam, canonicatum ac præbendam, quæ in predictis ecclesiis obtinent, invicem permutare.	328	488
» 27	»	Cum homines castri de Vineis, parochiani ecclesiæ de Arsaco, Lascurrensis diocesis, ecclesiam in dicto castro construere et dotare cupiant, mandat episcopo Lascurrensi ut, si hoc viderit expediens, prædictis hominibus licentiam largiatur istam ædificandi ecclesiam, et postquam constructa fuerit, in ea rectorem ea vice instituat.	378	573
» 27	»	Monasterium monialium de Rosindal, Cisterciensis ordinis, Treverensis diocesis, submittit regimini ac curæ abbatis monasterii Claustri de Hymmeroch, prædictorum ordinis et diocesis.	398	620
» 27	»	Episcopo Lascurrensi mandat ut dispenset cum Arnaldo filio Odonis de Sedicato, et Claria sorore Odonis domini de Miromonte, super matrimonio illicite contracto, eis misericorditer concedendo licentiam remanendi in prædicto matrimonio, non obstante quarto gradu consanguinitatis.	510	840
» 27	»	Dispensatur cum subdiacono quodam super inhabilitate, quam contraxit pro eo quod ecclesiam de Eyaurrieta, Pampilionensis diocesis, quondam assecutus non se fecit, prout tenebatur ex constitutione Concilii Lugdunensis, in presbyterum ordinari. Eidem insuper conceditur ut præfatam ecclesiam de cætero retinere valeat.	624	1031
» 28	»	Dispensat cum Petro Alveri canonico Legionensi super pluralitate beneficiorum.	246	345
» 28	»	Vigiliensi episcopo committit potestatem dispensandi cum Manino Judicis Samarii, clerico illegitime nato, qui subdiaconatus ordinem olim recepit licentia Sedis Apostolicæ non obtenta, ut ad superiores ordines promoveri possit atque beneficium ecclesiasticum adipisci, non obstantibus supradictis.	331	492
» 28	»	Valeat Ispalensis archiepiscopus conferre personis idoneis quædam beneficia dudum in civitate vel diocesi Ispalensi vacantia, quorum collatio propter diuturnam hujusmodi vacationem ad Sedem Apostolicam devoluta est.	351	522

1304 Januar. 28	Laterani.	Eidem archiepiscopo concedit facultatem absolvendi quosdam suæ diocesis clericos ab excommunicationis sententia, nec non dispensandi cum illis super irregularitate contracta pro eo quod, prædicta ligati sententia, sese divinis officiis immiscuerunt vel ipsa officia celebrarunt.	Col. 351	No. 523
» 28	»	Cum locus fratrum ordinis Prædicatorum de Clugia constructus fuerit de pecunia, quam pro constructione hujusmodi in testamento legaverat Dianus quidam, cujus postmodum inquisitores hæreticæ pravitatis memoriam damnarunt bonaque confiscarunt, iidem fratres a præfatis inquisitoribus super possessione dicti loci sunt multipliciter molestati. Eis autem Benedictus prædictum locum confirmat.	417	659
» 29	»	Johanni Siginulfi, civi Beneventano, conceduntur judicatus atque tabellionatus officia.	246	346
» 29	»	Valeat archipresbyter plebis s. Stephani de Barbiano, Imolensis diocesis, archipresbyteratum suum retinere, natalium defectu non obstante.	273	399
» 29	»	Plebano plebis s. Johannis in Vescona, Aretinæ diocesis, mandat ut causam vertentem inter rectorem fratresque hospitalis s. Mariæ Senensis et quosdam laicos Clusinæ diocesis fine debito decidat.	814	1296
» 29	»	In e. m. eidem plebano super alia causa similiter decidenda.	815	1297
» 30	»	Guenæ nato Mini de s. Quirico confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in Aretina civitate vel diocesi.	215	286
» 30	»	Electo Cathaniensi licentiam concedit faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ Brugensis, cujus existit præpositus.	231	315
» 30	»	Valeat Petrus Baudrici, rector ecclesiæ b. Mariæ de Beceda, Apamiarum diocesis, dictam ecclesiam de cætero retinere, dummodo se faciat ad sacerdotium promoveri, non obstante autem quod a monasterio Electensi, Narbonensis diocesis, pensionem triginta librarum Turonensium parvorum annuatim percipit.	294	433
» 30	»	Cuidam clerico Velletrensi conceditur officium tabellionatus.	306	459
» 30	»	Rectori ecclesiæ de Falzeto, Terraconensis diocesis, qui dictam ecclesiam in minoribus tantum constitutus ordinibus quondam obtinuit nec se fecit, prout tenebatur juxta constitutionem Concilii Lugdunensis, ad sacerdotium promoveri, remittit fructus minus juste perceptos ex eadem ecclesia, statuens ut ipsam præfatus rector de cætero retinere valeat, dummodo infra annum in prebyterum ordinetur.	319	478

1304 Januar. 30	Laterani.	Decano ecclesiæ s. Gengulphi Tullensis committit curam et potestatem taxandi et statuendi in monasterio s. Mansueti, ejusdem urbis, ordinis s. Benedicti, certum monachorum numerum, prout pensatis ipsius monasterii facultatibus melius viderit expedire.	Col. 365	No. 554
» 30	»	Archiepiscopo Cassellensi potestatem elargitur conferendi personis idoneis, quas duxerit eligendas, beneficia ecclesiastica dudum in civitate et diocesi Cassellensi vacantia, quorum collatio, propter diuturnam hujusmodi vacationem, secundum Lateranensis statuta Concilii ad Apostolicam Sedem devoluta est.	377	571
» 30	»	Archiepiscopo Cassellensi concedit ut possit duos instituere notarios.	378	572
» 30	»	Petrum Noviomensem episcopum, quem præpositus et capitulum ecclesiæ Arelatensis in archiepiscopum concorditer postularunt, ad ecclesiam Arelatensem transfert.	391	608
» 30	»	Archiepiscopo Cassellensi concedit ut personis provinciæ suæ, quæ propter ecclesiarum incendia vel pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas sunt excommunicationum sententiis innodatæ, beneficium absolutionis impendere valeat.	416	657
» 30	»	Jacobo Parisii de Bononia, civi Viterbiensi, conceditur sub certo annuo censu feudum quoddam ad Ecclesiam Romanam pertinens, situm in territorio castri Orclæ, Viterbiensis diocesis.	431	677
» 31	»	Francisco Bartollucii, militi Anagnino, et ejus hæredibus molendinum de Vallerano situm in territorio castri Paliani, Civitatis Papalis diocesis, in feudem concedit sub certis conditionibus et annuo censu perpetuo retinendum.	239	325
» 31	»	Episcopo Sedunensi concedit facultatem faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos ecclesiæ suæ cathedralis, ac providendi eisdem de præbendis cum proventibus qui *canonia* vulgariter in illis partibus appellantur.	263	379
» 31	»	Eidem concedit ut dispensare valeat super defectu natalium cum Lanfranco nato quondam Corradi comitis de Panico, qui subdiaconatus et diaconatus ordines dudum indebite recepit, licentia Sedis Apostolicæ non obtenta.	275	405
» 31	»	Abbati monasterii Fuldensis, Herbipolensis diocesis, mandat ut quendam Bertholdum, nuper electum in abbatem monasterii Herfeldensis, Maguntinæ diocesis, peremptorie citet ad comparendum coram Apostolica Sede super electione prædicta responsurum.	275	406
» 31	»	Fidelibus, qui monasterio s. Agnetis prope Urbemveterem, ordinis s. Benedicti, manum porrexerint adjutricem ad ipsius inopiam relevandam, indulgentiam quadraginta dierum elargitur.	278	413

1304 Januar. 31	Laterani.	Vacante Bambergensi ecclesia per mortem Lupoldi episcopi, Wulvingus Laventinus episcopus ad prædictam Bambergensem ecclesiam transfertur.	Col. 288	No. 426
» 31	»	Queritur de abbate et conventu monasterii s. Ausardi [1], Caturcensis diocesis, et de quibusdam aliis, qui Thomam Bruneti de Murro, priorem prioratus de Gazarano, Tholosanæ diocesis, contra justitiam impediunt quominus possessionem obtineat prioratus supradicti, nec non excommunicationum et interdicti sententias, quas olim hujusmodi occasione incurrerunt, sustinent animis induratis. Mandat igitur, ut ad comparendum coram conspectu apostolico citentur pro meritis recepturi et facturi super præmissis quod justitia suadebit.	290	429
» 31	»	Johannes canonicus basilicæ s. Mariæ Majoris de Urbe ecclesiæ Pactensi præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem.	298	449
» 31	»	Conservatores aliquos rogat et hortatur ut episcopo Imolensi efficaciter assistentes, eum a molestatoribus strenue tueantur, illos qui jura, privilegia et possessiones ejus turbaverint vel invaserint compescendo.	308	465
» 31	»	Olim Bononiensis episcopus cum quodam Multobono clerico suæ diocesis dispensavit, ut minores ordines recipere et beneficium ecclesiasticum sine cura adipisci valeret, non obstante natalium defectu. Prædictam dispensationem Benedictus XI confirmat, statuens ut idem clericus ad omnes ordines et quæcumque beneficia promoveri possit [2].	313	471
» 31	»	Vacante quondam ecclesia Milevitana per obitum Jacobi episcopi, ipsius sedis provisio fuit a Martino IV et Honorio IV apostolicæ dispositioni reservata: nunc autem auctoritate Benedicti XI Nicolaus præficitur eidem ecclesiæ in episcopum et pastorem.	324	482
» 31	»	Jacobo s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali committit, ut abbati et conventui monasterii s. Pauli de Urbe licentiam largiatur dividendi ac locandi feuda quædam ad eos pertinentia, cum ipsa ad dictum monasterium devolvi de cætero contigerit, quibusdam statutis non obstantibus.	331	493
» 31	»	Abbati monasterii s. Pauli de Urbe concedit facultatem recipiendi resignationem Johannis abbatis monasterii s. Clementis Tiburtini, ordinis s. Benedicti, prædicto cœnobio s. Pauli subjecti. Mandat quoque ut eidem Johanni provideatur de qualibet ecclesia ad collationem conventus s. Pauli spectante.	332	494

1. Col. 290, l. 32, et col. 291, l. 14, lisez *Ausardi* au lieu de « Ansardi. »

2. Col. 313, l. 12, lisez *Multobono* au lieu de « Mulcobono. »

1304				
Januar. 31	Laterani.	Fratri Claro monacho monasterii s. Morentii, Forosinfroniensis diocesis, qui se gerit pro abbate monasterii s. Vincentii de Petrapertusa, Urbinatis diocesis, peremptorius terminus assignetur, ut personaliter coram Apostolica Sede compareat.	Col. 360	No. 539
» 31	»	Stephano de Malolacu canonico ecclesiæ de Ankelande, Dunelmensis diocesis, confirmat ecclesiam de Halveton, diocesis ejusdem, quam ei Dunelmensis episcopus auctoritate ordinaria concesserat ad ipsius inopiam relevandam.	486	781
» 31	»	Ordinationem factam ab abbate et conventu monasterii Molismensis, Lingonensis diocesis, approbat et communit, qua provide statuitur, ut abbates dicti monasterii et priores prioratuum ei subjectorum, ipsorum regimen libere resignantes, dummodo eis propria demerita non obsistant, de bonis monasterii vel prioratuum prædictorum pensionem annuam competentem in memoriam pristinæ dignitatis recipiant pro suis necessitatibus commodius supportandis.	529	872
» 31	»	Episcopo Ostiensi legationis officium committit in provinciis Tusciæ, Romaniolæ et Marchiæ Tervisinæ nec non in circumadjacentibus partibus.	720	1171
» 31	»	Eundem legatum in supradictis partibus paciarum et pacis servatorem constituit.	722	1172
» 31	»	Eidem indulget ut in ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis suæ legationis decem clericos idoneos recipi faciat in canonicos, unum videlicet in ecclesia una.	724	1173
» 31	»	Eidem concedit ut quatuor personis idoneis laicis sive clericis tabellionatus officium conferre possit.	725	1174
» 31	»	Eidem, ut quoslibet religiosos cujuscumque ordinis, quos inobedientes invenerit, privare valeat omnibus indulgentiis et privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis.	725	1175
» 31	»	Eidem, ut absolvere valeat ab excommunicationis sententia nonnullos de partibus suæ legationis, qui certis ex causis absolutionem nequeunt commode recipere.	726	1176
» 31	»	Eidem, ut, si legatione prædicta durante aliquem vel aliquos ex clericis sibi assistentibus decedere vel beneficia sua resignare contigerit, beneficia ipsa per mortem seu resignationem hujusmodi vacantia conferre possit personis idoneis.	726	1177
» 31	»	Eidem, ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia audire et etiam celebrare vel facere celebrari possit.	727	1178
» 31	»	Eidem, ut absolvere valeat clericos et laicos suæ legationis, qui sententiam excommunicationis incurrerint pro fractionibus et incendiis ecclesiarum seu locorum ecclesiasticorum.	727	1179

1304 Januar. 31	Laterani.	Eidem, ut dispenset cum viginti clericis suæ legationis super natalium defectu.	Col. 728	No. 1180
» 31	»	Eidem, ut compellat quoslibet prælatos nec non regulares et alias ecclesiasticas personas ad contribuendum in procurationibus sibi debitis.	728	1181
» 31	»	Eidem, ut evectiones ducere libere valeat, quando pro commissis sibi negotiis viderit expedire.	729	1182
» 31	»	Eidem, ut omnibus fidelibus qui ad fabricasecclesiarum in prædictis partibus consistentium manum porrexerint adjutricem indulgentiam quadraginta dierum largiatur.	729	1183
» 31	»	Eidem, ut omnibus fidelibus, qui colloquiis et congregationibus infradictis interfuerint, centum dierum vel etiam unius anni indulgentiam elargiri possit.	729	1184
» 31	»	Eidem, ut partes suæ legationis egredi ac easdem reingredi et tam intra quam extra ipsas commissum sibi negotium simili modo valeat adimplere.	730	1185
» 31	»	Eidem, ut dispenset cum ecclesiarum prælatis et personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ferendo sententias excommunicationis sine scriptis.	730	1186
» 31	»	Eidem, ut similiter dispenset cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ex eo quod excommunicatæ receperunt ordines et ministrarunt in illis vel aliis sententiis innodatæ divina officia celebrarunt.	730	1187
» 31	»	Eidem, ut possit compellere prælatos et personas ecclesiasticas suæ legationis ad exhibendum nuntiis suis omnia necessaria.	731	1188
» 31	»	Eidem, ut censuram ecclesiasticam exercere valeat in personas ecclesiasticas suæ legationis et in terras ipsarum.	731	1189
» 31	»	Notum facit quod per prædicta, quæ eidem legato specialiter committuntur, his quæ ei ratione legationis hujusmodi competunt nullatenus derogatur.	732	1190
» 31	»	Eidem concedit ut faciat ministrari clericis sibi assistentibus proventus eorum ecclesiasticos, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis.	732	1191
» 31	»	Eidem, ut fratribus Prædicatorum, Minorum et aliorum ordinum suæ legationis et etiam partium circumadjacentium injungere possit quodcumque prosecutioni officii sui viderit expedire.	733	1192
» 31	»	Eidem, ut conferre possit personis idoneis beneficia ecclesiastica infra legationis suæ terminos vacantia, quorum collatio secundum statuta Lateranensis Concilii est ad Apostolicam Sedem devoluta.	734	1193

1304				
Januar. 31	Laterani.	Eidem, ut valeat assumere et retinere ad propria obsequia quotcumque et quoscumque voluerit de fratribus Prædicatorum ac Minorum ordinum suæ legationis nec non eis committere executionem negotiorum quorumcumque.	Col. 734	No. 1194
» 31	»	Eidem, ut dispenset cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerint ex eo quod excommunicatæ, suspensæ vel etiam interdictæ susceperint ordines vel sese divinis officiis immiscuerint sic ligatæ.	735	1195
» 31	»	Eidem, ut cum decem personis religiosis suæ legationis dispensare valeat super simoniaca pravitate.	735	1196
» 31	»	Eidem, ut quotiens ipsum ad loca interdicta devenire contigerit, in quolibet eorumdem locorum semel aperiantur ecclesiæ ibidem existentes.	736	1197
» 31	»	Eidem, ut pro negotiis legationis suæ expediendis ad se vocare possit quoscumque et quotcumque de fratribus quorumlibet ordinum, et ipsis dare licentiam equitandi et vescendi cibariis quibuscumque.	736	1198
» 31	»	Eidem, ut privare possit omnibus gratiis ipsis ab Apostolica Sede concessis clericos suæ legationis quos indevotos, ingratos et inobedientes invenerit.	736	1199
» 31	»	Eidem, ut clericos et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Pistoriensis absolvere possit ab excommunicationis sententia, quam incurrerunt pro eo quod decimam ultimo impositam a Bonifatio papa VIII non solverunt terminis constitutis.	737	1200
» 31	»	Eidem, ut in injuriatores suos et familiæ suæ nec non in loca in quibus injuria facta fuerit censuram ecclesiasticam exercere valeat.	738	1201
» 31	»	Eidem, ut in singulis ecclesiis tam cathedralibus quam aliis legationis suæ unum ex clericis suis recipi faciat in canonicum.	738	1202
» 31	»	Eidem, ut valeat condere testamentum.	739	1203
» 31		Eidem, ut patriarchas, archiepiscopos, episcopos, ecclesiarum et monasteriorum prælatos aliasque personas ecclesiasticas suæ legationis possit punire, suspendere et etiam mittere ad Apostolicam Sedem, quotiens eos inobedientes seu rebelles invenerit.	739	1204
» 31	»	Omnibus personis ecclesiasticis sæcularibus et regularibus provinciarum Tusciæ, Romaniolæ, Marchiæ Tervisinæ ac partium circumadjacentium nuntiat se ad easdem provincias legatum supradictum destinasse. Eis mandat ut illum benigne recipiant et tractent honeste.	740	1205

1304 Febr. 1	Laterani.	Valeat archipiscopus Pisanus concedrc priori et fratribus ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem quendam hortum eorum loco vicinum.	Col. 221	No. 296
» 1	»	Quandam hortorum permutationem in Pisana civitate confirmat.	222	298
» 1	»	Magistro Johanni ad Clavas confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Cathalaunensi.	231	314
» 1	»	Archiepiscopo] Bituricensi facultatem concedit exercendi visitationis officium in ecclesia sua per aliquam personam ad hoc idoneam.	240	326
» 1	»	Supplicante Roberto s. Pudentianæ presbytero cardinali, concedit rectori ecclesiæ de Jussiaco, Autissiodorensis diocesis, ut prædictam ecclesiam retinere valeat, dummodo se faciat infra annum in presbyterum ordinari.	314	475
» 1	»	Certis executoribus mandat ut, si Johannem de Organis monachum electum in abbatem monasterii ss. Gorgonii et Viti, ordinis s. Benedicti, Pisanæ civitatis, idoneum invenerint ad ejusdem cœnobii regimen exercendum, ipsius electionem confirment : alioquin dicto monasterio personam aliam præficiant, cui per aliquem catholicum episcopum faciant munus benedictionis impendi.	367	559
» 1	»	Quasdam concessiones et remissiones jurium Romanæ Ecclesiæ, quas olim Bonifatius VIII certis locis, universitatibus et personis ducatus Spoletani fecerat, revocatas declarat.	741	1206
» 2	»	Vacante præbenda quadam in ecclesia Cameracensi per mortem Petri quondam Jacobi Bonaventuræ de Cardinali de Urbe, dicta præbenda confertur Alexandro Michaelis Mauretini de Venetiis. Dispensatur quoque cum eodem super pluralitate beneficiorum.	278	411
» 3	»	Guillelmo de Madagoto canonico Nemausensi concedit facultatem insistendi usque ad triennium liberalibus artibus et juri canonico, in loco ubi viget studium generale.	224	301
» 3	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum cœnobii Paduani indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad certam summam valeant recipere.	259	370
» 3	»	Petro de Treva confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Metensi. Dispensatur insuper cum eo super pluralitate beneficiorum.	264	380
» 3	»	Confirmatur statutum quod archiepiscopus Januensis de mandato Bonifatii VIII ediderat super quinario canonicorum numero in ecclesia s. Mariæ de Castello Januensis servando, nec non super instituendis in eadem tribus capellanis qui perpetuo inibi deservirent.	327	487

1304 Febr. 3	Lateranі.	Rectori ecclesiæ in Scheslz, Bambergensis diocesis, qui ipsam ecclesiam contra constitutionem Concilii Lugdunensis illicite retinuit, Benedictus remittit et donat fructus indebite perceptos ex eadem; dispensat quoque cum eo super irregularitate exinde contracta, eidem concedendo ut dictam ecclesiam deinceps retinere valeat.	Col. 532	No. 877
» 4	»	Thomasinus de Inzola de Parma constituitur rector in temporalibus Campaniæ et Maritimæ.	210	276
» 4	»	Electo Strigoniensi potestatem committit dispensandi cum Beda presbytero canonico ecclesiæ s. Nicolai de Alba Regali, Vesprimiensis diocesis, super irregularitate quam contraxerat, pro eo quod durante interdicto divina officia in civitate prædicta celebraverat.	274	403
» 4	»	Episcopo Lingonensi concedit, ut propter debilitatem proprii corporis diocesim suam per vicarium idoneum faciat visitari.	277	407
» 4	»	Eidem concedit ut faciat recipi in canonicos Lingonensis ecclesiæ Erveum natum Ervei domini de Safris, Eduensis diocesis, et Johannem dictum de Andilleyo de Lingonis jurisperitum, præfatæ ecclesiæ clericos.	277	408
» 4	»	Eidem concedit ut duo clerici, familiares ejus et domestici ac continui commensales, fructus ac redditus beneficiorum suorum per triennium percipere valeant, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis.	277	409
» 4	»	Christi fidelibus hospitali s. Petri Senensis eleemosynas et subsidia erogantibus indulgentiam centum dierum tribuit.	303	456
» 4	»	Abbati monasterii s. Johannis in Acerreto, ordinis s. Benedicti, Faventinæ diocesis, facultatem elargitur dispensandi cum quodam ejusdem monasterii monacho, ut ad omnes ordines promoveri possit non obstantibus aliquibus obstaculis.	305	458
» 4	»	Henrico de Dasle acolytho Hildesemensis diocesis indulget, ut non obstante illegitimitatis macula subdiaconatus et diaconatus ordines recipere valeat ac obtinere beneficium ecclesiasticum sine cura.	443	702
» 4	»	Cum abbas, monachi et conversi monasterii de Lura in comitatu Forkalkerii, ordinis de Callesio, ad professionem et observantiam ordinis fratrum Prædicatorum admitti desiderent, nec non ad monasterium s. Mariæ de Nazareth [1] Aquensis, ordinis ejusdem, cupiant se transferre, Benedictus XI, tam ipsorum quam comitis Provinciæ precibus inclinatus, committit episcopo Sistaricensi ut translationem hujusmodi vice apostolica valeat permittere.	462	732

1. Col. 462, l. 33, lisez « s. Mariæ *de Nazareth* Aquensis. »

1304 Febr. 4	Laterani.	Plebano plebis de Massa del Cozile, Lucanæ diocesis, mandat ut abbatissæ et conventui monasterii de Gattaiola, diocesis ejusdem, nec non Guillelmo Opizonis de Luca clerico diem dicat ad comparendum coram Apostolica Sede super possessione quam obtinent hospitalis de Altopasso causam acturis et recepturis quod ordo dictaverit rationis.	Col. 816	No. 1301
» 5	»	Valeat abbas monasterii s. Justinæ Paduanæ dispensare cum Thomasino [1] Armanni subdiacono, canonico monasterii s. Margaritæ de Vigontia, ordinis s. Augustini, Paduanæ diocesis, ut ad quaslibet ordinis sui prælaturas promoveri possit, defectu natalium non obstante.	265	384
» 5	»	Priorissæ et sororibus monasterii s. Dominici Imolensis, ordinis s. Augustini, sub cura fratrum Prædicatorum viventibus, indulget, ut ad præstationem decimarum, vel ad exhibendum pedagia minime teneantur.	296	441
» 5	»	Priorissam et sorores monasterii s. Petri martyris [2] de Regio, ordinis s. Augustini, magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali provinciæ Lombardiæ Inferioris committit. Easdem ab episcopi Regini et cujuslibet alius jurisdictione ac potestate prorsus eximit.	296	442
» 5	»	Magistro et priori provinciali provinciæ Lombardiæ Inferioris ordinis fratrum Prædicatorum scribit de eodem argumento.	296	443
» 5	»	Præceptori et fratribus hospitalis pauperum de Perpiniano, Elnensis diocesis, concedit ut in hospitali prædicto oratorium seu capellam extruant ad opus infirmorum et pauperum.	332	497
» 5	»	Electo Virdunensi facultatem impertitur compescendi per censuras ecclesiasticas illos, qui bona ac jura ejus vel episcopatus Virdunensis irreverenter invaserint aut turbaverint, nec non relaxandi post satisfactionem condignam sententias latas occasione hujusmodi.	333	499
» 5	»	Valeat idem electus concedere duabus personis diocesis Virdunensis tabellionatus officium.	333	500
» 5	»	Eidem electo facultatem tribuit absolvendi quosdam suæ diocesis clericos qui suspensionis sententiam incurrerant, et dispensandi quoque cum eis super irregularitate quam postmodum contraxerunt sese divinis officiis immiscendo.	333	501
» 5	»	Compellat idem electus nonnullos clericos beneficia obtinentes in ecclesia Virdunensi ad faciendum in ipsis debitam residentiam et ad recipiendum ordines, prout dictorum beneficiorum onus requirit.	334	502

1. Col. 266, l. 1, lisez *Thomasino* au lieu de « Thomasio. »
2. Col. 296, l. 28, lisez « s. Petri *martyris*. »

1304				
Febr. 5	Laterani.	Indulgentia centum dierum conceditur cunctis fidelibus, qui capellam hospitalis Lamberti dicti Pedis in Ipra, Morinensis diocesis, in s. Stephani ac b. Mariæ festivitatibus et in anniversario die dedicationis ipsius capellæ devote visitarint.	Col. 347	No. 517
» 5	»	Olim Gerlacus de Wetflaria [1], dum Parisiis insistebat studio litterarum, quendam socium suum casualiter vulneravit, qui ex suscepto vulnere hujusmodi alterius oculorum lumen amisit. Postmodum autem dictus Gerlacus exinde irregularis existens, dispensatione super hoc non obtenta, plura tamen beneficia ecclesiastica recepit, ex aliquibus eorumdem percepit fructus, et nihilominus ad sacerdotium se facere promoveri non curavit. Super quibus omnibus Benedictus XI cum eo misericorditer dispensat.	451	711
» 5	»	Indulget episcopo Corosopitensi, ut personam quamlibet ad hoc alias idoneam in canonicum et fratrem recipi faciat in ecclesia Corosopitensi.	456	715
» 5	»	Electo Virdunensi committit potestatem recipiendi et exigendi ab omnibus personis ecclesiasticis et sæcularibus suæ diocesis quæcumque ab ipsis Ecclesiæ Romanæ debentur de legatis, redemptionibus votorum, censibus, obventionibus et aliis.	479	767
» 5	»	Eidem indulget ut nonnullis clericis et laicis Virdunensis diocesis, qui pro violenta manum injectione in personas ecclesiasticas nec non pro fractionibus et incendiis ecclesiarum in excommunicationis laqueum inciderunt, beneficium absolutionis impendat.	488	768
» 5	»	Abbati et conventui monasterii s. Mariæ Sanæ Vallis de Fullina, Cisterciensis ordinis, Cenetensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones exactionum sæcularium confirmat.	817	1302
» 6	»	Fidelibus Perusinæ civitatis, qui ad reædificationem ecclesiæ prioratus s. Angeli foris Portam urbis ejusdem manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	209	273
» 6	»	Antonio de Laveza confertur canonicatus cum præbenda in ecclesia Wellensi.	225	302
» 6	»	Quandam pensionem olim a Bonifatio VIII cuidam Ranerio Incresso medico concessam revocat.	227	306
» 6	»	Ecclesiam de Pina, Cæsaraugustanæ diocesis, quam olim episcopus quidam Cæsaraugustanus canonicis ecclesiæ suæ in usus proprios deputaverat ad eorum inopiam relevandam, dicto capitulo confirmat.	228	307
» 6	»	Rogerio de Armanniaco Agennensi archidiacono indulget, ut usque ad biennium, quandiu studio litterarum et præcipue juris civilis insistet, valeat archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari.	252	357

1. Col. 451, l. 14 et 23, lisez *Wetflaria* au lieu de « Wetslaria. »

1304 Febr. 6	Laterani.	Potestati, capitaneo et communi civitatis Cæsenatis indulget, ut ad opus fabricæ nec non ad conservationem cujusdam pontis, quem in flumine quod dicitur Sapis construere cupiunt, certum pedagium a singulis forensibus dumtaxat laicis dictum flumen transeuntibus exigere valeant.	Col. 261	No. 375
» 6	»	Bononiensis episcopus deputatur executor cujusdam testamenti.	275	404
» 6	»	Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam b. Mariæ de Podio Serdani, Urgellensis diocesis, in singulis ipsius Virginis festivitatibus.	294	434
» 6	»	Bartholomæo clerico, Thomæ Stephani civis Romani filio, conceditur tabellionatus officium. — Concessio eadem alii facta.	297	445
» 6	»	Libertates et privilegia domus Militiæ Templi Jerosolimitani confirmat.	300	451
» 6	»	Episcopo Placentino mandat ut fratres ejusdem domus protegendos suscipiat eorumque jura et possessiones in diocesi Placentina specialiter conservet.	332	495
» 6	»	Electo Spoletano committit ut quasdam ecclesias suæ diocesis vacantes, quarum collatio reservatur Apostolicæ Sedi, personæ cuilibet conferre possit.	379	574
» 6	»	Episcopo Nimociensi mandat ut magistrum et fratres domus Militiæ Templi Jerosolimitani contra molestatores quoscumque tueatur ac defendet. — In e. m. pro eisdem aliis conservatoribus.	554	919
» 6	»	Episcopo Parmensi facultas conceditur permutandi nonnullas terras et possessiones ad mensam suam spectantes cum quibuscumque aliis in diocesi Parmensi consistentibus.	742	1207
» 6	»	Certis conservatoribus mandat ut Guidonem Astensem episcopum et ejus ecclesiam contra molestatores seu injuriatores tueantur.	743	1209
» 7	»	Obtentu et consideratione electi Vicentini, dispensat cum Jacobino nato Manuelis de Cataneis Lendenariæ nec non prædicti electi nepote, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri et beneficia vel officia quæcumque adipisci.	247	348
» 7	»	Episcopo Ostiensi mandat ut, si electionem de Guidone sacrista, administratore monasterii de Nonantula, ordinis s. Benedicti, Mutinensis diocesis, in abbatem ejusdem cœnobii canonice celebratam invenerit, ipsam confirmet.	262	376
» 7	»	Petro de Narbona conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Carnotensi.	265	382

1304				
Febr. 7	Laterani.	Magistro Bernardo Andree canonico Narbonensi beneficium ecclesiasticum confert quod duxerit acceptandum in ecclesia Narbonensi; dispensat insuper cum eodem super pluralitate beneficiorum.	Col. 496	No. 809
» 7	»	Magistro Alano Venatoris capellano domini papæ canonicatus confertur in ecclesia Andegavensi et præbenda ibidem reservatur.	518	851
» 7	»	Gerardo de Pecoraria canonico Remensi, nuntio suo ad partes Anglicanas destinato, concedit ut, quandiu per jamdictas partes obsequiis Apostolicæ Sedis institerit, fructus ac proventus beneficiorum suorum percipiat integraliter.	753	1221
» 7	»	Eidem conceditur ut uni ex clericis suis familiaribus, quem ad hoc duxerit eligendum, similem gratiam concedere possit.	753	1222
» 8	»	Valeat episcopus Ispalensis usque ad summam duorum millium florenorum auri mutuum contrahere.	224	300
» 8	»	Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri conceditur electo Milevitano.	243	335
» 8	»	Percevallo de Barbania conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Gebennensi.	243	336
» 8	»	Dispensat cum Guillelmo de Comitibus scholari Paduano, ut non obstante natalium defectu possit ad omnes ordines promoveri ac beneficium ecclesiasticum obtinere.	244	337
» 8	»	Obtentu Grimerii de Pecoraria civis Placentini, conferuntur Giffredo ejus filio canonicatus et præbenda in ecclesia Sarisbiriensi.	266	386
» 8	»	Cintio nato Johannis Arletti de Urbe confertur canonicatus præbendaque reservatur in ecclesia Turonensi. Dispensatur quoque cum eodem super pluralitate beneficiorum.	281	421
» 8	»	Facta inquisitione super regimine et vita abbatis monasterii s. Nicasii Remensis, contra quem monachi quamplures ejusdem cœnobii ad Sedem Apostolicam appellarunt, citentur dictus abbas et duo ex præfatis appellantibus ad comparendum coram summo pontifice.	354	531
» 8	»	Dispensat cum Jordano plebano ecclesiæ s. Andræ in Bruneswith, Hildesemensis diocesis, super pluralitate beneficiorum.	374	565
» 8	»	Magistris et scholaribus domus Choleti Parisiensis quosdam conservatores seu judices concedit. — In e. m. pro magistris et scholaribus domus Cardinalis Parisiensis.	713	1169

1304 Febr. 10	Laterani.	Priori generali fratrum Heremitarum ordinis s. Augustini indulget, ut fratribus dicti ordinis absolutione vel dispensatione indigentibus, qui ad Sedem Apostolicam aut ad diocesanum episcopum accedere nequeunt pro munere hujusmodi obtinendo, absolutionis seu dispensationis gratiam concedere possit. Valeat insuper dictus prior, quotiens fuerit opportunum, eandem potestatem prioribus provincialibus committere.	Col. 332	No. 496
» 10	»	Oliverio nato Cabrii de Modoetia reservatur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in civitate Mediolanensi vel diocesi.	337	505
» 10	»	Magistro cæterisque personis ordinis Humiliatorum notum facit se juxta tenorem cujusdam privilegii Innocentii papæ IV statuisse, ut nec præpositus et fratres domus s. Johannis de Alexandria, ordinis ejusdem, Aquensis diocesis, nec quævis alia persona de visitatione vel correctione domorum dicti ordinis, aut de approbatione præpositorum eorumdem se imposterum aliquatenus intromittant.	341	510
» 10	»	Archiepiscopis et episcopis ac abbatibus aliisque ecclesiarum prælatis mandat ut fratres ordinis Humiliatorum, qui sententiam excommunicationis incurrerint pro eo quod post factam in ordine ipso professionem de eodem exire præsumpserint, vel reventiam et obedientiam debitam magistro prædicti ordinis recusarint exhibere, excommunicatos publice nuntiari faciant.	342	511
» 10	»	Magistro, præpositis et fratribus ordinis Humiliatorum concedit ut in domibus, grangiis et locis sui ordinis possint construere oratoria ibique habere altaria portatilia.	343	512
» 10	»	Christi fidelibus, qui ad reædificationem et ampliationem domus de Braida, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, manum adjutricem porrexerint, indulgentiam centum dierum elargitur.	343	513
» 10	»	Instrumentum ibidem insertum confirmat, quo rector ecclesiæ s. Salvatoris ad Ortum Mediolanensis quasdam terras ad eandem ecclesiam pertinentes concessit jure libellario sub certo annuo censu præposito et fratribus domus de Mirasole, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis.	343	514
» 10	»	Magistro ordinis Humiliatorum indulget, ut fratres excommunicatos sui ordinis absolvere possit ac dispensare cum eis in certis casibus. Valeat ipse magister, quotiens opportunum fuerit, a confessoribus suis similis absolutionis vel dispensationis beneficium obtinere.	346	515
» 10	»	Eidem concedit facultatem uniendi illas ex domibus sui ordinis, de quarum unione ordini dicto commoditas ac personis in eis degentibus quies et salus provenient animarum.	347	516

1304				
Febr. 10	Laterani.	Confirmat quædam pacta et conventiones olim inita inter præpositum ecclesiæ s. Juliani Mediolanensis et Guidonem de Porta Orientali civem Mediolanensem, super constructione loci et ecclesiæ, quæ dictus Guido pro fratribus ordinis Humiliatorum in loco de Vicoboldono, Mediolanensis diocesis, ædificari fecit.	Col. 499	No. 817
» 10	»	Instrumentum præsentibus adnotatum confirmat, quo Rudolphus Romanorum rex præposito et fratribus domus s. Petri de Vicoboldono, ordinis Humiliatorum, Mediolanensis diocesis, concesserat ut pro utilitate molendinorum ad dictam domum pertinentium vel pro pratis et terris ejusdem domus irrigandis aqua fluminis Vitabiæ libere possint uti, sine contradictione aliqua vel pensione seu præstatione communi Mediolanensi solvenda.	510	842
» 10	»	Magistro Curthio de Cancellariis de Urbe, capellano domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda in ecclesia Parisiensi.	656	1097
» 11	»	Regulam et institutiones fratrum Servorum s. Mariæ, ordinis s. Augustini, confirmat, approbat et communit.	310	469
» 11	»	Cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Bartholomæi Tervisini in die dedicationis ipsius et in festivitate ejusdem sancti devote visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	359	535
» 11	»	Christi fideles per Tervisinam, Feltrensem et Tridentinam dioceses constitutos monet et hortatur ut hospitali s. Martini de Castrosa, Feltrensis diocesis, eleemosynas erogent; eis autem indulgentiam centum dierum promittit.	432	679
» 11	»	Magistro scholarum ecclesiæ Tervisinæ mandat ut hospitale supradictum a molestatoribus quibuscumque sollicite tueatur.	432	680
» 11	»	Magistro Bonajuto de Casentino canonico Aquilegensi, capellano suo, quem olim Bonifatius VIII ad Boemiæ et Ungariæ regna, ducatum Poloniæ et marchionatum Moraviæ destinaverat pro quibusdam decimis, legatis, obventionibus et aliis censibus in partibus eisdem nomine Romanæ Ecclesiæ colligendis, Benedictus XI mandat ut ad partes illas iterum se conferens, in hujusmodi negotiis sicut antea procedat juxta formam sibi traditam ab eodem Bonifatio.	700	1155
» 11	»	Eidem nuntio licentiam concedit relaxandi sententias excommunicationis, quas nonnulli clerici et laici supradictarum partium pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas incurrisse dicuntur.	702	1156
» 11	»	Eidem, ut possit dare quietationem nomine Romanæ Ecclesiæ de pecuniarum quantitatibus quas receperit.	702	1157

1304 Febr. 11	Laterani.	Eidem, ut absolvere valeat a reatu perjurii omnes illos, qui circa prosecutionem negotiorum prædictorum requisiti de veritate dicenda veritatem supprimere vel exprimere falsitatem præsumpserint.	Col. 703	No. 1158
» 11	»	Eidem, ut sibi liceat in jamdictis negotiis procedere etiam extra regna, ducatum et marchionatum prædicta ac si existeret in eisdem.	703	1159
» 11	»	Eidem, ut omnes illos, qui prosecutionem prædicti negotii impedire præsumpserint, incurrisse denuntiet sententiam in Lugdunensi Concilio promulgatam.	704	1160
» 11	»	Eidem mandat ut, cum alii census in jamdictis partibus Romanæ Ecclesiæ debeantur, eos quoque petere ac colligere diligenter procuret.	704	1161
» 11	»	Personis ecclesiasticis tam sæcularibus quam regularibus nec non universis fidelibus per partes easdem constitutis mandat, ut magistro Bonajuto de Casentino et ejus familiæ favorem et auxilium exhibeant.	705	1162
» 11	»	Eidem nuntio concedit ut duabus personis quas ad hoc invenerit idoneas tabellionatus officium conferat.	706	1164
» 12	»	Præposito Pergamensis ecclesiæ mandat, ut personas et jura monasterii Carevallis, Cisterciensis ordinis, Mediolanensis diocesis, efficaciter tueatur.	329	490
» 13	»	Episcopo Ostiensi inquisitionem committit super bonis cujusdam hæretici Pisanæ civitatis Ecclesiæ Romanæ confiscatis, quæ in ejusdem Ecclesiæ detrimentum alienata fuisse dicuntur.	223	299
» 13	»	Restituantur abbas et conventus monasterii Casemarii, Verulanæ diocesis, ad possessionem prioratus s. Mariæ de Ustica, Panormitanæ diocesis, quo quidem fuerant contra justitiam spoliati.	279	415
» 13	»	Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesias locorum ordinis Prædicatorum in singulis b. Mariæ Virginis, s. Dominici confessoris et s. Petri martyris festivitatibus annis singulis visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	296	440
» 13	»	Episcopo Torcellano mandat, ut abbatem et conventum monasterii Senevalli (*sic*) de Fulina, Cisterciensis diocesis, Cenetensis diocesis, adversus molestatores sollicite protegat.	573	960
» 13	»	Busolo de Parma, capellano suo, committit ut ad monasterium Farfense, ordinis s. Benedicti, Sabinensis diocesis, personaliter se conferens, in eodem cœnobio nec non in ipsius membris, prioratibus et ecclesiis reformet atque visitet quæcumque visitationis et reformationis officio noverit indigere.	762	1235

1304				
Febr. 14	Laterani.	Fratribus ordinis Prædicatorum Astensibus indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant.	Col. 295	No. 438
» 14	»	Valeat clericus quidam Astensis omnes ordines recipere et ecclesiasticum beneficium etiam cum cura obtinere, non obstante natalium defectu.	295	439
» 14	»	Libertates et privilegia Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani confirmat et communit.	300	450
» 14	»	Episcopum Massiliensem monet et hortatur, ut magistrum et fratres ejusdem Hospitalis contra molestatores tueatur ac protegat.	300	452
» 14	»	Cunctis fidelibus, qui episcopo et capitulo Lemovicensibus pia subsidia et eleemosynas contulerint pro reædificatione cathedralis ecclesiæ vetustate consumptæ, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit.	349	520
» 14		Quibusdam personis Lunensis diocesis indulget ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quodam obstaculo.	380	578
» 14	»	Indulgentias, quas ipse tunc episcopus Ostiensis ac alii episcopi, patriarchæ et archiepiscopus tempore consecrationis ecclesiæ fratrum Prædicatorum civitatis Paduæ concesserant visitantibus eandem ecclesiam, confirmat atque ampliat.	410	647
» 14	»	Ducissæ Austriæ et Stiriæ concedit, ut quatuor clerici ejus possint percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum usque ad quinquennium.	573	961
» 14	»	Eidem ducissæ liceat eligere sibi confessorem. — Valeat insuper in locis ecclesiastico suppositis generali interdicto, cum ipsam ad ea declinare contigerit, missarum solemnia per capellanum proprium facere celebrari.	573	962
(Febr. 14 - 15 Mart.)[1]	»	Abbati monasterii s. Burkardi, Herbipolensis diocesis, mandat, ut ea quæ de bonis monasterii s. Petri in Wilzeburc, ordinis s. Bedicti, Eystetensis diocesis, alienata invenerit illicite vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet.	819	1310
Febr. 15	»	Executoribus mandat ut Berardo de Podio Bastonis, canonico Reatino studenti in theologica facultate, faciant per quinquennium proventus ac fructus beneficiorum ejus integre ministrari, juxta Honorii III et Innocentii IV tenorem constitutionum.	279	416
» 15	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Esculanis indulget, ut de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant.	325	484

1. Voy. sur la date de cette pièce la note 2 de la col. 819.

1304 Febr. 15	Laterani.	Episcopo Florentino mandat ut juxta tenorem cujusdam sententiæ, quam apud Sedem Apostolicam Daynesius de Casalia clericus meruit obtinere, ipsum Daynesium inducat in possessionem plebanatus plebis de sancto Apiano, Florentinæ diocesis, quem in dicti Daynesii damnum et gravamen Petrus de Gerardinis ejusque in hac parte complices contra justitiam detinere præsumunt. Citentur quoque Petrus et complices prædicti ad comparendum coram conspectu apostolico super præmissis parituri.	Col. 334	No. 304
» 15	»	Archiepiscopo et capitulo Lugdunensibus concedit ut fructus, redditus, proventus ac obventiones primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quæ vacant ad præsens in provincia Lugdunensi vel usque ad triennium vacare contigerit, quibusdam tamen exceptis, libere percipiant in ipsius ecclesiæ Lugdunensis debitorum solutionem et onerum supportationem plenarie convertendos.	337	506
» 15	»	Geraldo Jaqueti presbytero, rectori ecclesiæ s. Petri de Corneliano, Carcassonensis diocesis, confertur beneficium ecclesiasticum sine cura, quod duxerit acceptandum in civitate Carcassonensi vel diocesi.	388	598
» 15	»	Omnes indulgentias a nonnullis prælatis concessas visitantibus ecclesiam fratrum Prædicatorum civitatis Esculanæ, in qua una de spinis coronæ Jhesu Christi dicitur esse servata, confirmat : indulgentiam autem unius anni et quadraginta dierum elargitur eis, qui dictam ecclesiam in festo Coronæ Domini et per octavas illius devote visitarint.	418	660
» 15	»	Decano et capitulo ecclesiæ Laudunensis concedit, ut, juxta tenorem inferioris epistolæ, censuram ecclesiasticam in injuriatores suos vel molestatores aut bonorum suorum invasores exerceant, non obstantibus privilegiis contrariis quibusdam ordinibus, monasteriis seu personis ab Apostolica Sede concessis.	573	963
» 15	»	Eisdem indulget, ut in injuriatores suos vel quoscumque molestatores censuram ecclesiasticam libere valeant exercere, nec non sententias ab ipsis hujusmodi occasione prolatas juxta formam Ecclesiæ relaxare.	574	964
» 15	»	Gerardum de Pecoraria capellanum suum ad partes Angliæ, Valliæ, Scotiæ et Iberniæ transmittit, ut ibidem decimas, census, denarium s. Petri ac alia jura et obventiones quæ Romanæ Ecclesiæ debentur diligenter colligat.	745	1213
» 15	»	Eidem nuntio licentiam concedit percipiendi singulis diebus de prædictarum pecunia decimarum tres solidos Sterlingorum propriis expensis applicandos.	748	1214
» 15	»	Eidem elargitur potestatem absolvendi illos de partibus supradictis, qui pro violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas excommunicationis sententiam incurrerunt.	748	1215

1304 Febr. 15	Laterani.	Eidem mandat ut ad collectionem denarii s. Petri in prædictis partibus specialiter intendat.	Col. 749	No. 1216
» 15	»	Eidem indulget ut, quandiu negotio præfatæ collectionis institerit, non teneatur se intromittere de quibusvis aliis negotiis, quæ sibi per Apostolicam Sedem vel ejus auctoritate committi forte contigerit.	750	1217
» 15	»	Eidem concedit potestatem petendi et recipiendi a rege Angliæ censum in quo ipse rex tenetur Romanæ Ecclesiæ.	751	1218
» 15	»	Dictum nuntium regi Anglorum commendat. Regem hortatur eundem ut censum supradictum cum integritate persolvat.	751	1219
» 15	»	Personas ecclesiasticas religiosas et sæculares Angliæ, Walliæ, Scotiæ et Yberniæ monet et hortatur, ut Gerardum de Pecoraria benigne recipientes et honeste tractantes, ei procurationes et solita subsidia exhibeant. — In e. m., aliquibus tamen mutatis, scribitur personis ecclesiasticis extra regnum Angliæ constitutis.	752	1220
» 15	»	Abbati et conventui monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones sæcularium exactionum eidem monasterio concessas confirmat.	817	1303
» 16	»	Fratri Jacobino electo Mantuano concedit licentiam ralaxandi sententias promulgatas et revocandi processus habitos olim contra potestatem capitaneumque et consiliarios civitatis Mantuanæ a quondam Philippo electo Mantuano occasione cujusdam dissensionis inter eos exortæ.	235	318
» 16	»	Magistro Symoni Magni Raynaldi de Podiobonizi indulget, ut non obstante natalium defectu, super quo dispensationem solitam dictus magister jam obtinuit, duo beneficia ecclesiastica præter præbendam, quam in ecclesia b. Mariæ Magdalenæ Virdunensis adeptus est, valeat retinere.	245	343
» 16	»	Gaspar de Montasia Cumanus canonicus constituitur rector in spiritualibus Campaniæ et Maritimæ.	247	349
» 16	»	Calaguritana et Calciatensi ecclesiis, quæ invicem sunt unitæ, vacantibus per obitum Ferrandi episcopi, Rodericus dictarum ecclesiarum canonicus in episcopum Calaguritanum et Calciatensem per viam compromissi electus est : quæ quidem electio confirmatur.	325	485
» 16	»	Confirmat in episcopum Roskildensem Olavum, cui nuper munus consecrationis per Tusculanum episcopum fecit impendi, eique mandat ut Roskildensis ecclesiæ curam gerat sollicitam.	329	489

1304 Febr. 16	Laterani.	Statuit ut duo priores provinciales ordinis Prædicatorum, in duabus Lombardiæ provinciis constituti, eam habeant potestatem, quam ante divisionem ipsius provinciæ prior unicus qui erat pro tempore obtinebat. Numerum autem inquisitorum hæreticæ pravitatis in eisdem partibus taxat.	Col. 711	No. 1167
» 17	»	Mandat episcopo Aquilensi, ut duabus personis suæ diocesis licentiam concedat remanendi in contracto matrimonio, non obstante constitutione quæ prohibet ne duorum compatrum filii matrimonialiter copulentur.	248	350
» 17	»	Archidiacono Alnisiensi in ecclesia Xanctonensi concedit, ut per quinquennium archidiaconatum suum per idoneam personam faciat visitari.	313	473
» 17	»	Confirmat Johannem, quem ex abbate monasterii s. Angeli de Gaifa, ordinis s. Benedicti, Urbinatis diocesis, capitulum Forosinfroniensis ecclesiæ per viam compromissi in episcopum elegit.	347	518
» 17	»	Fratrem Johannem ordinis Heremitarum in Vestanum episcopum confirmat.	349	519
» 17	»	Magistro Gerardo de Collaudinio archidiacono Parisiensi conceditur ut, cum sit negotiis ecclesiæ Parisiensis sæpius occupatus litterarumque studio cupiat insistere, archidiaconatum suum possit per aliquam personam idoneam facere visitari. — Dicto magistro eadem datur licentia super visitatione archidiaconatus quem obtinet in ecclesia Suessionensi.	379	577
» 17	»	Regi Siciliæ facultatem concedit ponendi et instituendi fratres ordinis Prædicatorum in loco, quem apud civitatem Tholonensem in comitatu Provinciæ fratres de Pœnitentia Jhesu Christi dudum obtinent, qui quidem locus est ab eisdem fratribus totaliter derelictus. — Indulgentia similis eidem regi super loco dictorum fratrum de Pœnitentia Jhesu Christi in castro Dreguiniani, Forojuliensis diocesis, prædictis fratribus ordinis Prædicatorum concedendo.	461	731
» 17	»	Priori et conventui monasterii s. Mariæ de Bridelington, Eboracensis diocesis, ecclesiam de Coulla, diocesis Lincolniensis, in usus proprios concedit.	509	839
» 17	»	Constitutionem edit in qua jura fratrum Prædicatorum et Minorum ex una parte, nec non cleri parochialium ecclesiarum ex altera, super prædicationibus faciendis, audiendis confessionibus, et corporibus defunctorum tumulandis recenset ac describit. Constitutionem vero quæ incipit *Super Cathedram*, a Bonifatio papa VIII super prædictis articulis promulgatam, revocat.	714	1170
» 17	»	Certis conservatoribus committit ut Parmensem episcopum et ejus ecclesiam contra molestatores vel injuriatores quoslibet tueantur ac protegant.	743	1208

1304				
Febr. 18	Laterani.	Episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ legato, mandat, moneat et inducat rectores et consilium communis Pistorii, ut ab omnibus processibus, quos contra Baldum Raynerii de Floravantis civem Pistoriensem nec non mercatorem cameræ apostolicæ facere moliuntur, prorsus abstineant.	Col. 263	No. 378
» 18	»	Priorissa et sorores monasterii s. Mariæ Magdalenæ juxta muros Basilienses magistro et priori provinciali provinciæ Theotoniæ ordinis fratrum Prædicatorum committuntur.	296	444
» 18	»	Magistro Jacobo de Ispania, canonico Londoniensi conceditur ut coram archiepiscopo Cantuariensi, qui contra eum processum fecerat pro eo quod pluralitatem beneficiorum receperat ac retinuerat indebite, amplius litigare non cogatur, quousque aliud super hoc ab Apostolica Sede extiterit ordinatum.	311	470
» 18	»	Laurentio de Levanto presbytero Lunensis diocesis beneficium ecclesiasticum reservat in ecclesia Januensi.	351	524
» 18	»	Indulgentia centum dierum pro visitantibus ecclesiam hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis in singulis b. Mariæ Virginis festivitatibus.	354	528
» 18	»	Quibusdam civibus Mediolanensis civitatis licentiam concedit erigendi ac dotandi altaria in eadem ecclesia.	354	529
» 18	»	Liceat magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis recipere usque ad summam mille florenorum auri ea quæ de usuris, rapinis et aliis male acquisitis proveniunt.	364	550
» 18	»	Christi fidelibus, qui eleemosynas et subsidia hospitali supradicto erogaverint, indulgentiam quadraginta dierum promittit.	364	551
» 18	»	Inhibet ne quis audeat prætextu cujusdam exactionis vel statuti impedire colonos, massarios vel nuntios hospitalis ejusdem quominus ad dictum hospitale redditus et proventus possessionum ipsius deferre possint.	373	564
» 18	»	Petro nato Jacobi de Cazulis canonico Pisano providetur de quadam præbenda sacerdotali vacante in eadem ecclesia. Dispensatur cum eo, ut præbendam supradictam apprehendere valeat, dummodo se faciat in presbyterum ordinari, non obstante defectu quem patitur in natalibus et ætate.	624	1032
» 18	»	Gerardo de Pecoraria, nuntio suo ad partes Angliæ, Walliæ, Scotiæ et Yberniæ destinato, mandat ut totam pecuniam, quam in prædictis partibus nomine Ecclesiæ colligi contigerit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet.	759	1232
19	»	Deputantur executores super negotio mutui, quod episcopus Bononiensis ex licentia Sedis Apostolicæ nuper contraxit pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Romanam curiam expediendis.	249	353

1304 Febr. 19	Laterani.	Vacante Noviomensi ecclesia per translationem Petri episcopi ad sedem Arelatensem, Andræas abbas monasterii Liskensis, ordinis Præmonstratensis, Morinensis diocesis, præficitur eidem ecclesiæ Noviomensi in episcopum ac pastorem.	Col. 251	No. 355
» 19	»	Beatricem de Sabaudia dominam de Fulcigniaco sub sua et Apostolicæ Sedis protectione suscipit.	398	623
» 19	»	Valeant Ugo Umberti Dalfini et Ysabella Johannis de Cabilione matrimonium invicem contrahere, non obstante quarto gradu consanguinitatis. — Eadem dispensatio pro Ugone Johannis de Cabilione et Beatrice Umberti Dalfini similiter conjunctis.	399	624
» 19	»	Vacante nuper ecclesia Novariensi per translationem Bartholomæi episcopi ad sedem Tridentinam, ac provisione ipsius ecclesiæ dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, Huguitio Leodiensis canonicus, domini papæ subdiaconus et capellanus nec non litterarum contradictarum auditor, dictæ Novariensi ecclesiæ præficitur auctoritate apostolica in episcopum et pastorem.	400	627
» 19	»	Archiepiscopo Ebredunensi mandat, ut Beatricem de Sabaudia dominam terræ de Fulcigniaco, Grationopolitanæ diocesis, quæ sub b. Petri protectione suscepta est, contra molestatores quoscumque tueatur.	516	847
» 19	»	Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam Omnium Sanctorum de Monteflorino juxta Grationopolim, a Beatrice de Sabaudia domina de Fulcigniaco extructam, devote visitaverint annuatim in b. Mariæ, s. Eustachii et Omnium Sanctorum festivitatibus.	517	849
» 19	»	Priori et conventui monasterii s. Petri de Rometa ordinis s. Benedicti, Vapincensis diocesis, concedit ut in ecclesia s. Mariæ de monasterio in Brienzonesio, Ebredunensis diocesis, cum rectorem ipsius ecclesiæ cedere vel decedere contigerit, prioratum prædicti ordinis eidem monasterio s. Petri subjectum, instituant.	519	854
» 19	»	Cum Dionisius Pragensis canonicus in remotis partibus moram trahat viginti annis et amplius jam elapsis, ac de ipsius morte verisimiliter dubitetur, summus pontifex mandat certis executoribus ut, si post citationem peremptoriam idem Dionisius non comparuerit, canonicatum ejus ac præbendam Lutoldo scholastico ecclesiæ Glogoniensis conferant et assignent.	594	993
Post Febr. 19	»	Valeat Noviomensis electus munus consecrationis recipere[1].	268	388
Febr. 20	»	Priori fratrum ordinis Prædicatorum Coloniensi committit facultatem dispensandi cum Johanne de Reiganeri, subdiacono Coloniensis diocesis, super irregularitate quam contraxit pro eo quod acolythatus et diaconatus ordines eadem die recepit ac postea ministravit in illis, licentia Sedis Apostolicæ non obtenta. Valeat insuper dictus prior præfato Johanni concedere ut ad superiores ordines promoveri possit.	416	655

1. Sur la date de cette pièce voy. la note de la col. 268.

1304				
Febr. 20	Laterani.	Obtentu Parmensis episcopi conceditur quibusdam personis Iporiensis diocesis, ut ad sedandas quasdam inimicitias inter earum parentes exortas matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.	Col. 744	No. 1210
» 20	»	Certis executoribus mandat, ut ruralem ecclesiam s. Benedicti sitam prope Taurinum abbatissæ et conventui monasterii s. Francisci Taurinensis, ordinis s. Claræ, in usus proprios concedant et assignent.	744	1211
» 20	»	Executoribus mandat ut Thomasiam Antonii de Tranna, neptam Parmensis episcopi, in domo sororum ordinis Humiliatorum Taurinensium recipi faciant in sociam et sororem.	744	1212
» 20	»	Magistro Bonajuto de Casentino, nuntio suo ad partes Boemiæ, Ungariæ, Poloniæ et Moraviæ destinato, mandat ut totam pecuniam quam in prædictis partibus nomine Ecclesiæ colligi contigerit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia integraliter assignet.	760	1233
» 22	»	Tempus consecrationis electi Vicentini usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum prorogat.	309	467
» 22	»	Episcopo Roskildensi licentia conceditur contrahendi mutuum usque ad summam mille marcharum boni et puri argenti ad pondus Romanum.	319	479
» 22	»	Archiepiscopo Senonensi indulget ut, cum propter impedimentum proprii corporis ac Senonensis ecclesiæ negotiorum occupationes multiplices nequeat diocesim suam personaliter visitare, eam per vicarium seu vicarios idoneos visitari faciat.	540	888
» 22	»	Eidem concedit ut in duabus cathedralibus et quatuor aliis collegiatis ecclesiis provinciæ suæ personas idoneas recipi faciat in canonicos, videlicet singulas in singulis.	540	889
» 22	»	Eidem, ut ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminisve fuerint violata, per alium reconciliari facere possit.	540	890
» 22	»	Eidem, ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, per triennium valeant percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum.	540	891
» 22	»	Eidem, ut in ecclesia Senonensi duas personas idoneas recipi faciat in canonicos et in fratres, eisque provideat de præbendis.	541	892
» 22	»	Archiepiscopo et capitulo Senonensibus facultatem tribuit percipiendi fructus redditusque ac proventus primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quæ usque ad biennium in Senonensi civitate vel diocesi vacare contigerit, in fabricam cathedralis ecclesiæ Senonensis quam reædificare incœperunt totaliter convertendos.	541	893

1304 Febr. 22	Laterani.	Decernit ut collationem cujusdam præbendæ Senonensis ecclesiæ factam magistro Guillelmo de Penulo per archiepiscopum Senonensem plenam obtineat roboris firmitatem, non obstante reservatione super hoc edita a Bonifatio VIII.	Col. 542	No. 894
» 22	»	Cuidam canonico Senonensi indulget ut sibi possit eligere confessorem.	543	895
» 22	»	Archidiacono Vastinensi in ecclesia Senonensi licentiam elargitur faciendi visitari archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam.	543	896
» 22	»	Abbati monasterii s. Petri de Vanna, Senonensis diocesis, mandat ut capitulum Senonensis ecclesiæ contra molestatores sollicite protegat.	543	897
» 22	»	Priori monasterii s. Eligii Parisiensis simile dat mandatum pro archiepiscopo Senonensi.	543	898
(Febr.- 22 vel Mart. 8) [1]	»	Cum ecclesia Larinensis pastoris præsidio destituta sit per suspensionem Pasqualis episcopi, committuntur Petro episcopo olim Cassanensi cura et administratio ejusdem ecclesiæ ac bonorum ipsius.	352	525
Febr. 23	»	Priorissam et sorores monasterii s. Georgii Perusini, ordinis s. Augustini, in ordinem fratrum Prædicatorum et provinciam Romanam ipsius ordinis cooptatas declarat. — In e. m. pro priorissa et sororibus monasterii s. Annæ de Nuceria Christianorum, quas committit magistro et priori provinciali regni Siciliæ. — In e. m. pro priorissa et sororibus monasterii s. Mariæ Angelorum Lucanæ, quas similiter committit magistro et priori provinciali Romanæ provinciæ.	552	915
» 23	»	Magistris et prioribus provincialibus Romanæ ac regni Siciliæ provinciarum ordinis fratrum Prædicatorum de superioribus epistolis significat.	553	916
» 23	»	Episcopo Portuensi mandat, moneat et inducat vel etiam per censuram ecclesiasticam compellat rectores et congregationem fraternitatis s. Francisci de Urbeveteri, ut quandam domum cum horto, quam habent juxta locum fratrum ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem, ipsis fratribus vendant pro pretio competenti.	562	940
» 23	»	Abbati monasterii s. Severi Urbevetani mandat, moneat et inducat abbatem conventumque monasterii Saxivini, ordinis s. Benedicti, Fulginatis diocesis, ut hortum quendam situm in civitate Urbevetana priori et monachis monasterii s. Crucis Urbevetanæ, ejusdem ordinis, vendant.	649	1080
» 24	»	Scribitur diversis conservatoribus pro magistro et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani.	630	1045

1. Voy. la note de la col. 353.

1304				
Febr. 26	Laterani.	Obtentu ducis Calabriæ, concedit Fernando Garciæ de Calatambio, ordinis fratrum Minorum, ut non obstante illegitimitatis macula possit officia quæcumque, administrationes seu prælaturas sui ordinis assumere.	Col. 256	No. 364
» 27	»	Episcopo Astensi mandat ut, cum fratres ordinis Prædicatorum civitatis ejusdem nequeant commode in cœnobio suo Domino famulari, dictis fratribus locum ecclesiæ s. Secundi de Mercato concedat et assignet, præpositum vero et septem canonicos, qui in eodem loco consistunt, ad ecclesiam cathedralem transferat, statuens ut ipsi et alii canonici Astenses unum corpus unumque capitulum de cætero censeantur.	254	362
» 27	»	Episcopo Cumano concedit facultatem faciendi recipi octo personas idoneas in totidem collegiatis ecclesiis Cumanæ diocesis, videlicet singulas in singulis, in canonicos et in fratres ac providendi eisdem de præbendis.	261	373
» 27	»	Consideratione Andreæ Garreti juris civilis professoris, Stephano ejus filio confertur canonicatus et præbenda reservatur in ecclesia Lexoviensi.	294	432
» 27	»	Consideratione Bernardi de Vicecomitibus nepotis Gregorii papæ X, confertur Oberto ejusdem Bernardi filio canonicatus in ecclesia Constantiensi eique præbenda non sacerdotalis ibidem reservatur.	364	553
» 27	»	Statutum quod capitulum ecclesiæ Vicentinæ ediderat de denario canonicorum numero in dicta ecclesia servando confirmat.	387	596
» 27	»	Bernardo de Strelis et Adelheidi natæ Bodonis de Ileburg, Misnensis diocesis, indulget ut in contracto matrimonio remanere possint, quarto consanguinitatis gradu non obstante.	447	707
» 27	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Taurinensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille florenorum auri valeant recipere.	754	1223
» 28	»	Ordini Humiliatorum concedit, ut quilibet successorum magistri, si fuerit in concordia electus, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suæ administrationis officium libere exequatur.	268	390
» 28	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Parmensibus confirmat quædam ædificia, ipsorum loco contigua, quæ abbas et conventus monasterii Fontisvivi, Cisterciensis ordinis, Parmensis diocesis, ad quos dicta ædificia pertinebant, eisdem fratribus concesserunt sub certis conditionibus.	282	423

1304 Febr. 28	Laterani.	Abbati et conventui ejusdem monasterii Fontisvivi confirmat hospitale de Ponte Taronis, Parmensis diocesis, ad episcopatum Parmensem spectans, quod diocesanus episcopus auctoritate apostolica eisdem abbati et conventui concessit pro recompensatione ædificiorum, quæ ipsi abbas et conventus dederunt et tradiderunt fratribus ordinis Prædicatorum Parmensibus, ut plenius dicitur in epistola superiore.	Col. 285	No. 424
» 28	»	Episcopo Parmensi de suprascriptis significat et mandata dat.	287	425
» 28	»	Præposito ecclesiæ s. Donnini de Burgo, Parmensis diocesis, mandat ut monasterium Fontisvivi, prædictæ diocesis, et personas ejusdem a vexantibus sollicite tueatur.	308	464
» 28	»	Jacobi Mathæi de filiis Ursi capellano suo dat licentiam conferendi duabus personis tabellionatus officium.	382	585
» 28	»	Universas priorissas et sorores monasteriorum ordinis s. Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventes, a præstatione decimarum et a pedagiis, teloneis aliisque quibuscumque exactionibus sæcularibus et ecclesiasticis immunes reddit, nec non a jurisdictione ac potestate patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum diocesanorum aliorumque quorumcumque eximit.	383	590
» 28	»	Certis executoribus mandat ut Leonardo electo Cathaniensi fructus præbendæ sacerdotalis, quam dictus Leonardus obtinet in ecclesia Cameracensi, integraliter faciant exhiberi, malitia capituli ejusdem ecclesiæ non obstante.	404	636
» 28	»	Ordini Cartusiensi concedit ecclesiam s. Ciriaci in Termis de Urbe, quæ titulus cardinalatus existit; statuit ut eadem de cætero spiritualiter et temporaliter proprium membrum prædicti ordinis censeatur, salvo tamen jure cardinalis qui eam intitulatam pro tempore habebit.	427	668
» 28	»	Obtentu capituli ecclesiæ Pictavensis, conceditur magistro Stephano Rebuffe personatus vel dignitas in eadem ecclesia, decanatu tamen dumtaxat excepto.	457	718
» 28	»	Mandat ut Johannes et Petrus de Sumena, rectores ecclesiarum s. Ypoliti de Rupeforcata et s. Martini de Crosis, Nemausensis et Biterrensis diocesium, valeant ad invicem præfatas ecclesias permutare.	489	791
» 28	»	Concedit episcopo Tricastrino licentiam faciendi recipi in ecclesia sua duas personas idoneas in canonicos et in fratres, ac providendi eisdem de præbendis.	531	873
» 28	»	Statuit ut præceptor et fratres hospitalis de Egra, ordinis Cruciferorum cum stella, Ratisponensis diocesis, habere possint in eodem hospitali cœmeterium ad opus dumtaxat ipsorum et pauperum et aliorum ibidem degentium.	614	1016

1304				
Febr. 28	Laterani.	Aliquibus mandat ut sexcentas libras Januensium, quas parrochianus quidam ecclesiæ s. Sabinæ Januensis Ecclesiæ Romanæ legavit, mercatoribus societatis Circulorum de Florentia faciant assignari [1].	Col. 761	No. 1234
» 28	»	Episcopo Magalonensi committit ut certam pecuniæ quantitatem apud quosdam mercatores de Montepessulano depositam mercatoribus societatis Circulorum de Florentia assignari procuret.	763	1237
» 29	»	Rectori in spiritualibus Campaniæ et Maritimæ mandat, ut magistrum Nicolaum, scriptorem apostolicum nec non rectorem ecclesiæ s. Leonardi de Casagentino [2], Alatrinæ diocesis, quem Alatrinus episcopus eadem ecclesia de facto privaverat eam indebite cuidam alii conferendo, ad possessionem dictæ ecclesiæ restitui faciat: alioquin præfatum episcopum et alios dicti Nicolai molestatores peremptorie citet ad comparendum coram Apostolica Sede.	303	457
» 29	»	Maurus abbas monasterii s. Mariæ de Pratalia, ordinis s. Benedicti, Paduanæ diocesis, præficitur in abbatem monasterio s. Benedicti de Padolirono, ordinis ejusdem, Mantuanæ diocesis.	356	533
» 29	»	Deodatum priorem prioratus s. Genii juxta muros Lectorenses, thesaurarium et capellanum suum, monasterio s. Petri de Latigniaco [3], ordinis s. Benedicti, Parisiensis diocesis, in abbatem præficit.	370	562
» 29	»	Precibus Mathildis comitissæ Atrebatensis annuens, certis mandat executoribus ut duas personas idoneas, quas dicta comitissa duxerit nominandas, recipi faciant in canonicos unam videlicet in Atrebatensi, alteram vero in s. Audomari, Morinensis diocesis, ecclesiis, eisque de præbendis ibidem vacantibus vel quam primum vacaturis provideant.	388	599
» 29	»	Eidem comitissæ indulget ut tres clerici ejus possint per triennium percipere fructus beneficiorum suorum.	405	637
» 29	»	Certis executoribus mandat ut ad preces supradictæ comitissæ decanatum et duodecim canonias in ecclesia s. Mariæ de Dola de novo creent.	405	638
» 29	»	Bonifacio Antonini de Nigro et Annæ Ansaldi de Mari, civibus Januensibus, indulget ut, ad sedandas discordias inter eorum progenitores et consanguineos exortas, matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quod Anna prædicta olim fuit uxor quondam Nicolai Lercarii civis Januensis, qui dum viveret conjunctus erat quarto consanguinitatis gradu Bonifacio supradicto.	405	639

1 Col. 761, dater cette pièce du 28 février, et non du 13 mars. A la date lisez III *Kalendas* martii, au lieu de « III idus. »

2. Col. 303, l. 32, et col. 304, l. 6, lisez *Casagentino* au lieu de « Casagentium. »

3. Col. 370, l. 38, lisez *Latigniaco* au lieu de « Latignaco. »

1304 Febr. 29	Laterani.	Dispensatur super defectu natalium cum Ghino Palliarini Primioli scholari Aretino. — Alia dispensatio similis pro Nicolao Jannini Paloscellæ scholari Parmensi.	Col. 443	No. 703
» 29	»	Obtentu magistri Arnoldi, medici et familiaris domini papæ, Uberto de Canturio reservatur beneficium ecclesiasticum, etiam si personatus aut dignitas existat, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Salzburgensi.	459	727
» 29	»	Johanni dicto Grame indulget ut insimul retinere valeat canonicatum et præbendam in ecclesia Goslariensi, Hildesemensis diocesis, nec non parochialem ecclesiam in Bokenem, dictæ diocesis, quam olim in decimo sexto ætatis suæ anno constitutus recepit et extunc retinuit licentia Sedis Apostolicæ non obtenta.	494	804
Mart. 1	»	Indulgentia pro visitantibus ecclesiam b. Mariæ Virginis de Caritate de Arena civitatis Paduæ.	294	435
» 1	»	Inquisitori pravitatis hæreticæ in Romana provincia deputato committit ut, si quasdam personas in illis partibus invenerit olim damnatas de hæretica pravitate sed nimis rigide punitas nec non beneficiis, officiis aut bonis suis privatas minus juste, eas ad dicta beneficia, officia et bona misericorditer restituere possit.	313	474
» 2	»	Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Lombardia declarat quid agendum sit, si diocesani episcopi et inquisitores sejunctim quæstionem criminis hæreseos habuerint.	280	420
» 2	»	Petro de Salis confirmat prioratum de Verziano, Cluniacensis ordinis, Brixiensis diocesis, quem ex concessione abbatis monasterii Cluniacensis obtinuerat.	359	537
» 2	»	Tabellionatus officium conceditur Christiano de Hoynvilla clerico Morinensis diocesis. — In e. m. pro Francisco nato Oddonis de Lande clerico.	361	541
» 2	»	Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur eis, qui ecclesiam monasterii s. Syxti de Urbe in festivitate ejusdem sancti ac in feria quarta post tertiam dominicam Quadragesimæ visitarint.	362	543
» 2	»	Communi Pisanæ civitatis scribit de quibusdam verbis olim a Bonifatio papa VIII coram cardinalibus editis super prohibitione commercii cum Sarracenis.	362	545
» 2	»	Indulgentiam centum dierum fidelibus elargitur, qui ecclesiam s. Philippi de Argirio, Cathaniensis diocesis, in festivitate ejusdem sancti devote visitarint.	383	588
» 2	»	Eadem indulgentia conceditur visitantibus ecclesiam monasterii s. Mariæ de Latina in Jerusalem Messanensis.	383	589

1304				
Mart. 2	Laterani.	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Papiensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis recipere possint usque ad summam mille librarum Papiensium.	Col. 402	No. 631
» 2	»	Obtentu Wernhardi Pataviensis episcopi, concedit Eberhardo Henrici de Alecho acolytho Pataviensis diocesis, ut non obstante natalium defectu possit in minoribus ordinibus quos jam suscepit ministrare nec non ad superiores promoveri et beneficium ecclesiasticum cum animarum cura obtinere. — Concessio eadem pro alio acolytho ejusdem diocesis.	414	651
» 2	»	Monasterium s. Mariæ Monacharum Aquinatis a præstatione cujuslibet decimæ per Sedem Apostolicam impositæ in subsidium negotii regni Siciliæ prorsus eximit.	444	705
» 2	»	Petrus Guillelmi de Furno clericus creatur notarius.	458	724
» 2	»	Dispensat cum duabus personis diocesis Rothomagensis ut, non obstante quadam consanguinitate, in matrimonio contracto remanere licite possint, prolem ex eis susceptam vel suscipiendam legitimam nuntiando.	486	782
» 2	»	Episcopo Pataviensi potestatem concedit dispensandi cum Friderico Henrici de Sytansteten, scholari diocesis ejusdem, super natalium defectu ut ad omnes ordines se faciat promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit.	487	783
» 2	»	Executoribus mandat ut Wlskero [1] dicto Ssober de Hamburt scholari beneficium ecclesiasticum conferant, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Pataviensi.	492	794
» 2	»	Abbati monasterii s. Victoris Massiliensis indulget ut, propter onera expensarum ei incumbentium, valeat per biennium facere visitari loca dicto monasterio subjecta per aliquam personam idoneam.	504	824
» 2	»	Christi fidelibus, qui ad consummationem ædificii plebis de Amburgo, Pataviensis diocesis, manum adjutricem porrexerint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit.	558	927
» 2	»	Duabus personis Amalfitanæ civitatis concedit, ut matrimonium invicem contrahere possint impedimento cujusdam affinitatis non obstante.	576	966
» 2	»	Christi fidelibus, qui ecclesiam s. Caterinæ virginis de Brianzono, Ebredunensis diocesis, in ipsius sanctæ festivitate visitarint, centum dierum indulgentiam promittit.	647	1077
» 3	»	Uberto de Mazadio comiti Valpergæ et Jacobinæ ejus uxori indulget, ut in matrimonio contracto libere remaneant, non obstante quod dictus Ubertus, priusquam uxorem duxit, quandam mulierem præfatæ Jacobinæ conjunctam quarto consanguinitatis gradu carnaliter cognovit.	290	427

1. Col. 492, l. 2, lisez *Wlskero* au lieu de « Wulskero. »

1304 Mart. 3	Laterani.	Facultas electo Rigensi concessa contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium florenorum auri pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis.	Col. 303	No. 455
» 3	»	Arnoldo dicto de Puteo clerico Coloniensi conceditur officium tabellionatus.	361	540
» 3	»	Johanni Baliani de Antiochia et Agneti Guillelmi Barlays, Nicosiensis diocesis, indulget ut, cum nobiles degentes in insula Cipri nequeant commode ibidem invenire sibi pares, quibus possint matrimonialiter copulari secundum exigentiam proprii status, matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.	383	591
» 3	»	Consilio et communi castri Matellicæ, Camerinensis diocesis, facultatem concedit eligendi libere annis singulis potestates et officiales alios.	384	952
» 3	»	Quandam locorum permutationem de consensu Papiensis episcopi factam inter priorem ac fratres ordinis Prædicatorum Papienses et abbatissam ac conventum monasterii s. Thomæ, civitatis ejusdem, ordinis s. Benedicti, confirmat et communit.	403	633
» 3	»	Dispensat cum Waltero de Radragia super pluralitate beneficiorum et irregularitate exinde contracta.	460	729
» 3	»	Conceditur priori et fratribus ordinis Prædicatorum Albensibus ut de usuris et rapinis recipere valeant usque ad summam mille florenorum auri.	754	1224
» 3	»	Provisionem Aquensis ecclesiæ dispositioni Sedis Apostolicæ reservat [1].	755	1226
» 4	»	Indulget electo Noviomensi, ut in ecclesia sua recipi faciat in canonicos duas personas idoneas, eisque provideat de præbendis.	298	447
» 4	»	Fratri Nicolao de Mileto priori monasterii s. Anastasii de Urbe curam committit et administrationem in spiritualibus et temporalibus exercendam monasterii Sublacensis, Tiburtinæ diocesis.	302	454
» 4	»	Franciscum, rectorem ecclesiæ s. Blasii de Trajecto, vacanti ecclesiæ Satrianensi præficit in episcopum.	353	526
» 4	»	Episcopo Baiocensi supplicante, confertur magistro Symoni de Guibervilla canonicatus in ecclesia Baiocensi ibique præbenda reservatur.	359	536
» 4	»	Cuidam clerico regis Aragoniæ confertur una de duodecim præposituris in ecclesia Barchinonensi existentibus, quæ *mensatæ* vulgariter nuncupantur.	391	607

1. Sur la date de cette pièce, voy. la note 2 de la col. 755.

1304 Mart. 4	Laterani.	Precibus capituli ecclesiæ Lateranensis annuens, statuit ut de cætero in eadem ecclesia sit certus canonicorum, beneficiatorum et acolythorum numerus.	Col. 406	No. 642
» 4	»	Consideratione Tani de Loglano familiaris domini papæ, pro Zoemio quondam Facioli de Loglano nepote suo in hac parte supplicantis, dicto Zoemio confertur beneficium quoddam sine cura quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Veronensi.	408	644
» 4	»	Episcopo Tusculano, cui Bonifatius VIII concesserat medietates castrorum Scandriliæ, Castellucii et Roccæ Soldanæ per se nec non per hæredes suos jure feudi perpetuo retinendas, dictam concessionem Benedictus confirmat.	411	649
» 4	»	Tabellionatus officium conceditur Johanni dicto de Arboreto clerico Claromontensis diocesis — Conceditur idem officium Johanni dicto Relenghes clerico Tornacensi.	458	722
» 4	»	Tribus mulieribus in domo de Bucinate prope civitatem Cumanam sub observantia regulæ b. Augustini viventibus licentiam concedit transeundi cum bonis suis ad monasterium s. Claræ prope civitatem supradictam, ordinis ejusdem sanctæ.	473	752
» 4	»	Hermanno marchioni Brandeburgensi indulget ut, cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto ipsum contigerit declinare, ibidem possit sibi ac familiæ suæ per capellanum proprium divina officia facere celebrari [1].	510	841
» 4	»	Abbati et conventui monasterii de Salopia, ordinis s. Benedicti, Conventrensis diocesis, confirmat ecclesiam de Scocoresden., Herefordensis diocesis, quam ex concessione diocesani episcopi dudum obtinent.	525	862
» 4	»	Fratri Johanni Oliverii de Parma, olim ordinis Minorum, indulget ut in quibuslibet monasteriis ordinis s. Benedicti, ad quem nuper convolavit, prælaturas, dignitates seu officia quæcumque assumi licite valeat, non obstante Nicolai papæ IIII constitutione.	558	929
» 4	»	Quibusdam civibus Romanis licentiam tribuit contrahendi matrimonium quarto consanguinitatis gradu nequaquam obstante.	648	1078
» 4	»	Electoribus magistri ordinis fratrum Prædicatorum apud Tholosam constitutis notum facit se omnes sententias sive notas, quas ipsi forsitan incurrerint, penitus revocare ita ut electioni celebrandæ obstaculum aliquod nequeat interponi [2].	755	1227

1. Col. 510, l. 19, lisez 671 B au lieu de « 571 B. »
2. Sur la date de cette pièce, voy. la note de la col. 756.

1304 Febr. 5	Laterani.	Confirmat litteras, quibus ipse dudum concesserat magistro Thomæ de Balliaco, Parisiensi canonico, ut quandiu Parisiis regeret in theologica facultate, posset præbendæ suæ per vicarium facere deserviri : dicit suæ esse intentionis ut prædicta gratia debitum sortiatur effectum, non obstante juramento quod præstitit dictus magister de ejusdem præbendæ oneribus personaliter et non per alium exercendis.	Col. 297	No. 446
» 5	»	Mandat episcopo Casertano ut compellat quasdam personas in regno Siciliæ constitutas ad exhibendum monasterio Vallis Serenæ, Parmensis diocesis, certas pecuniæ quantitates. — In e. m. scribitur episcopo Regino super aliquibus personis in provincia Lombardiæ constitutis.	349	521
» 5	»	Consideratione et obtentu fratris Martini ordinis Minorum capellani Portuensis episcopi, reservatur Bartholomæo nato Jacobi de Cazago, clerico Brixiensis diocesis, beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in eadem civitate vel diocesi.	369	560
» 5	»	Archiepiscopo Arelatensi concedit ut quatuor clerici, familiares et domestici ac commensales ejus, possint per quinquennium percipere fructus beneficiorum suorum.	393	610
» 5	»	Eidem archiepiscopo pallium transmittit per archiepiscopum Neapolitanum.	393	611
» 5	»	Ne quis in eundem archiepiscopum sententias excommunicationis vel interdicti aut suspensionis proferre possit auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, nisi litteræ ipsæ de hac indulgentia mentionem expressam fecerint.	393	612
» 5	»	Valeat idem archiepiscopus indulgentiam quadraginta dierum elargiri omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui prædicationibus ejus interfuerint.	393	613
» 5	»	Valeat idem archiepiscopus duos instituere notarios.	394	614
»	»	Eidem liceat condere testamentum.	394	615
» 5	»	Eidem licentia conceditur disponendi libere de beneficiis ecclesiasticis in Arelatensi civitate vel diocesi vacantibus, quorum collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam devoluta est.	394	616
» 6	»	Archiepiscopo Lundensi mandat ut electionem Petri prioris ecclesiæ Othoniensis in Othoniensem episcopum diligenter examinet, et si eandem de persona idonea invenerit canonice celebratam confirmet.	356	532
» 6	»	Dispensat cum Francisco, monacho monasterii Mosacensis, Aquilegensis diocesis, ut ad omnes ordinis s. Benedicti administrationes promoveri valeat, defectu natalium non obstante.	415	652

1304				
Mart. 6	Laterani.	Abbati majoris monasterii Turonensis mandat, ut in monasterio s. Florentii [1] de Bonavalle, ordinis s. Benedicti, Carnotensis diocesis, certum monachorum numerum, prout expedire viderit, statuat et taxet.	Col. 520	No. 857
» 6	»	Confirmat compositionem per arbitrum quendam initam inter rectorem ecclesiæ s. Thomæ de Arena Paduanæ civitatis, et priorem conventumque monasterii de Porcilia extra muros Paduanos super certis parochialibus juribus.	521	859
» 6	»	Priori et conventui monasterii de Porcilia extra muros Paduanos indulget, ut familiarium et servitorum suorum, qui in eodem monasterio commorantur, audiant confessionem et ministrent ipsis cætera ecclesiastica sacramenta.	533	880
» 6	»	Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur fidelibus, qui ecclesiam monasterii s. Florentii de Bonavalle, Carnotensis diocesis, devote visitarint in festivitatibus ejusdem s. Florentii ac ss. Marcellini et Petri martyrum, quorum corpora in dicta ecclesia requiescunt.	578	971
» 7	»	Statutum, quod electus Parmensis de senario in ecclesia de Sorbulo canonicorum numero ediderat, confirmatur.	308	466
» 7	»	Licentia conceditur patriarchæ Jerosolimitano instituendi duos notarios.	401	628
» 7	»	Indulget Austriæ duci ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto liceat ei divina officia facere celebrari.	415	563
» 7	»	Mandat ut Johanni de Quiliano clerico Narbonensi provideatur de quadam ecclesia, quam acceptandam duxerit in civitate vel diocesi Carcassonensi, cujus tamen proventus valorem annuum sexaginta librarum Turonensium parvorum non excedant.	475	754
» 7	»	Episcopo Grationopolitano indulget, ut clericus quidam unus ex domesticis et familiaribus ejus percipere possit usque ad quinquennium fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum.	479	764
» 7	»	Patriarchæ Jerosolimitano indulget ut, ubicumque fuerit, nulli pedagia seu plateatica pro animalibus, blado, vino, lana, lignis aliisque victualibus sibi necessariis solvere teneatur.	505	827
» 7	»	Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Alexandrinis, Aquensis diocesis, concedit ut de usuris, rapinis et aliis male ablatis usque ad summam mille florenorum auri recipere valeant.	553	917
» 7	»	Patriarchæ Jerosolimitano facultatem elargitur condendi testamentum.	561	935

1. Col. 520, l. 17 et 22, lisez *Florentii* au lieu de « Florentini. »

1304 Mart. 7	Laterani.	Andreæ Rolandi clerico in minoribus ordinibus constituto indulget, ut oculi dextri macula non obstante in susceptis ordinibus ministrare possit nec non ad diaconatus ordinem ascendere et beneficium etiam obtinere.	Col. 650	No. 1086
» 7	»	Conceditur priori et fratribus ordinis Prædicatorum de Savilliano, Taurinensis diocesis, ut de usuris et rapinis usque ad certam summam recipere valeant [1].	755	1225
» 7	»	*Vid. supra* 6 *mart. n°* 880, *col.* 533 [2].	818	1304
» 8	»	Decano et capitulo Morinensibus facultatem concedit convertendi in reparationem ecclesiæ cathedralis per manum sacrilegam incendio perpessæ duo millia librarum Parisiensium, quæ eis bonæ memoriæ Henricus Morinensis episcopus in sua ultima voluntate reliquerat, ut de ipsis præbenda una fieret in ecclesia prælibata.	369	561
» 8	»	Eisdem indulget ut fructus et proventus primi anni beneficiorum, quæ in diocesi Morinensi vacare contigerit, usque ad quinquennium percipiant in reparationem ecclesiæ supradictæ convertendos.	379	575
» 8	»	Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit eis, qui ad reparationem ejusdem ecclesiæ manum porrexerint adjutricem.	379	576
» 8	»	Rectori provinciæ Romandiolæ indulget ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina officia audire possit.	416	656
» 8	»	Guillelmo de Sancta Cruce et Guillelmæ de Monte Rivello, uxori ejus, Bisuntinæ diocesis, indulget ut in matrimonio dudum contracto remanere possint, non obstantibus quarto consanguinitatis gradu nec non processibus factis occasione ejusdem matrimonii.	425	667
» 8	»	Priori fratrum ordinis Prædicatorum Sanctaranensi, Ulixbonensis diocesis, mandat ut Johanni Symeonis licentiam auctoritate apostolica largiatur construendi in fundo proprio, de bonis propriis, capellam et hospitale ad opus infirmorum ac pauperum, prout ipse Johannes affectat et proponit.	329	871
(Febr. 22 vel Mart. 8)	»	*Vid. supra* 22 *Febr.*	352	525
Mart. 9	»	Magistro Neapoleoni de filiis Ursi, archidiacono de Maiorica Legionensi, indulget ut archidiaconatum suum faciat per vicarium idoneum visitari. — Indulgentia similis eidem magistro conceditur pro archidiaconatu suo Stadiensi in ecclesia Cathalaunensi.	408	645
» 9	»	Quibusdam mandat ut episcopum Aquensem compellant ad imponendum finem molestiis, quas fratribus ordinis Minorum civitatis Aquensis intulit occasione loci quem habent infra civitatem eandem.	424	666

1. Sur la date de cette pièce, voy. la note 1 de la col. 755.
2. C'est par erreur que nous avons mentionné cette pièce parmi celles qui ne figurent pas dans le Registre du Vatican.

1304				
Mart. 9	Laterani.	Rectori ecclesiæ de Magres, Treverensis diocesis, remittit fructus indebite perceptos ex ecclesia de Hanliers, supradictæ diocesis, quam idem rector illicite recepit ac retinet quinque annis jam elapsis : omnem maculam in eo obortam occasione hujusmodi penitus abolet, cum eodem insuper dispensans ut dictas ecclesias insimul habere et tenere de cætero valeat.	Col. 478	No. 763
» 9	»	Dispensat cum quodam clerico Constantiensis diocesis, ut non obstante defectu natalium omnes ordines recipere ac beneficium ecclesiasticum obtinere valeat.	485	780
» 9	»	Valeat archiepiscopus Ebredunensis per vicarios idoneos provinciam suam facere visitari.	492	796
» 9	»	Eidem facultatem impertitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in ecclesia sua Ebredunensi ac providendi eis de competentibus præbendis.	492	797
» 9	»	Ordinationem factam a magistro et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani confirmat, qua statuitur ut in quibuslibet ecclesiis vel oratoriis seu capellis Hospitalis supradicti, certis horis et diebus, in honorem b. Johannis Baptistæ novem lectiones legentur missaque conventualis et horæ canonicæ solemniter decantentur.	531	874
» 9	»	Episcopo Agathensi committit, ut abbati et conventui monasterii de s. Tiberio, ordinis s. Benedicti, Agathensis diocesis, licentiam valeat elargiri locandi vel vendendi quasdam terras et possessiones incultas, ex quibus quasi nulla eidem monasterio provenit utilitas.	549	911
» 9	»	Episcopo et capitulo Osloensibus indulget, ut beneficia ecclesiastica, quæ dudum in civitate vel diocesi Osloensi vacaverunt quorumque propter hoc secundum Lateranensis statuta Concilii collatio devoluta est ad Apostolicam Sedem, personis idoneis possint conferre [1].	551	913
» 9	»	Cum in ecclesia Vivariensi sit canonicorum defectus, episcopo Vivariensi licentia tribuitur faciendi recipi duas personas idoneas in canonicos in eadem ecclesia, ac ipsis providendi ibidem de præbendis.	567	947
» 10	»	Valeat electus Satrianensis, postquam se fecerit in diaconum et deinde in presbyterum ordinari, munus consecrationis recipere.	353	527
» 10	»	Armanino quondam Huguitionis de Pomponesco, clerico Cremonensi, conferatur beneficium quoddam ecclesiasticum vacans ad præsens vel quam primum vacaturum in civitate Aquilegensi vel diocesi, cujus annui redditus valorem viginti marcharum argenti secundum æstimationem decimæ de illo hactenus persolutæ non excedant.	390	604

1. Col. 551, à la date de cette pièce, lisez *Au Latran* au lieu de « Pérouse. »

1304				
Mart. 10	Laterani.	Roskildensi episcopo committit ut duos notarios creare valeat.	Col. 464	No. 738
» 10	»	Idem episcopus absolvitur a juramento, quod præstitit tempore quo Roskildensi ecclesiæ præfectus est in pastorem de visitando per se vel alium singulis trienniis Apostolorum limina.	464	739
» 10	»	Valeat idem episcopus ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminisve violata fuerint, reconciliari facere per aliquam personam idoneam.	464	740
» 10	»	Ejusdem episcopi consideratione, conceditur cuidam clerico Trajectensis diocesis ut ad omnes ordines et ad quæcumque beneficia promoveri valeat, illegitimitatis macula non obstante.	465	744
» 10	»	Guillelmo Sicardi de Carcassona inquisitori olim pravitatis hæreticæ. canonicatus confertur præbendaque reservatur in ecclesia Albiensi.	468	746
» 10	»	Episcopo Ariminensi mandat, ut abbati et conventui monasterii s. Juliani Ariminensis licentiam largiatur permutandi quasdam possessiones, ad præfatos abbatem et conventum pertinentes, pro aliis possessionibus magis vicinis et accomodis monasterio antedicto, dummodo ex permutationibus hujusmodi contingat conditionem ipsius monasterii fieri meliorem.	514	843
» 10	»	Cum mercatores de societate Amannatorum de Pistorio, qui se dudum post lapsum societatis ipsius a Romana curia absentarunt, redire cupiant ad eandem dictamque societatem reformare, satisfaciendo creditoribus suis, Benedictus XI hujusmodi proposito annuens mandat certis executoribus, ut debitores ipsorum mercatorum in Italia constitutos et quosdam alios compellant ad exhibendum pecuniarum summas, in quibus eisdem mercatoribus tenentur : pecunia autem sic collecta mercatoribus societatum Circulorum de Florentia et Clarentum de Pistorio integraliter assignetur, ut exinde per ipsos satisfieri possit creditoribus dictæ societatis Amannatorum, prout Apostolica Sedes duxerit ordinandum.	534	882
» 10	»	Super eodem scribitur diversis aliis executoribus.	536	883
» 10	»	Super eodem mandatum quoddam datur camerario domini papæ.	536	884
» 10	»	Super eodem mandatum aliud datur supradicto camerario.	537	885
» 10	»	Mercatoribus societatum Circulorum de Florentia et Clarentum de Pistorio significat de suprascriptis et mandata dat. Mercatoribus societatis Amannatorum plenam insuper securitatem exhibet in veniendo ad Sedem Apostolicam ibique morando et exinde etiam redeundo.	538	886
» 10	»	Super eodem mandatum aliud datur jamdicto camerario.	538	887

1304				
Mart. 10	Laterani.	Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Alexandrinis indulget ut de censu, quem communitas Alexandriæ solvere tenetur Romanæ Ecclesiæ, usque ad summam centum florenorum auri petere et exigere possint ab eadem communitate.	Col. 553	No. 918
» 10	»	Wlvingo nato Henrici de Pramperh beneficium ecclesiasticum confert in ecclesia Salzeburgensi, dispensatque cum eodem super pluralitate beneficiorum.	583	977
» 10	»	Decano ecclesiæ Nivernensi mandat, ut magistrum et fratres hospitalis s. Mariæ de Fontanillis Tornodorensis, Lingonensis diocesis, adversus molestatores tueatur ac protegat.	602	1000
» 10	»	Magistro et fratribus hospitalis supradicti concedit facultatem celebrandi officia dum generale terræ fuerit interdictum.	602	1001
» 10	»	Comitissæ Juliacensi indulget ut monasteria monialium Cisterciensis ordinis, in regno Franciæ et ducatu Brabantiæ consistentia, cum decenti et honesta mulierum comitiva ingredi valeat, dummodo abbatissarum et conventuum monasteriorum eorumdem ad id accedat assensus nec in ipsis dicta comitissa comedat vel pernoctet.	602	1002
» 10	»	Margaritæ reginæ Siciliæ viduæ precibus annuens, decernit ut magister hospitalis s. Mariæ de Fontanillis Tornodorensis, Lingonensis diocesis, quod dicta regina fundasse dicitur et dotasse, quandiu in eodem hospitali residentiam fecerit vel prosecutioni negotiorum ipsius reginæ institerit, proventus suos ecclesiasticos integraliter percipiat.	646	1075
» 10	»	Fratribus ordinis Prædicatorum provinciæ Lombardiæ Inferioris conceduntur conservatores super executione constitutionis quæ incipit *Inter cunctas*.	756	1228
» 10	»	Deputantur alii conservatores super executione constitutionis ejusdem.	818	1305
» 11	»	Potestatis et consilii civitatis Vicentinæ supplicationibus inclinatus, ipsis notum facit se inhibere ne contra cives de urbe prædicta vel ejus districtu, qui, relictis erroribus Ezzolini de Romano quibus olim adhæserant, nunc in fide catholica sunt constantes, ullus inquisitor hæreticæ pravitatis quomodolibet procedere de cætero præsumat.	339	508
» 11	»	Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus mandat, ut officium suum in illis partibus taliter studeant exercere, quod ad Sedem Apostolicam occasione processuum quos fecerint clamor ulterius non ascendat.	340	509
» 11	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum de Cherio, Taurinensis diocesis, indulget ut de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri valeant recipere.	367	558

1304 Mart. 11	Laterani.	Tiberio quondam Gufredi de Laturre, Mediolanensi presbytero, confertur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in Aquilegensi civitate vel diocesi, cujus vero annui redditus valorem viginti marcharum argenti non excedant.	Col. 398	No. 621
» 11	»	Priorissæ et conventui monasterii Vallis s. Mariæ, ordinis s. Augustini, Treverensis diocesis, confirmat parochialem ecclesiam de Schuffelingen, quam ipsis provide concesserunt Boemundus et Dytherus Treverenses archiepiscopi.	438	692
» 11	»	Regem Romanorum rogat et hortatur ut per se ipsum corrigat et emendet quidquid erga Maguntinum episcopum et ejus ecclesiam minus provide extitit attentatum.	439	696
» 11	»	Fructus redditusque et proventus, quos indebite perceperunt ex quibusdam beneficiis Johannes de Friburgo ejusque filius, ipsis remittit et donat.	506	830
» 11	»	Dispensatur cum Corrado, rectore parochialis ecclesiæ in Ahusen, Eystetensis diocesis, super irregularitate quam contraxit ex eo quod olim præfatam ecclesiam de facto obtinens, eam cum alio beneficio absque Sedis Apostolicæ licentia retinuit, et interim in ea residere vel se ad sacerdotium facere promoveri non curavit.	569	952
» 11	»	Potestatem, consilium et commune civitatis Tuscanellæ monet et hortatur ut rectori et fratribus hospitalis quod dicitur Domus Dei de Viterbio, secundum instituta et sub cura fratrum Prædicatorum viventibus, de damnis et injuriis illatis satisfaciant.	818	1306
» 11	»	Episcopo Viterbiensi de superiore epistola significat et mandata dat.	819	1307
» 11	»	Decano ecclesiæ Treverensis mandat, ut ea quæ de bonis monasterii de Mariendal [Treverensis diocesis] per concessiones illicite alienata invenerit vel distracta ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet.	819	1308
» 12	»	Executioni demandat quendam Bonifatii VIII processum olim factum contra Octonem et Conradum marchiones Brandeburgenses nec non eorum officiales ac fautores, qui excommunicationis et diversas alias incurrerant sententias, pro eo quod episcopos Havelbergensem ac Brandebourgensem et personas ecclesiasticas diocesium earumdem gravibus injuriis et pressuris afflixerant.	319	480
» 12	»	Precibus Mathildis comitissæ Atrebatensis annuens, mandat executoribus ut duas personas idoneas, quas dicta comitissa duxerit nominandas, recipi faciant in canonicos unam videlicet in Atrebatensi, alteram vero in s. Audomari, Morinensis diocesis, ecclesiis eisque de præbendis ibidem vacantibus vel quam primum vacaturis provideant.	388	600

1304				
Mart. 12	Laterani.	Cum Altegradus electus Vicentinus, olim archipresbyter ecclesiæ Paduanæ, omne jus quod sibi competebat in archipresbyteratu supradicto nuper resignaverit apud Apostolicam Sedem, Benedictus XI mandat eidem Altegrado ac episcopo Paduano ut archipresbyteratum sic vacantem cuilibet personeæ idoneæ conferant.	Col. 390	No. 606
» 12	»	Priorissam et sorores monasterii s. Mariæ Magdalenæ extra muros Spirenses, ordinis s. Augustini magistro ordinis Prædicatorum et priori provinciali provinciæ Theotoniæ ipsius ordinis committit. Easdem a cujuscumque potestate ac jurisdictione prorsus eximit : ipsis etiam indulget ut ad contribuendum in talliis, decimis aut exactionibus quibuslibet minime teneantur.	434	684
» 12	»	Priori provinciali et fratribus ordinis Prædicatorum in Theotonia concedit facultatem recipiendi fratres de Pœnitentia Jhesu-Christi de Bruxella, Cameracensis diocesis, qui ad ordinem prædictum cum ipsorum loco desiderant se transferre.	438	693
» 12	»	Episcopo Baiocensi concedit ut quatuor clerici, qui ejus insistunt obsequiis, fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum percipere valeant usque ad quinquennium.	479	765
» 12	»	Ordinem fratrum Prædicatorum a jurisdictione quorumlibet prælatorum de novo eximit, decernens ordinem ipsum Apostolicæ Sedi et Romano pontifici nullo medio subjacere.	758	1230
» 12	»	Ordinis fratrum Prædicatorum apud Tolosam in generali capitulo congregatorum, quos laudibus celebrat, piis se commendat precibus [1].	819	1309
» 13	»	Jacobino Cazolini et Guaschinæ Facii Gerardi ejus uxori, civibus Albinganensibus, indulget ut in contracto matrimonio remanere possint.	319	477
» 13	»	Concedat Barensis archiepiscopus cuidam personæ tabellionatus officium.	339	507
» 13	»	Idem officium conceditur Petro Silvatico de Terracen[a] clerico.	362	542
» 13	»	Albertino quondam Thomæ marchionis de Ponzono et Isottæ filiæ Thomæ comitis de Castino, Albensis diocesis, indulget ut matrimonium contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	382	586
» 13	»	Episcopo Nucerino confirmat ecclesiam s. Savini in Airone, quam Neapoleo s. Adriani diaconus cardinalis nec non Apostolicæ Sedis legatus, mensæ dicti episcopi concesserat.	448	709
» 13	»	Petro dicto Mostalst clerico Lemovicensis diocesis tabellionatus officium confertur. — Eadem concessio pro Johanne Deodati de Olonzaco clerico Narbonensis diocesis.	457	721

1. Sur la date de cette pièce, voy. la note 1 de la col 819.

1304				
Mart. 13	Laterani.	Dispensat cum quodam clerico Secoviensis diocesis illegitime nato super defectu natalium, ut ad omnes ordines et ad beneficia ecclesiastica promoveri possit.	Col. 494	No. 806
» 13	»	Confirmatur electio cujusdam Johannis in abbatem monasterii s. Trinitatis de Monte Sacro, ordinis s. Benedicti, Sypontinæ diocesis.	544	900
» 13	»	Magistro Parisio quondam Benvenuti de Altedo civi Bononiensi tabellionatus officium conceditur.	619	1025
» 13	»	Christi fidelibus qui ad reædificationem ecclesiæ b. Mariæ de Musterolo, Senonensis diocesis, manum adjutricem porrexerint quadraginta dierum indulgentiam elargitur.	647	1076
» 14	»	Monasterium Sancti Spiritus de Sulmone, Valvensis diocesis, ordinis s. Benedicti, tuendum suscipit omnesque ejus possessiones ac bona nominatim recensita, jura ac privilegia confirmat.	314	476
» 14	»	Dispensat cum Eustachio de Ays canonico ecclesiæ s. Petri Casletensis, Morinensis diocesis, super pluralitate beneficiorum.	493	802
» 14	»	Dispensatio similis pro Hugone de Hays canonico ecclesiæ s. Salvatoris de s. Paulo, Morinensis diocesis.	499	816
» 15	»	Deputantur executores super negotio quingentorum florenorum auri, quos Milevitanus electus ex licentia Sedis Apostolicæ mutuo recepit a quibusdam civibus et mercatoribus Romanis.	325	483
» 15	»	Consideratione Henrici Scrovegni civis Paduani familiaris sui, concedit Raynaldo quondam Manfredi Scrovegni [1] clerico Paduano, cujus idem Henricus patruus existit, ut non obstante illegitimitatis macula possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere.	411	648
» 15	»	Priorissam et sorores monasterii b. Mariæ de Pruliano, Apamiarum diocesis, ordinis s. Augustini, quas in ordinem fratrum Prædicatorum cooptatas declarat, committit magistro et priori provinciali provinciæ Tholosanæ ordinis ejusdem.	435	685
» 15	»	Eisdem priorissæ et sororibus confirmat ecclesias parochiales de Lunoso, de Fano Jovis, de Bram, de Villafrancha, de Fontanellis et de Forcia, quas dudum obtinuerunt et possident.	436	686
» 15	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Caturcensibus indulget, ut de usuris, rapinis aliisque male acquisitis valeant recipere usque ad summam mille florenorum auri.	436	687
» 15	»	Indulgentia eadem pro fratribus ordinis Prædicatorum Tholosanis [2].	436	688

1. Col. 411, l. 3, lisez *Scrovegni* au lieu de « Serovegni. »
2. Cf. la note 2 de la col. 436. La pièce est effectivement du 15 mars (Ripoll, Bullar. ord. Frat. Præd. II, 96.)

1304				
Mart. 15	Laterani.	Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Apamiarum confirmat locum, libertates ac immunitates, quæ ipsis abbas et conventus monasterii s. Antonini civitatis ejusdem olim concesserunt.	Col. 436	No. 689
» 15	»	Abbati monasterii Electensis, Narbonensis diocesis, mandat ut illos, qui monasterio s. Mariæ de Pruliano, Apamiarum diocesis, vel personis ejusdem injurias aut molestias inferre præsumpserint, efficaciter compescat.	437	690
» 15	»	Indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur eis, qui ad refectionem ecclesiæ fratrum Prædicatorum civitatis Caturcensis pia subsidia crogarint.	437	691
» 15	»	Vacanti ecclesiæ Majoricensi præficit in episcopum ac pastorem Guillelmum Barchinonensem canonicum.	505	828
» 15	»	Cum Guillelmus Alasandi canonicus Carpentoratensis ecclesiæ, in qua dudum expectat præbendam sibi auctoritate apostolica reservatam, asserat plures ibidem vacavisse præbendas, quæ ab aliis illicite fuerunt occupatæ in ipsius detrimentum, Benedictus XI mandat archiepiscopo Ebredunensi ut, vocatis Guillelmo ét aliis supradictis, litterisque ac munimentis eorum diligenter inspectis, vice apostolica decernet quis illorum primam, quis secundam, et sic deinceps per ordinem qui præbendas alias debeant obtinere.	516	848
» 15	»	Guioni nato Dimitrii de Comitibus clerico Paduano illegitime nato, indulget, ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere valeat, defectu natalium non obstante.	546	905
(Febr. 14-Mart. 15)	»	*Vid. supra 14 Febr.*	819	1310
Mart. 16	»	Magistro Frederico de Borgorellis confirmat archipresbyteratum plebis de s. Genesio, quem dicto magistro contulerat Parmensis episcopus : teneatur autem dictus Fredericus sacros ordines infra certum terminum recipere.	333	498
» 16	»	Quibusdam personis Albensis diocesis indulget ut in contracto matrimonio libere remaneant.	359	538
» 16	»	Guillelmum monachum monasterii s. Winnoci Bergensis, Morinensis diocesis, quem prior et conventus dicti monasterii in abbatem postularunt, eidem monasterio præficit de apostolicæ plenitudine potestatis.	386	595
» 16	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Argentinensibus indulget ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad quingentarum marcharum argenti recipere valeant. — Concessio eadem pro fratribus dicti ordinis, Spirensis, Treverensis et Coloniensis civitatum.	389	601

1304 Mart. 16	Laterani.	Johanni episcopo, quem nuper ecclesiæ Pactensi tunc vacanti præfecit in pastorem, mandat ut ad ipsam ecclesiam accedens, eam sollicite ac diligenter gubernare procuret.	Col. 415	No. 654
» 16	»	Archiepiscopo Bituricensi committit, ut monasterio b. Mariæ Exoldunensis providere possit de abbate, eidem præficiendo virum quemlibet idoneum, seu etiam Petrum de Campo Lumbini, quem monachi dicti monasterii, ignari ut asserunt cujusdam reservationis et inhibitionis Bonifatii VIII, in abbatem elegerant.	454	713
» 16	»	Valeat similiter idem archiepiscopus providere de abbate monasterio Fontis Gobaudi, prædictæ diocesis.	456	714
» 16	»	Archiepiscopo Cantuariensi concedit ut in vacantibus ecclesiis et vicariis suæ diocesis, in quibus abbas et conventus monasterii s. Augustini Cantuariensis jus patronatus habent, ipse institutionem et provisionem clericorum ac rectorum, abbas vero et conventus memorati præsentationem eorumdem exercere valeant, juxta dispositionem cujusdam sententiæ Bonifatii papæ VIII, non obstantibus infradictis.	489	792
» 16	»	Priori ecclesiæ Cantuariensis mandat, ut dispenset cum clericis, vicariis, vel rectoribus diocesis Cantuariensis super irregularitate, quam contraxerunt pro eo quod, diversis excommunicationum ligati sententiis ab archiepiscopo Cantuariensi, divina officia etiam in locis interdictis celebrarunt.	491	793
» 16	»	Episcopo Bethleemitano indulget ut, quandocumque ad celebrandum solemniter missam in locis exemptis fuerit invitatus, ibidem pontificalibus uti, omnia divino cultui deputata benedicere, ac fidelibus prædicationi suæ intervenientibus indulgentias elargiri valeat.	496	810
» 16	»	Magistro Cœlestino nato Jacobi de Pastrengo, clerico et familiari domini papæ, conferuntur canonicatus et præbenda, quæ vacant ad præsens in ecclesia Regina per consecrationem Guidotti Messanensis electi, olim ejusdem ecclesiæ canonici.	651	1088
» 16	»	Gentili de filiis Ursi senatori Urbis concedit licentiam emendi vel alias acquirendi tam infra quam extra Urbem jura bonaque mobilia et immobilia.	762	1236
» 16	»	Episcopo Parmensi licentiam elargitur conferendi Gerardo Tertio, canonico Cremonensi in minoribus tantum ordinibus constituto, archipresbyteratum plebis s. Pancratii, Parmensis diocesis, ea tamen conditione apposita ut Gerardus prædictus se faciat ad sacerdotium promoveri.	768	1241
» 17	»	Episcopo Roskildensi facultatem concedit disponendi libere de dignitatibus, personatibus, præbendis aliisque beneficiis ecclesiasticis dudum vacantibus in civitate vel diocesi Roskildensi, quorum collatio secundum Lateranensis statuta Concilii devoluta est ad Apostolicam Sedem.	463	737

1304 Mart. 17	Laterani.	Eidem facultatem testandi concedit.	Col. 464	No. 741
» 17	»	Eidem episcopo committit potestatem absolvendi omnes clericos suæ diocesis, qui olim, dum gravis discordia vertebatur inter Daciæ regem et Lundensem archiepiscopum, mandatis Bonifatii papæ VIII parere contemnentes, sententias excommunicationis incurrerunt. Valeat quoque supradictus episcopus dispensare cum illis ex eisdem clericis, qui postmodum irregularitatis maculam contraxerunt.	465	742
» 17	»	Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur illis, qui ecclesiam b. Mariæ Virginis in civitate Tarviensi extructam devote visitarint in singulis ipsius b. Mariæ festivitatibus.	493	801
» 18	»	Episcopo Xanctonensi indulget ut diocesim suam possit per aliquam personam idoneam facere visitari.	363	548
» 18	»	Faciat idem episcopus recipi in canonicum Xanctonensis ecclesiæ magistrum Petrum Radulfi, ejusdem ecclesiæ presbyterum.	364	549
» 18	»	Monasterio de Bello Loco, ordinis s. Augustini, Macloviensis diocesis, quidam Robertus canonicus dicti monasterii præficitur in abbatem.	448	710
» 18	»	Consideratione Roskildensis episcopi, conceditur cuidam clerico ut ad omnes ordines et ad quæcumque beneficia promoveri valeat, illegitimitatis macula non obstante.	465	743
» 18	»	Episcopus Vasionensis [1], qui tempore Bonifatii VIII a spiritualium et temporalium administratione ac pontificalium executione certis ex causis suspensus fuerat, ad administrationem et executionem prædictas restituitur de gratia speciali.	474	753
» 18	»	Liceat episcopo Tullensi ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ per effusionem sanguinis seminisve violata fuerint, per alium reconciliari facere.	476	756
» 18	»	Indulget eidem episcopo ut personis idoneis, quas duxerit eligendas, de duobus beneficiis provideat in singulis ecclesiis majori Tullensi, s. Gengulphi ejusdem urbis, de s. Deodato ac de Dei Custodia.	476	757
» 18	»	Eidem episcopo, ut duo clerici familiares ejus possint usque ad quinquennium percipere fructus ac redditus beneficiorum suorum.	477	758
» 18	»	Rectori ecclesiæ de Hanuigdon, Saresbiriensis diocesis, qui dispensatione super defectu natalium mediante ecclesiam eandem olim assecutus est, indulget ut beneficium ecclesiasticum, si quod sibi canonice offeratur, insuper recipere ac retinere valeat.	499	814
» 18	»	Valeat Johannes de Trillowe presbyter illegitime natus, qui ecclesias de Tywa et de Torteberi, Lincolniensis ac Wigorniensis diocesium, insimul recepit, dispensatione super hoc vel super defectu natalium nequaquam obtenta, easdem ecclesias licite retinere.	499	815

1. Col. 474, l. 25, lisez *Raymundo* au lieu de « Raymondo. »

1304 Mart. 18	Laterani.	Johannis Symeonis consiliarii et familiaris regis Portugaliæ supplicationibus inclinatus, priori fratrum ordinis Prædicatorum Sanctaranensi, Ulixbonensis diocesis, committit potestatem absolvendi dictum Johannem a quibusdam sententiis canonum, quas incurrisse dubitat, etiam si super hoc esset Apostolica Sedes merito consulenda.	Col. 528	No. 870
» 18	»	Henrico duci Scletiæ et domino Glogoniæ concedit facultatem construendi in terra suæ jurisdictioni subjecta duo monasteria ordinis s. Claræ.	595	994
» 19	»	Priori provinciali ordinis fratrum Prædicatorum provinciæ Lombardiæ Inferioris mandat, ut Janninum quondam Petri de Musto de Venetiis absolvat ab excommunicationis sententia, quam olim incurrit pro eo quod galeam et lignamina deferri fecit in Alexandriam vendiditque Sarracenis.	248	351
» 19	»	Deputantur executores super gratia concessa Rogerio de Armaniaco faciendi visitari archidiaconatum suum Agennensem per aliquam personam idoneam (*Vid. supra* 6 *febr.* n° *357*, col. *252*.)	253	358
» 19	»	Georgio de Salutiis canonicatus confertur et præbenda reservatur in ecclesia Eboracensi.	377	569
» 19	»	Bonifatio de Salutiis archidiacono Bochimkamiæ in ecclesia Lincolniensi, concedit ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam visitari faciat.	377	570
» 19	»	Jacobo Bartholomæi de Senis confertur archipresbyteratus plebis de Colle, Vulteranæ diocesis.	387	597
» 19	»	Bernardo Roiardi capellano suo licentiam concedit percipiendi fructus et redditus præbendarum, quas in Xanctonensi, Caturcensi ac Petragoricensi obtinet ecclesiis, quarum canonicus existit, quandiu apud Apostolicam Sedem morabitur, vel scholasticis insistet disciplinis, aut in aliqua prædictarum ecclesiarum residentiam faciet personalem.	456	717
» 19	»	Petro Johannis Capulupi de Pontecurvo conceditur tabellionatus officium.	458	725
» 19	»	Episcopo Asisinati facultatem impertit faciendi recipi personam quamlibet idoneam in canonicum in ecclesia Asisinati ac providendi eidem de quadam præbenda.	483	776
» 19	»	Cum quodam Carisio archipresbytero ecclesiæ de Carleta, Faventinæ diocesis, dispensat ut archipresbyteratum eundem licite retineat, non obstante cujusdam irregularitatis vel inhabilitatis macula.	615	1019
» 19	»	Gaucerando de Calomonte confirmat ecclesiam s. Petri de Avist, Albiensis diocesis, quam ei diocesanus episcopus, cujusdam reservationis Bonifatii VIII ignarus, contulerat indebite.	624	1033

1304				
Mart. 19	Laterani.	Abbati monasterii b. Mariæ de Cella, Pictaviensis diocesis, indulget ut, cum idem monasterium per mortem prioris claustralis et canonicorum in eo degentium sit collapsum, ea vice possit dicto cœnobio de priore claustrali et canonicis auctoritate propria providere.	Col. 633	No. 1050
» 19	»	Mercatoribus societatum Circulorum et Bardorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio concedit ut de pecunia, quam in certis provinciis pro Romana Ecclesia receperint, retineant usque ad summas quas olim mutuarunt rectoribus provinciarum earumdem.	763	1238
» 19	»	Statuit ut nulla monialium sub cura ordinis fratrum Prædicatorum viventium ad abbatiam vel regimen alicujus monasterii alterius professionis possit assumi absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.	769	1242
» 20	»	Regi Datiæ indulget ut, cum eum ad loca ecclesiastico supposita interdicto pervenire contigerit, liceat ei per capellanum idoneum facere celebrari divina officia.	380	579
» 20	»	Archiepiscopo Lundensi mandat ut tres clericos familiares regis Datiæ recipi faciat in canonicos in certis ecclesiis.	380	580
» 20	»	Eidem mandat ut, cum Burglanensis ecclesia vacet ad præsens, Johannem præpositum, quem concorditer canonici ejusde ecclesiæ in episcopum elegerunt, in Burglanensem episcopum confirmet.	380	581
» 20	»	Priori de Roda, Ilerdensis diocesis, mandat ut juxta tenorem cujusdam processus nuper facti contra priorissam et sorores monasterii de Zizena, prædictæ diocesis, faciat magistro et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Aragonia ab eisdem monialibus obedientiam debitam et reverentiam exhiberi.	401	629
» 20	»	Cum quibusdam personis Terracinensis diocesis dispensat super matrimonio illicite contracto.	443	700
» 20	»	Petro nato quondam Odorisii Thomasii, clerico Civitatis Papalis, conceditur tabellionatus officium.	458	723
» 20	»	Henrico de Hertelyaigton, Eboracensis diocesis, licentiam concedit habendi altare portatile. — Eadem gratia pro Carolo nato comitis Palatini et Lavaniæ [1].	562	939
» 21	»	Michaeli de Encra clerico et familiari domini papæ conceditur ut, quandiu in Romana curia vel alibi Sedis Apostolicæ insistet obsequiis, valeat fructus ac redditus beneficiorum suorum integraliter percipere.	362	544

1. Col. 562, à la date de cette pièce, lire *Au Latran* 20 *mars* au lieu de « Pérouse, 20 mai », et XIII kal. *aprilis* au lieu de XIII kal. « junii. »

1304 Mart. 21	Laterani.	Gaspar de Montasia rectorem Campaniæ et Maitimæ in spiritualibus instituit.	Col. 367	No. 557
» 21	»	Electo Strigoniensi pallium concedit.	374	566
» 21	»	Olim cum Bonifatius VIII Isarnum et Johannem, tunc Rigensem ac Lundensem archiepiscopos, certis ex causis duxisset transferendos, Johannem scilicet ad Rigensem, Isarnum vero ad Lundensem ecclesias, Johannes tamen prædictus huic translationi de se factæ consentire noluit. Unde Benedictus cupiens ecclesiæ Rigensi sic vacanti de pastore idoneo providere, fratrem Fredericum ordinis Minorum, pœnitentiarium suum, dictæ ecclesiæ præfecit auctoritate apostolica in archiepiscopum, eique postmodum munus consecrationis manibus propriis impendit. Eum itaque hortatur ut ad ecclesiam suam accedens, ipsius curam gerat sollicitam.	385	594
» 21	»	Abbati monasterii s. Petri de Latigniaco, Parisiensis diocesis, ordinis s. Benedicti, concedit ut prioratum s. Genii extra muros Lectorenses, Cluniacensis ordinis, quem dictus abbas tempore translationis suæ ad monasterium de Latigniaco obtinebat, usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ retineat.	518	852
» 21	»	Citetur Guillelmus Vilate, qui se gerit pro abbate monasterii s. Petri de Nantho, Ruthenensis diocesis, ad comparendum coram Apostolica Sede super quibusdam suis excessibus responsurus.	600	998
» 22	»	Hugolino nato Jacobi de Solerio conferuntur canonicatus et præbenda, quæ nuper vacaverunt apud Apostolicam Sedem in ecclesia Yporiensi. Dispensatur etiam cum eo super defectu quem patitur in ordinibus et ætate.	532	878
» 22	»	Conferuntur Vitali de Mavihauto [1] capellano domini papæ canonicatus et præbenda in ecclesia Lectorensi.	629	1043
» 23	»	Cum apud civitatem Perusinam in proximo cupiat æstivare, rectori Patrimonii b. Petri in Tuscia mandat, ut, ad evitandum inibi nimiam victualium caristiam, facultatem concedat nuntiis communis Perusii emendi libere in terris et locis dicti Patrimonii granum, vinum et alia quæcumque victualia, nec non faciendi ea deferre ad civitatem supradictam sine pedagio vel gabella seu qualibet exactione. Moneat quoque rectores civitatum aliorumque locorum per Patrimonium constitutos, ne super hoc impedimentum inferre eisdem nuntiis vel quibusvis personis quoquo modo præsumant. — Eadem epistola scribitur rectori Marchiæ Anconitanæ et rectori ducatus Spoletani. Simile mandatum mittitur potestatibus, capitaneis, etc., per Patrimonium, Marchiam Anconitanam et ducatum Spoletanam constitutis.	375	567
» 23	» 23	Valeat Milevitanus electus recipere munus consecrationis.	377	568

1. Cf. la note de la col. 905. Col. 629, l. 26 et 29, lisez *Mavihauto* lieu de « Manihauto. »

1304				
Mart. 25	Laterani.	Magistro Bernardo Royardi capellano suo, archidiacono Xanctonensi, concedit ut per quinquennium possit archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari.	Col. 407	No. 643
(Janv. 13 - Mart. 25).	»	*Vid. supra* 13 *jan.*	357	534
Mart. 25	Ap. S.Petrum.	Obtentu Riccardi nati quondam Mathiæ de Anniballensibus militis, Romanorum proconsulis nec non Beneventani rectoris, archiepiscopo Neapolitano committit ut Laurentio Giroldi civi Beneventano, judicatus et tabellionatus officium conferat.	546	904
» 25	»	Regem Franciæ uxoremque et filios ejus ab omnibus excommunicationum sententiis, quibus ex quacumque causa forsitan astricti teneantur, penitus absolvit.	819	1311
» 26	»	Vacantibus canonicatu et præbenda in ecclesia s. Mariæ in Pesolis Narniensis, priori ipsius ecclesiæ conceditur licentia conferendi personæ cuilibet idoneæ canonicatum supradictum, atque de præfata præbenda eidem personæ providendi, ita ut in dicta ecclesia servetur septenarius canonicorum numerus.	439	695
» 27	»	Laurentio de s. Stephano clerico Suessionensis diocesis indulget ut, defectu natalium non obstante, ad omnes ordines promoveri possit ac beneficium ecclesiasticum obtinere.	585	980
» 29	»	Episcopo Baiocensi licentia conceditur conferendi personis quibuslibet idoneis quatuor beneficia ecclesiastica, quæ vacant ad præsens in diocesi Baiocensi.	462	733
» 29	»	Eidem episcopo conceditur ut beneficia ecclesiastica quatuor clericorum suorum, cum eos cedere vel decedere contigerit, personis quibuslibet idoneis conferre possit.	463	734
» 29	»	Pœnitentiario suo mandat, ut Contardo Carolo de Venetiis, qui sententiam excommunicationis incurrerat pro eo quod commercium fecerat cum Sarracenis, absolutionis beneficium valeat impertiri.	481	769
» 29	»	Valeat archidiaconus de Citravada in ecclesia Baiocensi, quandiu scholasticis institerit disciplinis, archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam facere visitari.	516	845
» 30	»	Archiepiscopo Narbonensi indulget ut absolvere valeat nonnulos diocesis suæ clericos ab aliquibus sententiis nec non dispensare cum eisdem super irregularitate.	468	748
» 30	»	Eidem archiepiscopo concedit ut, non obstante prohibitione super hoc edita a Bonifatio papa VIII, recipere possit homagium a vicecomite Narbonensi pro jurisdictione et omnibus aliis, quæ dictus vicecomes in media parte ac toto burgo civitatis Narbonensis in feudum obtinet ab ecclesia Narbonensi ; addit quod archiepiscopus ac compositionem devenire valeat super prædictis cum eodem vicecomite de consensu capituli ecclesiæ memoratæ et duorum suffraganeorum suorum.	469	749

1304 Mart. 30	Ap. S. Petrum.	Quasdam litteras prædecessoris sui confirmat, quibus Bonifatius VIII archiepiscopo Narbonensi concesserat sub certis conditionibus facultatem ordinandi et dotandi duas præbendas sacerdotales in ecclesia Narbonensi, ac instituendi in eisdem personas idoneas. Mandat igitur præfato archiepiscopo, ut ad executionem prædictarum litterarum valeat procedere.	Col. 471	No. 750
» 30	»	Archidiacono s. Flori in ecclesia Claromontensi indulget ut archidiaconatum suum usque ad biennium per aliquam personam idoneam faciat visitari.	495	808
» 31	»	Dispensat cum Rogero de Waltham rectore ecclesiæ de Langenenton, Dunelmensis diocesis, ut præter eandem ecclesiam nec non præbendam quam obtinet in ecclesia de Derlington cujus existit canonicus, beneficium aliud insuper recipere ac retinere valeat.	390	605
» 31	»	Dispensat cum Jacobino dicto Riccio, clerico Reginæ [1] diocesis illegitime nato, ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit, defectu natalium non obstante.	443	701
» 31	»	Dispensatio similis pro Fabiano Symonis de Lavazola clerico Cenetensis diocesis.	444	704
» 31	»	Priori et conventui fratrum Prædicatorum Duracensibus indulget, ut de usuris rapinis et aliis male acquisitis usque ad certam summam valeant recipere.	506	831
» 31	»	Priori provinciali ordinis fratrum Prædicatorum in Ungaria concedit facultatem dispensandi cum duobus fratribus sui ordinis, quos patres ipsorum ex matrimonio ab eis contracto ante susceptionem sacrorum ordinum secundum ritum Græcorum in sacerdotio genuerunt, ut ad administrationes, prælaturas et officia ejusdem ordinis assumi valeant.	507	832
» 31	»	Eidem mandat, ut aliquot fratres mittat in Albaniam, Cumaniam, Polacum et Duratium provincias, in quibus verbum Dei proponant. Eisdem fratribus diversa jura concedit.	522	860
» 31	»	Priori fratrum Prædicatorum Ragusino concedit facultatem absolvendi Marinum de Gote, Marinum de Grose et Junium de Wolcasco, cives Ragusinos, qui contra prohibitiones Sedis Apostolicæ in Alexandriam accedendo, prohibitaque victualia Sarracenis illarum partium deferendo, sententiam excommunicationis et pœnas alias incurrerunt.	524	861
» 31	»	Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui, ad consummationem ecclesiæ fratrum ordinis Prædicatorum Ragusinorum manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	527	866
» 31	»	Eadem gratia conceditur eis, qui ad consummationem ecclesiæ fratrum Prædicatorum Duracensium similiter manum porrexerint adjutricem.	527	867

1. Col. 443, l. 17 et 22 lisez *Regine* au lieu de « Reginensis, »

1304				
Mart. 31	Ap. S. Petrum.	Cum archidiaconatus ecclesiæ Duracensis jam per viginti annos et amplius vacaverit ac ejus collatio propter hujusmodi vacationem diutinam sit ad Apostolicam Sedem devoluta, Benedictus XI mandat priori fratrum ordinis Prædicatorum Duracensi, ut archidiaconatum eundem vice apostolica cuilibet personæ idoneæ conferat.	Col. 528	No. 868
» 31	»	Priori et fratribus ordinis Prædicatorum Ragusinis indulget, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis recipere valeant usque ad summam centum Venetorum grossorum, in consummationem ecclesiæ quam ædificare incœperunt totaliter convertendam.	578	970
April. 1	»	Episcopo Pergamensi committit ut, una cum duobus inquisitoribus hæreticæ pravitatis sibi assistentibus restituere possit Ponrinum de Pirmardis civem Cremonensem ad pristinum statum et honores.	515	844
» 1	»	Dispensat cum Johanne dicto Loterel clerico illegitime nato, ut ad omnes ordines promoveri possit valeatque præter ecclesiam de Holin, Eboracensis diocesis, cujus rector existit, beneficium ecclesiasticum aliud recipere ac retinere.	628	1038
» 1	»	Eidem clerico indulget ut per quinquennium, quandiu studio facultatis theologicæ institerit, fructus, redditus ac proventus ecclesiæ suæ de Holin et alius beneficii, si quod ipsum obtinere contigerit, percipere valeat.	628	1039
» 1	»	Dispensetur cum Ottone nato quondam Friderici comitis de Occumburg super pluralitate beneficiorum nec non super irregularitate contracta ex eo quod dictus Otto, plura beneficia post Lugdunense Concilium assecutus, non se fecit prout tenebatur in presbyterum statutis temporibus ordinari.	640	1066
» 1	»	Eidem Ottoni concedit facultatem percipiendi proventus suos ecclesiasticos, quandiu in curia Salzeburgensis episcopi, cujus capellanus existit, ipsius episcopi insistet obsequiis.	641	1067
» 2	»	Episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ legato, mandat moneat Lucanos et quosdam nobiles ac potestates earumdem partium, ut aliqua castra et loca ad episcopum et ecclesiam Lunenses spectantia, quæ quidem invadere et occupare præsumpserunt, eisdem episcopo et ecclesiæ restituant eisque satisfaciant de damnis illatis.	395	619
» 2	»	Quibusdam mandat ut Johanni electo Tharsensi pallium transmissum assignent.	398	622
» 2	»	Confirmat compositionem initam inter episcopum capitulumque Majoricenses et fratres ordinis Prædicatorum ejusdem loci super jure sepeliendi corpora decedentium in cœmeterio monasterii dictorum fratrum.	399	625

1304				
April. 2	Ap. S. Petrum.	Cancellario ecclesiæ Parisiensis mandat ut duobus fratribus ordinis [Prædicatorum ?], qui sibi fuerint juxta modum in eodem ordine observatum præsentati et alias idonei, licentiam largiatur regendi ac docendi in theologica facultate, non obstante prohibitione a Bonifatio papa VIII edita.	Col. 399	No. 626
» 2	»	Valeant fratres ordinis Prædicatorum Nivernenses quandam compositionem inire cum comite Nivernensi super eorum loco a jurisdictione temporali dicti comitis eximendo.	403	632
» 2	»	Archiepiscopo Narbonensi concedit facultatem disponendi libere de beneficiis ecclesiasticis in diocesi Narbonensi vacantibus, quorum collatio juxta Lateranensis statuta Concilii devoluta est ad Apostolicam Sedem.	468	747
» 2	»	Indulget eidem archiepiscopo ut tres clerici, familiares ejus, percipere possint fructus redditusque beneficiorum suorum, quandiu ejusdem archiepiscopi institerint obsequiis.	473	751
» 2	»	Priori et fratribus ordinis Heremitarum s. Augustini civitatis Ortanæ licentiam impertitur vendendi vel permutandi aut alienandi locum, quem ad præsens obtinent in civitate prædicta, ac transferendi se ad monasterium aliud, quod infra civitatem eandem ædificare proponunt.	547	906
» 2	»	Angelo Be[n]venuti de Camoraca canonico ecclesiæ s. Bartholomæi de Trevellaria, Tudertinæ diocesis, confertur beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Tudertina. Dispensatur quoque cum eo super pluralitate beneficiorum.	571	955
» 2	»	Fratribus ordinis Minorum provinciæ Datiæ conceduntur conservatores super executione constitutionis *Inter cunctas*.	758	1229
» 2	»	Ordinem fratrum Minorum a jurisdictione quorumlibet prælatorum de novo eximit, decernens ordinem ipsum Apostolicæ Sedi et Romano pontifici nullo medio subjacere.	759	1231
» 2	»	Regem Franciæ, quem nuper absolvit ab omnibus excommunicationum sententiis, paterne monet ut Apostolicæ Sedis gratiam velut obedientiæ filius suscipiat et ad obedientiam matris Ecclesiæ se convertat.	820	1312
» 2	»	Deputantur conservatores super executione constitutionis *Inter cunctas*.		
» 2	»	In c. m. scribitur aliis conservatoribus.	822	1313
» 3	»	Regi Franciæ significat se Andræam abbatem monasterii Liskensis ecclesiæ Noviomensi præfecisse in episcopum ; regem hortatur eundem ut dictum Andræam propensius commendatum habeat[1].	822 252	1314 356
		1. Col. 252, à la date de cette pièce, lisez *A Saint-Pierre* au lieu de « Au Latran. »		

1304 April. 3	Ap. S. Petrum.	Petrum, quem Bonifatius papa VIII Signinæ ecclesiæ tunc vacanti præfecerat in episcopum, eundem hortatur ut ad Signinam ecclesiam accedens, ipsius curam et administrationem diligenter suscipiat.	Col. 389	No. 602
» 3	»	Valeat Dunelmensis episcopus usque ad summam quatuor millium florenorum auri mutuum contrahere pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Apostolicam Sedem expediendis.	390	603
» 3	»	Ut possit Noviomensis electus recipere munus consecrationis.	402	630
» 3	»	Episcopo Dunelmensi indulget ut, cum Bibliensis episcopus ecclesia sua fuerit expulsus a Sarracenis et rebus suis ac redditibus spoliatus, eidem episcopo ad ipsius inopiam relevandam concedere possit prioratum de Goldingham, Sancti Andreæ diocesis.	404	634
» 3	»	Vacante ecclesia Ferrariensi per resignationem Ottoboni de Carreto, ipsius ecclesiæ electi, frater Guido prior provinciæ Lombardiæ Inferioris ordinis Prædicatorum eidem præficitur ecclesiæ in episcopum et pastorem.	408	646
» 3	»	Præposito Brugensis ecclesiæ, Tornacensis diocesis, concedit ut quinque canonicatus vacantes ad præsens in eadem ecclesia quinque clericis idoneis possit conferre, eisdem providendo de totidem præbendis.	420	662
» 3	»	Indulget archidiacono Leodiensi ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam visitari faciat.	420	663
» 3	»	Præposito Brugensis ecclesiæ, Tornacensis diocesis, indulget ut duo clerici, ejus obsequiis insistentes, fructus beneficiorum suorum possint percipere usque ad triennium.	429	672
» 3	»	Electo Vicentino supplicante, confertur Gabrieli de Monte Silice canonico Brixiensi beneficium ecclesiasticum, quod acceptandum duxerit in civitate vel dioecsi Paduana.	492	795
» 3	»	Jordano Merle canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Baiocensi.	494	805
» 3	»	Valeat Panormitanus archiepiscopus contrahere mutuum usque ad summam mille florenorum auri.	652	1090
» 3	»	Eidem concedit, ut duabus personis conferre possit tabellionatus officium.	653	1092
» 3	»	Eidem, ut, cum ecclesia Panormitana propter absentiam canonicorum in ea residere non curantium patiatur defectum in divinis officiis, duas personas idoneas in eadem ecclesia recipi faciat in canonicos.	653	1093

1304 April. 3	Ap. S. Petrum.	Cum nonnulli Panormitanæ diocesis sine aliquo titulo detineant ecclesias et beneficia, quorum collatio secundum Lateranensis statuta Concilii devoluta est ad Apostolicam Sedem, archiepiscopo Panormitano conceditur ut, amotis exinde detentoribus hujusmodi, ecclesias et beneficia supradicta personis idoneis conferat.	Col. 654	No. 1094
» 3	»	Eidem archiepiscopo concedit ut compellat nonnullos rectores et clericos suæ diocesis ad faciendum personalem residentiam in ecclesiis et beneficiis quæ ibidem obtinent.	655	1095
» 3	»	Electo Cephaludensi mandat ut de bonis ecclesiæ Panormitanæ, quæ a nonnullis pro magna parte nequiter occupari dicuntur, archiepiscopo Panormitano faciat justitiæ complementum exhiberi.	655	1096
» 3	»	Processum factum contra illos falsos et impios Christianos qui cum Sarracenis communicant in Christiani populi et Terræ Sanctæ dispendium (*vid.* n° 1101. *col.* 659) duci, consilio ac communi Venetiarum transmittit, eis districte mandans ut processum ipsum observent et a subditis suis faciant observari [1].	822	1315
» 4	»	Rectori parochialis ecclesiæ de Mansaco, Tholosanæ diocesis, licentiam elargitur studendi in jure per quinquennium et percipiendi per ipsum tempus proventus et fructus ecclesiæ supradictæ.	404	635
» 4	»	Deputantur executores super negotio mutui mille marcharum argenti, quod Roskildensis episcopus ex licentia Sedis Apostolicæ nuper contraxit pro suis et ecclesiæ suæ negotiis apud Romanam curiam expediendis.	406	640
» 4	»	Mandat ut Aynulfo, nato Robacastelli de Robiate laici Mediolanensis diocesis, conferatur vel reservetur unum ex illis officiis, quæ in diversis provinciæ Mediolanensis ecclesiis ad collationem archiepiscopi spectant et in eisdem partibus *superstantiæ* vulgariter nuncupantur.	406	641
» 4	»	Roberto nato Rambaldi de Tervisio, familiari suo, ac Aliotæ Guidonis indulget ut matrimonium valeant contrahere non obstante quarto gradu consanguinitatis.	428	669
» 4	»	Duabus personis civitatis Januensis indulget ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu [2].	443	699
» 4	»	Parentino et Veglensi episcopis mandat ut Candium et Odericum diaconos, canonicos ecclesiæ Polensis, qui diversas offensas episcopo Polensi inferre præsumpserunt et alia enormia commiserunt, citent ad comparendum coram Apostolica Sede pro meritis recepturos.	466	745

1. Voy. la note 1 de la col. 823.
2. Col. 443, l. 5 lisez *Garvagni* au lieu de « Carmeyni. »

1304 April. 4	Ap. S. Petrum.	Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Cremonensibus concedit facultatem vendendi vel distrahendi locum s. Guilielmi ad ipsos pertinentem.	Col. 492	No. 798
» 4	»	Eisdem ecclesiam s. Martini Cremonensis sitam prope locum eorum, quam eis Nicolaus IV concesserat, confirmat.	509	838
» 4	»	Alexandro nato Michaelis Mauretini de Venetiis, canonico Cameracensi, facultatem elargitur percipiendi usque ad quinquennium, quandiu scholasticis insistet disciplinis, fructus redditusque ac proventus præbendæ suæ Cameracensis.	651	1087
» 4	»	Ut possit Panormitanus archiepiscopus monasterio s. Mariæ de Cripta Panormitanæ, ordinis s. Basilii, dudum vacanti providere de abbate.	652	1091
» 6	»	Confertur Petro dicto Nannetis canonicatus cum præbenda in ecclesia Nannetensi.	434	682
» 6	»	Regem Franciæ monet et hortatur ut Robertum Cabilonensem episcopum ac ejus ecclesiam propitius commendatos habeat, eisque bona temporalia et jura ipsorum, quæ nomine dicti regis detineri dicuntur, prompta liberalitate restitui faciat.	438	694
» 6	»	Constitutionem a Bonifatio VIII editam, quæ vulgariter *Mare Magnum* nuncupatur et in qua libertates, privilegia juraque ordinis fratrum Prædicatorum confirmantur, de novo promulgat et communit.	545	902
» 6	»	Obtentu regis Datiæ dispensat cum Hermanno, ipsius regis capellano, super pluralitate beneficiorum.	579	972
» 6	»	Valeat Januensis archiepiscopus quibusdam civibus concedere licentiam ædificandi de novo quandam ecclesiam infra parochiam ecclesiæ s. Mariæ de Vineis Januensis.	591	988
» 6	»	Suasu et consideratione ducis Britaniæ, confert Thomæ de Anasto decanatum, canonicatum et præbendam Andegavensis ecclesiæ, quæ nuper apud Apostolicam Sedem vacaverunt per liberam resignationem magistri Egidii Rigaudi, olim ejusdem ecclesiæ canonici et decani.	615	1017
» 8	»	Consideratione regis Francorum, mandat ut Phylippo de Mornayo provideatur de quodam personatu vel dignitate in ecclesia Baiocensi, cujus idem Phylippus canonicus existit.	431	676
» 8	»	Obtentu Mathæi s. Mariæ in Porticu diaconi cardinalis, conferuntur Jacobo Mathæi Rubei de filiis Ursi, ipsius cardinalis consobrino, canonicatus, præbenda, præpositura nec non præstimonia, quæ vacant ad præsens in ecclesia Barchinonensi per promotionem Guillelmi olim canonici et præpositi Barchinonensis ad episcopatum Majoricensem.	478	761

1304 April. 8	Ap. S. Petrum.	Consideratione Tusculani episcopi pro Johanne Palmerii de Turre consanguineo suo supplicantis, eidem Johanni confertur præpositura ecclesiæ s. Bartholomæi Leodiensis, quæ vacat ad præsens per promotionem Johannis præpositi ad episcopatum Pactensem.	Col. 559	No. 932
» 8	»	Benedicto Malocello et Catelinæ Oddoardi Spinolæ, civibus Januensibus, indulget ut non obstante quarto consanguinitatis gradu matrimonium invicem contrahere possint.	562	938
» 8	»	Reclusis Urbis quendam visitatorem deputat.	768	1240
» 9	Ap. Castrum Insule Pontis Veneni [1].	Ponzello quondam Ursi de filiis Ursi indulget ut habere possit altare portatile.	394	618
» 10	Ap. Mont. Rosolum [2].	Petitioni Florentinorum annuens, eis potestatem pro sex mensibus eligit ac nominat. Ipsos insuper hortatur ut pro reformatione status pacifici civitatis Florentiæ Ostiensi episcopo, Sedis Apostolicæ legato, efficaciter assistant.	824	1316
» 13	Viterbii.	Pandulfo nato Capotiæ quondam Pandulfi dicti de Cardinali beneficium ecclesiasticum confert, quod duxerit acceptandum in Balneoregensi civitate vel diocesi.	563	942
» 14	»	Certis conservatoribus mandat, ut monasterium s. Andreæ Vercellensis sub sua protectione suscipiant atque contra molestatores strenue tueantur.	428	670
» 14	»	Caveat Dunelmensis episcopus ne fructus, redditus ac proventus ecclesiæ s. Andreæ de Cestratona, Elyensis diocesis, multo plus quam valeant occasione solutionis decimæ taxentur.	429	671
» 14		Baldoyno nato Leonis de Mirvaldo Cevæ, et Verdinæ filiæ Antonii de Carreto, indulget ut ad sedandas inimicitias inter patres eorum exortas matrimonium contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.	429	673
» 14	»	Abbati monasterii de Capite Montis, Januensis diocesis, committit potestatem absolvendi Petrum Malocelli civem Januensem ab excommunicationis sententia, nec non mitigandi pœnas et mulctas, quas dictus Petrus incurrerat pro eo quod indebite communicaverat cum Sarracenis.	430	674
» 14	»	Cum aliqui de domibus et generibus Bordorinorum et Guidalardorum Vercellensis diocesis sperent per legitima documenta posse probare progenitores suos fuisse quondam absolutos a quibusdam sententiis et pœnis in eos prolatis ab Innocentio IIII, mandatum datur certis executoribus super receptione probationum hujusmodi.	432	681

1. Isola Farnese.
2. Monterosi.

1304				
April. 14	Viterbii.	Abbati et conventui monasterii s. Andreæ Vercellensis ecclesiam castri s. Germani, diocesis Vercellensis, in proprios usus concedit sub certis conditionibus et censu diocesano episcopo annuatim solvendo.	Col. 459	No. 726
» 14	»	Confirmat compositionem initam inter priorem conventumque fratrum ordinis Prædicatorum Barchinoniæ civitatis, ex parte una, et Petrum episcopum canonicosque Barchinonenses ac clerum parochialem ejusdem diocesis, ex altera, super jure sepeliendi in cœmeterio dictorum fratrum corpora illorum, qui apud eos eligunt sepulturam.	507	833
» 15	»	Guillelmo Oberti Fulgosii canonicatus confertur præbendaque reservatur in ecclesia Burgensi.	456	716
» 15	»	Cum duabus personis diocesis Elnensis dispensat, ut in matrimonio olim illicite contracto, quarto duplicis affinitatis gradu non obstante, libere remaneant.	493	799
» 15	»	Certis executoribus mandat ut magistro Petro Gymardi, juris civilis professori, dignitatem quandam vacantem vel quam primo vacaturam in ecclesia Ambianensi conferant.	504	823
» 15	»	Priori fratrum ordinis Prædicatorum Bituricensi committit potestatem dispensandi cum quibusdam civitatis Bituricensis, ut non obstante quarto consanguitatis gradu in matrimonio contracto valeant remanere.	532	876
» 16	»	Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis legato, mandat, moneat iterum et inducat rectores civitatis Pistoriensis, ut a processibus, quos contra Baldum de Floraventis et consanguineos ejus facere moliuntur, omnino desistant. Faciat insuper dictus legatus teneri et custodiri domos ac turres prædictorum Baldi et consanguineorum ejus, ne rectores præfati eas audeant diruere.	421	664
» 16	»	Eracleo de s. Nectereo [1] provideatur de quodam personatu, officio vel dignitate in ecclesia Brivatensi, Claromontensis diocesis, cujus canonicus existit.	430	675
» 16	»	Abbati et conventui monasterii s. Antonii, Viennensis diocesis, indulget ut ipse abbas et quilibet antistes catholicus, quem super hoc requirendum duxerint, reconciliare possint ecclesias et cœmeteria ad dictum monasterium spectantia, nec non ordinare canonicos ipsius monasterii. Habeant quoque campanas in capellis et ecclesiis suis.	460	730
» 16	»	Prioratum s. Crucis de Quinto, ordinis s. Augustini, quem olim Diensis et Valentinus episcopus monasterio s. Antonii, Viennensis diocesis, auctoritate ordinaria concesserat, dicto monasterio confirmat.	487	784

1. Col. 430, l. 44, et col. 431, l. 3, lisez *Nectereo* au lieu de « Nercereo. »

1304				
April. 16	Viterbii.	Abbati et conventui ejusdem monasterii indulget ut prioratum de s. Medardo, ordinis s. Augustini, Diensis diocesis, unire valeant dicto monasterio.	Col. 487	No. 785
» 16	»	Omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus aliisque ecclesiarum prælatis mandat, ut quoscumque quæstuarios, qui ad eorum loca vel ecclesias nomine monasterii s. Antonii accesserint pro eleemosynis ibidem colligendis, minime recipiant, nisi ab abbate et conventu dicti monasterii fuerint specialiter destinati.	487	786
» 16	»	Priori de s. Valerio, Viennensis diocesis, mandat ut abbatem et conventum supradicti monasterii a vexantibus sollicite strenueque tueatur.	487	787
» 16	»	Decanum ecclesiæ Vapincensis rogat et hortatur, ut abbati et conventui ejusdem monasterii efficaciter assistat neque eosdem ab aliquibus injuriis affici vel alias injuste molestari permittat. — In e. m. pro eisdem diversis aliis conservatoribus.	618	1024
» 17	»	Priori monasterii s. Andreæ Taurinensis mandat, ut compescat illos qui priorissæ ac conventui monasterii s. Mariæ de Revello, ordinis s. Augustini, Taurinensis diocesis, molestias inferre præsumpserint.	432	678
» 17	»	Pandulfo de Sabello notario suo licentiam concedit percipiendi insimul fructus omnium beneficiorum suorum.	434	683
» 18	»	Certis executoribus mandat, ut Raymundo de Botovilla, clerico Tholosanæ diocesis, beneficium ecclesiasticum conferant in ecclesia Tholosana, cujus annui redditus, si illi animarum cura imminet, centum librarum, si vero eadem cura non imminet, octoginta librarum Turonensium parvorum summam non excedant.	525	864
» 18	»	Liceat episcopo Bambergensi concedere fratribus ordinis Prædicatorum qui cum ipso fuerint, ut cibis prohibitis vesci possint.	634	1053
» 18	»	Valeat idem episcopus elargiri duobus clericis quibuslibet suæ diocesis licentiam recipiendi ac insimul retinendi duo beneficia ecclesiastica, si ea ipsis canonice offerantur [1].	634	1054
» 18	»	Eidem episcopo permittit ut ecclesias et cœmeteria suæ diocesis, quæ forte violari contigerit, per idoneos presbyteros reconciliari facere valeat.	635	1055
» 18	»	Eidem, ut possit absolvere ab excommunicationis sententia clericos et laicos suæ diocesis, qui pro injectione manuum in personas ecclesiasticas nec non pro violatione ecclesiarum taliter sunt innodati. Valeat præterea cum hujusmodi clericis dispensare super irregularitate, si quam forte contraxerint.	635	1056

1. Cette pièce doit-être datée du 18 et non du 15.

1304				
April. 18	Viterbii.	Eidem, ut possit dispensare super duobus matrimoniis illicite contractis, prout sibi videbitur expedire.	Col. 636	No. 1057
» 18	»	Liceat eidem episcopo conventum fratrum ordinis Prædicatorum in aliquo loco suæ diocesis collocare.	636	1058
» 18	»	Eidem episcopo licentiam clargitur dispensandi super pluralitate beneficiorum cum duobus clericis suæ diocesis de quibus sibi videbitur.	637	1059
» 18	»	Cum nonnulli prædecessores Bambergensis episcopi palafredos, quos Ecclesiæ Romanæ in signum fidelitatis assignare tenebantur, eidem Ecclesiæ per plures annos omiserint exhibere, omnes palafredos sic non datos episcopo supradicto et ejus ecclesiæ remittit et donat.	637	1060
» 18	»	Eidem concedit liberam facultatem faciendi recipi quatuor personas idoneas in canonicos in sua Bambergensi et in tribus aliis collegiatis ecclesiis suæ diocesis, videlicet singulas in singulis, atque eisdem providendi de præbendis vacantibus seu quam primum vacaturis.	638	1061
» 18	»	Eidem, ut possit absolvere nonnullos suæ diocesis ab excommunicationis sententia, in cujus laqueum inciderunt pro eo quod constitutionem Bonifatii VIII quæ incipit *Clericis laicos* non servarunt.	638	1062
» 18	»	Eidem episcopo indulget, ut duabus personis idoneis tabellionatus officium conferre possit.	639	1063
» 18	»	Archiepiscopo Salzeburgensi committit, ut collationes et concessiones ecclesiarum, quas olim nonnulli Bambergenses episcopi fecisse dicuntur in ejusdem ecclesiæ detrimentum, provide revocet; easdem insuper ecclesias personis idoneis assignare procuret.	639	1064
» 18	»	Supplicante Bambergensi episcopo, dispensat cum Hermanno familiari et capellano ejusdem episcopi super pluralitate beneficiorum.	640	1065
» 18	»	Capellam regis Francorum sitam in civitate Parisiensi ab archiepiscopi Senonensis et cujuscumque alterius juridictione ac potestate totaliter liberat. Thesaurarius autem dictæ capellæ jurisdictionem obtineat in personas degentes in ea, quibus Benedictus XI concedit licentiam percipiendi insimul fructus omnium beneficiorum suorum.	777	1251
» 18	»	Regi Francorum gratia quædam conceditur super sepultura regum et reginarum Franciæ ac illorum qui eis sunt quarto consanguinitatis gradu conjuncti.	779	1252

1304				
April. 18	Viterbii.	Decretum revocat quo Bonifatius VIII omnes de regno Franciæ potestatem habentes licentiandi magistros aut doctores in theologica facultate seu in jure canonico vel civili ad hujusmodi potestate suspenderat.	Col. 783	No. 1255
» 18	»	Decretum revocat quo Bonifatius VIII provisionem omnium ecclesiarum cathedralium vel regularium, quæ tunc in regno Franciæ vacarent vel quas vacare contingeret in futurum, dispositioui Sedis Apostolicæ reservaverat.	783	1256
» 21	Ap. Montemflasconem [1]	Cum locus et perpetuum beneficium, quæ magister Petrus Andreæ de Fontesio olim clericus ecclesiæ s. Laurentii de Abano, Paduanæ diocesis, in eadem ecclesia obtinebat, per liberam resignationem ipsius nuper factam apud Apostolicam Sedem vacare noscantur, ea Benedictus XI confert Avezaco [2] quondam Martii de Montemerlo.	477	759
» 21	»	Petro de de Colingeburn, qui olim, cum subdiaconus tantum existeret, ecclesiam parochialem de Kemesene, Wigorniensis diocesis, obtinuit nec se fecit prout tenebatur in presbyterum ordinari, Benedictus remittit et donat fructus redditusque ac proventus indebite perceptos ex eadem ecclesia, decernens insuper ut ipsam præfatus Petrus de cætero retinere valeat.	519	855
» 21 [3]	»	Mercatoribus cameræ apostolicæ concedit ut de pecunia, quam ex proventibus terrarum Ecclesiæ pro ipsa Ecclesia receperint, retinere valeant usque ad certam summam, quam olim rectoribus Patrimonii et Romaniolæ de mandato Sedis Apostolicæ mutuarunt.	769	1243
» 22	Vulsenae [4]	Reginæ Francorum indulget ut monasterium s. Claræ juxta Pruvinum cum liberis suis et aliquibus aliis personis intrare valeat, quibuscumque statutis vel consuetudinibus non obstantibus.	790	1264
» 22	»	Eidem indulget ut quæcumque alia monasteria monialium seu sororum, cujuscumque ordinis, similiter intrare valeat.	791	1265
» 22	»	Liceat ejusdem reginæ confessori intrare monasteria monialium seu sororum, quorumlibet ordinum, ad quæ transmissus fuerit ab eadem regina.	791	1266
» 22	»	Valeat confessor supradictus audire confessiones reginæ ac familiarium ejus utriusque sexus, ipsis pœnitentias injungere et absolutionis beneficium impertiri.	791	1267

1. Montefiascone.
2. Voy. la note 2 de la col. 885.
3. Sur la date de cette pièce voy. la note de la col. 770.
4. Bolsena.

1304				
April. 29	Vulsenæ.	Cunctis fidelibus, qui ecclesiam s. Christinæ de Vulsena, Urbevetanæ diocesis, in festivitatibus ejusdem sanctæ devote visitarint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum promittit.	Col. 334	No. 503
Maii 2	Perusii.	Magistro Beltramo de Mediolano, capellano suo, concedit ut quandiu Sedis Apostolicæ institerit obsequiis fructus beneficiorum suorum percipiat integraliter.	548	908
» 7	»	Vertente dudum gravi discordia inter commune Venetiarum et Aquilegensem patriarcham super interpretatione cujusdam compositionis, fuit ab eisdem partibus in Bonifatium papam VIII et postea in Benedictum XI compromissum. Qui quidem Benedictus per præsentes litteras mandat patriarchæ Gradensi, ut partibus supradictis diem dicat ad comparendum per procuratores idoneos coram Apostolica Sede recepturis quod justitia suadebit : moneat tamen partes ipsas ut pendente lite ab omnibus novitatibus prorsus abstineant.	825	1317
» 8	»	Infradictis inquisitionem super statu monasterii s. Salvatoris Papiensis, ordinis s. Benedicti, ac reformationem ejusdem monasterii committit.	475	755
» 8	»	Abbas monasterii s. Johannis Parmensis restituitur ad administrationem ejusdem cœnobii, quod quidem Bonifatius VIII olim propter absentiam ipsius abbatis commendaverat episcopo Parmensi tenendum et gubernandum usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum voluntatis.	770	1244
» 8	»	Valeat Parmensis episcopus concedere abbati supradicto licentiam contrahendi mutuum usque ad summam mille florenorum auri.	771	1248
» 9	»	Roberto duci Calabriæ primogenito regis Siciliæ, ac Sanciæ filiæ regis Majoricarum indulget ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstantibus secundo affinitatis et quarto consanguinitatis gradibus.	440	697
» 9	»	Consideratione electi Vicentini, Lazaræ Hengulfi de Comitibus de Padua, moniali illegitime natæ, indulget ut ad omnes prælaturas ordinis s. Benedicti promoveri possit.	457	719
» 10	»	Bononienses monet et hortatur, ut quædam statuta ab ipsis edita contra episcopum et clerum civitatis ejusdem nec non contra libertatem ecclesiasticam provide revocent.	452	712
» 10	»	Dispensat cum duabus personis Augustensis diocesis super matrimonio illicite contracto, eisque indulget, ut non obstante quarto gradu consanguinitatis in eodem matrimonio valeant remanere. Prolem insuper ex ipsis susceptam vel suscipiendam legitimam nuntiat.	585	979

1304 Maii 10	Perusii.	Hugueto nato Symonis de Carmeyno civis Januensis conferuntur thesauraria, canonicatus ac præbenda Nimociensis ecclesiæ, quæ nuper apud Apostolicam Sedem vacaverunt per liberam resignationem Bartholini de Flisco.	Col. 626	No. 1035
» 10	»	Certis executoribus committit curam et potestatem absolvendi personas ecclesiasticas regni Franciæ, quæ sententias excommunicationis incurrerunt pro eo quod procurationes debitas cuidam cardinali Sedis Apostolicæ legato in statutis terminis non solverunt.	771	1246
» 11	»	Pontio de Castillione, canonico ecclesiæ Carcassonensis, conceditur ecclesia quædam cum cura vel sine cura, ad collationem Carcassonensis episcopi spectans, quam primum in civitate vel diocesi Carcassonensi vacatura.	457	720
» 11	»	Archidiacono Bononiensi indulget, ut archidiaconatum suum per aliquam personam idoneam usque ad triennium visitari faciat.	463	735
» 11	»	Valeat idem archidiaconus percipere fructus beneficiorum suorum quandiu Sedis Apostolicæ institerit obsequiis.	463	736
» 11	»	Comiti Sabaudiæ concedit ut quatuor clerici, qui ejus obsequiis insistunt, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum percipere possint usque ad quinquennium.	482	772
» 11	»	Quibusdam executoribus mandat moneant et inducant Lugdunensem et Viennensem archiepiscopos, Valentinum episcopum, nec non abbatem monasterii s. Eugendi Jurensis, ut ab auxilio quod dalfino Viennensi præstant in guerra quam ille habet cum comite Sabaudiæ prorsus abstineant.	482	773
» 11	»	Obtentu Ludovici domini Vaudi pro Petro de Sabaudia fratre suo in hac parte supplicantis, confertur eidem Petro dignitas cum cura vel sine cura in ecclesia Carnotensi.	483	774
» 11	»	Aymoni filio comitis Sabaudiæ, archidiacono Eboracensis ecclesiæ, indulget ut, cum scholasticis insistens disciplinis nequeat visitare personaliter archidiaconatum supradictum, eundem per aliquam personam idoneam usque ad quinquennium possit facere visitari.	483	775
» 11	»	Cum ecclesia Paduana debitorum onere sit oppressa, Benedictus XI volens ei de alicujus subventionis remedio providere, monasterium de Pratalia, ordinis s. Benedicti, Paduanæ diocesis, episcopo Paduano usque ad duos annos commendat, eidem largiendo licentiam disponendi libere de redditibus prædicti monasterii, ut exinde commodius valeat incumbentia sibi expensarum onera supportare.	565	945

1304				
Maii 11	Perusii.	Homines et civitatem communis Velletrensis nec non eorum sequaces absolvit a quibusdam sententiis, bannis et condemnationibus.	Col. 585	No. 981
» 11	»	Valeat Rigensis archiepiscopus concedere duabus personis idoneis tabellionatus officium.	620	1027
» 11	»	Mandat ut Jacobello nato Petri Bellimontis de Parleonibus civis Romani, præter canonicatum quem obtinet in ecclesia s. Angeli de Urbe, assignetur unum vel plura beneficia in diocesi Capuana, cujus vel quorum redditus annui valorem decem unciarum auri non excedant. Collationem autem ipso Jacobello factam de canonicatu vacante in ecclesia s. Mariæ de Transtiberim de Urbe revocatam declarat.	628	1041
» 12	»	Communi civitatis Januensis scribit de quibusdam verbis olim a Bonifatio papa VIII coram cardinalibus editis super prohibitione commercii cum Sarracenis.	363	546
» 12	»	Tagino de Boncosis civi Mantuano confirmat tres partes decimarum ad ecclesiam Veronensem in loco de Benesisis spectantium, quæ nuper dicto Tagino in feudum perpetuum sunt concessæ.	442	698
» 12	»	Dispensat cum magistro Hugone Sampsonis super irregularitate et macula, quas contraxit retinendo sine licentia Sedis Apostolicæ quatuor ecclesias in Eboracensi, Norwicensi et Lincolniensi diocesibus. Fructus exinde perceptos ei remittit, ipsique concedit ut easdem ecclesias, una tamen dimissa, valeat insimul retinere.	482	771
» 12	»	Quibusdam committit facultatem absolvendi communitatem civitatis Januensis nec non aliquos de civitate eadem ejusque districtu ab excommunicationum sententiis et pœnis temporalibus vel spiritualibus, quas olim incurrerunt, pro eo quod Siculis ac regi Frederico tunc in rebellione Romanæ Ecclesiæ persistentibus favorem et auxilium exhibuerant.	500	818
» 12	»	Eisdem concedit licentiam absolvendi ab excommunicationum sententiis cæterisque pœnis et mulctis, quas incurrerunt accedendo contra inhibitionem Sedis Apostolicæ ad Sarracenorum partes, omnes de civitate et districtu supradictis, qui propter paupertatem et alias causas Romanam curiam adire nequeunt pro absolutionis beneficio obtinendo, dummodo mercatores seu patroni navigabilium vasorum non fuerint nec illuc mercimonia vetita portaverint.	501	819
» 12	»	Civitatem Januensem et singulares personas civitatis ipsius ejusque districtus restituit ad gratias, privilegia et indulta eis ab Apostolica Sede concessa, quæ certis ex causis Bonifatius VIII duxerat revocanda.	502	820

1304				
Maii 12	Perusii.	Petro quondam Consilii de Circulis clerico Florentino confertur beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in Florentina vel Fæsulana civitatibus seu diocesibus.	Col. 568	No. 950
» 12	»	Liceat episcopo Fuliginati condere testamentum.	571	957
» 12	»	Mandat ut Gottifrido de Chremsa subdiacono Pataviensis diocesis conferatur beneficium quoddam ecclesiasticum, ad collationem Pataviensis episcopi spectans, cujus tamen annui redditus, secundum æstimationem decimæ de illo hactenus persolutæ, summam quinquaginta marcharum argenti non excedant.	588	984
» 12	»	Obtentu Henrici comitis Ruthenensis pro Amalvino de Landora consanguineo suo supplicantis, confertur dicto Amalvino canonicatus et præbenda reservatur in ecclesia Ruthenensi. Eidem Amalvino conceditur dispensatio super defectu natalium et ætatis.	602	999
» 12	»	Petro Pagani rectori parochialis ecclesiæ ss. Quirici et Julitæ de Aygone, Albiensis diocesis, indulget ut prædictam ecclesiam, quam dudum indebite retinuit, cum fructibus perceptis ex eadem licite retinere possit.	625	1034
» 12	»	Pœnam constitutionis Bonifatii VIII *Clericis laicos* restringit ad eos tantummodo, qui sæculares exactiones ab ecclesiasticis personis exigere præsumpserint vel exigi procurarint.	792	1269
» 13	»	Universis Christi fidelibus, qui ad consummationem ecclesiæ s. Stephani, ad ordinem fratrum Prædicatorum Pergamensium pertinentis, manum porrexerint adjutricem, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur.	484	777
» 13	»	Priorissæ et conventui monasterii s. Mariæ Matris Domini Pergamensis confirmat monasterium monialium s. Petri de Brozate de Urgnano et ecclesiam s. Georgii de Inglascha, quæ quondam Guiscardus Pergamensis episcopus dicto monasterio s. Mariæ univerat, statuitque ut dicta unio servetur, non obstante quod in eadem capituli ecclesiæ Pergamensis non intervenit assensus.	484	778
» 13	»	Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Pergamensibus concedit licentiam disponendi libere de beneficiis vacaturis in ecclesia s. Stephani Pergamensis quam obtinent, quodam contrario statuto nequaquam obstante.	485	779
» 13	»	Consideratione Viscontæ Gatti militis conceditur Bellebono Henrici Belleboni, ipsius Viscontæ consanguineo, beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in ecclesia Viterbiensi.	534	881
» 13	»	Personas ecclesiasticas nec non barones nobilesque et laicos alios de regno Franciæ totaliter absolvit ab excommunicationum sententiis, quibus propter captionem Bonifatii VIII vel alios excessus ex processibus ejusdem Bonifatii aut prædecessorum ipsius tenentur astricti. Absolutionem vero Guillelmi de Nogareto sibi et Apostolicæ Sedi specialiter reservat.	780	1253

1304 Maii 13	Perusii.	Omnes processus habitos a Bonifatio papa VIII contra regem Franciæ ac ejus regnum, consiliarios, familiares, officiales et fautores ipsius, nec non sententias et pœnas in eosdem promulgatas Benedictus XI revocat; ipsos reducit atque reponit in pristinum statum, Guillelmo de Nogareto duntaxat excepto.	Col. 781	No. 1254
» 13	»	Interdictum cui subjacet Appamiarum villa ex quodam decreto Bonifatii VIII, et excommunicationis sententiam quam idem pontifex tulerat generaliter in fautores comitis Fuxensis usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum suspendit.	784	1257
» 13	»	Ecclesiasticum interdictum cui Lugdunensis civitas subjacet usque ad triennium suspendit.	785	1258
» 13	»	Omnibus prælatis, doctoribus et magistris regni Franciæ, qui olim vocati ad Apostolicam Sedem per certas Bonifatii VIII litteras non comparuerunt termino constituto, Benedictus XI remittit inobedientiam hujusmodi, contumaciam et contemptum.	785	1259
» 13	»	Decretum revocat quo Bonifatius VIII damnavit memoriam Petri Flote, privavit filios ejus omnibus beneficiis, dignitatibus, officiis et gratiis, ipsosque ac posteritatem dicti Petri usque ad quartam generationem inhabiles reddidit ad ecclesiastica beneficia ulterius assumenda.	785	1260
» 13	»	Beraldum dominum Mercorii, consiliarium et nuntium regis Franciæ, absolvit ab omnibus sententiis et pœnis quas ex processibus Bonifatii VIII vel alias regi adhærendo prædicto forsan incurrerit. — In e. m. pro Guillelmo de Plasiano. — In e. m. pro Petro de Bellapertica.	789	1263
» 13	»	Cum Parmensis episcopus cupiat in ecclesia Baptisterii Parmensis cultum divinum et ministrorum numerum adaugere, ei Benedictus indulget ut præfatæ ecclesiæ pro cultu et numero hujusmodi ampliandis aliquas de ecclesiis ad suam collationem spectantibus nec populum habentibus valeat concedere.	793	1270
» 13	»	Eidem episcopo concedit licentiam adaugendi in præfata ecclesia tam canonicorum quam aliorum ministrorum numerum, distinguendi quoque præbendas et statuta condendi in eadem.	794	1271
» 14	»	Magistro Bernardo præposito Suessionensis ecclesiæ indulget ut omnium beneficiorum suorum fructus ac proventus percipiat, quandiu Sedis Apostolicæ institerit obsequiis.	460	728
» 14	»	Indulgentia unius anni, et quadraginta dierum conceditur eis, qui monasterio s. Claræ Yporiensis, ordinis ejusdem sanctæ, manum adjutricem porrexerint.	478	762
» 14	»	Petro filio Raymundi Fulconis vicecomitis de Cardona, clerico illegitime nato Urgellensis diocesis, indulget ut ad omnes ordines promoveri possit nec non ecclesiasticum beneficium obtinere.	516	846

1304 Maii 14	Perusii.	Bartholomæo nato Giani de Circulis clerico Florentino confertur beneficium ecclesiasticum, quod acceptandum duxerit in civitate vel diocesi Aretina.	Col. 568	No. 949
» 14	»	Phylippo quondam Nicolæ de Cerchiis clerico Florentino confertur beneficium ecclesiasticum, quod acceptandum duxerit in diocesi Pistoriensi.	568	951
» 14	»	Obtentu Hugonis de Salodo ambaxiatoris comitis Brixiæ pro nepote suo Galeatio supplicantis, dicto Galeatio conceditur beneficium ecclesiasticum vacans vel quam primum vacaturum in ecclesia Veronensi.	570	954
» 14	»	Archiepiscopis, episcopis et personis ecclesiasticis regularibus et sæcularibus regni Franciæ notum facit se regi Francorum concessisse usque ad biennium decimam proventuum et reddituum ecclesiasticorum regni prædicti, ut exinde præfatus rex ad correctionem et reformationem monetæ quam cudi facit valeat procedere.	787	1261
» 14	»	Quosdam executores deputat super eodem.	788	1262
» 15	»	Certis executoribus mandat ut ad restitutionem quatuor millium florenorum auri, quos Dunelmensis episcopus mutuo recepit a quodam mercatore Florentino, diligenter intendant.	447	708
» 15	»	Sicardo de Vauro capellano suo canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Narbonensi. Dispensat etiam cum eo super pluralitate beneficiorum.	590	987
» 15	»	Certis executoribus mandat ut Nicolaum Feliciani Strigoniensem canonicum, qui præposituram ecclesiæ Scripsiensis detinet illicite, super quo legitime citatus ad instantiam comparere non curavit, excommunicatum denuntient et alias procedant contra eum donec ad Ecclesiæ mandata redierit.	641	1069
» 16	»	Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Imolensibus concedit ut de rapinis et usuris usque ad summam quinquaginta librarum Venetorum grossorum valeant recipere.	557	925
» 17	»	Episcopo Burgensi mandat, ut Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad liberationem quarumdam personarum quæ a Sarracenis captivantur manum adjutricem porrexerint, indulgentiam quadraginta dierum largiatur.	630	1046
» 18	»	Citetur Trecensis episcopus ad comparendum coram Apostolica Sede.	792	1268
» 19	»	Marcio quondam Raynaldi de Bosculis et Johannæ quondam Raynerii de Pazzis Vallis Arni, civibus Aretinis, indulget ut ad sedandas graves inimicitias inter eorum progenitores exortas valeant non obstante tertio gradu consanguinitatis matrimonium invicem contrahere.	413	650

1304 Maii 19	Perusii.	Plebano plebis s. Johannis de Castro Pennæ, Firmanæ diocesis, concedit ut ad suscipiendum majores ordines ratione plebanatus ipsius usque ad biennium minime teneatur.	Col. 495	No. 807
» 19	»	Priori et fratribus domus ordinis b. Mariæ de Monte Carmeli Messanensibus concedit licentiam transferendi se ad ecclesiam s. Cataldi de Saunnensibus, in contrata Ponteleonis Messanensi.	518	850
» 19	»	Abbati monasterii s. Mariæ de Precibus, Venetensis diocesis, committit potestatem faciendi recipi in canonicos in singulis Andegavensi, Cenomanensi et Abrincensi ecclesiis singulas personas idoneas, quas Johannes dux Britaniæ ipsi duxerit nominandas.	579	973
» 19	»	Cum nuper acceperit quod rectores parochialium ecclesiarum ducatus Britaniæ pro sepulturis decedentium, sub colore juris funeraticii, nunc partem nonam, nunc sextam, et nunc tertiam de bonis mobilibus defunctorum extorquent ab hæredibus eorumdem, Benedictus duci Britaniæ notum facit se, ad instar Bonifatii VIII, inhibuisse ne rectores supradicti plebes suas exactionibus hujusmodi de cætero audeant affligere. Duci indulget eidem, ut ad observantiam consuetudinis istius minime teneatur.	579	974
» 19	»	Queritur de quadam alia prava consuetudine in eodem ducatu Britaniæ hactenus observata, cujus prætextu rectores ecclesiarum parochialium personas nupturas compellunt, antequam eis velint munus benedictionis impendere, ad exhibendum sibi exactiones indebitas et enormes. Unde certis executoribus mandat, moneant et inducant rectores præfatos ut ab hujusmodi consuetudine sub excommunicationis pœna omnino desistant.	581	975
» 19	»	Scribitur aliis executoribus ut similiter caveant, ne rectores ecclesiarum earumdem, occasione supradicti juris funeraticii, parochianos suos nequiter gravare, sicut expressum est superius, quoquo modo præsumant.	582	976
» 19	»	Citetur ad comparendum coram Apostolica Sede quidam Falco, qui se gerit pro abbate monasterii s. Mariæ de Corona, ordinis s. Augustini, Engolismensis diocesis.	604	1005
» 19	»	Liceat episcopo Taurinensi diocesim suam per idoneum vicarium facere visitari.	609	1010
» 20	»	Abbati monasterii de Balma, Bisuntinæ diocesis, mandat ut Henrico thesaurario ecclesiæ Bisuntinæ decanatum ejusdem ecclesiæ conferat, et Johanni de Rubeomonte archidiacono de Faverneyo assignet thesaurariam vacantem per resignationem Henrici supradicti.	525	863
» 20	»	Priori et fratribus ordinis Praedicatorum Fanensibus elargitur licentiam recipiendi de usuris, rapinis et aliis male acquisitis usque ad summam mille librarum Ravennatum.	556	924

1304				
Maii 20	Perusii.	Bartholomæo de Flisco priori sæcularis ecclesiæ de Ponte Lavanio, Januensis diocesis, indulget ut cum eodem prioratu canonicatum et præbendam in ecclesia Januensi retinere possit, constitutione contraria vel defectu natalium nequaquam obstantibus.	Col. 589	No. 985
» 20	»	Archiepiscopo Januensi mandat, ut certis personis de Janua civitate facultatem largiatur construendi quandam capellam in villa de Sexto, Januensis diocesis, ad honorem b. Mariæ Virginis. — Valeat idem archiepiscopus similem impertiri licentiam Conrado de Nigro de Janua, qui capellam ad honorem b. Nicolai in fundo proprio intendit ædificare.	590	986
» 20	»	Citetur Carpentoratensis episcopus ad comparendum coram Apostolica Sede super quadam accusatione responsurus ac pariturus Ecclesiæ beneplacitis in hac parte.	592	990
» 20	»	Domino de Castro Villano, Lingonensis diocesis, indulget ut fratribus et sororibus Cisterciensis ordinis, quotiens eos ad domum dicti nobilis declinare contigerit, licentiam valeat elargiri utendi pulmentis cum carnibus præparatis, quæ in ejus mensa communiter apponuntur.	617	1021
» 20	»	Eidem nobili et ejus uxori concedit, ut cum eos eorumque filios ad loca ecclesiastico supposita interdicto pervenire contigerit, ibidem sibi et familiæ suæ per capellanos idoneos divina faciant officia celebrari.	618	1022
» 20	»	Eidem nobili, qui tempore Nicolai pape IIII ab ultramarino voto fuerat certis ex causis absolutus, significat se absolutionem hujusmodi ratam et gratam habere.	644	1072
» 20	»	Quibusdam civibus Bellunensibus licentiam elargitur remanendi in contracto matrimonio, consanguinitate quadam non obstante.	645	1073
» 21	»	Episcopo Nimociensi mandat, moneat et inducat Græcos civitatis Nimociensis, ut oratorium quoddam, ad ipsos pertinens, loco fratrum Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani contiguum, dictis fratribus concedant pro cambio competenti vel alio legitimo contractu.	477	760
» 21	»	Decano et capitulo ecclesiæ s. Mariæ Montis Brisonis, Lugdunensis diocesis, concedit ut in cœmeterio ipsius ecclesiæ habere valeant perpetuis temporibus liberam sepulturam.	481	770
» 21	»	Episcopo Bambergensi licentiam impertitur contrahendi mutuum usque ad summam ducentarum et quinquaginta marcharum argenti pro suis et Bambergensis ecclesiæ negotiis utiliter expediendis.	497	811
» 21	»	Magistro Petro de Bellapertica, quem nuper rex Francorum ad dominum papam nuntium destinavit, Benedictus XI proprio motu et consideratione dicti regis canonicatum confert præbendamque reservat in ecclesia Parisiensi. Dispensat etiam cum eodem super pluralitate beneficiorum.	520	856

1304				
Maii 21	Perusii.	Episcopo Carnotensi committit, ut in ecclesia, quam Petronilla de Geriaco domicella familiaris reginæ Francorum, construi fecit in domo sua de Hennemonte, Carnotensis diocesis, fratres ordinis Vallisscolarium ad requisitionem ipsius Petronillæ instituat perpetuo ibidem Domino servituros.	Col. 571	No. 956
» 21	»	Priori s. Johannis de Massano, Ameliensis diocesis, committit potestatem dispensandi cum personis aliquibus super matrimonio illicite contracto.	584	978
» 23	»	Quibusdam civibus Suessanis concedit licentiam remanendi in contracto matrimonio, quodam impedimento non obstante.	533	879
» 23	»	Dispensatur cum Manfredo nato Rambaldi de Tervisio, ut canonicatum et præbendam Cameracensis ecclesiæ, quæ sibi nuper fuerunt assignata, non obstante defectu quem patitur in ætate assequi valeat.	643	1070
» 23	»	Magistro Gabrieli collectori decimæ in certis partibus regni Alamaniæ mandat ut totam pecuniam, quam pro Ecclesia Romana colligere potuerit, mercatoribus societatis Circulorum assignet seu faciat assignari.	796	1273
» 23	»	Decano ecclesiæ Frankenvordensis mandat, ut ea quæ de bonis monasterii monialium de Reteres, Præmonstratensis ordinis, Maguntinæ diocesis, per concessiones illicite alienata invenerit vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet.	826	1318
» 23	»	Eidem decano simile dat mandatum super bonis monasterii de Thron, [Treverensis diocesis], illicite alienatis et ad proprietatem dicti monasterii revocandis.	826	1319
» 24	»	Confirmat Minoritis in Lindovia privilegia sua super confessione audienda et funeralibus, quæ illis jam olim papa Bonifacius concesserat.	827	1320
» 25	»	Indulget archiepiscopo Arelatensi, ut in sua et in aliis cathedralibus ac collegiatis ecclesiis provinciæ Arelatensis personas idoneas recipi faciat in canonicos, videlicet singulas in singulis, eisque provideat de præbendis.	392	609
» 25	»	Cum Azzo et Franciscus marchiones Estenses castrum Argentæ ad ecclesiam Ravennatem pertinens detineant illicite, mandat Firmano episcopo ut ad partes illas personaliter se conferens, possessionem dicti castri nomine Ecclesiæ apprehendat et castrum ipsum faciat fideliter a personis idoneis custodiri, donec Apostolica Sedes aliter duxerit ordinandum. Quod si præfatos marchiones mandatis et monitis suis obedientes invenerit, sententias et pœnas in eos et alios latas præmissorum occasione valeat relaxare.	772	1247
» 26	»	Valeant fratres ordinis Prædicatorum Yporienses recipere de usuris, rapinis et aliis illicite acquisitis usque ad summam mille florenorum auri.	528	869

1304 Maii 27	Perusii.	Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ deputatis vel deputandis mandat, ut commissum sibi inquisitionis officium in omnibus partibus dicti regni tam citra quam ultra Farum exequi valeant, non obstante quod insula Siciliæ nuper fuit concessa Friderico regi Trinacriæ.	Col. 508	No. 835
» 27	»	Obtentu regis Siciliæ, priori et conventui monasterii s. Petri Martini de Neapoli, ordinis Prædicatorum, concedit capellam s. Thomæ de Arena, eorum loco contiguam, in constructionem domorum seu officinarum dicti monasterii prout oportuerit convertendam.	551	914
» 27	»	Raynaldo de Roy laico Noviomensis diocesis licentiam impertitur construendi ac dotandi tres capellas in loco Pontis Episcopi, supradictæ diocesis, prout idem Raynaldus affectat et proponit.	616	1020
» 27	»	Cum inter communia Venetiarum et Paduæ gravis discordia sit exorta, Firmanum episcopum ad partes easdem destinat, ut inter dictas civitates concordiam reformare studeat et materiam dissensionum amputare.	776	1248
» 27	»	Duci et universitati Venetiarum de suprascripta epistola significat; eosdem hortatur ut Firmani episcopi monita et mandata devote recipiant et efficaciter adimpleant. — In e. m. communi civitatis Paduanæ.	776	1249
» 27	»	De eodem. Valeat Firmanus episcopus censuram ecclesiasticam exercere in omnes illos qui monitis et mandatis ejus acquiescere noluerint.	777	1250
» 28	»	Archidiacono Remensi concedit ut tres clerici, familiares ejus ac domestici, possint usque ad triennium fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum percipere.	504	826
» 28	»	Regem Trinacriæ rogat et hortatur, ut fratrem Thomam de Aversa inquisitorem pravitatis hæreticæ in regno Trinacriæ nec non inquisitores alios deputatos vel deputandos ibidem propensius commendatos habeat.	507	834
» 28	»	Abbati monasterii de Firmitate, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis diocesis, indulget ut, quotiens eum contigerit in monasteriis et capellis seu ecclesiis sui ordinis proponere verbum Dei, omnibus vere pœnitentibus et confessis illuc accedentibus indulgentiam quadraginta dierum elargiri valeat. — Eadem gratia tribus aliis abbatibus conceditur.	543	899
» 28	»	Johanni de Kelles nato Godefridi de Brabantia, clerico Leodiensis diocesis, indulget ut non obstante illegitimitatis macula omnes ordines recipere ac obtinere beneficium valeat.	564	943

1304 Maii 28	Perusii.	Antonio Alberti de Padua et Ymiliæ de Montagnono concedit facultatem contrahendi matrimonium, non obstante impedimento proveniente ex eo quod olim prædictus Antonius duxit in uxorem Antoniam Ubertini de Montegalda, quæ dum viveret quarto affinitatis gradu eidem Ymiliæ attinebat.	Col. 591	No. 989
» 28	»	Abbati monasterii Cistercii, Cabilonensis diocesis, concedit ut, quotiens in monasteriis vel ecclesiis seu capellis sui ordinis eum contigerit proponere verbum Dei, vere pœnitentibus et confessis qui interfuerint ibidem quadraginta dierum indulgentiam elargiri valeat.	619	1026
» 28	»	Valeat comitissa Juliacensis in locis ecclesiastico suppositis interdicto per capellanos proprios divina officia facere celebrari.	632	1049
» 28	»	Episcopo Parmensi facultatem elargitur concedendi ecclesiæ Baptisterii Parmensis prioratum s. Mariæ de Pizzolesio et ecclesiam s. Blasii de Viarolo, Parmensis diocesis, pro ipsa ecclesia Baptisterii magnificanda et divino cultu ac numero ministrorum augmentandis in eadem.	795	1272
» 28	»	Abbati monasterii Fuldensis, Maguntinæ diocesis, mandat ne permittat ut magistra et conventus de Reteres, Præmonstratensis ordinis, Maguntinæ diocesis, a prædonibus et invasoribus indebite molestentur.	827	1321
» 29	»	Abbati et conventui monasterii s. Christofori de Bergamasco, ordinis s. Benedicti, Aquensis diocesis [1], confirmat duos prioratus quos obtinent ex concessione abbatis et conventus monasterii s. Michaelis de Clusa, prædicti ordinis, Taurinensis diocesis [2].	577	969
» 29	»	Rectori et fratribus hospitalis novi de Vegano de Castro Plebis, Clusinæ diocesis, indulget ut usque ad viginti annos de eleemosynis vel bonis quibuscumque, ipsis quoquo modo legatis vel collatis, canonicam portionem cuiquam solvere minime teneantur.	628	1040
» 29	»	De injuria quam nuper Pratenses intulerunt episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ legato, vehementer queritur, mandans districte civibus Florentinis ut injuriatores eosdem et quoscumque alios pacis impeditores viriliter compescant.	827	1322
» 30	»	Episcopo Maurianensi mandat ut nonnullis suæ diocesis, qui pro violenta manuum injectione in clericos et personas ecclesiasticas in excommunicationis laqueum inciderint, beneficium absolutionis impendat.	493	800
» 30	»	Certis executoribus mandat, ut magistro Petro Bonegentis de Genazano cameræ papalis clerico fructus proventusque ac redditus præbendæ, quam obtinet in ecclesia Virdunensi, integraliter licet absenti ministrari faciant, juxta quarumdam Bonifatii VIII continentiam litterarum, quas capitulum ejusdem ecclesiæ ex frivolis causis omni robore destitutas reputabat.	502	821

1. Col. 577, l. 43, lisez *Aquensis* au lieu de « Taurinensis ».
2. Col. 578, l. 2, lisez comme ci-dessus au lieu de « prædictorum ordinis et diocesis ».

1304 Maii 30	Perusii.	De eodem scribitur Petro supradicto.	Col. 503	No. 822
» 30	»	Indulget duabus personis Viennensis diocesis, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, ut matrimonium invicem contrahere valeant.	521	858
» 30	»	Magistro Bittino de Con[eglano] capellano suo concedit ut, quandiu Sedis Apostolicæ institerit obsequiis, fructus, proventus ac redditus præbendarum et aliorum beneficiorum, quæ nunc obtinet in diversis ecclesiis, cum integritate percipiat.	548	907
» 30	»	Similis gratia pro magistro Sicardo de Vauro, capellano apostolico.	549	910
» 30	»	Armenos domus Sancti Spiritus Anconitani sub sua et b. Petri protectione suscipit. — Eisdem indulget ut nullus delegatus, subdelegatus, executor vel conservator Sedis Apostolicæ in eos excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias audeat promulgare absque Sedis ejusdem mandato speciali.	572	958
» 30	»	Episcopo Auximano mandat ut eosdem adversus molestatores quoscumque strenue tueatur.	572	959
» 31	»	Renovat et confirmat quasdam suas litteras, quibus contulerat Petro de Narbona canonicatum et præbendam in ecclesia Carnotensi.	504	825
» 31	»	Magistro Castellano de Tervisio capellano suo concedit ut, quandiu Sedis Apostolicæ institerit obsequiis, fructus omnium beneficiorum suorum percipiat.	548	909
» 31	»	Johanni Guillelmi Servat, clerico Londoniensi illegitime nato indulget, ut ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere possit.	561	934
» 31	»	Episcopo Gravinensi mandat, ut episcopo Melfitensi ejusque in hac parte fautoribus diem dicat ad comparendum coram conspectu apostolico, super quibusdam injuriis et gravaminibus, quæ guardiano et fratribus ordinis Minorum Melfitensibus intulisse noscuntur, de justitia responsuris.	587	983
» 31	»	Frater Rudolfus ex ordine Minorum vacanti ecclesiæ Foropopuliensi præficitur in episcopum.	593	992
» 31	»	Cum Andreas prior ecclesiæ s. Pauli de Materno, quæ ab ecclesia s. Mustiolæ Clusinæ dependet, ex supervenienti sibi ægritudine demens factus sit, Benedictus mandat præposito ecclesiæ s. Mustiolæ, ut eundem Andream a præfato prioratu amoveat, et post amotionem hujusmodi ei faciat sive in prioratu sive in ecclesia prædictis vitæ necessaria quod vixerit ministrari. Prioratus autem ecclesiæ s. Pauli alicui ex canonicis s. Mustiolæ conferatur.	599	996

1304 Maii 31	Perusii.	Priori et conventui ordinis fratrum Prædicatorum Perusinis capellam s. Stephani de Castellari cum ejus pertinentiis in proprios usus concedit, statuens ut, amoto ab eadem Nicolao canonico ecclesiæ Perusinæ, cui dictæ capellæ gubernatio commissa fuerat, ipsius corporalem possessionem sine difficultate qualibet apprehendant.	Col. 615	No. 1018
Jun. 1	»	Facino dicto Cardinali, canonico et magistro scholarum ecclesiæ Januensis, confertur præpositura ecclesiæ s. Salvatoris de Lavania, Januensis dioecsis. Dispensatur insuper cum eodem, ut præposituram, canonicatum et magisterium supradicta insimul retinere valeat.	567	948
» 1	»	Vacante olim monasterio s. Mariæ de Trianis, Legionensis diocesis, Petrus de Villa Vincentii, ipsius monasterii canonicus, in abbatem canonice electus est ; qui confirmationem electionis hujusmodi statutis temporibus obtinere non potuit. Nunc autem Bededictus mandat episcopo, priori fratrum Prædicatorum et guardiano Minorum Palentinis ut, si eundem Petrum idoneum invenerint ad monasterii jamdicti regimen exercendum, eum auctoritate apostolica in abbatem instituant. Alioquin de alia persona idonea dicto cœnobio celeriter provideant.	621	1029
» 1	»	Dispensat cum Johanne Wenceslai Otachari de Brunna, Olomucensis diocesis, ut non obstante illegitimitatis macula omnes ordines recipere ac beneficium ecclesiasticum adipisci valeat.	648	1079
» 1	»	Consideratione Guillelmi s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, Cipriano de Alexandris de Pergamo, ipsius cardinalis consobrino, confertur canonicatus præbendaque reservatur in ecclesia Leodiensi.	651	1089
» 2	»	Bonifatio Hugolelli de Turilia, cui Bonifatius viii canonicatum contulerat præbendamque reservaverat in ecclesia Placentina, Benedictus xi providet de quadam præbenda ibidem vacante, non obstantibus infradictis.	559	933
» 2	»	Obtentu et consideratione archiepiscopi Narbonensis pro magistro Alberto nepote suo supplicantis, eidem magistro conceditur ut per biennium studio juris civilis immoretur et percipiat per idem tempus proventus suos ecclesiasticos, tam archidiaconatus ecclesiæ Carnotensis, quam aliorum beneficiorum suorum.	633	1051
» 2	»	Gratia similis pro magistro Hugone de Calancona, ejusdem archiepiscopi consanguineo.	634	1052
» 2	»	Olim cum Monsserato Eymerici, clerico illegitime nato, fuit auctoritate Nicolai papæ iiii dispensatum, ut ad omnes ordines et ad beneficium ecclesiasticum promoveri posset. Cum autem nullæ super hoc litteræ sint confectæ, Benedictus xi præfatam dispensationem præsentibus confirmat.	643	1071

1304				
Jun. 3	Perusii.	Philippo nato Caroli comitis Andegavensis, et Beatrici natæ Roberti ducis Burgundiæ, indulget ut non obstante duplici consanguinitate matrimonialiter valeant invicem copulari. Eadem gratia conceditur Hugolino nato ejusdem Roberti ducis Burgundiæ, ac Caterinæ natæ prædicti comitis Andegavensis.	Col. 488	No. 790
» 3	»	Priori et conventui fratrum ordinis Prædicatorum Imolensibus ecclesiam s. Nicolai Imolensis, eorum loco contiguam, pro ampliatione ipsius loci concedit.	557	926
» 3	»	Valeat Dunelmensis episcopus duos notarios instituere.	559	930
» 4	»	Reginum episcopum absolvit a juramento, quod tempore consecrationis suæ præstitit de visitando singulis annis Apostolorum limina.	498	813
» 4	»	Archiepiscopo Cantuariensi et Lincolniensi ac Wigorniensi episcopis mandat, ut de actis et regimine fratris Richardi de Hoton, qui se gerit pro priore prioratus ecclesiæ Dulielmensis, diligenter inquirant, et, eodem amoto, prioratum ipsum reforment tam in capite quam in membris.	519	853
» 4	»	Abbati monasterii s. Pantaleonis Coloniensis mandat, ut magistrum et fratres Hospitalis s. Mariæ Theotonicorum Jerosolimitani contra molestatores quoscumque tueatur. — In e. m. pro eisdem aliis conservatoribus.	554	922
» 4	»	Ministro fratrum ordinis Minorum provinciæ Coloniensis mandat, ut monasterium, nuper in civitate Coloniensi constructum ad honorem s. Claræ, ordini ipsius sanctæ incorporet et tres vel quatuor de monialibus de Nussia, præfati ordinis, ad dictum cœnobium pro eodem informando et instruendo transferat.	559	931
» 4	»	Priorissæ et sororibus monasterii s. Petri Urbevetani, sub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventibus, indulget ut ad præstandum decimas vel ad exhibendum quascumque sæculares exactiones minime teneantur.	563	941
» 4	»	Mathæo s. Mariæ in Porticu diacono cardinali capellam s. Vincentii de Urbe, sitam inter basilicam Principis Apostolorum et palatium papale, cum pertinentiis ejus in spiritualibus et temporalibus committit gubernandam.	798	1275
» 5	»	Certis executoribus mandat, moneant et inducant rectores Castellanæ civitatis ac nonnullos clericos et laicos ejusdem civitatis et diocesis, ut quædam bona ab ipsis illicite occupata episcopo Castellano dimittant, eique de injuriis, violentiis vel damnis illatis eidem satisfaciant competenter. Quod si facere contempserint, ad id rectores præfati per censuram ecclesiasticam districte compellantur, clerici vero et laici supradicti citentur ad comparendum coram Apostolica Sede pro meritis recepturi.	526	865

1304				
Jun. 5	Perusii.	Ecclesia Capuana per obitum quondam Johannis pastoris solatio destituta, Andreas Brundusinus archiepiscopus, quem decanus et canonici Capuani in archiepiscopum postularunt, ad eandem ecclesiam transfertur.	Col. 550	No. 912
» 5	»	Episcopo Bononiensi mandat ut magistrum et fratres domus Militiæ Templi Jerosolimitani contra molestatores quoscumque tueatur.	554	920
» 5	»	Cum Jerosolimitanus patriarcha, ab ecclesia sua dudum exulans bonisque propriis totaliter destitutus, nihil habeat unde possit juxta sui status decentiam substentari, ei Benedictus XI curam et administrationem vacantis ecclesiæ Brundusinæ committit, ad ipsius inopiam relevandam.	564	944
» 5	»	Confirmat atque ampliat indulgentias, quas Gradensis patriarcha, archiepiscopus Duracensis et alii episcopi tempore consecrationis ecclesiæ b. Andreæ de Bigontio de Seravalle, Cenetensis diocesis, concesserant Christi fidelibus qui eandem ecclesiam certis diebus visitarint.	593	991
» 5	»	Episcopo Dunelmensi concedit facultatem dispensandi cum octo clericis suis, qui signum vivificæ crucis assumpserint, ut quilibet eorum duo ecclesiastica beneficia recipere ac retinere valeat.	612	1013
» 5	»	Valeat idem episcopus indulgere quatuor clericis suis, qui parochiales ecclesias post Lugdunense Concilium assecuti non se fecerunt prout tenebantur in presbyteros ordinari, ut easdem ecclesias cum fructibus exinde perceptis licite possint retinere.	613	1014
» 5	»	Fiat inquisitio super quadam alienatione possessionum Cretensis ecclesiæ, quas Constantinopolitanus patriarcha dicitur auctoritate propria vendidisse.	614	1015
» 5	»	Confirmat electionem Michaelis, thesaurarii monasterii s. Ysidori Legionensis, quem conventus ipsius monasterii in abbatem elegerat.	631	1048
» 5	»	Abbati et conventui s. Michaelis prope muros Bambergenses, quibus Otto Slavorum et Cassubiæ dux, Caminensis diocesis, jus patronatus s. Jacobi in Stettin, in Gustow, in Schune ac s. Spiritus et s. Michaelis juxta muros Stettinenses ecclesiarum et villam de Mandelcow cum terris contulit, hanc collationem confirmat.	828	1323
» 6	»	Cum archidiaconatus, canonicatus et præbenda ecclesiæ Bisuntinæ, quæ nuper Leoni Francisci de filiis Ursi fuerant assignata, per mortem ipsius Leonis de novo vacare noscantur, ea Benedictus XI Ubaldino Tani de Ubaldinis, capellano Francisci s. Luciæ in Silice diaconi cardinalis, confert providetque de illis.	641	1068

1304				
Jun. 7	Perusii.	Fratri Jacobo magistro domus Militiæ Templi Jerosolimitani licentiam concedit veniendi ad Apostolicam Sedem.	Col. 494	No. 803
» 7	»	Ut possit Eduensis episcopus concedere duabus personis tabellionatus officium.	561	936
» 7	»	Eidem episcopo facultatem concedit faciendi recipi personas idoneas in canonicos in Educnsi, Belnensi, dc Vergeyo et de Castrocensorio Eduensis diocesis, ecclesiis, singulas videlicet in singulis, ac providendi cisdem de præbendis.	562	937
» 7	»	Liceat eidem episcopo censuram ecclesiasticam exercere in molestatores vel injuriatores, qui ejus vel Eduensis ecclesiæ bona aut jura invadcre seu turbare præsumpserint.	620	1028
» 7	»	Guillelmum de Nogareto, Renaldum de Supino, Sciarram de de Columpna et corum complices, qui scelestum flagitium in personam Bonafatii VIII Anagniæ commiserunt, incurrisse denuntiat excommunicationis sententiam a canone promulgatam. Eos peremptorie citat ad comparendum coram Apostolica Sede.	798	1276
» 8	»	Abbatissis et sororibus ordinis s. Claræ indulget ut ad præstationem dccimarum vel ad exhibendum annuum redditum seu censum diocesanis episcopis, vel pcdagia, tclonea et alias exactioncs minimc tcneantur. Præterea ipsas ipsarumque loca et monasteria a patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et quorumcumque aliorum potestate ac jurisdictione prorsus eximit.	600	997
» 8	»	Gualvano de Gueng., presbytero Eboraccnsis diocesis, confirmat ecclesias dc Lithom., et dc Warton., quas insimul dictus Gualvanus indebitc retinuerat. Ipsi præterea remittit fructus injuste perceptos ex eisdem ecclesiis, dispensatque cum eo super inhabilitate et infamia exinde contractis.	602	1003
» 8	»	Dispensatur cum Guillelmo dc Tria, archidiacono Minoris Calcti in ecclesia Rothomagensi, super irregularitate quam contraxit pro eo quod plura beneficia insimul retinuit.	604	1004
» 9	»	Executores deputat super executione mutui contrahendi ab episcopo Bambergensi.	497	812
» 9	»	Magistro Bosolo de Basolis capellano suo mandat, ut ad partes diocesis Cæsanatis se personaliter conferens sibi nomine Ecclesiæ faciat assignari aliqua castra, ad ecclesiam Ravennatem pertinentia, quæ communitas civitatis Cæsenæ dicitur occupasse.	797	1274
» 10	»	Electo Messanensi concedit, ut tres clerici ejus valeant usque ad triennium percipere fructus redditusque ac proventus beneficiorum suorum.	649	1081

TABLE ALPHABÉTIQUE

DES NOMS PROPRES

Les chiffres renvoient aux colonnes de la publication.

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z